

Io: Caramu:
elis:
Logic: Moral:

Lib: 1:



MORALIS
SEU
POLITICA
LOGICA

Præmittit Syntagma, quod ΣΥΝΟΨΙΣ inscribitur: in quo cuncta, quæ posteà uberiori calamo edisseruntur, illæsa claritate, in Compendium coarctantur, omnesque Iuris Apostolici Regulæ exiguntur ad Dialecticos Canones; ostenditurque singulas, uno aut altero verbo interjecto, posse in Propositiones Aeternæ Veritatis transire.





Et deinde; quoniam hæc ingeniosa facultas

ΑΠΟ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ A *SERMONE* ET *RATIONE* NOMEN SVMIT

IN DVOS LIBROS DISPESCITVR

QVORUM

PRIOR, qui λόγον, sumptum pro *Sermone*, concernit, Rhetoricam, & eloquendi Artes promovet & propagat, de Morali & Civili Notarum, Vocumque, significatione copiosè & eruditè differendo.

POSTERIOR verò, qui λόγῳ pro *ratione* usurpati in Tribunalibus & Consistoriis Operationes dirigit, non solùm complectitur, illustratque Universam Dialecticam [contumacem & contentiosam Scientiam, nam ἀπὸ τοῦ διαλέγομαι, hoc est, *à disputando* indigitatur,] sed etiam, ut plurima, quæ ipsam deficiunt, subroget, Novos Terminos; Nova Propositionum Συγκατηγορήματα, seu Quantitates; Novas Oppositionum, & Conversionum Leges, Novos Syllogismorum Modos invenit, inventos dilucidat, dilucidatosque ad praxim opportunam reducit.

Est Opus Apostolici, Cæsarei, Regii, &c. Iurium Doctoribus & Professoribus: necnon Iudicibus, Auditoribus, Assessoribus, & Consultoribus, cæterisque Reipublicæ Ecclesiasticæ & Secularis Administris, &c. maximè necessarium.

AVTORE (AVT ETIAM INVENTORE, SI VELIS)

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D.

D. IOANNE CARAMVEL,


Lovaniensi Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, Episcopo Viglevanensi, ex Cisterciensi Ordine adsumpto. &c.





VIGLEVANI.

Typis Episcopalibus apud Camillum Conradam Anno M. DC. LXXX.
Superiorum permissu.



Reverendissimo & Eximio D.

P. RAYMVNDO CAPISVCCO,

Apostolici Palatii Magistro. &c.

Domino & Amico suo Colendissimo.

D. JOANNES CARAMVEL: VIGLEVANENSIVM EPISCOPVS.



VT ut negotiis totius Christiani Orbis incumbas; & in Hæreticæ pravitatis extirpatione, & in Orthodoxæ Fidei propagatione, INNOCENTIO XI. Sanctissimo Domino nostro, Oecumenico Christi Vicario; Minister Primus & Supremus adsistas; omnique diligentia & studio morum reformationi invigiles; inducias, me interpellanti, labori assiduo indulge, converteq; ad Scripta mea oculos, & ad Procemium hoc meum aures studiosas & benignas inclina. Munus offero; opportunum, ut existimo, hoc seculo; in quo à Prisciano immediatè ad Iustinianum transeunt Adolescentes; quin Aristotelem, qui in media occurrit via, salutare dignentur. Et hanc ob causam (quod experientia ostendit; & cum tædio Ego, ne dicam cum dolore, commemoro) sæpe claudicant Definitivæ Tribunalium Sententiæ; non enim possunt Pontificio aut Cæsareo Iuri correspondere, quæ Moralis Dialecticæ Canonibus non subcollantur. Hodie igitur, siquidem à Tua dignatione spero, ut hi Libri (qui non solùm demonstrant manifestè & clarissimè Logicam Peripatus (quam fatetur vel Invidus, curiosè & ingeniosè fuisse inventam, universisque Philosophiæ & Theologiæ Cõtroversiis dirimendis sufficere) ubi his aliqua, quæ Ecclesiasticas aut Politicas Leges concernat, decidenda proponitur, insufficientem esse: sed & addit & exhibet Protheoremata omnia, quæ poscit & requi-

Gravissima totius Ecclesiæ Orthodoxæ negotia à Sacri Palatii Magistri pendent vigilantia & prudentia.

Cur interdum claudicent Iuristarum Sententiæ?

[☉] In literarum genere, summa dignitas, quæ hodie in Mundo suspic tur, est Sacri & Apostolici Palatii Magisterium.

requirit Necessitas, & tamen fuerunt Aristoteli, etsi oculatissimo, invisa] honorentur Tuis oculis, liceat, quæso, Mihi Discipulorum inferiori Discipulo, coram Supremo Magistrorum [☉] Magistro, aliqua de Logicæ Nomine, Objecto, & Fine minùs nota universis præfari. Ergo incipiā à Nomine,[*] &, ut securiùs possim, rem ab ovo deducam.

*] Hic, si alicubi verū est illud Axioma, *Conveniunt rebus nomina sæpe suis.*

Ergo attende, Omnia, quæ supra Philosophiæ Naturalis terminos in Platone leguntur, exscripta sunt ex Sacra Pagina, ut multi Viri docti testantur. Possem varias designare Doctrinas, & indigitare Locos Sacros, unde fuerunt desumptæ. Mundum enim quem alii in tempore, sed tamen casu; & quem alii à consilio, sed tamen ab æterno, exstitisse somniabant, habuisse aliquando principium, & productū ex nihilo à Numine Supremo asseruit; quoniā legebat apud Moysen in libro בראשית *BERESCITH*, *In principio creavit Deus Calū & Terram*.

Vnde hausisit Plato notitias propter quas fuit Divini cognomentum promeritus?

Admirabatur Primi Nomenclatoris felicitatem; & quia videbat Terrena & Cælestia omnia designari opportunis vocabulis, quis ille fuerit, inquisivit; & reperit Sublunaribus Rebus Adamum nomina sub Dei magisterio indidisse, & Aetereis Corporibus illum, illum, *qui facit mirabilia magna solus*, ne alius adsistentia aut concursu, nomina consignasse. Veritatē priorē Propheta Postvidens verbis his asseverat. *Formatis*, inquit, *Dn̄s Deus de humo cūctis Animantibus Terræ, & universis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adā, ut videret quid vocaret ea. Omne enim, quod vocavit Adam Animæ Viventi, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia Cæli, & omnes bestias Terræ. &c.* Et posteriorem Propheta Rex modulatur his numeris. *Deus est*, inquit, *qui fecit Cælos in Intellectu* [b] &c. *Qui firmavit Terram super aquas.* [c] &c. *Qui fecit Luminaria magna.* [d] &c. *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* [e] &c.

Creatum Mūdum asseruit.

Psal. 135. ℣. 4.

Genes. 2. d.

Psal. 135. ℣. 5. 6. 7. 8.

Psal. 135. ℣. 4.

Et his Plato notitiis præventus & illuminatus, *in libro* περὶ τῆς ὀρθῆς ὀνομάτων λόγου, *De recta Nominum Logica* [f] exclamat, *Naturam illam, quæ rebus nomina indidit, hac Humana, quam noscimus, sublimiorem & nobiliorem esse.* Et huc respicientes Patres, & Bernardus præcipuè [g] ab ἐτύμω, *ratione & origine vocum*, maxima arcana detexerunt. Ergo illorum exemplo, Ego etiam potero, antequam Logicas Disputationes Tibi exhibeam, aliquid de hujus Scientiæ nomine, qua possim brevitate, præfari.

Quisnam corporibus Æthereis, sublunaribusque imposuerit vocabula?

De nomine Logica. Vnde deducatur?

Sanè, quia omne est trinum perfectum, canit enim Poeta

—— *Numero Deus impare gaudet.*

nomen impræsentiarùm LOGICA, à tribus Linguæ Sanctæ Radicibus convenienter deducam.

Quodnam sit inter Logicam & alias Scientias Literarias discrimen?

PRIMA erit לאך, *LAACH*, *Legare*: unde מלאך, *MALACH*, *Angelus*. Et hinc apud Græcos est nomen λιγύς, *Irrefragabilis*, *Ingeniosus*, *Argutus*, & verbum λιγύζω, *Loquor irrefragabiliter*, *ingeniosè*,

geniosè, & arguté. Discimus ergo ab ipso nomine, in hoc à Grammatica, Rhythmica, Metrica, & Rhetorica differre Logicam, quòd puritatem à prima, consonantias ab altera, mensuras à tertia, ornatū & decorem à quarta, verùm enim verò efficaciam, vi cujus invincibilis & irrefragabilis sit, à Logica nanciscatur Oratio.

Pergo ulteriùs, & quod Peripateticorum pace dixerim, Logicam juxta naturalem ratiocinandi cursum à Platone traditam & exercitam, desiguravit Aristoteles, & Dialecticam argumentandi Formā, ad quam dudum suos Academici elimabant discursus, ad tres Figuras differentes obtorsit; voluitque Novæ Logicæ *Inventoris* potiùs, quàm *Restauratoris* nomine condecorari. Jacuit interim Logica: & quasi per quinque secula [b] laboravit hoc morbo, quousque illam Galenus, Medicorum Antistes, recuravit; & exesse jussis Desigurationibus Aristoteleis, Platonicam, per injuriam Formam antiquatā, reposuit, quæ jam hodie *Norma Galenica*, aut *Quarta Figura* vocatur.

Fuerit ne Dialectica Inventor, an Restaurator Aristoteles?

De Figura Galenica. An admittenda sit?

Et hinc intelligo, Cur ab eadem Sanctæ Linguæ Radice (nempe לאך *LAACH*) dicantur, *Logica*, *Legatus*, & *Angelus*. Hinc enim nomen habet *Logica*, quòd nos ea loqui doceat irrefragabiliter, ingeniosè, & argutè. Et hinc *Legatus* cognomentum adquirit, quoniam imperiti Dialecticæ, in cassum ad Reges & Principes peregrinos legantur. Sed cur inde etiam *Angelus*? Rationales non sunt, & ideò nec inter se ipsi, nec cum hominibus ratiocinantur. Cur ergo? Voluit Deus, ut perennis in Logica Restauratoris sui Galeni permaneret memoria, & ideò *Angeli* nomen isti Radici insevit; quoniam GALENVS ἀναγραμματικῶς lectus est ANGELVS.

Angeli non ratiocinantur.

Galenus ἀναγραμμ. Angelus.

Habeo ob oculos, quando hæc scribo, quatuor Cardinalium Linguarum Harmoniam, quam Georgius Cruciger anno M. DC. XVI. edidit Francofurti; & nu 877. reperio, Radices הלך, *HALACH*, & ילך, *IALACH*, quæ *Ambulare* significant, ipsi לאך *LAACH*, cognatas esse; & disco, cur Aristotelei περιπατητικοὶ *Deambulatores* fuerint olim vocati? Hoc enim sunt glorioso insigniti vocabulo; non propter rationes, quæ ab Scriptoribus passim circumferuntur; sed, quia eminuerunt in Logica; Scientia nimirùm, quæ Intellectum Humanum currere & discurrere docet; quoniam συλλογίζειν nihil est aliud, quàm ex Præmissis ad Conclusionem ratiocinando ingeniosè venire.

Cur Auditores Aristotelis Peripatetici vocati fuerint?

SECVNDA Radix, à qua deducitur hoc nomen LOGICA, est לג, *LOG*. *Mensura*. Vnde Λάγηνος, & Λαγύνιον Græcus, & Germanus suum ein Legell, Hispanusque suum *Laguna*, hoc est *Lacus*, deduxit. Et hanc nominis derivationem Zeno adprobare videtur; quoniam Stobæo *serm.* 80. referente, hanc Artem justę Mensurę comparabat: quia sicut hęc non solùm bona grana, sed & mala & paleas interdum metitur, sic etiam Logica in rebus omnibus, seu

An Logica Propositionum gradus in claritate, aut etiam quantitate mensuret?

sublimes

ſublimes ſeu humiles ſint, veritatem indagat. Et quidem, univerſaliter loquendo iſtud ſanctiſſimum *Menſuræ* nomen, meritò huic Rationali Facultati debetur; quoniam in Propoſitionum certitudine & claritate, immò etiam quantitate Gradus ſunt, qui cum Literarii Orbis damno confunderentur, & ſine Logica, & præcipuè Morali, non poſſunt ſecerni & diſtingui.

De Certitudine & Incertitudine, Conſiderantur quo ad nos.

De Veritate & Falſitate diſputant Metaphyſici; & *An magis aut minus recipiant?* diviſi in ſectas & ſententias examinant. Cæterùm, quia Certitudo & Incertitudo à notitiis, quas habemus, ſumuntur, Propoſitionum alias Certas, alias *I*ncertas eſſe univerſi aſſeverant. Indubias, Cuncti in humanitùs & divinitùs certas ſubdividunt. Et ajunt eſſe Certas humanitùs, quas vel Evidentia probat, aut Demonſtratio manifeſta perſuadet. Et addunt eſſe Certas divinitùs, quas à Revelatione didicimus. Progrediuntur ulteriùs, Incertaſque in Dubias, & Probabiles: iſtaſque in Minùs probabiles, Aequè probabiles, & Probabiliores diſtribuunt. Etiam Logica Propoſitionum Quantitates metitur, quæ tametſi ſi realiter ſumantur, ſunt paucæ, ſi moraliter & virtualiter accipiantur ſunt multæ, quæ expreſſis συγκατηγορημάτων [i] inter ſe diſpeſcuntur.

Certarũ & Incertarum Aſſertionum Diviſio.

An poſſit alterutrum ius profitere, qui ne ſciat Logicam?

RADIX denique Tertia, eſt להג, *LAHAG*: quæ, ſi verbum ſit, eſt *Doceo*; &, ſi nomen, *Doctrina* Hinc Græcus habet Λέγω *Dico*, Αναλέγω, *Recito*. Et poſteà à Λεγω deducit Λόγος, *Sermo*, *Ratio*, Et à Λόγος ſubducit Λογικὸς ἡ, ὁν. *Sermocionalis*, *Rationalis*. Vnde denique eſt LOGICA. Hinc etiam, ſed tantiſper alterata ſignificatione, habet Latinus *Lego, as*; & *Lego, is*. Et Germanus Lehren, *Prælegere*, & Lehrer, *Prælector*. Vt moneantur Iuris alterutrius Profeſſores (nam hi præcipuè videntur monitione indigere) temerè adſcendere cathedram, qui imperitus ſit Logicæ: Et excuſari etſi contra Zoilos ſuos ſtomachetur, poterit [k] Emarulca; quoniam, qui Syllogiſmos in Forma & Modo concinnare non ſciunt, deberent ſibi & Sirenis canere, & non contra Profeſſores aut Promotores Logicæ [l] adlatrare aut mugire.

Audentiùs indoctiores ſcribunt.

De Lagica. Quid illa ſit?

HINC ETIAM nomen *LAGIA*, aut etiam *LAGICA*, affine voci *Logica*, derivari reperio. Eſt autem *LAGICA*, ut *libr* 4. *cap.* 12. aſſerit Plinius inter Cycladas Inſula celeberrima, quę habuit, prout tempora tulerunt, alia nomina [m] at jam à pleriſque omnibus vocatur *DELOS*. Hanc duæ prærogativæ celeberrimam reddunt. Quoniam Apollinis & Dianæ parens eſt. Et quæ fluctuabat olim, jam ſiſtitur, & immobilis [n] hæret.

Delos, inſula.

Solem eſſe omnium Corporum Cæleſtium maximũ univerſi fatemur. Vide Clavium in Joann. de Sacro boſco Sphæram cap. 1. pag. 215.

Apollinis & Dianæ genethliam, quæ in Lagica accidit, Ovidius Transformationum ſexto deſcribit numeroſis Carminibus. Quæ ibi proſtant, ibi poterunt legi: nec enim eſt cur toties ſcripta, ſine neceſſitate reſcribantur. Tranſeo ergo ad Logicam, quæ ſicut nomine, ſic etiam re, *I*nſulæ Lagicæ eſt cognata & affinis. Hinc enim

Sol

Sol & Luna Orbis Literarii funt orti.

Profectò *S.* Thomas *Scholæ Sol* meritò nominatur. Et quidem inter hunc Visibilem *Solem*, & Doctorem Angelicum, tanta est ἀναλογία (paritas, & similitudo) ut Tycho Brahæus, cujus ingeniosa Mathemata Geometræ universi suspiciunt, ubi penicillo Astronomico imaginare *Solem* voluit, usus fuit Theologico, ad vivumque (ut dicitur) *S.* Thomam depinxit. *SOL* (inquit) *omnium Corporũ, quæ in hoc amplissimo Mundi Theatro inexhausta Dei condidit Sapientia, & maximum, & lucidissimum, Pulchritudineque & Majestate illustri, tum etiam viribus ac potentia efficacià, cætera omnia longè antecellens; quique lucis insita præfulgida claritate, &c. vivifico suo calore, & Cælesti Virtute, totam rerum Naturam, atque omnia, quæ in inferiori Mundo generantur, tum Animantia, & Vegetabilia; tum etiam Mineralia atque Metalla vegetat, fovet, atque ad destinatam maturitatem perducit; adeò, ut vis ejus in ipsa intima Terræ viscera penetret. Ad cujus etiam nutum omnes reliqui Planetæ,* (a) *totusque Chorus Cælestis, cursum suum dirigunt; eum tanquam Regem & Ducem inclytum, concinnà, nunquamque intermissà, observantià venerantes.* &c. Ecce Angelicum Doctorem Tycho, quem conceperat aliena specie, alieno nomine, sed coloribus verissimis, imaginavit. Nam, si agamus de nomine (ח & ת *Hheth*, & *Thau*) apud Hebræos sunt simillimę literę, & hanc ob rem debuerunt, qui habebant simillimas prerogativas, simillima indipisci vocabula. *Sol* חמה *HHOME*, quasi *Calefaciens*, dicitur, & Angelicus Pręceptor תמה *THOME*, quasi *Perficiens*, quòd sicut Materialis Sol omnia Corpora calefaciendo fovet; sic Sol Angelicus (hoc est, immaterialis; nam Angeli incorporei sunt) illustrando & fovendo Mentes universas perficiat. *Est porrò Divus Thomas, si sit Quæstionem decisura Sinceritas, omnium Ingeniorum, quæ in hoc amplissimo Orbis Literarii Theatro Summi Numinis condidit inexhausta Sapientia, sicut Maximum, sic & lucidissimum, sublimissimum, & subtilissimũ: Pulchritudine & Majestate illustri, tum etiam viribus ac potentia efficacià longè & latè cætera universa antecellens. Quoniam lucis divinitus indita præfulgidà claritate, & Cælesti Virtute, totam rerum Naturam (nempe, omnia, quæ in visceribus Terræ, & in sublunari Mundo generantur, & omnia etiam (Sydera, Adfixa Cælo, & Erratica) quæ in Aethereà regione cursu perenni diriguntur) meditatus, intellexit, percalluit, & doctissimis Voluminibus dilucidavit; & hoc tantà felicitate, ut eum cæteri Scholarchæ, velut Regem & Ducem inclytum, obsequiosà, nunquamque intermittendà observantià & reverentià venerentur.*

a) Et ab ipso Stellas universas moveri; post Clarium *loc. cit. pag.* 85. asserit probatq; ingeniosè Keplerus.

Orbis Theologici D. Thomas est Sol.

Vnde nomen D. Thomæ ducatur?

Tychonis verba, per parœdiam D.Thomæ applicantur.

Quàm latè se extendat D. Thomæ doctrina?

Quàm sit sublimis?

Cum Apolline nata fuit Diana, cum Sole Luna; Schola cum Angelico Pręceptore Thomistica. Sicut non luce propria Luna, sed lumine Solari coruscat, sic hęc Schola, non claret speciali doctrina,

De Thomistica Schola.

non

non celebratur propter Placita propria, sed tota quanta cernitur, est labii unius & sermonum (immò & conceptuum) eorumdem; quoniam sicut mente sui Magistri intelligit, sic ejus ore loquitur, & lingua ejusdem Controversias universas decidit. Aut fallor, aut in ipsa quicumque Auditor his aliis verbis confidenter adloquitur. [*Ergo per hac, Fratres* (inquit) *imitemur nostrum Magistrum: perfectus enim erit discipulus, si sit sicut Magister ejus*; videlicet, si Magister perfectus sit: ubi enim Magistri cespitant, Discipuli præcipitantur. At id nequit nobis accidere, noster enim Magister תמם D. Thomas [in Pahul *Perfectus*: in Pohel *Perficiens*] securè igitur illi adhærere possumus, à quo, qui exesse gliscunt censentur falsitatis suspecti.]

Quas doctrinas nos doceat?

Verba sunt S. Gregorii Nisseni in Oratione funebri ad laudem fratris sui Basilii.

De Pectorali summi Pontificis in lege Veteri.

Voluit apud Hebræos Antiquus Deus in Summi Pontificis περιςηθίῳ Mundum repræsentare; & ideò duo Luminaria Mundi maxima (Solem & Lunam) quæ radiis suis universa dilucidant, duobus pretiosis Lapidulis significavit. Erat autem περιςήθιον (Pectorale) per quod Responsa divinitùs sunt data, luce pulchriùs micante, si Deus adnuisset, ut probabiliter disputant Doctissimi Interpretes. אורים, *ORIM* enim significat *lumen in Intellectu*, תמים *THOMIM puritatem in Voluntate*, quam utramque habemus à Deo Patre in Filio per Spiritumsanctum, qui (sunt tres Personæ) & unus Deus, א & ת: *hoc est α, & ω* ut ad rem nostram Ioannes Henricus Alstedius asseverat. [p]

אורים Orim, & תמים Thomim.

D. Thomas est ὥρος, Sol.

Profectò nomen [o] אור *OR*, *Lux* (unde Sol à Græcis nominatus est ὥρος, *Horus*, ejusque filiæ ὥραι, *Hora*) meritò D. Thomæ accensetur, qui ut dicebamus Orbis Scholastici est Sol. אורים, *ORIM*, ad Personæ significandam excellentiam ponitur in Plurali. *Sic* & תמים *Thomim* sonat Thomistas, ut sciamus in rebus dubiis per אורים *ORIM*, & תמים *THOMIM* (per Doctorem Angelicum, & ejus Discipulos Thomistas) nobis responderi divinitùs. Hoc enim speciale in Doctrina Angelici Præceptoris reperio, quod non solùm (sicut faciebant Ethnicæ) Intellectum illuminet; ut Creaturarum essentias & passiones intelligat; sed & Voluntatem purificet, ut per creaturarum cognitionem, ad asceticam Divini Numinis [quod est א, & ת (*ALEPH*, & *THAV*) nec non α, & ω (*Alpha* & *Omega*) hoc est, clariùs loquendo, [p]

Quid præstet D. Thomæ doctrina?

Principium sine principio; Finis sine fine.]

cognitionem & contemplationem, perducamur.

SED, QVID nobis volunt Cosmographi illis numeris significare;

——— *Celeberrima Delus,*

Quæ modo fixa manet, mobilis ante fuit.

Et quam ex eis Theologi Consequentiam deducunt?

An, & quamdiu Delos fuerit Insula fluctuans?

Delum, ante Apollinis & Dianæ genethliam, fuisse fluctuantem Insulam, scita res est. At jam illa non fluctuat; quoniam Poeticorũ

horum

horum Numinum gravitate fundatur. Et idem de Schola dici poterit: quoniam ante Præceptoris Angelici & Scholæ Thomisticæ nativitatem (ille enim Apollinis, & hæc Dianæ nomine nobis repræsentatur) fluctuabat tota Encyclopędia: multa enim Logicam, plura Philosophiam, plurima Theologiam Speculativam deficiebant; quæ S. Thomas inveniendo novos argumentandi modos, quos Aristoteles penitus ignoravit, quosque Ego in quinta Parte nostræ Logicæ [a] ad Canones opportunos reduco; quæ etiam idem Doctor, veras Materiæ-primæ, & Formæ; veras Temporis & Loci; Causæ & Effectus Ideas & Definitiones proponendo: & tandem per Analogiã Nos ad Actus Puri, qui Deus est; Aeternitatis, quæ est unum simplicissimum *nunc*, & tamen Aeva & Tempora universa pervadit, Immensitatis, quæ est unum indivisibile *hic*; & tamen extra Cælos diffunditur, quin alicubi terminum adtingere, aut à Natura, aut ab Intellectu designabilem valeat. Et multa denique, quæ ante diem ad vitam meliorem adsumptus, prout desiderabat & materiæ gravitas requirebat, S. Doctor sufficienter illustrare non potuit, ejus Schola, numerosa doctissimorum Magistrorum multitudine condecorata, non jam Libris, sed Bibliothecis integris in lucem missis, &c. absolvit, perfecit, terminavit. Ergo ad hanc celeberrimam Scholam, quà Dialecticam, quà Philosophicam, & quà Theologicam convertens oculos, confidenter exclamo.

An, & quando Schola Literaria fluctuaverit?

De Nova Angelici Doctoris Logica.

Extra ejus Scholam (loquor sincerè, & liberè) nec Materia-prima, nec æternitatis, nec Immensitatis verus, reperitur conceptus

Fluctuans olim fuerat Lycæus;
Firmus ac constans hodie perennat;
Certa præ se fert quoniam Aeviterni
Dogmata Thomæ.

Ubi, & cur Orbis Literarius sic constans?

Talis est (REVERENDISSIME ET DOCTISSIME PATER) Angelici Præceptoris Lycæus. Talis Thomistarum Schola. Et maturo consilio hanc Tibi volui illius Effigiem consecrare, quia quantam autoritatem illa possidet, à Magistrorum, qui in illa sunt diversarum Facultatum Antistites, eruditione & doctrina nanciscitur. Et, quia Magister Sacri Palatii inter cæteros jure merito censetur Summus, à Te Gloria & Majestas Thomistarum dependent: quas Ingenio & Doctrina, Diligentia & Studio, promovere non cessas. Et, quia, quantum meæ Industriæ tenuitati permittitur, felici Tuo Labori cooperari desidero, & Resolutiones meas, quantum valeo, ad Mentem Angelici Præceptoris elimo, & præcipuè in hac Morali Logica, [Opere in Tribunalibus tam necessario, ut ille, quem ipsa defecerit, Iustitiam & Pietatem deficiet;] Illam Tui Nominis Aris obsequiosus appendo; oroque Deum, ut ad Orbis Literarii ornamentum, Te salvum & incolumem manutenere dignetur multos annos.

Cur hi Libri Sacri Palatii Magistro consecrentur?

Quantum illi Schola Thomistica debeat?

Dabam Viglevani ipsis Calendis Iuliis CIↃDCLXXX.

An & cur Prophetæ nominentur Videntes?

An alii Prævidentes, & solus Moyses fuerit Postvidens?

a] *Post videns*] Quia multa Prophetæ, quæ alios latebant, Deo revelante cognoscebant, *Videntes* in Sacris Literis vocati sunt. Cæteri, quia futura prospectabant, dici *Prævidentes* potuerunt, at Moyses solus *Post videns* appellatur: quoniam Historias Mundi lethæis undis submersas, multis annis postquam ipsæ successerant, vidit, scripsitque divinitùs illuminatus. Incepit Moyses, Genebrardo asserente, gubernare Israëlitas anno Mundi 2670. Rempublicam in deserto 40. administravit. Obiit annorum 120. Ergo, non habuit Historiographum, quem sequeretur, & tamen scripsit Historiam annorũ 2700. Habuit ergo à revelatione Divinâ, quod tot sæcula transacta postvideret.

Scientia Dei est causa rerum.

b] *In Intellectu*] ב in, & *per* significat. Ergo verbo Domini Cæli firmati sunt, quia fecit Cælos per intellectum. Voluntas igitur, non est quæ res producit, ut probabiliter tenet Scotus sed quæ intellectum applicat, ut intelligendo illas producat.

An Terra semper sit altior Oceano?

c] *Super aquas*] Semper Terra est elevatior Aquâ, unde illa verba, quæ *Proverb.* 8. leguntur *Et legem ponebat Aquis, ne transirent fines suos*, nõ debent ita intelligi, quòd illæ præter naturam suam obediant; sed quòd aggeribus, & marginibus ita fuerunt occlusæ, ut non possint operire Terram.

An Luna sit Luminare magnũ?

De magnitudine Stellarum.

d] *Luminaria magna.*] Quæritur, Cur Luna *Luminare magnum* dicta sit, cùm luce propriâ careat & Marte, Jove, & Saturno sit minor? Respondeo, duplicem esse magnitudinem: alteram quoad se, alteram quoad nos. Interim, quia quoad nos (nempe in oculis nostris) Luna magna videtur, ideò jure potuit *Magnum Luminare* vocari. De Lunæ magnitudine cum Terrâ, & aliis Planetis collatæ, vide Clavium *in Comm. ad Joannis de Sacrobosco Spharam. cap. 1. pag.* 215. Tychonem Braheum, Petrum Gassendum, Joannem Ricciolium, aliosque, qui de hoc argumento ex professo scripserunt.

Quid nomen Stella significet.

e] *Stellarum*] Hoc nomen in Sacrâ Paginâ *Sydera* sonat, si materialiter accipitur: *Angelos* si spiritualiter desumatur. Et sanè tantùm non infinitus Angelorum est numerus, & tamen *Deus est, qui numerat multitudinem Angelorum, & omnibus eis nomina vocat.*

Quid importet vox λόγος.

f] *Logica*] Λογος, *rationem*, & *sermonem* significat & in illo Divinus Plato libro de origine nominum ratiocinatur & sermocinatur.

An Plato legerit Sacram Scripturam?

Quis nomina imponere possit?

D. Isidorus Clarius, Episcopus Fulginatensis, ex Ordine Benedictino adsumptus, hunc textũ dilucidans, sic scribit. *Opinor ex hoc loco Platonem venisse in eam opinionem, ut diceret*, in lib. de rectâ nominum ratione, *videri sibi eam Naturam quæ rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hac Humanâ. Nam, cùm indidit Adam animantibus nomina, nondum legitur fuisse à suâ præstantiâ lapsus Impositio autem nominum significat, & quod Adam naturas Animantium perfectè calluerit; nam id demum, aut potiùs id solum, proprium cujusque rei nomen est, quod illius naturam exprimit. Et quod ipsa Animalia Hominis imperio subjecta essent: etenim imponere solemus nomina iis, quæ juris sunt nostri.*

An ab Etymologia utilia argumenta sumantur?

g] Ab ἐτυμῶ.] S. Bernardus *Serm. 1. super, Missus est*, textum Evangelii præmittit, inquitq; *Quid sibi voluit Evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo, quòd noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem Nuncium, qui mittitur; Sponsum quoque Virginis: amborumque genus, civitatem & regionem propriis designat nominibus.* Nominum ergo ratio multùm confert, ut res ipsæ penitiùs cognoscantur.

De Aristotelis & Galeni ætate.

h] *Aristoteles.*] Nascitur, asserente Ricciolio Olympiade 99. anno 384. ante Christum. Florebat præcipuè anno 340. Moritur annorum 63. adeoq; anno 322. Quo anno etiam obiit Demosthenes.

Quantum tempus inter utrũque interfuit.

Galenus Pergamenus fuit professione Medicus; Christianorum infensissimus hostis; scribebat anno 140. post Christum.

Ergo inter annum 340. ante Christ. & 140. post Christ. 480. numerantur. Ergo quasi per quinqua sæcula Logica laboravit morbo Aristoteleo, quousque fuit Galeni industriâ recurata.

De Realibus & Moralibus syncategorematis.

i] Συνκατηγορήματα. Realia pauca erant & ipsa Universales, & Particulares Propositiones afficiebant: & in Tribunalibus, & Discursibus Moralibus servire non poterant. Quoniam sequens ratio carere solutione videtur. Intendo enim ostendere Dialecticam Aristoteleam, ut ut sit ingeniosè digesta, non posse servire in Judiciis, sed novam aliquam concinnari debere, & sic discurro.

An Logica Aristotelis pro Moralibus & Politicis causis sufficiat?

Dialectica Aristotelis per Particulares, & Universales Assertiones decurrit.

At neutræ sunt utiles, ut in Moralibus ratiocinemur.

Ergo in Causis Moralibus Dialectica Aristotelis servire nequit.

Nihil est, quod non liberè ab omnibus.

Probatur Consequentia: & Primò; *quoniam Particulares, si adsumantur, non prosunt: quia, ut benè nos docet ipsemet Aristoteles ex puris Particularibus nihil sequitur.* Et probatur Secundò; *quoniam Universales, si adsumantur, non prosunt; quia nil est in liberâ hominum potestate, quod faciant Universi.* Et sciebat hanc Veritatem Virgilius Eclog. dicens.

— *Trahit sua quemque voluptas.*

Consonat Satyr. 5. Persius: cujus sunt isti numeri

Mille hominum species, nec rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti
Rugosum piper & pallentis grana cumini.
Hic satur irriguo mavult turgescere somno.
Hic campo indulget. Hunc alea decoquit: Ille
In Venerem pronus. &c.
Hic fatus ad pacem; hic castrensibus utilis armis. &c.

Moralium Propositionum Quantitates.

Hanc ergo ob causam [quia videlicet, ex Particularibus nihil omninò sequitur, & Universales, si liberum arbitrium concernant, rarò aut nunquam sunt veræ] coacti sumus quærere & invenire Novas Quantitates Morales, videlicet, *Omnes. Fere omnes. Plures. Media pars. Pauciores. Fere nulli. Nulli*: quas *tom. 2. cap. 2. art. 3. pag.* 77. nec non *ibid. art. 4. sect. 8. regul. 1. pag.* 129. & etiam alibi accuratè dilucidamus.

k] *Emarulca.*] Mos fuit apud Veteres frequens, qui insinuatur in Textu. Propria Familia-

Vetus est Anagrammatum usus.

liarium nomina, de quibus inter Amicos agere volebant, quin ad aliorum protraherētur notitiam, fictis velabant, aut etiam obumbrabant nominibus, & præcipuè, per Anagrammatum Proteos desiguratis. Concinnavit hac methodo Joannes Barclaius Argenidos cogitatam Historiam: in quâ exhibuit Politicæ prudentissimos Canones; quos qui exactè sequatur, (Princeps fuerit, aut subditus) inter procellosos regiminis publici vortices, securrissimè incedet. Omnes in eâ Personæ vocabulis anagrammaticis significantur. Quoniam S.REGINA est ARGENIS. Et alia nomina, aliter, & aliter desigurantur. Barclajum sub annum M.DC.XL. in Belgio Marchio Virgilius Malveeius, Erycius Puteanus, & alii Viri præclari imitabantur: & illis tunc erat EUPANTUS, *Puteanus*; EMARULCA, *Caramuel*. Hæc, & similia consicta studio ingenioso vocabula passim leguntur in Marchionis Epistolis, & in quâdam, quæ ad Erycium dirigitur, etiamnum prostat ista linea, *Aderit noster* Emarulca, *qui nihil non ingenio potest*. Vide Puteani Libellum de Anagrammatismo, qui seorsim priùs Bruxellis apud Mommartium prodiit: & posteà Romæ in nostrâ Metametricâ apud Fabium de Falcis.

Argenis ἀναγρ. S.Regina.
Puteanus ἀναγραμμ. *Eupantus*.
Emarulca. ἀναγραμμ. Caramuel.

Illustrium Doctorum Scriptis indocti & imperiti adlatrant.

l] *Adlatrare*.] Audiendi sunt patienter Viri docti, siqui contra aliorum Scripta modestè, & decenter scribunt. Sed, qui similes Canibus vociferantur, quòd Lunam non tolerant, tolerari non debent. Sanctus erat Hieronymus, & tamen contra hujusmodi rabulas impatienter exclamat. *Quapropter audiant Canes mei, idcircò me in hoc Volumine laborasse, non ut Interpretationem Antiquam reprehenderem; sed, ut ea, quæ in illâ, aut obscura sunt, aut omissa, aut certè Exscriptorum vitio depravata, manifestiora meâ Interpretatione fierent*. Ita S.Doctor in Præfat.in Job. & citatur à Bernhardo Fullero, Juniore Hebraicæ Linguæ Professore: in Epistolâ ad Drusium, quam præmittit Commentariis, quibus eumdem Jobum dilucidat. Sicut S.Hieronymus composuit cum Canibus Censores ignorantiâ, & audaciâ tumentes, sic eos composuit cum Bobus Hispanus Nomenclator & Criticus: ubi enim Zoïlus multa se contra Homerum ratiocinaturum pollicetur, & tamen nihil ad rem producit, Horatius diceret,

Cur S.Hieronymus Novam Sacræ Scripturæ ediderit Interpretationem.

Zoili Canibus, & Bobus sunt similes.

Parturierant montes, nascetur ridiculus Mus.
ibi *Habló el Buey, y dixo mu*, Hispani impatienter occlamant.

Nomina Montium, Urbium, & Fluviorum mutantur.

m] *Nomina*.] Sicut populi & linguæ, ita, & mutantur nomina; unde nisi priscis vocabulis aliæ circumstantiæ adjungantur, scimus quidē talia oppida, ex. gr. fuisse: ubi autem jacuerint absolutè ignoramus: sæpè enim uno & eodem nomine diversa loca, & diversis idem significatur. Et hoc dixerim propter Insulam Delon, quæ mutavit cum ætate & temporibus nomina quoniam una cùm sit, *Lagia*, *Asteria*, *Ortygia*, *Cyathia*, *Chamydia*, *Cynthus*, *Pyrpide*, *Anaphe*, &c. apud diversos Scriptores vocatur. Vide Plinium *lib*. 4. *cap*. 12.

Quæ diversis temporibus Delos sortita fuerit?

n] *Immobilis*.] De hac Insulâ 3. *Verr.* hæc habet Cicero. *Proditum est memoriæ, ac literis Latinam ex longo errore & fugâ, gravidam, & jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinem, Dianamque peperisse. Quâ ex Opinione hominum illa Insula, eorum Deorum Sacra putatur; tantâmque ejus Autori religionis, & est, & semper fuit; ut, ne Persæ quidem, cum bellum toti Græciæ, Diis, hominibusque, indixissent & mille numero navium classem in Delon appulissent, quidquam conarentur, aut violare, aut attingere*.

De Latona partu: & Apollinis & Dianæ genethlia.

· *Logica Moralis*.

De Deli insulæ exortu.

Circa hujus Insulæ ortum sunt apud Autores & connubia & divortia Opinionum. Fuisse priùs opertam fluctibus, & mari subsidente emersisse, asserit Aristoteles, & probat, quoniam Δῆλος fuit dicta ἀπὸ τοῦ δῆλου, quòd anteà mari operta esset, emerserit, occœperitque usibus humanis servire. Alii malunt eam fluctuantem fuisse & posteà ab Apollinis Numine firmatam & immobilem redditam. Unde *lib*. 4. *cap*. 12. Plinius. *Ipsaque longè clarissima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata, Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M.Varronis ætatem*. Et Dionisius.

An olim fuerit tecta fluctibus?

An fluctuans, & mobilis potiùs fuerit priùs, & posteà immobilis Apollinis sed dicta?

Fluctibus immotam Delon fundavit Apollo.
Quod uberiùs exposuit Poëta quidam Anonymus [quem Gaspar Barthius *in lib* 49. *Adversar. cap*.5. Claudius Dausquius *lib.de Terrâ & Aquâ. cap*.6. fuisse Petronium suspicantur.] Quoniam cecinit.

Vide Nonium *lib*.33.

Delos jam stabili revincta terra,
Olim purpureo mari notabas, [*]
Et motu levis hinc & inde vento,
Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis Deus catenis,
Hac alto Gyaro ligavit, illac
Constanti Micone dedit tenendam.

6

*] Alii Mare *Carnlium*, aut *Vir.de* appellare solent: & nescio cur *Purpureum* illud voluerit nominare Petronius. Fortè latet sphalma & hoc epithetum irrepsit Exscriptorum incuria.

Et huc respiciens D. Ludovicus de Gongorâ in Panegyrico, quo D. Francisci de Sandoval, y Rojas Heroicas prærogativas celebrat, num. 15. scribit.

Deidad, que en Isla no, que errante baña
Incierto mar, luz gemina dió al Mundo. &c.
Videatur D. Garcias Coronel *in hujus loci commentario*. *pag*.317.

o] אוֹר. OR. *Lux*.] Hebræi ante inventionem (aut veriùs fictionem) punctorum tribus utebantur Vocalibus אוי, (*Aleph*, *Vau*, *Jod*) Prima sonabat *A*, & *O*; secunda, *O*, & *U*: tertia *E*, & *I*. Unde ORIM, & URIM, nec non THOMIM, & THUMIM potest legi. Quod nos docet S.Hieronymus, nam *Epistola ad Evagrium* de Melchisedeco disputans, eum *Salem*, vel *Salim* fuisse Regem affirmat, & causam exponit, asseverans, *quòd Vocalibus in medio literis rarò utantur Hebræi, & pro voluntate locorum* [lege *Lectorum*] *atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur*. Vide Gerardum Joannem Vossium *de Arte Gramm. libr*.1. *cap*. 31. Et, quia de Linguâ Sanctâ incidit sermo, quid in eâ fecerim, aut profecerim, insinuo.

Punctis Vocalium loco scribunt Recentiores Rabbini.

Non omnes easdem Vocales in vocibus Hebræi pronunciant.

Thesaurum versibus Heroicis contexui, in quo ne unum quidem vocabulum Hebræum auditur; & tamen, qui illos versus memoriæ commendare voluerit, omnium Radicum, quas vocant significationem percallebit.

Composuit Autor, diverso consilio, duplicem Linguæ Sanctæ Thesaurum.

Puto singulas in Linguâ Hebraicâ literas habere significationem specialem: & ideò secundo labore, quid importent seorsim sumptæ singulæ, & quo ipsæ in compositione modo, ad complexam significationem componendam concurrant. Est Opus rarum, novumque, & quod mireris, antiquâ, & receptâ apud omnes significatione nullam Radicem exuit.

EtGrammatica in qua præscribuntur omnes puncti.

Exaravi etiam ingeniosam Grammaticam, in quâ exesse jussis omnibus punctis & accentibus, quos ante non multos annus finxit oscitans Rabbinorum industria, literis אהוי (Aleph, He, Vau, Jod.) munus vocalium restituitur, totumque Inflexionum Artificium ad summam reducitur facilitatem.

Scripsi præterea alia multa, quæ huc illuc translata, perierunt in itinere, & fortsitan sub alieno nomine aliquando prodibunt.

Deus est α & ω Principium, & Finis.

p] Ἄλφα καὶ Ὠμέγα.] Augustinus *Super illud Matth.6.* Pater noster, &c. *Deus est in se ipso, sicut α, & ω: in mundo, sicut Rector, & Autor: in Angelis sicut sapor & decor: in Ecclesiâ, sicut Pater familias in domo, in Animâ, sicut sponsus in thalamo; in justis, sicut Adjutor & Protector: in reprobis, sicut pavor & horror.* &c.

De Nova Angelici Doctoris Logica.

q] *In quintâ parte nostra Logica.*] Præter Dialecticam Aristoteleam, quam exactè percalluit habuit aliam Angelicus Doctor specialem, & pulchram; cujus leges, & canones nunquam exposuit; at sæpè ad illos Ratiocinia efficacia elimavit. Legeram in Martiale,

Mart. lib. 12. in Epist. ad Priscū

Non amo Te Sabadi. Non possum dicere quaro.
Hoc tantum possum dicere, Non amo Te.

Et ideò sub initium, antequam Novæ Logicæ Fundamenta perciperem, oratione ad communem Præceptorem conversâ, exclamabam sincerè.

Forma bona est Thoma; Non possum dicere, quare.
Hoc tantum possum dicere, Forma bona est.

Quanto Labore Autor Nova Logica invenerit Canones.

Interim; quia labori & studio omnia cedunt, & humano ingenio, si assiduam det operam, omnia subsunt, aut erga tam Sanctum Virum devotione, aut rem tam ingeniosam inveniendi curiositate, ductus, singulas Propositiones meditatus, & Præmissas cum Consequutionibus conferens, tandem aliquando inveni Canones, quibus semel inventis, *signatum est super Nos lumen vultus Tui* Deo, & Angelico Præceptori sic dixi;

Forma bona est Thoma: Jam possum dicere, quare,
Reddit nam ingenium singula clara Tuum.
Ex his, quas didici Te Preceptore Figura, [*]
Ex Veris Falsum promere nulla potest.

*] Dialectica Terminorum digestio, in qua ex veris falsa sequi non possint, legitima censeri debet.

Et postcà, quæ meditando, & speculando inveneram scriptis mandans, exornavi meam Logicam, in quâ PARS V. est *De Syllogismorum Transfigurationibus, quas Angelico Ingenio D. Thomas invenit & dilucidavit.* Vide Francofurtensis editionis ann. MDCLI. paginam 314.



SANTO TOMASSO DI AQVINO.

Protettore della Città di Campagna.

Anagramma puro.

Taci, l'ottima penna di questo Angelico Dottore trapassa, doma.

TAci lingua malvaggia,
Non mormorar del Santo,
Che porta il pregio, e'l vanto
Di quanto scriver può penna più saggia.
Gli Heretici hà sconfitti
Già tutti con suoi scritti.
Ne alcun può mai negar quanto egli scrisse;
Con l'ottima sua penna Christo il disse.
Di Angelico Dottor questo è lo strale,
Che chi gli oppugna andace,
Qual nebbia lo disface,
E trapassa, e distrugge, e doma il male.

In lodo dell' istesso.

QVesto Apollo del Cielo,
Che con la sua dottrina
Alma, sourana, angelica, e divina
Il mondo illustra, e indora,
Hoggi tù più che mai profondo adora;
Perche dimostra à i segni
Che da' celesti Regni
Per dono special dato à Tomaso
La sua dottrina splende,
E tre l'altre si rende
Qual Sol da l'Orto chiar fino à l'Occaso.







CENSVRA

Reu. Adm. D. Pauli Cunei in Sancti Pauli Collegio Præpositi.

PLura vidiſſe confiteor ac perlegiſſe volumina Encyclopædiæ, aut Bibliothecæ nominibus inſignita. Scientiarum illis varietas, hiſce Auctorum copia tituli fecerunt originem. Unicum modo Magni CARAMUELIS inventum citra ſuperbam frontis jactantiam ſciētias complures, & facultates unico Tomo complecti. Vix mihi fidem adhibuiſſem ego, ni aureum perluſtrans hoc opus diſciplinarum pene omnium dogmata offendiſſem. Avidè perlegant eruditi, & unius Moralis logicæ nomenclaturâ Artium plurium invenient documenta. Nec mirum; laudatiſſimus CARAMUELI mos eſt, de nullâ quæſtionem inſtituere facultate, quin illius ſtudioſis ſingula non exhibeat fundamenta, quibus non formari modò, ſed & apprimè valeant exornari.

Hæc ingenioli mei compendioſa cenſura; Hæc quæ Morali huic volumini, obſequentiſſimo calamo potui ſuccenſere. In librum meo demandatum examini, Cenſor iniquus injuſtam ferrē ſententiam, ni me criticè examinato quid ex eo didicerim, quid in eo ſuſpexerim admirabundus, edicerem. Dici-ne hoc ipſum poterit? Vix quidem: Aliquid innuam tamen, nè invidè videar conticeſcere. Philoſophicæ ac Naturalis ſapientiæ objecta, nullibi tàm minutim enucleata vidi, quàm Morali dignoſci ex hac Logicâ. Imaginarias facultates abs literarijs diſcernere, vanas à veris didici ſegregare. Ne me impoſterum deludere ſatagatis fallaciæ: Certa quæ, & quæ incerta, quæ probabilia, aut controverſa, in omni fermè ſint diſciplina, ex hoc percepi volumine. Quid porrò novi non continet Tomus iſte? Nova Syſtematum inventa, novas entium diviſiones, novas ad probandum & rationes exhibet, & fundamenta. Quid plura? Antiquatam penitus, & obſoletam integram Scholam, è ſuâ vindicat vetuſtate.

Adeſte Juriſperiti: Moralis hæc Logica, Phyſica veſtrum eſt inſtitutio, ſi unoquoque in jure edocet argumentari. Quem non convincit Dialectica, quæ ſillogizat ad hominem? Quis ſcientiam non admiretur, quæ dum Judicium ut mentis dirigit operationem, Judices & juſtè Patrocinari erudit, & judicare. Alia ſint Logicalia prædicamenta, ſanctim Judicum, quàm Teſtium qualitates, æquam illi juſtitiæ lancem ut adminiſtrent, his ut fides valeat, adhiberi Moralis demonſtrat hæc diſciplina.

Prodeat ergo in lucem, luce omnino dignum hoc opus; Prodeat in lucem ſuâ luce Orbem illuſtraturum. Ad ignorantiæ tenebras undequaque expellendas in lucem prodeat. Nihil illi ad lucis meritum deeſt, ſi Illuſtriſſimum ſortitum Autorem, tot artium luminibus, coruſcat, quot Cælum fulget ſyderibus. Prodeat in lucem ſcientia, non de univerſalibus agens modò, ſed de ſcientiis diſſerens univerſim. Prodeat, & cujuſnam mentis ſit Joannes Caramuel, oſtentet, dum aliorum mentes Morali hac Logicâ concinnè adeò inſtruit, & informat. Sola careant Terminis encomia, cum nullus ſufficiat laudibus calamus. Fatiſcant ſub Elogiis linguæ, & major ſemper erit CARAMUEL iis, quæ de tanto Antiſtite poterunt prædicari. Adæquatam Autoris imaginem, vix Tomus potis eſt præſeferre; quotquot legent cultatorem dignoſcent. Propoſitiones has veras, in falſas nunquam emigraturas pro ingenuâ tanti voluminis cenſurâ ſcribebam. Dabamque Viglevani Idibus Martiis CIↃDCLXXVI.



CENSVRA

Adm. Reu. P. D. Valeriani Madii in Sancti Pauli Collegio Artium Bonarum Professoris.

Romani olim Censores cùm morum disciplinam, tum vitam hominum observabant. Summa hinc Magistratui reverentia, quòd ad tantam Provinciam integerrimi quique assumerentur. Nec abs re Senatus Populusque Romanus Censores à vitiis omnibus exigebat alienos. Decebat sanè nullâ penitus vitiorum infamiâ laborare, quorum erat munus, aut dictis invehere in aliena, aut solutis fascibus animadvertere. Irrita corruisset omnis Catonis censura, si qua Catonis opera censuræ obnoxia extitissent.


Fausta nunc exi in lucem felicissima Logica. Nullam Censoria potestas, nullum jus habet in opus omnibus undequaque numeris absolutissimum. Censuram pati non debet aliis digna compluribus succensere. Meret ut instruat Moralis et Disciplina: Operationes ut dirigat Logica et copiosissima. Exi impavida; vix tibi invidi poterunt obtrectare. Criticam agat qui volet; Meritis detraherem ego, si encomia subticerem. Omnem excludo adulationis umbram: Quæ in te laudarem uberrimè tenui, quæ critico perstringerem calamo, non inveni. Magnum Caramuelis ingenium, Aristotelico dixerim præponendum! Cæteris ille facultatibus comparandis, veluti januam aperuit Logicam, Logicam variis hic disciplinis ostendit copulandam. Melius fortasse dicam, scientias fermè omnes logicaleia vocat ad trutinam, dum singularum, ut eruat veritatem, quid certi habeant librat, quid probabilis, aut controversi. Logicam ille Organum appellavit, hic Rhythmicis, Metricis, Musicisque disputationibus illustravit suam. Literarium hunc Tomū evolvat studiosus quisque, & perfectissimum se adinveniet Logicum. Nihil in eo desiderabitur, cui traduntur vel de summis apicibus documenta. Mali dumtaxat abstineant, & ignari, improbos confundit Moralis, Logica redarguit imperitos.

Nostro ergo invideant ævo prisca antiquorum ingenia. Unicam illa ut scientiam edocerent, multa implebant volumina. CARAMUEL ubi singulis voluminibus, singulas quasque eminentiores scientias enucleavit, artem adinvenit unico tantum Opere omnes in unum facultates complectendi. Librum perlegat, quisquis non adhibet fidem, & quid de Divinis disserat Personis sapiens inveniet Theologus: Quid de abditis Naturæ Arcanis investiget Philosophus: Quid de principibus inquirat difficultatibus vel ipse habebit Grammaticus. Logica est, quò magis ad ritè ratiocinandum, quæque conducant offendet, Dialecticus. Ipsi Jurisperiti, quæ hic ediscant, nanciscentur; legem enim præcepit, Principumque sanctionibus pro majori, pro alterâ ex præmissis, iis, quæ ex reo, & testibus sunt in quæstione deducta, propositis, æquam sententiâ conclusionem ritè edocet enunciare. Ne verò quidquam oleat humilitatem, vel infimæ Grammatices rudimenta Theologis disceptationibus intermiscentur. Fœlix Ecclesia, cui tam facilia ad conficiendos hæreticos tela, ad malas itidem Artes evertendas Magnus infinuat CARAMUEL. Sanctissimum olim fuerit Ambrosii Antistitis institutum publicis à Deo precibus efflagitare, ut multis agitatam erroribus Ecclesiam ab Augustini Logicâ liberaret. Mutato nunc rerum ordine à Morali CARAMUELIS Logicâ sibi caveant hæreses: Illas etenim profligatura futiles Auctorum prosternit rationes, fallacias detegit, dissolvit funditus argumenta.

Huc me traxit oratio, ut quanta futura sit Orbis utilitati, Moralis hæc Logica, & quàm digna ut prælo excudatur ostenderem. Meam hoc in judicium insurgat nemo, ad illud ferendum jus directa ab hoc opere intellectualis facultas, ut ejus dignoscerem merita, liber instruxit abundè. Quanto sit habendus in pretio, rerum copia, dicendi facundia, omnium ordo, legentibus indigitabunt. Hæc quæ ex animo vera sentio, sincero exponens calamo, pro tanti voluminis censurâ dabam Viglevani Idibus Martiis CIↃDCLXXX.



NOTA.



N O T A.

TOtus meus Trismegistus, qui in tres, aut etiam quatuor diversos Tomos distribuitur, in campum exiit contra Restrictiones Mentales, quas nunquam Ego intelligere potui: &, quia de eodem argumento in hoc Libro II. Cap. IV. Artic. VIII. à pag. 398. disseritur, & disputatur, ut propriis oculis videat Prudens Lector, quanto Ego Jure, à multis jam annis, contra illas exciter, placuit proponere, quid de iisdem Apostolica Sedes statuat.

Feriâ V. die 2. Martii 1679. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Vaticano, coram Sanctissimo D.N.D. Innocentio, Divinâ Providentia, Papâ XI. &c. inter alias, sequentes fuerunt Propositiones condemnata.

XVIII. *Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum consulo tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

XXIV. *Vocare Deum in testem mendacis levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

XXV. *Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

XXVI. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.*

XXVII. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

XXVIII. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

XXIX. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

XXXVI. *Permissum est furari, non solum in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.*

XXXVII. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suã, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

XLIV. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et, si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.*

Illæ igitur Propositiones, quas in his Ego Libris argumentis efficacissimis falsas esse persuadeo, jam contra obniti nequeunt, sunt enim Apostolica autoritate condemnatæ.

Imprimatur.

Fr. Io: Baptista de Possentis Sacr. Inquisitionis Vicarius.



INDEX

INDEX

Dissertationum, Articulorum, & Sectionum, quæ in hac Logicæ Synopsi continentur.



LO

LOGICAE MORALIS SYNOPSIS.

I.
De Doctrinæ Methodo.

Cur bis debeat eadem scientia tradi?

Quinam fuerint Primi, qui scripserint Logica Summulas?



DOCTRINÆ METHODVS postulare videtur, ut eadem Sciētia bis Discipulis Ingeniosis tradatur: priùs videlicet secūdum Generalia Præcepta: & posteà secundum illata & subillata Corollaria. Et, quia Logica cæterarum Artium & Scientiarum est Ianua, hæc Lex præcipuè in ipsâ observari debebit. Illam, ab Antiquioribus neglectam, primus omnium, quem sciam, sibi præscripsit Petrus Hispanus, Ordinis Prædicatorii Religiosus, Librumq; suum vocavit *Summulas*, quod in eo totius Controversias Dialecticæ ad summam & compendium reduceret. Has Petri Hispani Summulas P. Dominicus Soto (etiam Dominicanus) illustravit Commentariis doctissimis. Quem sequuti & imitati sunt, Ioannes Major, Bruxellensis, Fonseca, Toletus, & alii. Sub annum 1618. (tunc enim Philosophiæ studebam Compluti) Villalpandi Summulas Philomusi publicè docebantur: quæ antiquari cœperunt, propter novas Ioannis Martinez Summulas, quæ Academici Vulgi obtinuerant applausum. Qui procedendi Modus ita Scriptoribus posterioribus placuit, ut jam plerique omnes, qui scribunt Disputationes Logicas, aliquem Tractatum præmittant, qui Summularum, aut alio æquivalenti nomine indigitetur, quod Summa Logicalium Controversiarum Capita complectatur. Et, quia IURISPRUDENTIA, quam Doctores Legum in Vniversitatibus tradunt, & Iudices & Senatores in Tribunalibus exercent, est quædam Politica Logica, in quâ integra Lis ad unum Syllogismum [*] reducitur, Iustinianus Imperator in duo illam Syntagmata, aut Tractatus divisit; in quorum primo res omnes superficie tenus percurteret: & in altero profundiùs, & altiùs, aut etiam uberiùs ipsissimas Controversias expediret; & Difficultates, tactas aut insinuatas priùs, clariùs dilucidaret. *Iura Populi Romani*, scribit Legislator Augustus, *ita videntur posse tradi commodissimè, si primò levi ac simplici via, post deinde diligentissima atq; exactissimâ interpretatione singula tradantur*. Ego igitur, qui Logicam Moralem molior, ut Iurisprudentiæ Candidatorum animos ad Iustinianeas leges intelligendas præparem, eamdem tenebo methodum, quam sibi Imperator præscripsit. Logicam igitur in hac Synopsi, priùs levi & simplici viâ Philomusis proponam: & posteà in Disputationibus addendis diligentissimè singula recognoscam, & exactissimè dilucidabo. Definitiones igitur & Regulas breviter illustratas proponam, ut Logicarum formalitatum denominationumq; essentias passionesque medulliùs intelligatis; & indubitatis posteà ducti legibus Mentis Operationes (Apprehensiones, Iudicia, & Discursus) sine ullâ erroris suspicione conformare possitis. Postquam autem hanc Synopsim absolvero,

*] In omni Tribunali tota Causæ discussio, ad hujus similem Syllogismum reducitur.
Qui hominem occiderit, debet capite plecti.
Petrus Ioannem occidit.
Ergo Petrus capite debet plecti.
Et in hoc Syllogismo Major continet Legem: Minor ex allegatis & probatis in Processu desumitur. Et Consequentia Sententiam exhibet, quæ à Iudice proferri debet.

II.
Institut. initio.
Quam methodum Iustinianus observet?

Quam nos sumus observaturi.

Quid præstet Logica.

De Logica & Iurisprudentia connexione.

ro, alium adsumam calamum, pugnacem, contentiosumq; & illo Disputationes opportunas scribam, & iterum ab ovo incipiens, universas aut saltem præcipuas recognoscam, argumentisque, quæ hinc inde objiciuntur, perpensis, exactissimâ & diligentissimâ interpretatione, dissertationeq; digniores Quæstiones retractabo. Quando digniores dico, multas esse omittendas suppono, non enim placent, qui Discipulos præceptis onerant, ut illa addiscant, quæ sciebant sine novis legibus facere. Multa ex Grammatica & Rhetoricâ in Logicam Iuniores derivant: sunto omnia vera: sunt tamen talia, ut possint sine detrimento nesciri: ergo siquidem caremus tempore; ut edisseramus necessaria, si quod habemus, non debemus prodigere, inutilia, & minùs necessaria examinando. Hâc cautela esse tradendam Logicam me docet in specie Augustinus *lib. 3. cap. 17. de doctrin. Christian.* cujus verba, nequis meam brevitatem fortè carpat, ad excusationem produco: inquit enim. *Tanquam si quispiam dare velit præcepta ambulandi, moneat non esse levandum pedem posteriorem, nisi cùm posuerit priorem, deinde minutatim, quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere describat: vera enim dicit, nec aliter ambulari potest, sed faciliùs homines hoc faciendo ambulant, quàm animadvertunt, cùm faciunt, aut intelligunt, cùm audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multò minùs ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Itaq; plerumq; citiùs ingeniosus videt, non esse ratam Conclusionem; quàm præcepta ejus capit: tardus autem non eam videt, sed multò minùs, quod de illâ præcipitur.* Consonat Augustinus Chrysostomo, qui *in quâdam homiliâ in Matth.* sic infit. *Bonarum Artium Præceptoribus hic mos esse debet, ut cùm pueros doctrina rudimentis accipiunt* (instituunt) *non graviori primùm lectionum onere eorum mentes implicent; sed brevibus, & iisdem sæpe numero repetitis præceptis paulatìm eos assuefaciant. Quo fit, ut eorum animis facilis doctrina imprimatur; &, ne ab ipso statim eruditionis principio prælectionum multitudine capessenda, memoria nimiùm laborante perterriti, ad colligenda præcepta segniores reddantur, & doctrinæ difficultate torpescant.* Consonat & Horatio, qui *in libr. de Arte.* sic cecinit.

Non omnia quæ sunt vera, debent suos Discipulos Præceptores & Magistri docere, sed quæ necessaria, aut utilia.

De Arte tripudiatoria.

Quo illam modo pueri docendi sint?

Semper superflua Discipulos & Lectores præpediunt.

Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant Animi dociles, teneantq; fideles.

Ergo ab Augustino, & Chrysostomo, immò etiam ab Horatio, monitus, ut dicebam, Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque omni ex causa, neque ab omnibus*, etsi vera & curiosa, proponam; sed ea tantummodò, quæ necessaria judicabo.

NOTA I.

III. *Debet semper à clarioribus & facilioribus initium sumi.*

HAnc procedendi Methodum approbat Plinius, qui *ad Max.* eos reprehendit, qui contra Naturæ & Doctrinæ leges incipiunt à maximis & difficillimis. Et ne temerè condemnare illos dicas, qui ut judicentur maximi, à maximis initium sumunt, sententiæ suæ severitatem Attilii confirmat testimonio, & sic inquit. *Attilius dicere solebat, sic adolescentes in foro auspicari à causis Centum-viralibus, ut Pueri solent in Scholis ab Homero: quod utrumque sit maximum: cùm oporteat paulatìm & per gradus, ad id, quod summum est, pervenire.*

NOTA II.

IV. *Cur pleraque exempla in hoc libro à Iurisprudentia sumantur?*

VT dilucidem singula exempla, à Iurisprudentia desumam. Sed cur? Quia hunc librum scripsi ut juvarem Iurisprudentiæ Candidatos. Quia Iudices debent ad Canones Dialecticæ sententias ferre: nam Dialectica est Iudicum Iudex, & Divina Iudicia, quæ in alterâ vitâ manent Patres Conscriptos, etiam in hâc vitâ, *cùm acceperit tempus ipsas Iustitias* (Iuridicas Sententias) *judicabit*. Illam *Academ. 4.* appellat Cicero *veri & Falsi quasi disceptatricem & Iudicem*. Et agens de Antiquis Philosophis (ergo etiam de Iurisconsultis) *in Topicis* nos instruit dicens, *Iudicandi vias diligenter persequuti sunt ea scientia quam* Διαλεκτικὴν, *appellant*.

NOTA III.

V. *Logicæ nostræ divisio. Aliter discipulis & aliter Magistris scribitur.*

HAbebit itaq; hæc nostra Logica duas partes, quarum Prior, succinctiùs scripta Discipulis prodesse poterit, quorum interest Definitiones & Præcepta fidâ retinere memoriâ: nam posterior uberiùs & profundiùs discussa Magistris & Professoribus, qui evidentiori idearum notitia indigent, est servitura. Interim jubebo Philo-

Philomuso, ut Definitiones, & Regulas non diversis, non similibus, sed iisdem omninò verbis addiscat, quibus ipsæ traduntur: non quia gliscat animus tyrannidem in Ingenia exercere, & studiosos ad talia, aut talia verba cogere; sed quia fortè dum Tyro incautè verba mutat, & sensum retinere se putat, illum cum verbis immutet: aut etiam aliquando pervertat. Propter unicum verbum ὁμοούσιον, multa in Ecclesia fuerunt celebrata Concilia; & propter unicum multa in Politicis possent Generalia Comitia celebrari. Hispaniæ & Hollandiæ discordia, quæ post humani Sanguinis diluvium jam tandem videtur extincta, de unico verbo fuit; nam prætendebant Belgicæ Insulæ, *ser tratadas como Provincias libres*: adouit Hispania; & sequutæ sunt induciæ (sub Philippo III.) Duce Lermæo pacem & quietem utriusque Gentis procurante. Sed quia Philippo III. ad vitam meliorem adsumpto, Hollandi nimis intendebant significationem vocis *como*, eamdemque nimis remittebant Hispani, utrique appellarunt ad arma, ut quæstionem tandem aliquando dirimerent. Hæc dixerim, ut Philomuso suadeam in verbis esse religioso; nam interdum similia significationem habent toto cœlo dissimilem, ut in sequentibus videri potest. Porrò, *Significare cum tempore, significare cum conditione, Omnis, Non omnis, Aliquis, Contingens*, voces sunt similes istis, *significare tempus, significare conditionem, Totus, Aliquis, Non aliqui, Possibile non*: & tamen non sunt æquipollentes: & tripudiabit extra Logicum chorum, qui priorum loco posteriores adsumat. Iure igitur Logicæ Candidatos monuerim, ut Definitionum & Regularum voces, quæ circumspectione magna positæ, religiosè & scrupulosè retineant, ne fortè, dum rhetoricari se putant, in errores labantur.

Definitiones & Regulæ ad literam sunt addiscenda.

Multa eaque gravissima possunt & solent ab unico verbo pendere ὁμοούσιον apud Theologos.

Como *apud Politicos.*

Voces interdum quæ videntur simillima habent diversum significationem.

SECTIO I.

De ipsâmet Logica.

VI.
Quid sit Ars.

RS *est habitus intellectualis, qui hominem securissimis legibus dirigit.* Sunt Artes multæ, & quia illas Finis per classes dividit & distribuit, sciendum est duplicem esse Finem: alius enim ab Arte, & alius ab Artifice intenditur: unde Finis vel Artis vel Artificis (seu, ut alii loquuntur, vel Operis, vel Operantis) esse dicitur. Quod illustrat Res Medica: tametsi enim Medicinæ finis sit recurare infirmos, potest nihilominus Medicus studere, ut lucretur divitias: firmat Iurisprudentia, quæ intendit exercere Iustitiam, & reddere unicuique, quod suum est; & tamen Iurisperiti possunt, solentque fines alios suo labori præscribere, & aliò sua vota promovere.

Finis duplex, Artis & Artificis, Operis & Operantis. 11

Alius Medicina, & alius Medici. Alius Iurisprudentia & alius Iurisperiti finis est.

D. Bernardus *serm. 36. in Cant. num. 3.* Scientias universim considerat, & juxta diversos operantium fines illas dividit, & ad quinque classes differentes reducit: inquit enim. *Sunt namque (1) qui scire volunt, eo fine tantùm, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt (2) qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est: qui profectò non evadent subsannantem Satyricum, & ei, qui ejusmodi est, decantantem*, Scire tuum nihil est, nisi scire tuum sciat alter. *Et sunt item (3) qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque (4) qui scire volunt, ut ædificent, & Charitas est. Et item (5) qui scire volunt, ut ædificentur, & Prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Psalm. 110. b.* Et hæc divisio est extrinseca, à fine operantium desumpta, & potest Scientiis, & Artibus universis competere.

Extrinseca & Moralis Scientia aut Artis cujuscumque divisio.

Persius Satyr. 1.

Intrinseca & Realis Artium & Scientiarum divisio.

Consideremus itaque intrinsecas Artium & Scientiarum essentias; fines intrinsecos, qui in Objectis clauduntur, contemplemur, & Realem Divisionem addamus.

Dicamus ergo in tres classes Scientias & Artes dividi: aliæ enim Contemplativæ sunt, aliæ Operativæ, aliæ Factivæ. Contemplativa est v. g. Astronomia, quæ meditatur Planetas, Cœlosq; quos non facit; Operativa est Musica, quæ vocis Humanæ primariò (nam cæteræ harmoniæ sunt secundariæ) tonos considerat & metitur. Est autem cantare hominis operatio, quæ nullum effectum permanentem producit. Factiva est Architectura, quæ habet objectum permanens ab ipsa factum: ipsa enim facit domum, quæ permanet. Artes in Liberales & Mechanicas ab universis dividuntur: sed indifferentiam, quæ ita Liberales constituat, ut Mechanicæ nulli conveniat; Et nulli Liberali non conveniat, nemo hucusque adsignavit: unde ab arbitrio, & nō à natura videtur pendere hæc distinctio, & ideò illas faciliùs enumerabimus, quā explicabimus: sunt enim Liberales septē, videlicet *Orthographia, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Geometria, Musica, & Astronomia*. Hæ & earum species in-

Sunt ipsa, vel Contemplativa, vel Operativa, vel Factiva.

De Astronomia, Musica & Architectura.

Artes in Liberales mechanicasque dividuntur.

genuæ & liberæ, & cæteræ mechanicæ ſunt. Has Liberales Artes aliqui hoc verſu enumerant,

Quæ & quot Liberales dicantur?

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra.

vel clariùs hoc

Gramm. *loquitur* : Dia. *vera docet* : Rhe. *verba colorat* :

Muſ. *canit* : At. *numerat* : Geo. *ponderat* : Aſtr. *docet aſtra*.

Cùm igitur ab univerſis Logica inter Liberales recenſeatur, colligitur eam eſſe Artem nobilem, & dignè poſſe à Principe quocumque addiſci.

VII. *Quid ipſa ſit?* *An ſit ſpeculativa?*

LOGICA *eſt Ars, intellectum in operando dirigens.* Non eſt Factiva, quoniam ejus objectum, non eſt res externa permanens, & à Logica facta. Non eſt purè Contemplativa; quoniam ejus objectum non præexiſtit, ſed à Logica elicitur. Ergo eſt Operativa. Ergo eſt Practica; quoniam *Speculativas* eas Scientias dicimus, quæ purè contemplativæ ſunt.

An tota quæſtio, quæ inter Thomiſtas & Scotiſtas agitur, ſit de nomine ſolo?

Et hic obiter nota, inter Thomiſtas & Scotiſtas in hac Quæſtione non eſſe controverſiam de re: nam ſi nomine *Praxis* non quodcumque opus, ſed quod extra intellectum fiat, ſignificari ſupponamus, Logica non erit Scientia Practica; at non erit Speculativa, nam ſuum objectum ipſa facit. Ergo inveniendum eſſet tertium quoddam vocabulum, inter Speculationē & Praxim mediū, quod Intellectus operationibus adtribueretur. Sed hoc ipſum neceſſarium non eſt: quia (quod pace Scoti dixerim) omnes Græci & Latini vocem hanc, ut Angelicus Doctor, uſurpant.

An ſit Logica Scientia?

Logica eſt Scientia: quia ſuas Propoſitiones legeſque evidenter demonſtrat. Demonſtrat, inquam, ſtando Demonſtrationum legibus à me præſcriptis: nam, ut ſuo loco oſtendimus & demonſtramus, Demonſtratio, qualem depingit Ariſtoteles, impoſſibilis eſt.

An Iudicibus ſit neceſſaria?

Eſt neceſſaria & Iuriſtis præcipuè; quoniam Lex, quæ obſervanda ſupponitur, Actoris Libellus, Depoſitiones Teſtium, & Iudicis ſententia, &c. irrationales ſunt, niſi ſyllogiſmum contineant [ut ſequenti perſuadetur exemplo.

An, & quomodo cujuſcumque cauſæ expeditio integrum Syllogiſmum contineat?

Dicit Lex. *Qui gladio occiderit, gladio peribit.*

Dicit Proceſſus. *Petrus Ioannem occidit gladio.* Et hoc ex informatione plenà conſtat.

Sed pro Tribunali, & infert Iudex: *Petrus igitur gladio etiam pereat*. &c.]

Ergo, quin hujuſmodi Dialecticam percalleat, in nullo poteſt Iudex Tribunali ſedere.

Iterum de ipſamet Logica.

Examinatur accuratiùs, Quid, & quale ſit Logicæ Objectum?

VIII. *Quodnam officium ſit & munus Logicæ?*

QVIA vox Græca λόγος *rationem & ſermonem* ſignificat, Logica (Græcè Λογική) eſt ſcientia, quæ Mentem in ſuis λόγοις dirigit: nempe *in Rationis actibus*, ut videlicet benè ratiocinetur & ut diſcurſus ſuos vocabulis opportunis exornet. Hinc orta eſt hujus ſcientiæ in Mentalem, Vocalem & Scriptam diviſio: quarum Prima hominem gubernat & dirigit, ne exorbitet in operationibus mentis, ſecunda hominem inſtruit, ut quæ concipit, ſciat dicere & congruis explicare dictionibus. Et quia hæ in ſe ipſis perennare non poſſunt, inventa eſt Tertia, quæ intellectus conceptus, quos lingua expreſſerat, inſcribat Tabulis, ut cum illis perennent. De conceptibus, an pertineant ad Logicam, diſſeretur ſtatim, nunc de vocibus, hæc adnotare placet. S. Auguſtinus *in lib. de Princip. Dialect. cap.* 5. ſcribit, *Omne verbum ſonat, ſed quod ſonat nil ad Dialecticum*, ut ſciamus, verbum quà ſonum, non ad Logicam, ſed ad Phyſicam pertinere: at, quia hi ipſi ſoni, ut ſignificativi ſunt, interſunt Logicæ, ſubjungit, *Cum de his ſonis, vel vocibus diſputatur, præter Dialecticam non eſt.* Et D. Thomas expreſsè admiſit Vocalē Logicam, quoniā *libr. 1. peri-herm. lec. 1.* ſic ſtatuit. *Quia Logica ordinatur ad cognitionem de rebus ſumendam, ſignificatio vocum, quæ eſt immediata ipſis conceptionibus intellectus, pertinet ad principalem ordinationem illius.* &c. Vnde patet ſine fructu laborare Oviedum *cōtr. 1 Logic. punct. 1. n.* 10. Compt. *diſp. 3. ſect. 2. nu.* 3. Suarium Luſitanum *tr. 1. diſp. 1. nu.* 36. Merinerum *diſp. unic. Proœmial. qu. 4. nu. 21. ante 1. ſect.* Bartholomæum Amicum *tr. 1. qu. 5. dubit. 1.* Pontium *diſp. 2. qu. 4. num.* 34. [contra Antonium Bernaldum *in Logic. diſput. 9. ſect. 3.*] quoniam voces ad Logicam Mentalem pertinere, nemo dixerit: illaſque non ſpectare ad Vocalem, à nemine probabiliter teneri poterit.

In Mentalem, Vocalem, & Scriptam dividitur.

Cur Scriptura inventa ſit?

An, & quo ſonus ſenſu pertineat, aut non pertineat ad Logicam?

De Logicæ objecto.

Circa Logicæ Objectum ſunt duæ ſententiæ: altera enim jubet ut Logica Ens rationis, altera, ut Mentis operationes, quà dirigibiles ſpeculetur. Vtraque habet D.

Tho-

Thomam patronum: & Autores, qui divisi in classes, has duas esse existimant opiniones contrarias, non ipsi rem medullitùs examinarunt. Nos ergo præmittamus nonnullas conclusiones. Et sit

An sit Ens rationis?

PRIMA

IX.

Objectum scientia illud est, de quo agitur, & tractatur in scientia.

L*Ogica Objectum sunt mentis Operationes ut dirigibiles*. Hanc ostendam esse Complutensium, tametsi ipsi contrarium asserant. Attende. Illud est Objectum Scientiæ, de quo tractat scientia. Sed Logica tractat de directione Operationum intellectus. Ergo istarum directionem habet pro Objecto Logica. Probatur Minor. Summularum & Logicæ idem est objectum. Illæ circa operationes intellectus, sicut circa proprium objectum versantur. Ergo & hæc. In hoc syllogismo duæ sunt Præmissæ; & utraque debet probari. Ergo primò persuasurus Majorem has lineas ex Complutensibus exscribo: quoniam *in proœm. ad Institutiones*, sic inquiunt. [Hujusmodi institutiones, & prima Elementa Dialecticæ, solent (Philosophi) *Summas*, aut *Summulas* communiter dicere, quia comprehendunt, saltem ex parte, ea, quæ diffusè posteà à Logicis traduntur. Ex quo liquet objectum hujus introductionis comprehendi sub Logicæ objecto, continereque ea instrumenta, quorum usu vera rerum notitia comparatur.] Et secundò persuasurus minorem, dabo verba, quæ in fine ejusdem Procemii, quod produxi, leguntur. [Institutiones has (inquiunt illi) in quatuor libros partiemur: in quorum Primo agendum est, de modo sciendi: in secundo de Terminis, seu de Vocibus: in Tertio de Propositione: & in Quarto de Argumentatione.] Ergo, si objectum scientiæ est id, de quo agit scientia. Et Logica testibus Complutensibus, agit de modo sciendi, Terminis, Propositione, & Argumentatione: Hæc ipsa (iisdem testibus) erunt Objectum Logicæ.

An idem omnino sit objectum Summularum, & Logicæ?

De quibusnam rebus differatur & agatur in Logica?

An intellectus operationes, quæ jam facta, dirigibiles sint?

Et, ut omnis æquivocatio & adlucinatio tollatur, observandum est, Nos in prima hac nostra Conclusione non dicere, posse Logicam Mentis Operationes jam factas ordinare & dirigere: nam vel sunt benefactæ, vel in illis est error, aut adlucinatio commissa. Si primum, directione non indigent: si secundum non possunt dirigi, actus enim malus (& præcipuè, si qualitas ille simplex sit) in bonum transire non valet. Quid ergo dicit hæc Conclusio? Dicit Logicam esse Artem & Facultatem, quæ homini præscribit certas leges & canones, quibus benè intellectis & observatis in operationibus intellectus errare, aut adlucinari non possit: sciet enim, quo modo debeat procedere, ut benè operetur: & quo debuit procedere, qui syllogismum ex gr. dixit, scripsit-ve; & dictum, aut factum syllogismum cum legibus Artis componens, cognoscet, utrùm in illo ipsæ observatæ fuerint, aut non fuerint. Et hic est modus, quo Magistri, qui practicas Artes profitentur, Artefacta, vel à se, vel ab aliis jam facta contemplantur. Et hanc ipsam Artefacti jam facti cognitionem, esse reverà practicam, manifestè colligitur, nam Phidias observando errores, quos in Minervæ statua Alcamenes commiserat, doctior & cautior redditur, ut in sua similes non committat.

Et cur non sint?

An cognitio, qua Magister artefactam contemplatur, sit practica?

Hanc profectò esse veram sententiam D. Thumæ est certissimum, quoniam *in ipso Poster. in initio*, sic inquit. *Ars quadam necessaria est, ut sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso actu rationis ordinato* (fortè *ordinando* S. Doctor scripsit) *faciliter & sine errore procedat. Et hac Ars, est* Logica, *id est*, Rationalis Scientia; *Qua non solùm rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam*. Confirmatur, quia idem Angelicus Præceptor *in Ethic. princ.* cum Logica Moralem Philosophiam componit; & ut inter ipsas Analogiam servari ostendat, ait illas pari passu currere; nam sicut Philosophia Moralis versatur circa actus Voluntatis, sic Logica circa actus intellectus. Sed Voluntatis operationes ut dirigibiles, sunt Objectum Philosuphiæ Moralis. Ergo intellectus operationes, ut dirigibiles erunt Objectum Philosophiæ Rationalis, seu Logicæ.

Sicut Intellectus, sic, & Voluntas in suis operationibus est dirigibilis.

In quo Logica conveniat cum Ethica?

Consonat Angelico Præceptori Petrus Gassendus Dieniensis Ecclesiæ Præpositus, nam *Tomi* I. (quem *Syntagma Philosophicum* nominat) *p. 1. cap. proœmial. pag. 31. a.* sic scribit. [Cum duæ præcipuæ Animæ nostræ facultates, partes-ve sint, ut initio quoque præfati circa Philosophiam universè sumus, Intellectus puta seu Mens, & Voluntas seu Appetitus & objectum, seu tanquam scopus intellectui propositus sit verum; objectum, seu scopus voluntati propositus sit Bonum; contingat verò, ut interdum tam Intellectus aberret à Vero, proque eo falsum arripiat, quàm Voluntas aberret à Bono, proque eo malum amplectatur; ideò visa Ars duplex necessaria fuit; altera, quæ intellectum ad prosequendum Verum dirigeret; altera, quæ Voluntatem dirigeret ad prosequendum Bonum. Sed de arte quidem voluntatis, quæ nomine proprio

Intellectus, & Voluntas sunt dua Anima Rationalis potentia.

Ethi-

Ethica,seu Moralis est, suo inferiùs loco dicetur; de arte intellectus dicendum hic est quæ sanè non ipsa versatur in rebus, in quibus verum disquiritur, talis enim Physica potiùs seu scientia naturalis est, sed in eo tamen occupatur,ut Regulas tradat,quibus intellectus,dum rerum naturam contemplatur,dirigi possit.]

Hæc doctrina iterum confirmatur.

Quam doctrinam idem Doctor Angelicus *ib.*exemplo manifesto confirmat. *Quia sicut ex hoc, quòd ratio de actu manus ratiocinetur, adinventa est Ars ædificatoria*(quam vulgò dicimus *Architecturam*(*vel Fabrilis*)quam vocamus *Tignariam*) *per quam homo faciliter & ordinatè hujus actus exercere potest, eadem ratione Ars quædam necessaria est,quæ sit directiva actus rationis*, [hoc est, quæ sit directiva hominis: ut benè eliciat actus rationis.]

Refutatio communis.

Sunt tam clara hæc Angelici Doctoris testimonia,ut videatur, non posse sine injuria citari pro sententia contraria. Et hanc ob rem eum citant & sequuntur Fonseca *lib.* 2.*Metaph.cap.*3.*qu.*1. *sect.*2. Suarius *disp.*1.*sect.*4.& alii, qui omnes asserunt circa Mentis operationes ut dirigibiles, sicut circa proprium Objectum, versari Logicam.

SECUNDA.

X.

An ordo, qui inter Subjectũ & Prædicatum, &c. Majorem, Minorem, conclusionem, &c. invenitur, sit ens rationis?

ORDO, *quem in Mentis actibus servari jubet Logica, Thomistarum judicio, est Ens rationis*. Corollarium. *Ergo manente, ut anteà Conclusione* I. *doctè Thomista non solùm poterit,sed & debebit dicere,versari Logicã circa Ens rationis,sicut circa propriũ objectum*, & Conclusionem & Corollarium *ib.*confirmat S. Doctor his verbis.*Ordo*,inquit, *quem Ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad Philosophiam* (hoc est, ad *Logicam*)*cujus est considerare ordinẽ partiũ Orationis ad invicem, & ordinẽ Principiorũ ad invicem & ad Conclusiones.*Et sanè ordo partium orationis non est ille, qui requiritur,ut oratio sit congrua: hic enim ad eam partem Grammaticæ, quæ dicitur Συνταξις, pertinet; nec qui curatur, ut oratio numerosè decurrat,hic .n. ad Rhythmicã aut ad Metricam spectat: sed ille, quem habere debet, ut oratio sit vera, concernatque tale vel tale Prædicabile, & hoc interest Logicæ, ut universi sciunt. Audiatur S.Thomas,qui *in* 4.*Metaph.cap.*2.*lect.*4. Aristotelis mentem tradit & exponit his verbis. *Ens est duplex: Ens scilicet rationis,& Ens naturæ. Ens autem rationis dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis: sicut intentio Generis, Speciei & similium: quæ quidem non inveniuntur in rerum natura sed considerationem rationis consequuntur. Et hujusmodi scilicet, Ens rationis; est propriè subjectum Logicæ.* &c. Et similia habet tum alibi, tum etiam *Opusc.*42.*cap.*2. nec non *libr.*1. *peri herm. cap.*2.&c. Ergo ad Mentem D.Thomæ dicendum est, Objectum Logicæ esse Ens rationis. Ita Masius *in Logic.tr.de object.sect.*1.*punct.*13. Complutenses *in Logic.disp.*1. *Proœm.quæst.*2. §.2.*num.*9. Thomistæ communiter. Idem omninò docent Sotus, & Toletus apud Hurtadum *disp.*1.§.45.]Contrarium verò Arriaga *in Logic.disp.*2 *sect.*2. *num.*14.& alii opinantur.]

N.B.
Ordo & Relatio partium realiter distinctarum,est realis: Ergo ordo vocum in Logica Vocali,& Ordo conceptuum in eorum sententia, qui Propositionẽ, & Syllogismũ mentalem ex partibus realiter distinctis componunt, sunt reales: in eorum autem, qui Propositionem, & Syllogismum esse simplicẽ qualitatem existimant, locum habent Relationes rationis quæ esse Entia rationis à Thomistis putantur.

Confirmatur hæc doctrina alia adhuc S.Doctoris autoritate,nam *Opusc* 56.sic scribit. *Inter omnia objecta scientiarum debilissimum & incertissimum est subjectum* [a] *Logicæ; quia unumquodque, quantum habet de entitate, tantum habet de veritate & certitudine, ut dicit Aristoteles* 2. Metaph. *Nunc autem secundæ intentiones solùm habent esse in anima & ab anima; ex quo sequitur, quod habent debilissimum esse, & sic ad plenum sciri non possunt, nisi per primas intentiones.*

Et hic obiter nota, Complutenses eximiæ Logicæ Majestati detrahere, quando hunc locum hoc Scholio, ut existimo, obnubilant, potiùs, quàm dilucidant. *Hinc*, inquiunt,*probat optimè idem S.Doctor ignobilitatem Logicæ respectu aliarum scientiarũ.* Et posteà. *Si autem Objectum Logicæ esset actus intellectus, vel aliud Ens reale, nulla ratio esset ad probandam Dialecticæ ignobilitatem: cum ex alio capite objectum ejus sit valde abstractum, & universale, ut vidimus in prima ratione.* Ego autem, re benè considerata,eumdem locum & Opusculum recognosco & fateor entia rationis,si dentur, habere esse debilissimum, & propter magnam Autorum & Opinionum, quæ de illis circumferuntur, incertissimum: & ipsa solùm habere *esse* in anima,& ab anima. Ex his expressis & suppositis,sic statuo. *Hinc*, inquam, *Angelicus Theologorum Antistes, persuadet optimè Logicæ Majestatem, sublimitatem, & perspicacitatem respectu aliarum scientiarum. Quid enim mirum, si aliæ scientiæ, quæ habent objecta sensibilia, quæ oculis aut auribus percipiuntur, aut manibus attinguntur, aut si tantùm intelligibilia, talia profectò, quæ à Deo fuerint Divino suo intellectu* sumpta (*non existentialis, sed quiddita-*

a] Apud Divũ Thomam *Objectum*, & *Subjectum* sunt synonyma.

Quale esse habeant entia rationis si dentur?

tiv-

tivo esse donata) facili negotio addiscantur, tradantur , exerceantur. *At supra omnem admirationem est reperiri in Encyclopadia Scientiarum illam Scientiam & Artem , qua nominatur Logica, qua statuit apodicticos canones de suo Objecto, quod non solùm est insensibile (invisibile, inaudibile, intangibile, &c.) sed quod à Deo* (a) *non possit fieri , & tamen ab Intellectu humano fiat ; & capiatur ut instrumentum, ut de omni Ente, in omni Scientiarum genere, optimè discurratur*. Et hinc , ut video , non Dialectica debilitas & imperfectio, sed præstantia, nobilitas, & excellentia demonstrantur.

a) Bagatta *in Logic. disp. 3. sect. 3. concl. 2.* sic scribit. *Deus nullo pacto facit Ens rationis. Est ferè communis.*

TERTIA.

XI.

Ad concordiam rediguntur sententia diversorum Autorum circa Logica Objectum.

C*irca Logica Objectum nulla videtur esse Opinionum varietas , si bene res examinetur*. Quò tendat, & quid à Logica exspectetur, & quid illa præstare possit, universi cognoscunt. Vocari etiam *Dialecticam* nemo nescit. Dicitur autem Διαλεκτικὴ hæc Eximia Facultas ἀπὸ τοῦ διαλέγω, aut etiam διαλέγομαι , quod *differere* , & *disputare* significat. Et sumitur strictè & latè. Quoniam operationes intellectus sunt tres, Apprehensio, Iudicium, & Discursus. Et hanc ob rem Logica , quæ istarũ est operationum directiva, in tres partes necessariò dividitur : quarum Prima nos dirigat in apprehensionibus : Secunda nos in Iudiciis gubernet , & Tertia nos in discursibus & argumentis manuducat.

Quid sit, quo tendat, & quod nomen habeat, & cur sic vocetur Dialectica?

Præterea, quando unum Totum aut Compositum exponi debet, duplicem viam inire possumus, aut enim servare poterimus ordinem compositorium à partibus incipiendo, & deveniendo ad Totum : aut ordinem dissolutorium à Toto incipiendo, illudque dissolvendo in suas partes. Quam ob rem , si Oratio dilucidanda sit ; qui Grammaticus sit, & compositorium ordinem servare debeat , à literis exordium sumet, ex literis componet syllabas , & dictiones ex syllabis , & tandem ex dictionibus Orationem constituet. Cæterùm , si observaturus sit ordinem resolutorium , primo Orationem contemplabitur loco : illamque in dictiones dispescet : & has in syllabas, & syllabas in literas dividet.

Vnum Totum aut Compositũ bifariam potest considerari: videlicet , modo compositorio, & resolutorio.

Ergo eodem modo procedere poterimus in consideratione Syllogismi. Totum ille artificiale quoddam est. Et ordo compositories postulat , ut de Terminis agamus priùs ; ut posteà ex terminis Propositiones componamus : & ex istis Syllogismos aut alias Argumentationes concinnemus. Qui autem resolutorium in hac ipsa re ordinẽ observare voluerit , ob oculos suos Syllogismum proponat. Illum in Propositiones dividat ; & has in Terminos, seu Dictiones subdividat.

De Syllogismo compositoria, & resolutoria methodo considerato.

His præmissis, quid de Logicæ Objecto alii Scriptores dixerint , & utrùm à nobis differant examinemus.

Scotus *quæst. 3. Univers.* Platoni *in Alcib. 1.* & *in Teato.* Aristoteli *1. prior. Anal.* & *1. Topic. 11.* & *3. Physic. 3.* & *4. Metaph. 3.* & Ciceroni *libr. de Finib.* & *lib. de Fato.* (*) nec non Boëtio, Alberto Magno, & aliis Antiquis subscribens, asserit Syllogismũ (aut, si velis, Argumentationem) esse objectum Logicæ : & probant, quia Aristoteles in Logica ex professo de ejus Objecto debuit agere. At ex professo egit de solo Syllogismo, ut ipse *libr. 2. cap. ult. Elench.* testatur. Solus ergo Syllogismus ad Logicæ Objectum spectat.

*) Boetius ait Aristotelem Logicam vocasse , quam definivit Cicero , *diligenter disserendi Artem.*

Huic Objectioni, quatenus Aristotelem respicit, scitè *disp. 1. quæst. 3. §. 2. num. 54.* ex Laertio *libr. 5. de Aristotelis vita*, respondent Complutenses. Primò multa & curiosa de Divisione & Definitione (de Terminis & Propositionibus) scripsisse Aristotelem, quæ temporum injuria perierunt. Secundò multa de prima & secunda Mentis operatione à Socrate & Platone fuisse feliciter excogitata, quæ videbantur sufficere , & ulteriùs promoveri non posse, & ideò Aristotelem adlaborasse tantùm ut Tractatum de Syllogismo absolveret , qui apud illos ad debitam perfectionem nondum pervenerat.

Non omnia in omni loco scripsit Aristoteles.

Alii ante eum scripserant de Terminis & Propositionibus.

Eidem Objectioni, quatenus concernit Scotum , respondeo , ipsum vel agere de Dialectica, sumpto vocabulo in significatione rigorosa : vel, si de tota Logica , considerare ordinem resolutorium ; qui postulat , ut primo Syllogismus (aut Argumentatio) loco oculis subjiciatur. Et hoc secundo modo intelligendum esse Scotum , constat ex Lalemandetio, qui *in Logic. disp. 3. partit. 5. column. 84.* ejus opinionem amplectitur, & illam proponit his verbis. *Verum , adæquatum , & formale objectum Logica est Syllogismus. &c. Probatur ergo ratione Scoti.* Et ratio Scoti apud eumdem est hæc. [Illud est proprium Objectum Logicæ, quod habet ad hoc conditiones requisitas. Sed Syllogismus eas habet. Ergo est proprium subjectum Logicæ.] Progreditur ; & , ut probet Minorem, tres conditiones ponit : & in ultimo loco , [Vt omnia, quæ consideran-

Exponitur sententia Scoti.

Illam sequitur Lalemandetius

derantur in Scientia, ad illud referantur.] Et subjungit (Tertiam (conditionem) sibi etiam vendicat ; partes enim referuntur ad Totum, sed quæcumque traduntur (N.B.) in libris Prædicabilium, Prædicamentorum, & Peri-hermenias, sunt partes Syllogismi, & in ordine ad Syllogismum de illis differitur : immò species imperfectæ Argumentationis reducuntur ad Syllogismum : nimirùm, Enthymema, Inductio, & Exemplum, ut in Apparatu Isagogico docuimus. Ergo Syllogismus est proprium Objectũ Logicæ.]

An Modus sciendi sit objectum Logicæ ?

An in ipso omnes Mentis operationes includantur ?

Nec abest ab opinione nostra Masius, qui *sect. 1. quæst. 13.* asserit, Modum sciendi esse verum Objectum Logicæ : quia in sciendi Modo omnes tres Mentis operationes continentur ; nam in Divisione potiores Termini clauduntur, & dilucidantur : illi videlicet, quos in sua de Prædicabilibus Isagoge exponit & illustrat Porphyrius ; nam Primò, Genera per Differentias essentialiter in suas Species ; & hæ in sua Individua dividuntur ; & per Proprietates & Accidentia Communia præteressentialiter multiplicantur. Secundò, quia inter Propositiones, Definitiva, nobilissima censeri potest. Et tandem *Argumentationis* vocabulo omnes etiam Syllogismi veniunt intelligendi.

XII.
Discutiuntur & examinantur Conclusiones Bagatta.

An Ens, quà scibile sit objectum Logicæ ?

DN. Bonifacius Bagatta, qui semper ingeniosè discurrit, *in Logic. disp. proœm. sect. 2. num. 18.* differit de hac materia, & sequentes conclusiones proponit ; nimirùm PRIMAM. *Objectum Logicæ Scientiæ non sunt verba, seu voces.* SECUNDAM, *Sed neque est Argumentatio, neque Syllogismus, neque Demonstratio.* TERTIAM, *Sed neque sunt operationes Mentis ut dirigibiles.* QUARTAM. *Sed est Ens prout est scibile* : ita ut Ens, sive omne illud, quod est, sit objectum materiale; prout verò scibile & intelligibile sit formale ; quoniam 4. *Metaph. text. 5.* scribit Aristoteles. *Dialectici de omnibus disputant ; Ens verò commune omnibus est.* &c.

An voces ad Logicæ objectũ pertineant ?

Et Prima Conclusio, si agatur de Logica Mentali, vera est : si de Vocali, falsa.

An etiam Argumentationes?

Secunda non negat Argumentationes, Syllogismos, & Demonstrationes ad Logicæ Objectum pertinere, nam de illis Bagatta in Logica specialiter disputat ; sed negat esse Objectum totale Logicæ, nam si juxta rigorosam nominum significationem Dialecticam secernamus à Logica ; illius erit argumentari tantùm : hujus autem apprehendere, judicare, & discurrere.

An Finis Logicæ ab ejus objecto distinguatur ?

Tertiam admittent Thomistæ Finem Logicæ ab ejus Objecto distinguendo : quia, cùm negare non possint à Logica Mentis operationes dirigi, ne dicant eas esse objectum Logicæ, eas asserunt esse finem. Sic rem Thomistas intelligere, constat ex Cõplutensibus, qui *in Logic. disp. 1. quæst. 2. §. 4. num. 13.* contra se objiciunt Angelici Doctoris verba, in quibus operationes intellectus, esse objectum Logicæ manifestè asseverat : & , ut illa ad suam sententiam (quæ juber Ens rationis esse Logicæ objectũ) trahant, aut obtorqueant, scribunt. (D.Thomam non loqui de Objecto Logicæ, sed de ejus Fine, qui est dirigere actus rationis ; quem Finem (ipsa) adsequitur per notitiam proprii Objecti ; id est secundarum intentionum. Appellantur autem à D.Thoma *actus rationis* materia Logicæ ; tum, quia sunt materia ejus causaliter ; causant enim Ens rationis : tum etiam, quia sunt materia, in qua Logica propriam & intrinsecam rectitudinem introducit. &c.] Interim, si vera sunt hæc, quæ de Logica Complutenses hic scribunt, possent consequenter de Grammatica dicere, congruè loqui non esse Objectum Grammaticæ, sed Finem, qui est dirigere linguam, ut bene loquatur : quem finem ipsa adsequitur per notitiam proprii Objecti ; id est, secundarum intentionum Grammaticalium : quales sunt Nominis, Verbi, & aliarum Partium differentiæ, & Casuum in Nominibus & Verbis varietates. Et, si hic modus discurrendi placeret, per analogiam possemus de omnibus aliis Scientiis pariformiter philosophari.

Per Entium rationis notitiã dirigit intellectus operationes Logica.

De objecto & fine Grammaticæ ;

& omniũ aliarum Scientiarũ

An Ens ut non scibile, objectũ sit alicujus facultatis, seu scientiæ ?

Omnium Scientiarum Objecta sunt scibilia.

Quartam assero esse absolutè falsam : Ens enim ut non scibile nullius Scientiæ est Objectum : unde Metaphysicæ Objectum, non est Ens qualitercumque, sed ut scibile. Et posteà talia Entia ut scibilia, sunt talium Facultatum & Scientiarum objecta. Et hoc tam generali lege, ut non solùm Speculativarum, sed etiam Practicarum Scientiarum objecta debeant esse scibilia. Quoniam Physicæ, quæ Speculativa Scientia est, Objectum est Corpus naturale, ut scibile : quæ enim in illo cognosci à nobis nequeũt, ad hanc Scientiam non pertinent. Sanè Practicarum Artium Objecta sunt factibilia secundum leges à ratione præscriptas : ergo illa, & hæ cognosci debent : nisi enim cognoscerentur, non possent dirigere Artificem.

Multa sunt scientia, in quibus omne Ens pertinet ad objectum materiale.

Sed neque favet Bonifacio Aristoteles, quia quando dicit, *Dialectici de omnibus disputant*, loquitur de materia, circa quam possunt Logici dialecticari : eo enim sensu, quo Dialectici de omnibus disputant, Grammatici de omnibus loquuntur, Poëtæ de

de omnibus versus componunt, Arithmetici omnia numerant, Geometræ omnia metiuntur, Pictoresque omnia visibilia corpora opportunis repræsentant coloribus. Sed omne Ens non est objectum formale Grammaticæ, Metricæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Pictoriæ, &c. Ergo nec Logicæ. Est autem objectum materiale, ut dicebat Aristoteles paulò ante à Bagatta productus, quem D. Thomas 4. *Metaph. cap.* 2. *lect.* 4. hoc illustrat Scholio. *Dialectici est disputare de omnibus. Hoc autem esse non posset, nisi consideraret omnia secundum quod in aliquo uno conveniunt, quia unius scientia unum subjectum est, & unius artis una est materia, circa quam operatur. Cùm igitur omnes res non conveniant, nisi in Ente, manifestum est, quòd Dialectici materia* (nota bene: materiam dicit, non objectum) *& ea, quæ sunt Entis, de quibus etiam Philosophus considerat.*

Sanè omne Ens est materia, circa quam procedere & operari solet Logica, apprehendendo, judicando, ratiocinando. Ejus igitur Objectum Finisque est apprehendere, judicare, & discurrere.

Quomodo ad Logicam spectet agere de omni ente?

QUARTA.

XIII. *De Arte Sophistica.*

Logica in Legitimam & Sophisticam dividitur. Et cognitio alterius alterius juvat, ut altera optimè cognoscatur.

De Legitima hucusque disseruimus: superest, ut nonnihil de Sophistica addamus.

Esse ingenuam Artem & utilem, si bene intelligatur, & periclitandi ingenii gratia, & non animo decipiendi aliquem exerceatur, testatur *libr.* 8. *cap.* 13. Agellius dicens. *Athenis alea quadam festiva & honesta lusitabamus hujusmodi. Vbi conveneramus complusculi ejusdem studii homines ad levandum tempus, Captiones, quæ* sophismata *appellantur, mente agitabamus; easque quasi talos aut tesserulas in medium (vice sua quisque) jaciebamus. Quæstionis solutæ aut parùm intellectæ præmium, pœna-ve, erat nummus sestertius unus. Hac arte, collecto quasi mantuario, cœnula parabatur.* Athenis ergo in Sophistica adolescentes laudabiliter exercebantur: non enim hoc se decipiebant exercitio, sed instruebant ne ab aliquo deciperentur.

An sit Ars ingenua?

Agellius in Saturnal. 13

Has duas Logicas non inter se tantùm, sed etiam cum Philosophia per Analogiam & rationum paritatem decurrere, docet S. Thomas *ibid.* inquit enim. *Ostendit* (Philosophus) *quo modo Dialectica & Sophistica cum Philosophia habeant similitudinem; & in quo differant ab ea.* &c. Conveniunt inter se Logicus & Sophista, quòd uterque ad easdem Artis leges suas operationes elimet: sed prior ita, ut eas verè & exactè observet; hic autem ita, ut illas violet, & tamen observasse videatur.

Quanta sit inter Logicam, Sophisticam & Physicam Analogia?

SECTIO II.

De Terminis.

XIV. *De signo naturali Artificiali.*

S*ignum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus nos facit in alterius rei cognitionem devenire.* Et est duplex; Naturale, & Artificiale. *Naturale est cujus significatio ab hominum non dependet arbitrio; Artificiale cujus significatio ab hominum arbitrio dependet.* Habe exempla: Fumus est signum naturale, nam naturaliter ignem significat: at ramus, qui ante tabernam pendet, vinum ibi vendi insinuat; non ex natura sua, sed quia sic populo placuit.

De Significatione naturali.

SAnè de Signis Naturalibus multa possemus dicere, sed brevitas nos constringit, ut pauca, sed utilia dicamus. Porrò Substantiæ Intellectuales non solùm verbis, sed & factis loquuntur: & hoc Idioma non artificiale, sed naturale est.

Dei Idioma quale? Psalm. 76. Quid sit miraculum. An à Deo solo fiat?

ET PRIMÙM proprium Summi Numinis Idioma est patrare miracula: nam sicut Homo per proprietatem definitus, est Animal risibile, sic Deus eodem modo descriptus est, *qui facit mirabilia* (miracula) *solus*. Porrò miraculum est effectus, qui naturæ viribus patrari non potest. Vnde res miræ, si naturaliter fieri potuerunt, non sunt accensendæ miraculis. Et quidem in Psalmi testimonio adducto, illud *solus* à multis non bene intelligitur. Non est profectò solus Deus, qui miracula patrat: nam etiam Sancti miraculis & prodigiis coruscant. Sed solus est Deus, qui facit miracula solus. Claruit enim miraculis ex.gr. S. Petrus: at hæc ipse solus non fecit, nec enim suscitasset mortuos, nec reddidisset valetudini ægrotos, si cum eo Deus non concurrisset. Ergo miracula patrabat Petrus, sed non solus; nam patrabat cum altius concursu: at Deus, quando patrat miracula potest illa patrare solus: nam, ut mortuum

Cur patrantur miracula?

excites, aut vivum interimat, non indiget effi[illegible] nte alicujus creaturæ concursu. Miracula à Deo fiunt in testimonium veritatis: & sicut idiomate nostro (verba proferēs) mentiri ille non potest: ita nec suo (miracula faciens) potest falsum testificari. Quāobrem ridendi veriùs, quàm refellendi sunt nostri sæculi Hæretici, qui miracula jam

An nunc cessent?

cessasse delirant. Vix enim est hodie in Europa Provincia, quæ miraculis perennantibus careat. Omitto Venerabilis Sacramenti immortalia prodigia, quæ tomo integro P. Petrus Viverus eruditè dilucidat, nam unicum sufficit, ut Deum loquentem

Sunt in multis locis perennantia miracula.

audiamus & intelligamus. Sumus Neapoli, in qua S. Ianuarii sanguis concretus coagulatusque à populo devoto colitur & suspicitur: qui tamen ad capitis præsentiam liquescit. Hoc miraculum facit solus Deus: non enim cogitari prudenter potest causa ulla naturalis, quæ hoc patrare sufficiat. Et quid liquefaciendo hunc Sanctum sanguinem nobis edicit Deus? *Hunc eumdem sanguinem fuisse à D. Ianuario ob Catholicæ fidei confessionem profusum*. Et idcò etiamnum gloria & honore coronari: nosq; si Divum hunc, quem ut exemplar nobis imitandum proponit, in vitæ puritate & veræ fidei confessione æmulemur futuros esse honoris & gloriæ consortes. Hinc ad solamen meum, & ad confirmationem Fidelium, nec non ad Heterodoxorum conversionem hunc Soritam produco.

De Sanguine S. Ianuarii.

Quid miraculis testetur Deus?

Deus non potest mentiri.

Deus, nec decipi, nec decipere potest: est enim infinitè sapiens & infinitè bonus: repugnatque, ut infinita decipiatur sapientia, & infinita Homines, aut Angelos decipiat Bonitas.

Deus, hoc quotannis miraculum patrando loquitur: & confessionem Fidei, propter quam suum profudit D. Ianuarius sanguinem, fuisse sibi gratam gloria, & honore coronando testatur.

In unione Romana Ecclesia Divus Iannarius usque ad ultimam anhelitum vixit: sicut nos vivimus: credidit, qua nos credimus: observavit, qua nos debere observari fatemur.

Est igitur vera & Dei testimonio adfirmata Religio & Fides, quam sub Romana Ecclesia magisterio tenemus.

Abeant ergo omnes Heterodoxi (Ethnici, Iudæi, Mahometani, Hæretici, Schismatici, &c. quorum errores miracula patrata pro nostra Religione condemnant.

Potest esse simplex positio obscura, quando est modalis clara.

Hic Sorita tam est certus, & evidens, ut nisi Hæterodoxi spontè claudant mentis oculos, veritatem non poterunt non intueri. Nec contra militat *esse de obscuris Fidem*, nam distinguenda est à simplici positione modalis: nam tametsi hæc propositio simplex, *Deus est trinus*, sit obscura hæc modalis; *De Fide, adeòq; certum est, Deum esse trinum*, est clara propter evidentiam & certitudinem miraculorum, quæ illam esse indubitatam testantur.

XV.

In veteri testamento non solū verba, sed, & facta significant.

SECUNDÒ actus omnes, qui in veteri Testamento recensentur, multifariam, multisq; modis, ut in symbolo significant vitam, passionemque Domini nostri Iesu-Christi; in hoc enim à profanis differunt antiquæ Sacræ Paginæ Historiæ, quod illæ nihil significant, hæ autem exuberant significatione. Primus enim Adam ad secundum (nempè Christum) refertur. Adami & Evæ matrimonium, Christi & Ecclesiæ unionem adsignificat: Christum Ioseph in venditione repræsentat, etiam David, & Salomon &c. ut dilucidant Patres & Concionatores edisserunt.

Gen. 2.

TERTIÒ hominum vitæ mortesque, ut ut vocem non proferant efficacissimè loquuntur; consideratione enim digna sunt verba illa Dei, *Sanguis Fratris tui Abel clamat ad me de Terra*, etiam illa, quæ Sanctorum Innocentum solennitate ad Cœlum fundit Ecclesia. *Deus, ait, cujus hodierna die Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut Fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur*. Ecce Innocentes infantes dicuntur, quia non fantur, & tamen sunt Christi præcones, & ejus Divinitatem confitentur. Sed quomodo? non quidem loquendo, sed moriendo. Ecce, & nos, si legem Divinam observemus, morum puritate fatebimur Fidem Catholicam. Porrò Fides est ex auditu: illa enim credimus, quæ non videmus; unde commune Pronunciatum, *Quid est Fides? Credere, qua non vides*. Modò itaque Christum audiamus: ipse enim Ioannis 10. Iudæos adloquitur his verbis. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*. Ex quibus Christi Domini verbis hoc ego argumentum conformo. [Fides est ex auditu. At operibus creditur. Ergo opera audiuntur. Ergo & ipsa loquuntur: si enim non loquerentur, non audirentur.] Et Gregorius *in Homil. Adscensionis super illud Marc. 16. Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sic perorabat. *Forsitan unusquisque apud semetipsum dicat, ego jam credidi, salvus ero, verum*

Sanguis Innocens clamat, & loquitur.

Infans quasi non fans.

rum

rum dicit, si fidem operibus tenet; vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc confitentur, se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait, Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Ecce, si mores contradicunt linguæ & vita mentitur, etiam mores & vita loquuntur. Canimus feria 4. in Hymn. ad Matur.

Verbis mores interdum contradicunt.

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulusque gestis censuit.

Acta S. Pauli loquuntur.

&, ut video, ex his numeris constat, non solùm Prophetam Regem verbis, sed etiam D. Paulum factis fuisse loquutum. Et ipsi nos à somno excitant, & ut supremum Numen verbis & factis invocemus, præcipiunt. In Sanctissimi Patriarchæ Benedicti Regula cap. 1. agitur de Pseudomonachis, *qui mentiri Deo per tonsuram noscuntur*. Tonsura igitur, si fallit, & mentitur, loquitur. Et quidem vitæ vox est tam clara, ut ad Ethnicorum aures aliquando pervenerit. Proderit audire Ciceronem, qui *libr. de Amicit.* sic ait. *Qui hac opinione, non modo verbis, sed etiam opere laudandi* (liberandi) sunt. His ego verbis juvor, ut Lectores multis opinionibus, malè conceptis levem. Statuunt enim aliqui (1) constantiam, fortitudinemque non esse quærendas in fœminis: (2) Reginas, delicatè nutritas, vitam pœnitentem & asperam tolerare non posse: (3) sublimium literarum studium cum assidua oratione & jejunio componi prudenter non posse: ut alia omittam, quæ esset per longum recensere. Et tamen *primam* opinationem multæ fortissimæ & constantissimæ Martyres, *verbis, & opere*, obloquendo Tyrannis, & sanguinem pro Fide Orthodoxa fundendo generosè prosternunt. *Secundam*, multæ Principes & inter ipsas Isabella Lusitaniæ Regina, Seraphicæ Regulæ observando rigorem, falsam esse demonstrant: *Tertiamque*, ut alios prætercam, Patres Carmelitæ Excalceati, non tam loquendo, quàm operando (studendo, orando, jejunando) ostendunt fundamento carere. Eos esse doctissimos persuadent libri, quibus Angelicam D. Thomæ doctrinam dilucidant propagantq; & simul esse sãctissimos, vitæ austeritas & morum elegantia fatetur.

Tonsura loquitur.

Vita loquitur.

An fœminæ sint fortes?

An qui impallescunt literis possint carnem jejuniis macerare?

XVI.

An si nullo signo sensibili absolutionem petierit nihilominus absolvi possit?

Qui semel fidem nostram Christianos vita, & moribus inculcare concedat (quod probabiliter negari nequit) Quæstioni vexatæ & multorum ingenia vexanti, respondere clarissimè poterit, si præpositæ doctrinæ insistat. Quærunt enim Theologi, *An-ne moribundus, qui Catholicè vixit, & tamen ita sensibus sit destitutus, ut nullo signo Sacramentalis absolutionis beneficium petierit à Confessario absolvi possit?* & divisi in sententias, oppositas ingressi vias, nihil certum & securum resolvunt.

Pars negans.

Non debere absolvi pronunciarunt Henriquez *lib. 3. cap. 10. nu. 11.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 8. & p. 4. tr. 4. resol. 92.* Coronius *in summ. verb. Confessio. num. 27.* Malderus Episcopus Antuerpiensis, & alii.

Pars afferens. Non solùm posse, sed absolvi debere in Theologia Fundamentali demonstravi.

Posse tamen saltem sub conditione, videlicet, *si tu es capax*, absolvi, afferunt Homobonus *p. 1. tr. 7. cap. 18. qu. 84.* Faustus *tom. 1. lib. 4. qu. 202.* Bava *Instit. Relig. Christ. lib. 2. cap. 91.* & alii, ubi notare debes duo: PRIMUM hanc sententiam duos pro se habere Summos Pontifices, Gregorium XV. & Clementem VIII. quorum ille, dum esset Archiepiscopus Bononiensis illam teneri jussit *in Memor. confess. cap. 1. nu. 16.* hic autem illa fuit usus, nam cùm videret quemdam operarium à Summo Templi S. Petri fastigio miserrimè præcipitari, illum absolvit: (*) Theologosq; ut Ciceronis verbis paulò ante adductis utar, *contraria opinione non modò verbis, sed etiam opere levavit*. SECUNDUM plerosque omnes Autores, qui pro opposita opinione adlegantur, ita illam tenere, ut hanc judicent esse probabilem, saltem ab extrinseco, quia à doctissimis Viris defenditur.

*) Accedit Clementis X. autoritas, qui mecum agens de abortivis infantibus, ut baptizari posse in dubio (saltem sub conditione) ostenderet, ad moribundos sensibus destitutos recurrit, & Clementis historiam sumpsit pro fundamento.

At tu ab hac difficultate facili negotio te expedies dicens PRIMÒ. *Casum esse impossibilem*, & SECUNDÒ, *A te esse omnes Authores, qui pro benigna opinione citantur*.

An Casus possibilis sit?

XVII.

Qui moribus loquitur, absque signo externo, & sensibili loquitur.

Et quidem casum esse impossibilem evidenter ostendo. Ponitur moribundus, qui Catholicè vixit, ergo, *qui Fidem, quam lingua nostra loquitur, moribus fatebatur*. Ergo, qui loquebatur moribus & vitæ Orthodoxæ professione dicebat, *se velle Catholicè mori*. At ille Catholicè moritur qui Sacramento Pœnitentiæ munitus: ponitur ergo in casu æger, qui moribus dicebat se velle Catholicè mori. Ergo, qui simul edicebat, se velle ante mortem Pœnitentiæ Sacramento (hoc est, Confessione, & Absolutione) muniri. Impossibile est ergo, ut ille, qui moribus Absolutionem Sacramentalem postulabat, illam nullo signo exteriori petierit.

Hanc autem esse illorum Theologorum mentem, qui pro benigna opinione citantur,

An-ne nobis tum omnes sentiant, quipium & benignam opinionem sectantur?

rus, ex verbis, quibus suam sententiam probant, manifestè colligitur: nam apud Coronium *ubi supr.* hæc habentur. *Omnes loquuntur de moribundo, aliàs bona fama & probata vita: quia is præsumi potest habere aliquem dolorem, factum sufficienter sensibilem per testificationem bonæ famæ.* Ergo, si ideò potest absolvi, quia probata ejus vita, & bona fama sunt signa sensibilia, quibus ille se habere dolorem & petere absolutionem testificatur, repugnat casus, in quo bonæ famæ & probatæ vitæ moribundus nullo signo sensibili se dolere de suis peccatis dicat, & absolutionem imploret. Multa in Iure Cæsareo testimonia, in quibus homines non verbis, sed actionibus, aut etiam actionum omissione loquuntur. Celeberrimum est istud Axioma, *Qui tacet, consentire videtur*, quod loco aptiori exposui: Ergo ipsummet silentium loquitur: & quando homo realiter nihil loquitur, virtualiter dicit *consentio*. Hinc nascuntur illa Prudentiæ Affata. *Multum dicit, qui nihil dicit. Multum respondet, qui nihil respondet. Multum rescribit, qui ad literas nihil rescribit.* In multis casibus contumax habetur pro confesso, nam in iisdem loquuntur contumacia, & absentia, crimen fatentur, Iudicemque ad sententiam pervenire permittunt. Communia hæc sunt, magis specialia proponamus.

An silentium loquatur?

An contumacia loquatur?

Qui non impedit, ut alius hæreditatem adeat, tacitè & virtualiter dicit, se nolle illam adire.

Vlpianus *lib. 7. ad Sabinum*, sic inquit. *Non vult hæres esse, qui ad alium transferre voluit* (lege, *vult*) *hæreditatem.* Vide *leg. fust, qui de adquir. hæred.* [correxi tempus, nam vel utrobique debemus legere *vult*, vel utrobique *voluit*, quoniam cum humana voluntas sit libera, non impedit, quòd qui hæres heri esse non voluit, hodie velit.] Casus est; Mortuus fuit Petrus & Ioannem hæredem reliquit. Ait autem Ioannes. *Claudius cognatus meus adeat hæreditatem.* Sed quid dixit? *Ego non volo adire hæreditatem*, dixit: si enim eam adire voluisset, ut ad alium transiret, non permitteret. Ergo tacitè dicit, quod verbis prolatis non exprimit.

An, & quando non prohibere, mandare sit?

Idem *lib. 10. disp.* sic ait, *Semper, qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur.* Ergo etiam loquitur actionum, aut verborum omissio.

XVIII.
Principum, & Superiorū omnium vita (bona, mala) loquitur, & concionatur.

TAmetsi commune omnibus sit sicut verbis, sic etiam factis loqui, id specialissimè in Principibus & Prælatis respicitur: quoniam, ut providè canit ille Poeta.

Principis exemplo totus componitur Orbis.

vel, ut per parœmiam ad regulares mores Monostichon adtempetatur.

Præsulis exemplo totus componitur Ordo.

Efficaciora pœnis sunt exempla.

Profectò, sicut parentum in filiis, sic Regum & Principum mores (probi, improbi) in subditis imaginantur & repræsentantur. De Domino nostro Iesu-Christo, Prælatorum Prælato, ait Evangelista, *Incepit Iesus facere & docere*. Faciendo concionabatur, & docebat discipulos: quoniam vita innocens est efficacissima concio. Abbatem viam mandatorum Dei *factis potiùs quàm verbis ostendere*, jubet S. Benedictus *in Regula*: quoniam *in lib. 3. Annal.* apud Tacitum legimus, *Obsequium in Principem & æmulandi amor, validiora quàm pœna ex legibus*. Sed cur? respondet *lib. 5.* Livius *Quia multitudo semper fere regenti est similis*. Nondum ad radicem pervenimus, nam adhuc inquirere quis poterit, unde hæc nascatur morum inter Principem, & populum similitudo? Causam primam & fundamentalem jam dedimus, eamque Vellejus *libr. 11.* reponit dicens, *Rectè facere Princeps cives suos faciendo docet*. Vide D. Dominicū de Rubeis *Certam. 1. pag. 9. num. 21.*

XIX.
An loquendo quis taceat?
Martialis.

TAcendo, aut alia faciendo, aut omittendo, homines loquuntur, ut vidimus, *An-ne aliquando, cum maximè loquantur, tacent?* Respondeo affirmativè, nam sicut

Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Aristoteles

Sic nec loqui censendus est, cujus verba nullus audit, aut nullus intelligit. Hinc illud Aristotelis ad Alexandrum, *Scripsi, ac si non scripsissem*, quæ brevissima verba, hac poterunt illustrari paraphrasi. *Non est cur conqueraris, Invicte Macedo, non est cur ægrè feras, alios posse, quæ à me didicisti, in Physicorum meorum libris legere, intelligere, addiscere; illa enim scripsi, & non scripsi: tametsi enim realiter scripta sint, virtualiter sunt non scripta: nam ita se habent, ac si non essent scripta; ideò enim de auscultatione librum dixi: quod auscultare in Lyceo debeat, & nisi adsim, & singula viva voce interpreter & dilucidem; intelligi à nemine possim.*

scripsit ac si ut scripsisset.

Iuvat me Paulus *libr. 35. ad Edictum*, qui mecum omninò discurrit; & tametsi *virtualitatis* nomine non utatur, rem tenet, realesque loquutiones, quæ virtualiter sint silentia admittit. Considerentur verba hæc. *Quidquid in calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non priùs ratum est, quàm, si perseverantia apparuit judicium animi fuisse.*

fuisse. Ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur. Sunt doctissima: quidquid enim sine deliberatione fit aut dicitur, virtualiter infectum & indictum est. Ergo, seu iracundia, seu metus, seu dolor, seu alia animi perturbatio deliberationem impediat, & tamen homo actus potiùs, quàm agens loquatur, censendus est nihil dixisse, quousque cum deliberatione illa eadem verba resumat.

An loquutio siletum sit? Quæ sine deliberatione ab homine fiunt non sunt humana operationes.

Et hoc de Naturalibus signis satis sit adnotasse.

XX.

De significatione artificiali.

De Tormentis bellicis: Tubis & Tympanis.

VEnio ad Artificialia, quæ sunt varia: nam bellicis tormentis Naves Portuum fortalitia salutant: & eorumdem strepitu resalutantur. Bellum signum tubarum clangore in campo indicitur: & varii tympanorum moduli monent milites, debeantne se recipere, an invadere. Multa possemus de hujusmodi signis edisserere, quæ intermitto, ut magis necessaria dilucidem, quæ postulant accuratius examen.

De vocibus & Scripturis.

Porrò inter signa ad placitum voces & scripturæ, sicut notissima, sic etiam summè necessaria videntur, & digna sunt expositione penitiore. Conceptibus res intelligimus, & quia illas conceptibus aliis hominibus explicare non possumus, vocibus utimur pro conceptibus, nec non scripturis pro vocibus. Inter *Sonum*, *Vocem*, & *Dictionem* manifestum invenitur discrimen. Venti enim, & inanima corpora, cùm aërem collidunt & frangunt, sonum excitant: solæ vocem animantes emittunt: & ab hominibus prolatæ, si significatione sint præditæ, *dictiones* nominantur.

De Sonis, Vocibus, & Dictionibus.

Est itaque Dictio, vox ad placitum significativa. Sunt sanè varia Dictionum genera, quæ esset tædiosum recensere. Interim aliquid breviter dicturus sum, illarum enim non possumus carere notitia, quæ sunt Artium & Facultatum proprii Termini. Sanè in Logica, Terminus *est extremum propositionis* ut in hac propositione, *leges sunt necessaria* termini sunt voces *leges* & *necessaria*, & copula verbum substantivum *sunt*, quod illas connectit.

De Terminis & copula.

Terminus vel est significativus, vel non significativus. *Ille est, qui significat rem aliquam*, ut *Iustinianus*: hic, *qui nullam* ut *Blictri*. Voces significationis expertes cognoverunt Antiqui & S. Bernardus *lib. 5. de Considerat. ad Eugenium cap. 8. num. 18.* [& habetur *tom. 4. pag. 22 a.*] ut ostendat vocem *Trinitas* è censu non significantium non esse, ait. *Dicimus itaque Tres, sed non ad præjudicium Vnitatis. Dicimus Vnum, sed non ad confusionem Trinitatis: neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassa voces.* Lutherus, quia negat liberum arbitrium, ut vocem hanc ipsam carere significatione diceret, esse *titulum sine re* deliravit. Dantur ergo voces artificiali significatione destitutæ, quæ *vacuæ*, & *cassæ*, nec non *tituli meri* vocantur.

Est terminus significativus, & non significativus.

Nomina vacua seu cassum.

Titulus sine re.

XXI.

Significatio est materialis, aut formalis.

De Comparativa dictionum acceptione.

Præterea Terminus significativus in Formalem, & Materialem subdividitur: Terminus enim sumitur materialiter, cum pro se ipso, ut cum dicimus, *Ius est monosyllabum*. Et sumitur formaliter, cum pro suo objecto, ut cum dicimus, *Papinianus fuit prudens*. Formalis adhuc debet subdividi, vel enim absolutè vel comparativè desumitur, qui enim vanam rem, si sumantur absolutè significant, contrarium sonant cum alia collati: ita ut *niger* sit, *minùs albus*, & *tenebrosus* sit *minùs lucidus*. Et hæc vocum comparativa acceptio apud nostros Poetas, & eos, qui historias cogitatas (Hispaniè *Novelas*) scribunt (quos vel etiam Poetas dixeris, vel asserueris saltem, vix ab illis differre) frequentissima est. Hoc Tetrastichon (quod de Phyllide est, quam, ut opposita juxta se posita magis elucescerent, ita natura finxerat, ut faciem candidissimam nigerrimi capilli ornarent) in exemplum ponatur.

An in prosa componantur Poemata?

Finxerat, hoc est, formaverat.

Phyllidis ut faciem meditatur, lilia dicit
Esse nigra, obscuras, puniceasve nives.
Vt crinem atherens sparsum miratur in orbes,
Albam succlamat Manlius esse picem.

An lilium sit nigrum; nix atra; pix alba &c.?

Et hæc ipsa acceptio comparativa occurrit in Canonicis libris: nam *Sapient. 7.* sic inquit Salomon, *Optavi, & datus est mihi sensus* (Hisp. *seso* prudentia) *& invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimatur argentum in conspectu illius.*

Sensus, quid significat? Quanti fieri debeat Sapientia?

Et hic vides iterum significationem ab acceptione distingui: vocibus enim quodammodo violentia infertur, & in contraria significatione ingeniosè accipiuntur: nam hæ Assertiones *Nives sunt nigræ, Pix est alba; Divitiæ sunt nihil, Aurum est arena, Argentum lutum.* &c. æquivalent his, *Nives sunt minùs albæ, Pix est minùs nigra; Divitiæ sunt minùs desiderabiles, Aurum minùs pretiosum, Argentumq; minùs mundum & purum.*

An Acceptio à significatione distinguatur?

Præ-

XXII. *De Terminis Categorematicis, & Syncategorematicis.*

Præterea Terminus in Categormaurum & Syncategorematicum sudividitur. Ille est, *qui solus esse potest terminus* (hoc est, subjectum, vel prædicatum) ut *Homo*; hic est, *qui solus non potest esse terminus*, ut *Nullus*; Hi Syncategorematici termini, dicuntur etiam *Syncategoremata*. & dividuntur in duas classes: ad alteram enim Realia, & ad alteram Syncategoremata Moralia spectant.

Syncategoremata quid sint?

Realia sunt, *quibus reales propositiones conformantur*, & hæc sunt, quæ hucusque cognoverunt Dialectici, ut, *Omnis, Nullus, Aliquis, Nonnullus, Vterque, Neuter, Alter*. &c. *Hic, Iste, Ille*. &c. Hanc enim propositionem *Ille currit*, nemo intelliget, quin sub voce *Ille* aliquod substantivum intelligat, ita ut tota propositio sit *Ille homo currit*, aut *Ille equus currit*, aut aliqua similis.

Moralia Syncategoremata.

Syncategoremata Moralia sunt, *quibus Morales propositiones concinnantur*; & hi sunt, *Omnes, Fere omnes, Plures, Media pars, Pauciores, Aliqui, Multi, Pauci, Rari, Aliquis, Vnus, Hic, Fere nullus, Nullus*. &c. sine quibus nec lis in ullo tribunali promovetur, nec securè dirimitur. Vbi, ut videris, in Moralibus Categorematis Realia includuntur, non enim nostra Moralis Logica, ut Petrus & Paulus à Peripatetica condistinguitur: sed, ut includens ab incluso: quæ enim scitè fuerunt ab Aristotele cogitata, veneror & admiror; illaque ut fundamenta adsumo; & eadem illustro & condecoro, tùm ad mores promoveo.

XXIII. *Simplex & Compositus. Includens & Inclusus. Distinctus & Condistinctus. Principalis & Accessorius.*

Terminus vel est simplex, vel Cōpositus: ille *unicā dictionē continet*, ut *Homo*, iste *plures*, ut *Homo doctus*. Distinctio includētis ab incluso reperitur in terminis, quorū alter in altero includitur: *homo* enim clauditur in *homine docto*, ut pars in toto. Qui nullam partem communem habent Termini, vocantur *Condistincti*. Huc etiam pertinet Termini in Principalem & Accessorium divisio: nam ille *per se in oratione collocatur*, iste *illum sequitur, etsi non exprimatur*: nam in hac propositione *servus legatur Petro*; nullum est verbum, quod vestes significet. Interim servus non nudus, sed vestitus legatur: quoniam deletis Adamitis in Europa nemo nudus incedit.

Absolutus & Relativus.

Terminus iterùm, vel Absolutus, vel Relativus est: ille est, *qui nihil significat extra scipsum*, ut *Petrus*: hic autem, *qui aliquid extra se connotat*, ut *Pater*, *Filius*. &c.

XXIV. *Transcendens.*

Termini Transcendentes dicuntur, *qui de omnibus rebus, & formalitatibus* prædicantur; ut Ens, quoniam Deus est ens, Homo est ens, Petrus est ens, & nihil in mundo reperitur, quod non sit ens.

Reubau Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum.

Vt Transcendentes Terminos explicent Logici, utuntur hac voce REUBAU, cujus literis, *Res, Ens, Verum, Bonū, Aliquid & Vnū* intelligūtur. Ens *est, quod est*; Res, *quod reverà est*; Verū, *quod verè est*; Bonū, *quod bene est*; Aliquid, *quod quid aliud est*: Vnum, *quod plura non est*. Transcendentalia inter se prædicantur, nam Veritas est bona, una. &c. Bonitas est vera, una. &c. Vnitas est vera, bona. &c.

Terminus Realis, Moralis, & Virtualis.

Termini, aut Reales, aut Morales, aut Virtuales sunt. Reales significant ea, quæ sunt in rebus; Morales autem ea, quæ ad mores pertinent; Virtualea, quæ à prudentum consideratione seu suppositione (vel ut Iurisperiti loquuntur, à Iurisfictione) dependent. Est itaque Ens virtuale, *quod non est reverà quale dicitur, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si quale dicitur esset*. Ad cæteras Virtuales transeo.

Existentia Virtualis. Veritas Virtualis. Bonitas Virtualis. Vnitas Virtualis. Nihil Virtuale. Non Existentia Virtualis.

* Existere virtualiter illud dicitur, *quod reverà non existit, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si reverà existeret*. * Verum virtuale illud est, *quod reverà non est verum, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset verum*. * Bonum autem virtuale est, *quod reverà non est bonum, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset bonum*. * Vnum virtuale est, *quod reverà non est unum, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset unum*. * Et transeundo ad terminos negativos. * Nihil virtuale est, *quod reverà non est nihil (nimirùm, quod reverà est aliquid) prudentum tamen cōsideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset nihil*. * Non existere virtualiter illud dicitur, *quod reverà existit, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si non existeret*.

Nullus Virtualiter.

* Nullus virtualiter ille est, *qui reverà non est nullus (videlicèt qui reverà est aliquis) prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si nullus esset*.

Falsitas Virtualis. Malitia Virtualis. Pluralitas Virtualis.

* Falsum virtualiter illud est, *quod reverà non est falsum, prudentum tamen cōsideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset falsum*. * Malum virtualiter illud est, *quod reverà non est malum, prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habet, ac si esset malum*. * Multa virtualiter dicuntur, *qua reverà non sunt multa (sed unum) prudentum tamen consideratione, aut hypothesi, ita se habent ac si essent multa*.

Prædicamenta Virtualia.

* Et ad Prædicamenta descendendo, & exactam analogiam observando. * Virtualis substantia (Quantitas, Qualitas, Relatio, Duratio, Actio, Passio, Vbicatio, Situatio, Habitio, &c.) illa est, *qua reverà non est Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Duratio, Actio,*

Passio,

Passio, Vbicatio, Situatio, Habitio. &c. prædicatum tamen considerationem, aut hypothesi,ita se habet, ac si Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Duratio, Actio, Passio, Vbicatio, Situatio, Habitio, &c. esset.

OPortet Vnivocationis (Æquivocationis, & Analogiæ) convenientem habere notitiam: in quibus nomen & res significatæ debent considerari. Nomen dicitur Vnivocum (Æquivocum, Analogum) res autem quæ plures sunt, & uno nomine significantur, Vnivocatæ (Æquivocatæ, & Analogatæ) appellantur. Profectò * XXV.

Vnivocata dicuntur, *quorum nomen est commune, ratio autem nomine significata in singulis est omninò eadem*, ut *Homo*. Eadem enim ratio specifica, quæ hoc nomine significatur in Petro, eadem in Paulo, Francisco, &c. invenitur. Sic etiam Imperator respectu Iulii Cæsaris, Octaviani, Augusti, Trajani, Iustiniani, &c. est univocum: nam eadem authoritatis & majestatis ratio, quæ in uno, reperitur in aliis. Sic similiter de voce *Pontifex*, seu *Papa* discurre, nam Petri authoritas, quanta fuit, in Clemente IX. & aliis, sine imminutione aut alteratione residere cognoscitur. *Imperator Pontifex, Papa*

Æquivocata dicuntur, *quorum nomen est commune, ratio autem nomine significata, in singulis est omninò diversa*, ut *Canis*; Hæc enim vox nihil omnino significat latrabili & Cœlesti commune: immò nihil determinatè, sed alterum indeterminatè: nam æquivocorum significatio à circumstantiis, & adjacentibus vocibus determinatur: In hac enim propositione *Canis latrat*, nomen *Canis* importat animal: in hac autem, *Canis cum Sole oritur*, non animal, sed sydus importat. Et quidem multæ voces æquivocæ passim in Iure occurrunt: unam in exemplum proponam: *libr.* 21. D. *de ædilitio edicto* hæc verba Africani asseruntur. *Cùm ejusdem generis plures simul veniant veluti Comœdi, vel Chorus*. Et quia vox *Chorus* est æquivoca, sic habet Glossa. *Chorus* hic ponitur pro numero personarum ad psallendum destinatarum cum instrumento quodam, quod dicitur *Chorus*, & sic accipitur inferiùs *de leg.* 111. si chorus. Quandoque ponitur pro mensura: quandoque pro loco & ordine: quandoque pro vento: unde dicitur, XXVI. *Æquivocatio.* *Canis.* *Chorus.*

Cantat dulce Chorus: bacchatur flamine Chorus.
Est mensura Chorus; locus & ordo Chorus.

Locus habere deberet primâ brevè, ut Chorus est Græcè χορὸς *vel* χωρὸς*, sed in significatione diversa.*

Analogata dicuntur, *quorum nomen est commune, ratio verò nomine significata est partim eadem & partim diversa*, ut *Sanctitas*, quæ in legibus, personis & locis, sed aliter & aliter reperitur; nam Sanctitas est in lege exemplariter, in homine formaliter, & in loco concomitanter. Similis Analogia relucet in voce *Sanitas*; nam homo, locus, aer, cibus, pulsus, urina & pharmaca sana dicuntur; diversimodè: nam sanitas est in animali formaliter; in pharmaco efficienter; in loco, aere & cibis conservativè; in pulsu & urina indicativè. &c. Opponuntur æquivocis synonyma, *quæ sunt nomina diversa, quorum est omninò eadem significatio* sicut *Ensis* & *Gladius*, sunt etiam in Iure multæ voces synonymæ, quas ut ejusdem prorsus significationis Iustinianus adsumit: nam *Institutiones* & *Elementa*, nec non *Pandecta* & *Digesta*, idem sunt. Ipsemet Imperator in Prologo, qui Pandectis præfigitur, sic inquit, *Tam in quatuor libris Institutionum, seu Elementorum, quàm in libris quinquaginta Digestorum, seu Pandectarum*. XXVII. *Synonyma.* *Ensis, Gladius.* *Constitutiones, Elementa.* *Digesta, Pandecta.*

Vniversale, *est unum in multis*. Ejus proprietas est Prædicabilitas, *quæ est ratio, qua constituitur Prædicabile*. Est autem Prædicabile, *unum de multis*, vel clariùs, *Vnum quod potest prædicari de multis*. Quinque Porphyrius: nos autem octo Prædicabilia numeramus: videlicet Genus determinatum, Species determinata, Species vaga, Individuum vagum, Differentia subalterna, Differentia infima, Proprium in quarto modo & Accidens. * Genus determinatum, *est conceptus determinatus, qui prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*, ut *Animal*, quod de homine, & bruto prædicatur. * Species determinata, *est conceptus determinatus, qui prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*, ut *homo*, qui dicitur de Petro, Ioanne, Ferdinando &c. * Species vaga, *est conceptus genericus indeterminatè contractus, qui prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*, ut *aliquod animal*, non homo est aliquod animal, & equus est aliquod animal. &c. * Individuum vagum, *est conceptus specificus indeterminatè contractus, qui prædicatur de pluribus differentibus numero*, ut *aliquis equus*, nam Bucephalus, quo utebatur Alexander, erat aliquis equus: & Concitatus, quo utebatur Caligula, erat aliquis equus. * Differentia subalterna, *est quæ constituit speciem subalternam, & de ipsa specie subalterna, & de multis differentibus specie sub ipsa contentis prædicatur in quale quid*, ut *sensibile*, quod constituit speciem subalternam, animal: & de animali, & de ejusdem speciebus (Homine & Bruto) prædicatur. * Differentia infima, *est quæ constituit* XXVIII. *Vniversale & Prædicabile.* *Prædicabilium numerus.* *Genus determinatum.* *Species determinata.* *Species vaga.* *Individuum vagum.*

Differentia subalterna.

Differentia infima.

Proprietas in quarto modo.

Accidens non bene definitur.

Quid illud sit?

Individuum determinatum.


An & qua Prædicabilitas sit universalis Proprietas?

stituit speciem infimam, & de ipsa specie infima, & de multis differentibus numero, quæ sub ipsa continentur, prædicatur in quale quid, ut *Rationale*, quod constituit speciem infimam, Hominem, & de homine & de omnibus individuis sub ipso contentis prædicatur. " Proprium, *est quod sequitur speciem & convenit multis sub specie contentis, nempe omnibus, solis, ubique, & semper*, ut *Risibilitas*, quæ dicitur proprietas hominis, ubique enim, & semper omnibus & solis hominibus convenit. " Accidens nescio cur definitur, *quod potest adesse & abesse absque subjecti corruptione* cum sint accidentia, quæ subjectum corrumpunt, quando adsunt, *nimius calor*: & sunt quæ abesse nequeunt, ut *figura*: nam si obturentur respirationis aditus à natura formati, aut si vi alii novi aperiantur, homo perit: & qualitercumque ponatur materialis substantia non carebit figura. " Est ergo Accidens commune *forma diversis speciebus inhærens* ut *Albedo, Nigredo, Calor, Frigus*. &c. Distinguitur realiter à subjecto: & hoc poterit sine accidentibus realiter concipi. " Individuum determinatum, etiam est prædicabile. " Inferes. Ergo Prædicabilitas non est universalis proprietas: quoniam determinatum Individuum, non est universale, sed de uno tantummodò prædicatur, ut *Hic homo est Petrus*. Respondeo Prædicabilitatem universali propriam esse formalem: eam autem, quæ individuo determinato competit, non formalem, sed identicam esse, nam *hic homo*, & *Petrus* non sunt duæ formalitates, sed una & eadem diversis nominibus significata, ut *Tullius* & *Cicero*.

XXIX.

An Universalia in singularia aut contra convertantur?

Non potest eadem res ex singulari verti in universalem, aut contra: nam Aristoteli omnes sunt singulares, & nulla realiter universalis, & Platoni Ideæ universales, essentialiter sunt universales & addita singularitate non fiunt ipsæ singulares, sed concretũ ex natura communi & hæcceitate est, quod singulare nominatur. Nam sicut Triangulus CABC semper est Triangulus, nec fit Quadrangulus per additionem alterius Trianguli BCDB quoniam in præsenti figura, neuter Triangulus est Quadrangulus; nam Quadrangulus est figura ABDC ex utroque Triangulo resultans: sic similiter Homo & Petreitas debent considerari. Homo semper est universalis & Petreitas semper est singularitas, neutra realitas aut formalitas est singularis, *ut quod*, hoc enim soli convenit Petro, qui componitur ex Homine & Petreitate.



Quid de vocibus communibus, & singularibus dicendum sit?

Nomina Cæsar, Petrus, &c.

Quo filii modo debeant exhæredari?

Cur testamentum sit invalidum?

Quid sit aliquem nominatim vocare?

Verùm enim verò de vocibus aliter est philosophandum, quoniam mutatis circumstantiis ex singularibus fiunt communes, & ex communibus fiunt singulares. *Cæsar* olim singularis vox fuit, nam Iulium Cæsarem tantummodò significabat: at hodie est communis & appellativa, quia quemcumque significat Imperatorem. *Petrus* nomen proprium fuit Primi Summi Pontificis, at jam vertitur in appellativum, unde Antoninus Diana Innocentium X. cui librum dedicat, *Petrum nunc regnantem* appellat. *Filius tuus*, si unicum habeas, nomen est singulare & personam individuam significat: at eadem vox postquam plures susceperis, erit communis. Huc respiciebat Iustinianus *Institut. lib. 2. de exhæredatione liberorum. §. Non tamen* cum dixit. *Nominatim autem exhæredari videtur, sive ita exhibetur*, Titius filius meus exhæres esto, *sive ita*, Filius meus exhæres esto, *non adjecto proprio nomine: scilicet, si alius filius non extet*. Ibi enim ab Imperatore disponitur, ut aut hæres institui debeat filius, aut exhæredari nominatim, nam aliàs testamentum non valet: & quia exhæredatio fieri potest dupliciter, ideo illa verba adjunxit, in quibus *Titius*, si nullus alius filius vocetur Titius; & *Filius meus*, si unicus sit, sunt nomina singularia, & personam individuam significant: & tunc ex hoc capite non est testamentum invalidum. Cæterùm si inter testatoris filios sint duo Titii, aut plures sint filii, tunc nomina illa *Titius* & *Filius meus* sunt communia: & quia conveniunt pluribus, nemo exhæredatur determinatè, idcò testamentum est invalidum.

XXX.

Prima & Secunda intentiones.

Terminus positivus & non positivus Carentia, Privatio, Defectus, Negatio.

Quomodo differant inter se?

An sit causa appetitus Privatio? An & Negatio?

TErmini adhuc scienda est in primas & secundas intentiones divisio. Sunt autem Termini primæ intentionis, *qui significant* objecta ipsa: ut *Homo, Equus*. Termini autem secundæ intentionis, qui significant relationes, quas Artes in ipsis vocibus solent considerare, ut *Nomen, Verbum*, &c. *Subjectum, Prædicatum*. &c.

Termini iterum, vel positivi sunt, vel non positivi: illi *significant rem aliquam, hi rei carentiam*. Carentia est *absentia formæ in subjecto*. Privatio est *carentia formæ in subjecto capaci, debeatur ipsi aut non*. Defectus est *carentia formæ debitæ*: nunquam autem forma subjecto incapaci debetur. Negatio est *carentia formæ in subjecto incapaci*. Quies localis in lapide est privatio motus, nam lapis localiter moveri potest. Cœcitas in animali est privatio & Defectus: Privatio quia animal est capax potentiæ visivæ: Defectus, quia hæc potentia animali debetur. Carentia autem visivæ potentiæ in lapide est negatio, ille enim est incapax hujus potentiæ. Conceptus autem

com-

communis à Privatione Defectu, & Negatione abstractus, nominatur Carentia. Et quidem hanc Privationis & Negationis distinctionem quã confundere volebat Armefinda, clarè concipiebat Rosela, nam apud Tirsum de Molina in Comœdia, *Como han de ser los amigos* Cigarr.4.lib.1.pag.153.illud Axioma, *Privatio est causa appetitus*, his numeris dilucidatur.

Arm. *Que mal remedio me ofrece*
Tu consejo: bien parece,
Quan poco esperimentada
Estas: lo adquerido enfada,
Lo difficil se appetece.
No causa la Privacion
Appetito al deseo vario?
Ros. *La Privacion de ordinario,*
Pero no la Negacion.

Et meritò, quia non appetuntur impossibilia, non est causa appetitus Negatio.

SECTIO III.

De Terminorum Proprietatibus.

XXXI. *Suppositio, Acceptio, Significatio,*



SVppositio, Acceptio, & Significatio, non sunt voces omninò synonymæ, quia tametsi idem objectum habeant, illud sub diversa consideratione respiciunt. Suppositio ad eum, qui loquitur aut scribit, pertinere videtur: ad eos verò, qui audiunt, aut legunt, Acceptio: unde interdum conqueruntur Doctores, ea quæ à se dexterè posita, à Lectoribus sinistrè accipi. Tùnc benè fluit oratio, quando eo sensu, quo à suo Authore verba sunt posita vel supposita, à Lectore accipiuntur: quod sæpè non accidit: nam in illâ Propositione, *Omnis in Iure Definitio est periculosa*, spondere auderem *Definitionis* nomine Vlpianum legem universalem intellexisse: & tamen multi hodie viri docti alio sensu id accipiunt, & cum Dialecticis interpretantur. Vide *disp.17.art.8.§.Confessos.*

Quomodo differunt inter se?

Significatio est duplex, materialis, formalis: vox sumitur materialiter, *cum pro se ipsa*; formaliter, *cum pro suo objecto*. Si enim dixerim CELSUS *est vox dissyllaba: habet sex literas*, &c. nomen materialiter sumpsi: si addiderim, CELSUS *fuit Iurisperitus*, nomen sumpsi formaliter: ibi enim, non significationem, sed literas, quibus componitur, hic autem rem, quam vox significat, considerabam.

Significatio vel est materialis vel formalis.

Si voces sint æquivocæ, latiùs patet significatio, quàm Suppositio, & Acceptio: nam *Sacerdos*, quasi *Sacra docens*, significat Iurisprudentem vel Presbyterum: utrumq; nempe disjunctivè, ut inferiùs dicemus. Hæc autem eadem vox in illis Prophetæ Regis verbis, *Sacerdotes tui induant Iustitiam*, sumitur pro Presbyteris: & in illis Celsi, *Ius* (Iurisprudentia) *est Ars boni & æqui: cujus meritò quis nos* Sacerdotes *appellet*, sumitur pro Iuris-consultis. Vnde, si Titius Davidis verba acciperet in Politica significatione, dicerem, vocem *Sacerdotes* duo significare, eamdemque vocem à Propheta in sensu Theologico, pro Presbyteris poni, & à Titio in Politico pro Iurisprudentibus accipi.

An significatio latius pateat?

Psalm. 131.

Sacerdos unde dicatur?

XXXII. *Ampliatio.*

AMpliatio *est significationis accidens, illam extendens*: nempe significationem unius temporis ad omnia tempora in verbo, & propriam ad impropriam in nomine. Opponitur Ampliationi Restrictio, *quæ est significationis accidens, illam contrahens, & constringens*, quando videlicet significationem universalem ad particularem reducit. Doctrinam hanc exemplis congruis dilucidemus. In hac propositione, *Iurisprudentia est scientia*, illud verbum *est* ampliatur, ut sit *fuit, est, erit*. Si enim benè tradatur, fuit, est, & erit scientia. Vt autem quomòdo ampliatio & Restrictio nomina afficiat, intelligere possis, vocem *Filius* propono. Generis masculini est: tam legitimum, quàm illegitimum & spurium significat: Cæterùm, quia ex Iuris Regula universalissima, *Odia restringi & favores convenit ampliari* in multis legibus *Filiorum* nomine non solùm filiæ, sed etiam nepotes, & neptes per ampliationem intelliguntur, ut ad plures se extendat clemens Legislatoris providentia: & in multis è contra legibus *Filiorum* nomine, non solùm filiæ, nepotes, neptes, sed neque Spurii, aut illegitimi compræhenduntur, ut in pauciores locum habeat severitas.

Restrictio.

Ampliatio verbi est.

Ampliatio & Restrictio nominis Filius.

Multi in Iure loci verborum ampliationem importat: & in specie illi omnes, qui

Quomodo testamenta exponantur?

ultimas voluntates concernunt. Paulus *libr.3. ad Sabinum*: expressè. *In testamentis pleniùs voluntates testantium interpretamur*: hoc est, ampliamus quantum Grammatica congrua permittit. Si agatur de manumissione, *Quoties dubia interpretatio est, secundum libertatem respondendum erit,* inquit Pomponius *lib.7. ad Sabinum*. Et Paulus *lib.16.ad Plautium* consonat, ait enim, *In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati*. Vide *leg.si peculium, de statu lib.* Si de dote ampliatur & extenditur vocum significatio in favorem sponsæ. Ita Paulus *libr.6.qu.* qui ait. *In ambiguis pro dotibus respondere melius est*. Sunt igitur extendendi probabilitatis termini, quantum prudentia patitur; & amplianda vocum significatio, quantum idioma tolerat, ut sponsæ in dotis causa prospiciatur.

Quomodo manumissio?

Quomodo charta dotis?

Si verba habeant duos sensus.

Occurrunt etiam multi loci, in quibus Legistæ monentur voces, quæ latiùs significant contrahere, & ad strictiorem reducere significationem. Iulianus *libr.87.Digest.* regulam hanc proponit. *Quoties id sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur quæ rei gerendæ aptior est*. Et, me judice prudentissimè præcipit. Si agatur de rebus molestis, audiendus est Vlpianus, qui *lib.15. ad Sabinum* [cum *leg. si ita scriptis 14.de legat.1.*] ait *Semper in obscuris, quod minimum est sequimur*. Si autem agatur de contractibus, debemus voces restringere, ut libr. 45. nos docet idem Iurisconsultus *Semper in stipulationibus & cæteris contractibus,* ait. *id sequimur, quod actum est: aut, si non appareat, quid actũ est, erit consequens, ut id sequimur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur: quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est*. Gajus autem *lib.3.de legat. ad Edictum Vrbicum*, aut etiam *libr.2.de testam.* à clementia stat dicens, *semper in dubiis benigniora præferenda sunt*. Cui Paulus *libr.15.qu.* consonat, inquit enim, *In omnibus quidem, maximè tamen in Iure æquitas spectanda est*. Postulat autem æquitas, ut amplientur favores, & odia semper restringantur. Et *lib.9.* ait. *In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet*. Et *lib.1.ad Plautium* sibi constat, & inquit. *Rapienda est occasio, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est, cum in obscura sit, ex affectione cujusq; capit interpretationem*. Et posteà *lib. 5.* agens de Venditione verba ambigua ita contrahit, ut Emptori prospiciat: inquit enim. *In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est*.

Si sint dubia & ambigua.

Quomodo interpretandi sunt contractus?

Spectanda est æquitas.

Quid ipsa jubeat?

De venditionis contractu.

XXXIII.
Significationis Diminutio.

AD Restrictionem reduci debet significationis Diminutio, quæ est frequentissima & ex circumstantiis dependet, & *significationem, quæ latiùs pateret ad partem subjecti restringit*. Nam, cum *Ensem auratum* dico, adjectivum illud non afficit integrum ensem, sed eam ensis partem tantummodò, quæ aurari solet, nimirùm capulum, & ornamenta (Hisp. *la guarnicion*) nam folium (Hisp. *la oja*) ex calybe est, & aurari non solet. Sic contra, quando *Invaginatum ensem* dico, illud adjectivum non afficit capulum aut ornamenta ensis; hæc enim non solent in vaginam induci; sed folium: id enim evaginatur, unde Virg.Æn.6.

Quid ipsa sit?

Arripe tuque viam vaginaque eripe ferrum.

folium nimirùm gladii, hoc enim tantummodò in vaginam inducitur.

XXXIV.
Testamentum Clodii.

APpellatio tollit amphibologiam & vocem, quæ posset duo subjecta afficere, determinat, ut potiùs alterum afficiat, quàm alterum. Occurrit exemplum communissimum. Nam, cum Clodius, ut erga Palladem testatam devotionem relinqueret, in testamento suo sic scripsit. *Fiat Statua auri hastam tenens*: & hæres merito dubitabat, cum qua voce construi deberet illa vox *auri*. An statuã afficeret, an verò hastã.

Hoc dubium si comma interpungas, auferes; nam, si propositionem illam pungas sic *Fiat Statua auri, hastam tenens*; Iussit tunc Clodius, ut eadem statua sit auri: si autem sic. *Fiat statua, auri hastam tenens*, hasta debebit esse auri, & statua ex quacumque materia. Hinc prodit illud Criticorum Affatum, *Bona dispunctio locum Commentarii sortitur*, quod Libertus Houthenius Bosquierus apud Antonium Sanderam *in Bibliothec.Belgic.inf.pag.9.* & alii Doctores adlegant.

Bona dispunctio Commentario æquipollet.

Vnde Testatoris mens haberi possit, si verba testamenti ambigua sint?

Sed quid, si defunctus illud comma non posuit? manebit dubia ejus voluntas, nec enim hæredis est punctum addere, ex cujus positione tantam legatum patitur alterationem. Quid ergo facient Iudices? [In ambiguis orationibus, ait Marcianus *libr. 12. Fideicommiss.* maximè sententia (mens spectanda ejus, qui eas protulit.) Quamob rem, si hæreditas à Clodio relicta, vel ut statua auri fieret, vel ea facta, ut alia legata implerentur, non sufficeret, certum est vocem illam *auri*, non supra statuam, sed supra hastam appellare: in dubio enim ita est interpretanda testatoris voluntas, ut relicta substantia pro legatariis & hærede sufficiat.

Sed cur id vocum accidens Appellatio vocatur? meliùs enim dicimus, *hæc vox afficit*

ficit illam, aut *adhæret illi*, quàm *hæc vox appellat supra illam*. Respondet Petrus Hurtado, Petrum Hispanum, quem primum Summularum Authorem fuisse credidit, ut ut excelluerit in Lingua Latina esse rudem. At Logica apud Latinos est Petro Hispano multò antiquior, & artis terminis debemus uti, & non contra Nomenclatorem vociferari. Si enim de vocibus disputare liberet, nulla esset, de qua non possent ingenia otiosa dubitare.

Cur hoc dictionum accidens Appellatio dicatur?

SECTIO IV.

De Propositionibus.

XXXV. *Quid & quotuplex sit propositio?*

Ratio est vox composita cujus partes significant separatæ: nempe, copula semper formaliter; extrema autem formaliter, vel materialiter. Et est duplex Enunciativa, & Non-Enunciativa. Illa est, quæ aliquid affirmat, vel negat: hæc verò, quæ nec affirmat, nec negat.

Mentalis, Vocalis & Scripta.

Enunciatio vel est Mentalis, vel Vocalis, vel Scripta. Agamus de Vocali, nam de aliis duabus per analogiam poterimus philosophari. Est igitur Enunciatio, vel Simplex, & vocatur Categorica, vel est Composita & vocatur Hypothetica: illa est quæ constat subjecto prædicato & copula, ut *Iustinianus fuit Imperator*, hæc quæ duabus aut pluribus simplicibus propositionibus, ut *si Cæsar præcipiat obediam*.

Propositionum classes.

Quatuor sunt præcipua Hypotheticarum Propositionum genera, aliæ enim sunt Copulativæ, aliæ Disjunctivæ, aliæ Rationales & aliæ denique Conditionales, quæ in varias classes subdividuntur.

Copulativa.

Copulativa est. *Peccat subditus & Rex illum punit*. Et huc reducuntur, quæ vel plura subjecta, vel plura prædicata copulant, ut *Omne Ius legibus & moribus constat*. Isidorus *lib. Etymol.* & habetur *dist. 1. cap. Ius.*

Disjunctiva.

Est autem Disjunctiva. *Cæsar veniet, vel Cato manebit*. Et huc pertinent illæ, in quibus plura subjecta, aut plura prædicata afficit disjunctio: ut *Omnes leges, aut Divinæ sunt aut Humanæ*. Isidorus *lib. 5. Etymol.* & habetur *dist. 1. in pr. dec.* Sic etiã. *Omnis lex, aut permittit aliquid, aut vetat, aut punit*; & idem Author ibid. & habetur dist. 3. Privileg. Illa Disjunctiva, *Lex aut obligat omnes, aut nullum*: est Demosthenis, qui *in Orat. contr. Arist.* sic inquit. *Quemadmodum reliqui Iuris Civitatis æqua pars est cuique sic quoque legis æquam partem singulis tribuendam esse putavit, qui eam tulit & propterea scripsit, non licere legem facere de viro, nisi eadem ad omnes Athenienses pertineat.*

An leges Universales esse debeant & universos obligare?

XXXVI. An *nec* sit conjunctio?

Et hic obiter nota (quod iterum te monuisse meminerim) particulam *nec*, non esse disjunctionem, sed conjunctionem, negationes enim copulat, non verò positiones disjungit. Quam ob rem copulativa est illa Vlpiani *lib. 1. ad Sabinum* assertio. *Fæminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt: & ideò nec Iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratrices existere*. Iunge *leg. 10. de statu homin.* & *leg. 7. de bon. poss.* In his enim Vlpiani verbis, particula illa *vel*, ut ut disjungat voces, objecta copulat, & sumitur pro *&*; nam officia civilia sunt publica. Præterea particula illa *nec* est negationum conjunctiva; idem est enim dicere, *nec potest hoc, nec potest illud*, ac dicere, *& non potest hoc, & non potest illud*.

An possint mulieres ad publica officia promoveri?

Vel *pro* & Nec *pro* & nõ.

Hypothetica rationalis quæ?

Rationalis Propositio est, quæ unum ex alio deducit: ut *Petrus currit, ergo movetur*. Et dividitur in varias classes; nam multæ sunt rationales particulæ, nempe, *Ergo, Igitur*: vel aliàs *sequitur, Consequens est*, & verba similia. Florentinus (& habetur *leg. ut vim. D. de just. & jur.*) sic ratiocinatur. *Cum inter nos cognationem quamdam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse*. Et hoc Enthymema inferiùs *disp. 19. art. 7. in fin.* fusius dilucidatur.

An omnes homines cognati sint?

Hypothetica Causalis quæ?

Causalis Propositio est quæ causam sui Asserti adjicit, ut *est homo, quia est rationalis*: causales particulæ sunt *nam, quia, quoniam*, &c. Audi Vlpianum lib. 4. ad Sabinum. *Qui cum alio contrahit*, ait, *vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus. Hæredi autem hoc imputari non potest, cùm non spontè cum Legatariis contrahat*. Et duas hypotheticas invenio, quarum est prima Disjunctiva & secunda Causalis. Prima continetur his verbis. *Qui cum alio contrahit vel est vel esse debet non ignarus*. Subjectum est unicum, videlicet, *Qui cum alio contrahit*, prædicata autem duo, *vel est vel esse debet non ignarus*, &c. & hæc duo prædicata disjunctivè ponuntur. Et *non ignarus* idem est ac *gnarus*, nam duæ negationes se illidunt. Secunda Hipothetica est, *Hæredi hoc imputari non potest, cum* (siquidem; quoniam) *non sponte cum legatariis contrahit*. Con-

An & quando ignorantia imputetur in contractibus?

Unum subjectum potest habere plura prædicata.

Duæ negationes affirmant.
XXXVII.
Quid sit Conditionalis Propositio?
Conditio vel est expressa vel implicita.

tinet duas simplices, quarum prior est ipsa Vlpiani Resolutio; secunda verò exhibet causam, ob quam sic resolvi debuerit.

Hypothetica conditionalis illa dicitur; quæ est conditioni subnixa, & habet particulam *si*, ut *Lex, si est promulgata & acceptata, obligat*.

An & quando cessante fine cesset lex?
An & cur dos repetatur?

Multæ hujusmodi propositiones inveniuntur in Iure, & multæ sunt desiguratæ, quæ reverà sunt Conditionales, tametsi absolutæ videantur: sæpe enim voces *quà*, *ubi*, *quando*, & similes pro *si* ponuntur. Hinc asserimus hanc esse conditionalem, *Quando adæquatus finis legis cessat in aliquo particulari, cessat legis obligatio in illo casu particulari*, ibi enim illud *quando* idem importat ac *si*; & purificabitur illud *quando*, si detur casus, in quo finis adæquatus legis in aliquo cesset particulari. Hinc intelligitur Regula Iuris LXVIII. ex libro singulari Pauli *de dotis repetitione* sumpta, inquit enim. *In omnibus causis id observatur: Vbi persona conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat*. Est conditionata resolutio; nam illud *ubi* valet idem ac *si*.

An Innocentius X. Cardinalem Astallium privare beneficijs potuerit?

Ex hac Regula solvitur quæstio, quæ ante aliquot annos controvertebatur in Italia. *Vtràm videlicet Innocentius X. Cardinalem Astallium sine legitimo processu potuerit beneficiis, quæ octodecim millia annua superabant, exuere?* Ego hic Logicum ago, & neutrius causam propugnandam adsumo. Sed rem enarro. Innocentius adoptavit in nepotem Astallium; purpura condecoravit; & vocari jussit Cardinalem Pamphilium, & eidem tanquam nepoti contulit Sacerdotia opulenta. Posteà Adoptionem rescidit, à sua familia proscripsit, & nomine, & stemmaribus domus Pamphiliæ illum privavit.

Astallius ab Innocentio X. adoptatur Adoptio rescinditur.

Sed cur? Etiamnum latent causæ: nam in Bulla contra illum expedita, cujus copiam habeo, in verbo Summi Pontificis jurat Innocentius se habere sufficientes rationes, sed nullam exprimit. Vbi semel Astallium Innocentius à familia Pamphiliana expunxerat, aut fallor, aut discurrebat sic. *Si persona conditio locum facit beneficio, deficiente illa, etiam hoc deficit; quam ob rem, cum non detur marito, ut uxorem & filios alat, si illa sine filiis devivat, maritus, etsi sit probus, sceleris que purus, sine lite aut processu debet dotem restituere, quia deficit persona conditio (deficit uxor &c.) propter quam dos consignata est. At in Astallio persona conditio (nempe quia erat noster nepos) locum fecit beneficio (scilicet, multorum redditum collationi) & tamen in ipso Astallio hodie deficit hæc circumstantia, non purificatur hæc conditio (non enim hodie est noster nepos) ergo deficit beneficium (redditum prædictorum collatio) nam cessante fine adæquato collationis cessat ipsa collatio. Id petit æquitas & discursus ex natura rei, seu ratione deductus: quod si aliqui reperiantur Canones, qui contrarium disponant, modò nihil fecerimus contra Decalogum, Nos in illis suprema qua fungimur potestate dispensamus.* Et, ut video Innocentio X. Alexander VII. subscripsit; nam oratus, ut permitteret Cardinali Astallio Iure contra eos agere, quibus Innocentius Astallii beneficia contulerat, non permisit.

Quomodo juret Summus Pontifex.
Et cur si Astallius nullum crimen commiserat?
Quid de hac privatione senserit Alexander?
XXXVIII.
An Donationes sint conditionatæ?

Sanè omnes aut ferè Donationes videntur esse conditionatæ, pleræque enim omnes involuunt conditionem, *nisi ingratus donatarius exstiterit*. Hanc doctrinam etiam ad Deum extendit S. Bernardus, qui *serm. 1. in cap. jejun.* sic exclamat. *Gratiarum cessat discursus ubi recursus non fuerit, nec modò nil augetur ingrato, sed, & quod accepit vertitur in pernitiem*.

An etiam testamenta?

Agens de ultimis voluntatibus Paulus *lib. 1. ad Vitellium* illas vult conditione fulciri; ait enim, *Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis* (legunt alii, *omne jus*) *testamenti solvitur*, possuntque ad Donationem etiam Testamenta modo congruo reduci.

Omnis etiam Iudicis, si integer sit, voluntas est conditionata, vult enim absolvere reum, si sit innocens, & damnare si reus: unde cecinit in supplicibus Euripides.

Vincit autem minor majorem si justam causam habeat.

Cur leges institutæ sint?
Quid ab illis Genus humanum habeat?

Ideò enim institutæ sunt leges, ut minores foveantur, & coerceantur potentiores: unde Ovid. 3. Fast.

Inde datæ leges, ut fortior omnia posset,
Cœptaque sunt purè tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est,
Et cum cive pudet conseruisse manus.

XXXIX.
Categorica & Hypothetica.
Expressa & Tacita.
Identica.
Et si voces eædem in oratione sint, si tamen in diversa significatione sumantur non est Positio Identica.

Cæterùm, si res benè consideretur, Rationales, Causales, & Conditionales Propositiones ad discursum veriùs, quàm ad Iudicium pertinere videntur.

Categorica in Expressam & Tacitam subdividitur, illa verbis expressis constat: hæc autem subintelligitur. Si eadem res sub eodem conceptu sumpta sit subjectum, & prædicatum, Enunciatio vocatur Idemtica, ut *Iustitia est Iustitia*. Consultò dixi sub eodem conceptu: sæpè enim videntur Idemticæ, quæ sunt formales. In quopiam libro Cosmo Medicæo dedicato, hoc lemma legi. ΚΟΣΜΟΣ ΚΟΣΜΟΥ ΚΟΣΜΟΣ

MOΣ in quo tertiò nomen ΚΟΣΜΟΣ ponitur & semper in significatione diversa. Erat sensus *Cosmus est mundi ornatus*. Simile est illud S. Bernardi *in Cant.* ut enim probet belluarum actus omni morali bonitate seu malitia destitui, & nec præmio coronari à Deo posse, nec damnari supplicio, his verbis utitur omnium judicio eloquentissimis. *Qua ratione*, ait, *ab eis* (animantibus) *petetur ratio de ratione, quam non acceperunt*. Et tertiò adsumit vocem *Ratio*, & semper in significatione diversa: nam primo in loco illa vox *Ratio* Iustitiam sonat, secundo discussionem, & tertio liberum arbitrium: ut sensus sit, *Quo jure, qua Iustitia, fiet discussio, & respondere jubebuntur irrationales animantes de usu, aut abusu liberæ voluntatis, quam non acceperunt à Deo?*

Κόσμος tres significationes habet, etiam Ratio.

Enunciatio in affirmativam & negativam subdividitur: illa dicit rem esse, ut *Leges sunt necessariæ*, hæc rem non esse, ut *Mendacia non sunt toleranda*.

Affirmativa & negativa.

Etiam in veram & falsam dividitur. Vera enunciat rem, ut est: falsa aliter, quàm est. Vera est, *Debemus obedire Principibus*: falsa *Non debemus obedire Principibus*. * Differt à Veritate veracitas, & à Falsitate mendacium, Qui asserit, quæ sincerè putat esse vera, & si fortè sint falsa, verax est. Qui autem asserit, quæ putat esse falsa, etsi fortè sint vera, mentitur. * Aliud est propositionem esse falsam, aliud de subjecto non supponente. In falsa enim assumitur subjectum quod est, nam falsitas oritur à prædicato, quod non convenit subjecto, & tamen convenire asseritur. Falsitas reperitur in his, *Homo est lapis*; *Homo non est Animal*, in quibus esse lapidem, & non esse animal attribuitur Homini, cui non convenit. Subjectum non supponens in hac, *Canis rationalis est niger*, nam in rerum natura Canis Rationalis non datur.

Vera & falsa.

Verax & mendax.

De subjecto non supponente.

XL.

Propositionum materia vel necessaria vel repugnans vel contingens vel tandem convertibilis est?

MAteria Enunciationum est triplex Necessaria, Repugnans, Contingens. Adde & Convertibilem, quæ debet necessario cognosci. Est in Materia necessaria Enunciatio, quando prædicatum convenit necessariò subjecto, quando illi nequit nō convenire: ut *Homo est sensibilis*; tam enim necessariò homini sensibilitas convenit, ut qui sensibilis non sit, nec homo sit. Est in repugnante, quando prædicatum subjecto convenire non potest, ut *Homo est irrationalis*, repugnat enim, ut homo irrationalis sit. Est in contingenti, quando prædicatum potest convenire & non convenire subjecto, ut *Homo est albus*. Est tandem in convertibili quando prædicatum æquè patet ac subjectum, ut *Homo est rationalis, Homo est risibilis*. Huc spectat Proprietas in quarto modo, & Differentia respectu Speciei, quam constituit: dicimus enim *Omnis homo est rationalis, Ergo omne rationale est homo. Omnis homo est risibilis, Ergo omne risibile est homo.*

Materia necessaria, & impossibilis, si bene exponantur coincidunt: nam sicut est necessarium hominem esse animal, sic & impossibile est hominem non esse animal.

An ad præteritum potentia sit?

In Regula Iuris XXXI. habemus necessitatis seu impossibilitatis exemplum: ibi enim Vlpianus *libr. 42. ad Sabin.* sic inquit. *Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere* (posse infectum reddere) *quod autem* (enim) *impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum* (pactū) *efficere possit*. Et conjunge *leg. 50. de pactis*. Hæc ego verba in Theologia Fundamentali ad hunc syllogismum reduxi.

Ad impossibile nemo tenetur.

Quales sint propositiones contingentes.

Ioann. 18.

Nullo contractu obstringi possum ad impossibile:
At efficere ut actio facta, facta non sit, impossibile est.
Ergo nullo contractu ad hoc possum obstringi.

Et quidem ut est necessarium, quòd facta, fuerint; sic similiter impossibile est, quod facta non fuerint.

Ad Contingentem materiam spectant omnes propositiones veræ, in quibus ita cōvenit prædicatum subjecto, ut eidem non convenire possit; ut *Papinianus fuit Ethnicus*, si enim voluisset, potuisset ad Christianam Religionem converti.


Potestas absolvendi est cum potestate condemnandi connexa.

Ad Convertibilem autem materiam illa Pontii Pilati verba pertinent, *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* quæ ex eodem fonte, ex quo Vlpianus similia traxit, fuerunt sumpta: nam *libr. 51. ad Sabinum*, sic inquit. *Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest*. Vnde sic ego discurro. *Omnis, qui condemnare potest, absolvere potest, & condemnare potest.* Demonstratur Conversio: nulli enim Iudici indulgetur authoritas, ut reum condemnet tantùm, aut absolvat tantùm: sed, ut allegata & probata discutiat, eumque si sons fuerit, condemnet; si insons, absolvat. Ergo ex condemnandi authoritate, absolvendi potestas, & è contrà securissimè infertur.

An incommoda & commoda debeant esse connexa?

Ad eamdem materiam Convertibilem reduci possunt verba Pauli *libr. 3. ad Sabinū* dicentis, *Secundum naturam est commoda cujuscumque rei eam sequi, quam sequuntur*

incom-



incommoda, quæ sumpta esse videntur ex Terentio *in Hecyr. act. 5. scen. pen.* Unde sic licebit discurrere *Omnis qui fruitur commodis, debet subire & pati incommoda. Ergo omnis, qui subit & patitur incommoda, frui debet commodis.*

XLI.
Quid sit Enunciationũ Quantitas? Unde sumatur?

PRopositionum Quantitas à Signis seu Syncategorematibus, quæ afficiunt subjectum, desumitur. Universalis est cujus subjectum afficitur signo *Omnes*, & est vel Distributiva, vel Copulativa: in illa prædicatum convenit singulis: in hac omnibus simul sumptis. Si dubites, An propositio Universalis sit Copulativa, an Distributiva? Sic ejus qualitatem cognosces. Primò enim vide, an sit numeri singularis? &, si pluralis numeri sit, an possit sensu illæso ad numerum Singularem transire? Secundò, an possit loco Syncategorematis *Omnis* poni *Quilibet*? Si hanc propositio mutationem illæso sensu & veritate admittat, est Distributiva, si autem non admittat, est Copulativa. Exempla ex ipso initio Proemii libri Pandectarum desumo. Sic enim infit Imperator. *Omnem Reipublicæ nostræ sanctionem à nobis jam esse purgatam & compositam tam in quatuor libris Institutionum, seu Elementorum, quàm in libris quinquaginta Digestorum, seu Pandectarum, nec non in libris duodecim Imperialium Constitutionum, quis ampliùs quàm vos cognoscit?* Hinc deduco has universales Positiones. *Omnis nostra Reipublicæ sanctio à nobis est purgata & composita. Omnes Institutionum libri sunt quatuor, Omnes Digestorum libri sunt quinquaginta, Omnes Constitutionum libri sunt duodecim.* Prima est numeri singularis, & loco *Omnis sanctio* &c. illæso sensu *Qualibet sanctio* &c. possum dicere: ergo est Distributiva. At exteræ nec in numero singulari poni possunt, nec pronomen *Quilibet* illæso sensu admitti. [Sunt enim falsæ, si ponantur sic *Omnis* (*Quilibet*) *Institutionum liber est quatuor. Omnis* (*Quilibet*) *Digestorum liber est quinquaginta. Omnis* (*Quilibet*) *Constitutionum liber est duodecim.*] Non ergo sunt Distributivæ, sed Copulativæ. Omissis igitur Copulativis, de Distributivis disseramus.

Quomodo distributiva, & Copulativa distinguantur?

Quot in Iure Civili libri sint?

XLII.
De Prædicato Propositionis Universalis.

Prædicatum Distributivæ Universalis dicitur de singulis, & illa propositio *Omnis sanctio est purgata & composita*, si vel unica designari posset, quæ non esset purgata & composita, esset falsa. Audi S. Augustinum, qui *lib. 6. contra Iulian. cap. 3.* sic scribit. *Siquis diceret*, Nullum animal movere nisi mandibulam inferiorem, *invento Cocodrillo, qui movet mandibulam superiorem, superaretur. Et, siquis diceret*, Nullum animal vivere in igne, *demonstrato, quod de Salamandra perhibetur, absque ambiguitate commoveretur.* &c. Porrò, si universalis Distributiva censeatur infallibilis, vocatur *Maxima*. Ferè universalis est cujus subjectum afficitur signo *Ferè omnes*. Frequentior est, cujus subjectum afficitur signo *Plures*. Æquè frequens est cujus subjectum afficitur signo *Media pars*. Minùs frequens est cujus subjectum afficitur signo *Pauciores*. Magna (Parva, Rara) est cujus subjectum afficitur signo, *Multi* (*Pauci, Rari.*) Particularis est cujus subjectum afficitur signo *Aliquis*. Singularis est, cujus vel subjectum est singulare, vel commune affectum pronomine *Hic, Ille, Iste*. &c. Exemplis rem dilucidemus.

An de omnibus cõtentis in subjecto, nemine dempto, debeat verificari?

Omnes Propositionum quantitates recensentur, & exemplis dilucidantur.

Universalis Distributiva.	Omnis homo est vivens.
Universalis Copulativa.	Omnes Apostoli sunt duodecim.
Ferè Universalis.	Ferè omnes homines sunt pauperes.
Frequentior Communior.	Plures homines sunt ignorantes.
Æquè Frequens, Æquè Communis.	Media pars hominum vigilat.
Minùs Frequens, Minùs Communis.	Pauciores homines sunt docti.
Magna.	Multi homines sunt superbi.
Parva.	Pauci homines sunt eminentes.
Rara.	Rari homines honores contemnunt.
Particularis.	Aliquis homo Imperium regit.
Singularis.	Hic homo (Cicero) est Senator.

Communis dicitur aut activè, aut passivè.

Propositio communior, aut est Communior activè, aut passivè. Est passivè Communior, quæ à pluribus asseritur, & tunc idem est esse communiorem ac probabiliorem authenticè. Est autem activè Communior, quæ prædicatum de pluribus dicit, nimirùm cujus subjectum afficitur signo *Plures*: & hæc est quæ ad præsentem articulum pertinet. Et de æquè & minùs Communi pariformiter philosophaberis.

Quasnã Quantitates cognoscant Peripatetici, & quomodo illas exprimãt?

Omnes hæ Propositionum Quantitates Dialecticæ Morali serviunt: at ex illis Peripatetici solùm duas (Universalem, & Particularem) assumunt, quas distinguunt his literis A, E, I, O, quarum A Universalem afferentem, E, Universalem negantem, I, Particularem afferentem, O, Particularem negantem significat, ut constat ex sequenti Disticho.

Asserit

Asserit A, negat E: sunt universaliter ambo.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

XLIII. *De Propositione Specificativa, Exclusiva, Exceptiva, & Reduplicativa.*

Dividitur etiam Propositio in Specificativam, Exclusivam, Exceptivam, & Reduplicativam. *Reduplicativam* constituit reduplicatio: *Exceptivam* exceptio, *Exclusivam* exclusio; illa autem in qua nulla vocula, quæ reduplicet, excludat, aut excipiat invenitur, vocatur *Specificativa*. Addo exempla. Reduplicativa est hæc, *Homo quà animal sentit, non autem ratiocinatur*. Exceptiva hæc, *Omnia animalia excepto homine carent libero arbitrio*. Exclusiva hæc, *Solus homo est risibilis*. Specificativa autem hæc, *Homo est animal*.

XLIV. *De Categorica & Hypothetica.*

ITerum Propositio in Categoricam & Hypotheticam, hoc est, in simplicem & compositam dividitur. Categorica constat subjecto, prædicato, & copula, ut *Leo est animal*. Hypothetica duas Categoricas in unam sententiam conjungit, ut *Petrus peccat, & Paulus punitur*. Est autem Hypothetica vel Copulativa, vel Disjunctiva, vel Rationalis, vel Similitudinaria. Primam constituit particula *Et*, aut alia similis, ut *Petrus & Ioannes currunt, Ambrosius cogitat & scribit. Venit Cæsar, & Afer subjugatus fuit*; in singulis sunt binæ propositiones, tametsi in ultima luculentiùs appareant. Particula *Nec* non est Disjunctiva, nam duas negationes conjungit: quando enim dicimus, *nec Petrus, nec Ioannes consentit*; non sejungimus Petrum à Ioanne, sed copulamus veriùs: ac si diceremus, *Petrus & Ioannes non consentiunt*. Disjunctivam constituit particula *vel, seu*, &c. ut *vel Petrus, vel Ioannes currunt*. &c. Tertiam verò particula *quia, ergo, igitur*, aut alia quæcumque illativa, ut *Quia currit movetur. Currit, ergo movetur*. &c. Quartam denique particula, *sicut, ut*, &c. ut *sicut Cæsar indeptus fuit victorias, sic & tu indipisceris, si illius fueris generositatem imitatus*.

Copulativa. Disjunctiva. Rationali. Similitudinaria.

SECTIO V.

De Propositionum Conversione.

XLV. *Quid sit? Quomodo fiat? Conversionis Species. Simplex. Accidentalis. Contrapositio. Quænam conversio singulis propositionibus conveniat?*

COnversio est subjecti in prædicatum, & è contra mutatio. Si maneat eadem propositionis quantitas, conversa fuit propositio simpliciter: si transeat in particularem universalis, fuit conversa per accidens: si in conversione utrumque extremum infinitetur, conversa per contrapositionem fuit. Vniversalis negativa, & particularis affirmativa, simpliciter: utraque universalis per accidens; Vniversalis affirmativa, & utraque particularis per contrapositionem convertuntur, unde prodierunt carmina.

Simpliciter FECI convertitur EVA per acci:
ACTIO per contra sic fit conversio tota.

Exemplis hanc doctrinam illustro.

FECI	*Nullus homo est lapis.*	Ergo	Nullus lapis est homo.
	Aliquis homo est animal.	Ergo	Aliquod animal est homo.
EVA	*Nullus equus est homo.*	Ergo	Aliquis homo non est equus.
	Omnis canis est animal.	Ergo	Aliquod animal est canis.
ACTIO	*Omnis homo est vivens.*	Ergo	Omne non vivens est non homo.
	Aliquis homo est albus.	Ergo	Aliquod non album est non homo.
	Aliquis leo non est equus.	Ergo	Aliquod non equus non est non leo.
		Ergo	Aliquod non equus est non non leo.
		Ergo	Aliquod non equus est leo.

An Contrapositio à Simplici Conversione distinguatur?

Vltima propositio convertitur in hanc, *Aliquod non equus non est non leo*. Et quia negatio ex copula transire in prædicatum potest, in hanc, *Aliquod non equus est non non leo*. Et quia duæ negationes se elidunt in hanc, *Aliquod non equus est leo*. Hinc patet Contrapositionem in simplicem Conversionem redire. Nam illa, *Aliquis leo non est equus*, æquipollet huic, *Aliquis leo est non equus*. Et hæc simpliciter vertitur in hanc, *Aliquod non equus est Leo*.

SECTIO VI.

De Oppositione Simplicium.

XLVI. *Quid sit? Inter quas Propositiones reperiatur?*




Ppositio *est Affirmatio & Negatio ejusdem de eodem secundum idem*. Vt cũ dicimus *Petrus est homo*; & *Petrus non est homo*, nam *Homo*, qui in prima affirmatur de *Petro*, in secunda negatur. Quæ in subjecto vel prædicato differunt, non sunt opposita: nam hæ *Animal rationale est intellectivum*, & *Animal irrationale non est intellectivum*, non sunt opposita, quoniam subjecto differunt; sicut nec hæ, *Homo est vivens sensibile*, & *Homo non est vivens insensibile*, quia differunt prædicato.

Duæ Vniversales, ut *Omnis homo currit*, & *Nullus homo currit*, opponuntur contrariè, & ideò simul falsæ, non tamen simul veræ esse possunt. Nec contra militat Cicero *de fat.* dicens. *Contraria causa nequeunt simul vera, nec simul justa esse*, cui cõsonat Baldus *in leg. 5. de just. & jur.* nam & nos cum Aristotele & Peripateticis dicimus contrarias causas nec simul veras, nec simul falsas esse posse: at addimus simul falsas & simul injustas esse posse, quod non negavit Cicero. At militat contra Grotius *de jur. belli libr. 2. cap. 1.* his verbis. *Ex contrariis enim duobus, quorum alterum ait, quod alterum negat, necesse est alterum verum esse, & alterum falsum.* Et ego dicendo cum oscivisse Logicam, ab hac objectione me subtraho. Pergo ulteriùs. Duæ particulares opponuntur subcontrariæ, & simul veræ, non autem simul falsæ esse possunt. Vniversalis & Particularis, nec non duæ singulares opponuntur contradictoriè, & simul veræ, aut simul falsæ esse non possunt. Syncategorematibus *Vterque*, *Neuter*, *Alter*, utimur quando de duobus agimus, & opponuntur hoc modo, *Vterque*, & *Neuter* contrariè: *Alter* & *Alter non* subcontrariè. *Vterque*, & *Alter non*, atque *Neuter*, & *Alter* contradictoriè. Etiam inter Adverbia oppositio invenitur. Inter *Semper* & *Nunquam* (inter *Vbique*, & *Nusquam*) contrariat inter *Aliquando*, & *Aliquando non* (*Alicubi*, & *Alicubi non*) subcontraria: & inter *Semper* & *Aliquando* non, nec non inter *Nunquam*, & *Aliquando* (adeòque inter *Vbique* & *Alicubi* non, nec non inter *Nusquam* & *Alicubi*,) contradictoria. Figuram subsequentem considera.

Contraria, Subcontraria.

Contradictoria, Quomodo Vterque, Neuter, & Alter opponantur? Quomodo Semper, Nunquam, & Aliquando? Quomodo Vbiq; Nullibi, & Alicubi?

Omnium Oppositionum Paradigma.



Subalterna. Subalternans. Subalternata.

Subalternæ non debent oppositis adnumerari; non enim illis convenit oppositarum definitio: interim illarum cognitio est necessaria. Porrò, si veræ sunt, una infert alteram. Inferens *Subalternans* dicitur, & illata dicitur *Subalternata*. Vniversalis infert Particularem, ut

Omnis homo est albus.	*Nullus homo est albus*
Ergo aliquis homo est albus	*Ergo aliquis homo non est albus.*

Subalternæ possunt esse simul veræ, & simul falsæ: nec tamen Disparatæ sunt, nam in Disparatis nulla reperitur illatio.

XLVII. *An Subalternæ sint Disparatæ?*

Non omnis scit quid significet hæc vox *Non omnis*. De illa uberiùs noster Hercules Logicus disputat. Includit utriusque Subcontrariæ significationem; nam hæc assertio, *Non omnes homines sunt albi*, æquipollet huic. *Aliqui quidem albi sunt, & aliqui etiam non sunt albi.* Subalternat singulas particulares (nempè 2. & 4.) & contradicit

dicit singulis universalibus, sunt enim hæ.

Non omnis homo est albus. | *Non omnis homo est albus,*
Omnis homo est albus. | *Nullus homo est albus.*


Contradictoriæ subalternæ autem.

Non omnis homo est albus. | *Non omnis homo est albus.*
Ergo aliquis homo est albus. | *Ergo aliquis homo non est albus.*

Hæc doctrina dilucidat Glossam *ad leg. Inst. est D. de just. & jur.* cujus verba sunt hæc. *Non omne jus præcipit: immò quoddam punit, quoddam permittit, quoddam vetat.* &c. idem enim est dicere, *Non omne Ius præcipit*, ac dicere, *Aliquod Ius præcipit, & aliquod Ius non præcipit*, utromque enim vox *Non omne* conjungit. *An omnes leges sint præceptivæ*

Hoc sensu intelligendus venit Paulus *lib. 62. ad Edict. [ex tit. de reb. auth. Iud. possid.]* inquit enim. *Non omne quod licet, honestum est*: nam dicit Apostolus *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: hoc est, *ex licitis alia mihi expediunt & alia non*. Et in externo foro nonnulla tolerantur interdum, quæ honesta non sunt: Respublica enim minora cogitur mala permittere, ne majora admittantur. *An omnia licita sint honesta* *An mala bene permittantur*

Sicut de Syncategoremate *Non omnis*, sic de *Non-uterque*, & *Non semper*, & *Non-ubique* philosophandum est. Et, ut oppositio, quæ ex dictis sufficienter perspicitur, etiam oculis corporeis prospectetur, Figuram sequentem contemplemur.



Modi Nō omnis (cui, & similims sunt Non uterque, Non semper, & Nō ubique) cum aliis modis comparatur. 21

In inferiori cellula Modi *Non omnis (Non uterque, & Non-semper, & Non-ubique)* collocantur. Et ipsi τῷ *Omni* (τῷ *Vtrique*: τῷ *Semper*; τῷ *Vbique*) nec non τῷ *Nulli* (τῷ *Neutri*; τῷ *Nunquam*, τῷ *Nusquam*, aut *Nullibi*, contradicunt. Nec non ipsi iidem Modi *Non omnis*, &c. subalternant, & inferunt τὸν *Aliquem* (τὸν *Alterum*, τῷ *Aliquando*; τὸν *Alicubi*) *nec non* τὸν *Aliquem non* (τὸν *Alterum non*; τὸν *Aliquando non*, & τὸν *Alicubi non*.) &c. Quod posset exemplis pluribus dilucidari.

Sic de Syncategoremate *Non omnis* (& aliis, qui eum comitantur) debui disentere; sed moneo Ingeniosum Lectorem, de Syncategoremate *Non-nullus* (& cæteris, qui ei adhærent) aliter philosophandum esse. *De Syncategoremate Non-nullus.*

XLVIII. *Singularis.*

Vt nihil prorsus maneat sine aliqua dilucidatione, aliquid de singularium Propositionum oppositione subjungamus. Considera Positiones sequentes.

Hic homo est albus,
Hic homo non est albus.

Si *Hic homo* eumdem numero hominem in utraque significet, sunt Contradictoriæ, & nec esse simul veræ poterunt, nec simul falsæ. Cæterùm, si sint de diversis hominibus, & illud *Hic*, Syncategorema Demonstrativum, alium hominem designet in una, alium in altera, erunt Disparatæ, & simul esse poterunt veræ, & simul falsæ. Nam si in prima subjectum (*hic homo*) sit Ioannes Scytha, & in secunda Petrus Æthiops, erunt simul veræ: si verò contrà in prima subjectum sit Petrus Æthiops, & in secunda Ioannes Scytha, erunt simul falsæ.

Hanc doctrinam de Singularium Propositionum Oppositione firmat Regula Iuris VII. in qua ex Pomponio *lib. 3. ad Sabinum* Imperator sic ait. *Ius nostrum non patitur,* cum- *An idem Testator, & intestatus mori queat*

eumdem in Paganis, & testato, & intestato discessisse: eorumque rerum naturaliter inter se pugna est, Testatus & Intestatus.

Porrò *Intestatus* est, qui testamentum non condidit, & *Testatus*, qui condidit, & sicut hæ duæ Propositiones

Petrus condidit testamentum.

Petrus non condidit testamentum.

Sunt contradictoriæ: sic etiam hæ.

Petrus obiit testatus.

Petrus obiit intestatus.

Ostenditur pars affirmativa.

Sunt inquam contradictoriæ, si sint secundum idem: nam esse ejusdem prædicati de eodem subjecto certum est. At potest dari casus, in quo hæ duæ positiones non sint secundum idem. Illum in Theologia Fundamentali proposueram: nunc uberioris doctrinæ gratia eumdem repono. Attende.

An secundum leges, loci in quo illud conditur, an verò secundum leges loci in quo sunt bona de quibus in ipso disponitur.

Erat Vir Titius opulentus & dives, & habebat in Bohemia & Austria multa bona. Devixit Viennæ, & juxta Austriacas leges condidit testamentum, omissis solennitatibus nonnullis, quas Bohemiæ Tabulæ tanquã necessarias ad valorem requirunt. Agitur de hoc testamento utrobique (in Bohemia & Austria) & hic illud judicatur validum, ibi invalidum. Contra sententiam in Bohemia latam illi, quorum intererat, reclamabant, *Sufficere, ut testamentum fiat juxta loci leges, in quo conditur, ut ubique terrarum sit validum*: Negant autem Bohemi, voluntque ut ubique terrarum illud fiat, juxta Bohemicas leges condatur: illud ergo in Bohemia futurum est invalidum: sic enim leges Patriæ disponunt, quæ Iuri debent anteferri Cæsareo. Quid ergo post litem & contentionem molestissimam? In Austria testamentum valuit, in Bohemia non valuit. Ejus virtute hæres institutus à Titio, bona, quæ erant in Austria, accepit: & quæ in Bohemia erant, ad cognatum proximiorem ab intestato transiverunt. Hunc & alios similes nonnullos casus narrabat mihi Pragæ Amplifs. D. Kridelius S. C. M. Consiliarius.

Cur elidatur Contradictio,

Ecce Titius testatus, & intestatus obiit: neque habent naturalem inter se pugnam Testatus, Intestatusq; ut putabat Pomponius, quia non secundum eamdem rem: nam secundum bona, quæ habebat in Austria, testatus obiit Titius: & secundum alia bona (videlicet, quæ habebat in Bohemia) intestatus.

SECTIO VII.

De Æquipollentia Simplicium.

II. *Quid sit?*



Andem *Æquipollentes* sunt, quæ tametsi verbis diversis exprimantur, non differunt significatione. Æquipollentes possunt fieri, si ponamus synonyma: quales, *si nolle* idem sit ac non *velle*, istæ sunt.

Id Petrus voluit.

Id Petrus non noluit.

Exponitur Regula Iuris Civilis.

Huc in aliquorum sententia pertinet illa Iuris Regula, *Ejus est non nolle, qui potest velle*, quam ex Vlpiano *libr. 3. ad Sabinum* Iustinianus adsumpsit. Nam, ut opinatur, *Velle* & *Nolle* sunt Contradictoria, & negatione præposita redduntur æquipollentia. Vnde, si idem est *Non velle*, quod *Nolle*; idem erit *Non nolle*, quàm *Non non velle*, ac propterea idem erit, ac *velle*.

An doctrinalis sit?

Velle & Nolle opponuntur contrariè.

Non peccant, contra Canones æquipollentiæ, qui sic discurrunt; at peccant, si non contra Iuris-prudentiæ, saltem contra Prudentiæ leges, quæ non tolerant, ut idem dicatur per idem: quod fecisset hic Vlpianus, si juxta interpretationem positam debeset exponi & intelligi. Quoniam si *non nolle* est idem omninò, quod *velle*, hæc verba, *Ejus est non nolle, qui potest vello*, æquivalebunt his, *Ejus est velle, qui potest velle*, in quibus nihil doctrinale invenitur.

Sic etiam Consentire, & Nõconsentire.

Ergo, quia consentire, & dissentire sunt actus non contradictorii, sed contrarii, dicendus est Vlpianus *velle* pro *consentire* posuisse, ita ut illa Propositio *Ejus est non nolle, qui potest velle*, æquipolleat huic, *Ejus est non dissentire, qui potest consentire*, hoc est, *In quocumque contractu v. gr. utile est illum non dissensisse, qui habebat jus consentiendi.* Quia ex Reg. 43. *Qui tacet* (qui non dissentit, qui non contradicit) si cætera requisita accedant, *consentire videtur*.

In communi sententia Volitio, & Nolitio sunt actus positivi & contrariè opponuntur.

Dixi *velle* & *nolle*, non esse actus contradictorios, sed contrarios, & nunc probo clarissimè: nam in opinione communi, cui adhærebat Vlpianus, *Volitio*, & *Nolitio* in voluntate sunt duo actus positivi, non secus ac *Assensus* & *Dissensus* in intellectu. Ac

prop-

r .pptereà, ſicut iſtæ duæ Propoſitiones, *Petrus aſſentitur*, & *Petrus diſſentit*, non poſ-
ſunt eſſe ſimul veræ (nemo enim poteſt conſentire & diſſentire ſimul ;) at poſſunt eſſe ſimul falſæ (puta, ſi Petrus neutrum faciat: hoc eſt, nec conſenſum præbeat, nec diſſenſum) ſic etiam iſtæ *Ioannes voluit*,& *Ioannes noluit*, ſi agatur de eodem temporis momento,non poſſunt eſſe ſimul veræ : (nemo enim ſimul poteſt actum volitionis & nolitionis elicere) at poſſunt eſſe ſimul falſæ (puta, ſi Ioannes voluntatem ſuſpendat : & neque volitionem, neque nolitionem eliciat.) *Volitio* igitur & *Nolitio* (ſive quod idem eſt, *Velle* & *Nolle*, ſi duo actus poſitivi ſint) opponuntur contrariè. Ergo Contrariorum ritu ad æquipollentiam reducentur negatione poſtpoſita. Sequentes conſidera Propoſitiones. (Omnes ſunt de eodem inſtanti A.)

Petrus volebat legere.
Petrus nolebat legere.
Petrus volebat non legere.
Petrus nolebat non legere.

Prima, & Secunda ſunt contrariæ. Si particulam *non* poſtpono ipſi *volebat*, habeo Tertiam Propoſitionem, quæ æquipollet Secundæ. Et, ſi illam particulam *non* poſtpono ipſi *nolebat*, adquiro Quartam, quæ æquipollet Primæ.

SANE tametſi doctrina de æquipollentia latiſſimè ſe poſſit extendere, non tamen illam in tota ſua latitudine Dialectici ediſſerunt ; ſed ut ad oppoſitas poſitiones contracta. Eſt itaque æquipollentia, de qua agimus, *Unius oppoſita in alteram oppoſitam quoad ſenſum tranſitus ex ſola unius aut alterius negationis poſitione reſultans.* Quam ob rem Methodus de æquipollentia docet facere, ut una oppoſita alteri oppoſitæ, aut etiam una ſubalterna alteri ſubalternæ æquivaleat. Quod ut faciliùs conſequerentur, Peripatetici compoſuerunt hoc carmen L.

Quid ſit æquipollentia Logica?

Præ *Contradic*. Poſt *Contra*. Præ poſtque *Subalter*.

Cujus ſenſus eſt negatio præpoſita alteri contradictoriæ, hoc eſt poſita ante ſubjectũ, reddit illam æquipollentem alteri contradictoriæ. Et negatio poſtpoſita uni contrariæ hoc eſt poſita ſupra copulam reddit illam æquipollentem alteri Contrariæ. Et tandem negatio præpoſita & poſtpoſita uni Subalternæ reddit illam æquipollentem alteri Subalternæ. Negatio autem ut monebamus, præponi dicitur, cum afficit ſignum *Nullus* aut *Aliquis*: poſtponi cum afficit copulam. Sanè hæc Peripateticorum doctrina, quoties non cadit ſupra ſignum *Omnis* negatio, vera eſt. Conſidera lineas ſequentes. 22

Exemplis doctrina præcedens illuſtratur.

Contradictor.	*Nullus homo eſt animal.*	æquipoll.	*Non aliquis homo eſt animal.*
	Aliquis homo eſt animal.	æquipoll.	*Non nullus homo eſt animal.*
Contraria.	Omnis homo eſt animal.	*æquipoll.*	Nullus homo non eſt animal.
	Nullus homo eſt animal.	*æquipoll.*	Omnis homo non eſt animal.
Subalternæ.	*Aliquis homo nõ eſt animal.*	æquipoll.	*Nonnullus homo non eſt animal.*
	Nullus homo eſt animal.	æquipoll.	*Non aliquis homo nõ non eſt animal*
		Vel	*Non aliquis homo eſt animal.*

Si Syncategorema (ſignum) *Non omnis* eſſet idem, ac *Aliquis non*, Regula Peripateticorum eſſet vera : at quia *Non omnis* eſt idem, ac *Aliquis ſic*, & *aliquis non*, illa ceſpitat. Vel attende : hæ duæ propoſitiones

Quid ſignificet ſignum Non omnis.

Omnis homo currit.
Aliquis homo non currit.

ſunt Contradictoriæ. Si ſecundæ præponas *non* erit *Non aliquis homo non currit*: & æquipollebit primæ, videlicet, *Nullus homo currit*, & ſtabit Regula. Cæterùm, ſi particulam *non* præponas primæ, ut ſit, *Non omnis homo currit*, non æquivalebit ſecundæ, *Aliquis homo non currit*, ſed continebit in ſe, & ſubalternabit utramque Subcontrariam, ita ut poſſimus dicere. *Non omnis homo currit. Ergo aliquis currit, & aliquis homo non currit.*

Prætereà, hæ duæ aſſertiones

Omnis homo currit.
Aliquis homo currit.

ſunt Subalternæ. Regula ſecundam primæ, non autem ſecundæ primam reddet æquipollentem, idem erit enim dicere, *Non aliquis (nullus) homo non currit*, ac *Omnis*

homo currit: non autem erit idem dicere, *Non omnis homo currit*, ac dicere *Aliquis homo currit*: quoniam, ut sæpè monuimus, hæc *Non omnis homo currit*, est æquivalens huic, *Aliquis homo currit*, & *aliquis homo non currit*.

LI. *Aliqua Propositiones videntur opposita, qua tamen sunt æquipollentes,*

HIC etiam moneri debet Lector esse aliquas propositiones, quæ licèt videantur opposit, æ sunt tamen æquipollentes. Pono exemplum.

Non omnis homo currit.	æquipoll.	*Non omnis homo non currit.*
Turcam sedere dubium est.	*æquipoll.*	Turcam non sedere dubium est.
Persam stare incertum est.	æquipoll.	*Persam non stare incertum est.*
Rem esse probabile est,	*æquipoll.*	Rem non esse probabile est.
Rem esse verisimile est.	æquipoll.	*Rem non esse verisimile est.*

De primis, secundis, & tertiis nulla videtur difficultas: de ultimis aliquid fortè objici poterit, unde tamen, si non sint æquipollentes, saltem debeant dici reciprocæ: hoc est, ita connexæ, ut ex altera ad alteram infallibilis consequentia inferatur.

LII. *An qui condemnare, etiam possit absolvere?*

ETiam Iustinianus & Veteres Iurisconsulti utuntur Positionibus æquipollentibus, quod testimoniis pluribus suadere possem. In Vlpiani *lib. 51. ad Sabinum*, hæc leguntur. *Nemo qui condemnare potest, absolvere non potest*. Est similis huic. *Nullus homo non est rationalis*, adeòque universalis affirmativa, & æquivalet huic, *Omnis, qui condemnare potest, potest absolvere*.

LIII. *An Vlpiani Resolutio sit vera?*

SED petis, ut siquidem artificium Logicum hujus Propositionis exposui, etiam ejus qualitatem dilucidem, definiamque *An ea sit vera?*

Videretur, quòd non. Reum enim de furto v.gr. convictum, Iudex damnare potest, & tamen non potest absolvere.

An innocens damnari possit?

Videretur quòd sic. Reum enim, contra quem nihil bene probatur, potest Iudex absolvere, & tamen illum condemnare non potest; Quia in tribunali non solum in iis, quæ reis poenas præscribunt, sed in quibuscumque aliis sententiis, benignior est interpretatio facienda: ex Iuris Regula IL. in sexto.

Quo sensu illa Assertio sit vera?

Respondeo nihilominùs, Propositionem illam, de qua agitur, in sensu, in quo illam usurpat Vlpianus, veram esse, quoniam reddit hunc sensum, *Omnis, qui ex munere, aut officio suo habet autoritatem judicandi, si potest reum secundum adlegata & probata condemnare, etiam poterit, si id adlegata & probata requirant, eum absolvere*. Aequitas enim postulat, ut Princeps quando Iudici præcipit, ut reum, si fuerit convictus, condemnet, etiam præcipiat, ut reum, si non convincatur, absolvat.

Quo verò falsa?

Addo tamen eamdem Propositionem, universìm acceptam, falsam esse: nemo enim potest innocentem damnare, quia vult; nemo, quia ejus ad bonum publicum condẽnatio conducit: reum enim fuisse de crimine plenè convictum, omnis condemnatio supponit. Atverò (quidquid de Principe supremo sit, nec enim semper quidquid voluerit potest) reum convictum & confessum condemnare possunt Iudices Inferiores, & tamen eum nequeunt absolvere; sui enim muneris est sententiam, non pro arbitrio, sed secundum adlegata & probata, proferre.

An Iudex possit aliquem condemnare, quia vult?

Dixi, *Nemo potest innocentem condemnare, quia vult*. Et hinc colligo Pontium Pilatum Hierosolymis, Cæsarea autoritate abusum, in Prætorio exercuisse tyrannidẽ; nam *Ioann.* 18. verba hæc leguntur. *Ingressus est* (Pilatus) *prætorium iterum, & dixit ad Iesum. Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus. Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te: & potestatem habeo dimittere te?* Deus enim solus est vitæ & mortis Dominus: & ipse solus qui ad majorem sui gloriam, & creaturæ meritum & utilitatem potest Animam innocentem affligere: ipse, qui solus jure exclamat, *Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere*. Quam potestatem cognoverunt Gentiles: illam enim Ovidius ad Livium scribens, negat hominibus, & ad solum Deum pertinere fatetur. Canit enim.

De Pontii Pilati opinatione.

a) Et quid si illa v fit cósona, & in illo loco versus Pentameter spondeum tolleret?

Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persolüenda (a) *die*.

Vtrùm ob Reipublica bonum aliquis innocens occidi possit?

Dixi etiam, *Nemo potest ob bonum publicum innocentem damnare*: & bene; non enim sunt facienda mala, ut veniant bona. Vnde collige, malitia & odio obcœcatum fuisse Caipham, de quo apud Ioann. ibid. hæc leguntur. *Et adduxerunt eum* (Iesum) *ad*

An-

Annam primùm : erat enim focer Caipha, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem *Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit unum hominem mori pro populo.* Et hoc eum dedisse consilium cap. 11. 44. narratur : ibi enim legitur, *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant. Quid facimus quia hic homo multa signa facit? Si dimiserimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quidquam: nec cogitatis, quod expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quæ Caiphæ verba Historiographus, ut ostendat, se meritò Theologi [*] cognomento honorari, isto Theologico Commentario dilucidat. *Hoc autem* (ait) *à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Iesus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, sed ut & filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Impia Caiphæ opinatio.

*] *S. Ioannis Apocalypsis sic inscribitur.* Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, Ἰωάννου, τοῦ θεολόγου. Revelatio S. Apostoli, & Evangelistæ, Ioannis Theologi; *clarius Hispanicè*, La Revelacion del Sãto Apostol, y Evangelista, Iuan, el Theologo.

Et hic ad illa verba, *Venient Romani*, Dn. Isidorus Clarius Episcopus Fulginatensis sic scribit. [Fortassè malitiosè fingebat, futurum, ut si omnes in eum crederent, deficerent à Romanis, & hunc haberent Regem; quare venturos Romanos & ablaturos regnum & gentem.]

Illa autem, *Expedit nobis, ut unus moriatur*, &c. hoc scholio dilucidat. [Disce vel ex hoc loco, quo pacto Deus mala in bonum convertat, iisque bene utatur. Scelestus Pontifex impiè sententiam protulit, Christum esse perdendum ut turbæ illæ sedarentur. At Spiritussanctus verbis illis ad prophetiam usus est. Simul observa, quãtum Sacerdotio deferatur. Nam *prophetavit*, inquit, *cùm Pontifex esset*. &c.]

Quantum Pontificatui deferatur?

LIV. *De Negatione implicita.*

ALiquando negatio imbibitur, & latet in prædicato. Vt hoc ostendam, producam verba Vlpiani *lib. 28. ad Edictum*, dicentis. *Nemo ex his, qui negat, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat.* Sanè, quia in Iure, *non prohibetur*, 23
idem est ac *Potest*: & *Prohibetur*, idem ac *non potest*. Si rem benè perpendas, *nemo prohibetur*, est *nemo non potest*: & posteà, *nemo non potest*, æquipollet huic, *Omnis potest*.

Sicut Nemo *non* pro *Omnis* accepit Vlpianus, ut vidimus sic *Omnis non* pro *Nullus* usurpavit Pomponius, aut certè Papinianus *lib. 24. qu.* dicens, *Omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.* In quibus verbis, *Omnia non* ponitur pro *Nulla*, ut sensus sit *Nulla ex iis, quæ animi deliberatione agenda sunt, nisi adsit vera & certa cognitio, possunt perfici.* Vbi iterum *Nulla nisi* in *Omnia* poterunt per æquipollentiam transire, ut si dicas, *Omnia quæ liberè facienda sunt, ex vera & certa fiant cognitione facienda.*

N.B. *Hæ duæ Positiones* non nisi taliter sunt facienda, & Taliter sunt facienda *coincidunt nam duæ negationes se elidunt & æquivalent affirmationi.*

SECTIO VIII.

De Oppositione Modorum Realium.

LV. *Modi Reales qui sint?*

MODI Reales traduntur à Magistris in Logica, & à nobis in Hercule satis copiosè: nunc omnia breviter; ergo, qui uberiorem eorumdem dilucidationem desideret, eumdem Herculem adeat. Sanè modi, qui communiter exponi à Dialecticis solent, sunt hi.

PRIMUS. *Possibile.*
SECUNDUS. *Impossibile.*
TERTIUS. *Necessarium.*

Eorum æquipollentiam lineæ sequentes exhibebunt.

Quomodo opponantur?

Possibile est rem esse. Non impossibile est rem esse. *Non necessarium est rem non esse.*
Possibile est rem non esse. Non est impossibile rem non esse. *Necessarium est rem non esse.*
Impossibile est rem esse. Non est possibile rem esse. *Necessarium est rem non esse.*
Impossibile est rem non esse. Non est possibile rem non esse. *Necessarium est rem esse.*
Necessarium est rem esse. Impossibile est rem non esse. *Non est possibile rem non esse*
Necessarium est rem non esse. Impossibile est rem esse. *Non est possibile rem esse.*

Præter istos tres modos reperitur ille, qui vocatur *Contingens*, in cujus collocatione Dialectici universi erraverunt. Volebant *Contingens*, & *Possibile non*, esse Modos æquipollentes: adeoque jubebant, ut *Contingens* subalternaretur *Impossibili* & *Necessario* contradiceret.


Errare Dialecticos cognoverunt nonnulli: & non sciverunt eorum errorem, aut hallucinationem corrigere. P. Philippus d'Vtrieu voluit videri cæteris oculatior, &

Con-

Contingentia Modum à sua sede antiqua elocavit & transtulit ad alterum latus; ita ut *Contingens est esse*, & *Possibile est esse*, Propositiones essent æquipollentes; & à Propositione *Necessarium est esse*, subalternarentur; Propositionique *Impossibile est esse* contradicerent.

At ista correctio indiget altera correctione: quoniam *Contingens*, subalternat *Possibile sic*, & *Possibile non*; adeoque *Necessario*, & *Impossibili* contradicit.

Sequens ergo Paradigma accuratè prospecta.



Vt hos modos intelligas, scire oportet hos ipsos modos realiter & moraliter, seu simpliciter, & secundum quid, ut alii loquuntur, usurpari. In gratiam igitur Lectorum singulos explicemus.

Necessarium.

EXponunt curiosè & eruditè hunc modum universi Dialectici in Proœmialibus Logicæ, quærentes, *An Logica sit necessaria?* & quia accipitur multifariam necessitas, non semper eodem modo Controversiam decidunt: At nos impræsenti rùm generaliùs debemus necessitatis ideam & conceptum respicere, ejusq; species, seu differentias explicare.

Varia sunt necessitatis differentia.

Sanè Necessarius absolutè loquendo, & ab omni præscindendo suppositione, est solus Deus: cujus essentia est esse (cujus *fare* est *fere*; & cujus quiditas est existere) qui à nulla re, creata aut increata dependet. At præscindendo à Deo, de quo non disseritur impræsentiarùm, alia absolutè, & alia sunt relativè & respectivè necessaria, Necessariæ absolutè sunt essentiæ, nã nemo potest facere, ut Homo sit animal irrationale; aut ut Triãgulus cõstet quatuor lineis, &c. Necessaria relativè, illa sunt, quæ ad aliquid ordinantur; ut Logica ad alias scientias capessendas, & hoc ipsum necessarium subdividitur in simpliciter, & ad melius: quoniam ne mutemus exempla, ad alias scientias perfectè adquirendas Artificialem Logicam simpliciter esse necessariã tenet communis Scholasticorum opinio, contra Iavellum *in Log. tr. 1. cap* 4. qui fatetur illam quidem valde utilem, non autem esse necessariam simpliciter. Sed in re clara non putat Lalemandetius esse posse sententiarum divortis, & ideò *in Logic. disp. 3. p. 1. colum.* 48. sic inquit. [Quamvis referatur diversitas Opinionum, attamen in idem recidunt, quod apertè sic ostendimus. Citant Iandunum 2. *Metaph. qu.* 12. Fonsecam 2. *Metaph. in cap. 3. qu. 4. sect.* 2. Iavellum *tr. 1. Logic. cap.* 4. quòd scilicet teneant Logicam non esse necessarism simpliciter, sed tantùm utilem; at certè prædicti nihil aliud dicunt, quàm quod dicit Toletus, Ruvius, Masius, Conimbricenses, Sanchez, Vallius, qui pro communi opinione loquuntur. &c.]

Necessarium absolutum, & relativum.

An dissentiant Autores?

LVII.

An & quo modo leges necessaria confenda sint?

De Latinis.

An ante Saturni adventũ gubernati sint legibus?

Ergo ex hac doctrina optimè intelligi poterit illa Propositio, *Necessarium est Civitatem legibus gubernari*. Necessarium sanè: non enim realiter loquendo implicat multos simul convivere, & tamen legibus non gubernari: & tales fuisse Latinos ante Saturni adventum constat ex Æn. VIII. Virg. Ibi enim legitur.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis

Com-

Composuit, legesque dedit; Latium-*que vocari*
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Dispersi ergo, & sine legibus, sub illud tempus, homines in Italia vivebant (sed tamen vivebant) componi igitur, hoc est, simul poni, & in civitate convivere, non est absolutè ad vitæ conservationem necessarium.

N. 8. Nomen *Exlex* carere obliquis casibus, volunt Critici; sed id se bene velle nó probant.

Leges datas à Saturno lego: at illas fuisse à Latinis acceptatas non lego: immò, si fortè priùs fuerunt acceptatæ, antiquatas neglectasque postmodum easdem fuisse video, quia quando ad illos Æneas appulit, erant exleges; quoniam apud Virgilium *lib.* 7. hisce Trojanos verbis Rex Latinus alloquitur.

An carnerint Latini legibus quando venit Æneas?

Ne fugite hospitium: ne-ve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam,
Sponte sua, veterisque Dei se more tenentem.

Et esse etiamnum in Asia exleges hominum conglomerationes recenset Petrus de la Valle. Et reperiri etiam exleges in America populos narrant nonnulli Authores, qui non sine festiva gratia dicunt, illos in suo idiomate carere his literis, F, L, R. quia *Fidei, Legis, & Regis* observantiam ignorant. At isti vivunt tanquam barbari; nec apud illos est Iustitia. Ergo in Communitate, in qua diversæ sunt hominum inclinationes, & singuli, nisi jure prohibeantur, propriis obediunt & obtemperant, ut justè vivatur, ut unusquisque nec injuriam recipiat, nec aliis inferat, simpliciter necessariæ sunt leges. [Quoniam pronunciatio est varia: in aliquibus Provinciis aliquæ ex his literis proferri solent, & aliæ omitti.]

De populis Asiaticis, & Americanis.

Cur, & quibus literis careant habitatores Occidentalis Indiæ?

Pulchra sunt D. Bernardi verba, quæ *in libello de præcep. cap. 1. num. 2.* leguntur. *Itaque, ut sentio ego, Regula Sancti Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli; prodest, si devotè suscipitur & tenetur: non tamen si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, siquis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse convertit; nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate jam tenebit: quia omninò necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari jam aut justificari. Cæterùm fœlix (ut quidam Sanctorum [*] ait) necessitas, quæ cogit in melius.*

De Regula S. Benedicti. An, quibus, & quomodo sit necessaria? 21

An liberè fiat necessaria?

S. Augustinus serm. 2. Epist. 45. ad Armentarium.

Et paulò pòst agens de Canonibus & Decretis Pontificum, quibus Christiani obedire tenemur; ut sciamus à quibus & qua ex causa fuerint instituta; & à quibus & qua ex causa relaxationi, aut dispensationi subjaceant, sic scribit. *Porrò inventa atq; instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quod ita magis expediret, nec planè ad aliud quàm ad lucrum & custodiam Charitatis. Quamdiu ergo Charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt.* [a] *At, si è contrario contraria fortè aliquando Charitati visa fuerint, his dumtaxat quibus hoc posse videre datum, & providere creditum est: nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro Charitate inventa fuerunt, pro Charitate quoque ubi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum procul dubio foret, si statuta pro sola Charitate, contra Charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem etiam apud Prælatos quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus Charitati deserviunt.* Numquid autem hoc ego vel solus sentio, vel primus dico? *Annon hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem? Vbi necessitas non est, inconvertibilia maneant Patrum Sanctorum decreta. Leo quoque Papa. Vbi, inquit, necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum instituta violentur. Et infert. Vbi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.*

Cur Pontificii Canones sint ab Ecclesia lati?

An sint necessarii simpliciter?

An mutari & relaxari possint?

a] Sentit ergo S. Bernardus leges, nec sine causa posse ferri, easque, quæ ex causa justa latæ sunt, sine causa non posse relaxari. *Ergo donec justa causa dispensandi succurrat, debent leges necessariò manere.*

LVIII.

Et, quia Iuristis potiùs, quàm aliis, præcipuè noster labor insudat, claudamus hunc paragraphum verba Ioannis Cahlini (non Calvini (*) ut ab aliquibus vocatur) proponendo, sic enim in suo Lexico scribit. [*Necesse*, & *Necessum* à Cesso deductum est, quia non sit in eo cessandum, inquit Donatus *in Terent.* Id ergo est, quod vi aliqua cogente fieri opus est. Necessitas, ipsa vis, quæ nós cogit, ut aliquid faciamus: Poëtæ necessitatem Deam faciunt, Philosophi *Fatum* appellant. Adi Chiliad. Erasm. Porrò *Necessitas non habet legem*, juxta *gloss. in l. de off. conf.* l. 2. §. *inde juncta gloss. in verb. communia, ad leg. Rhod. de iact.* Nec Rom. Pont. vult ligari necessitatem & pietatem, *cap. 2.* & *ult. de fer.* Quia in re Iudæi, cùm planè cœci essent, à Christo apud Lucam reprehenduntur: Vide Bar. *in l. 1. C. de oper. serv.* & Bald. de inevitabili necessitate: vide *in cap. suscitatas de rescript.* Est autem duplex necessitas:

*] Germanice vocatur Calb: Ergo est *Cahlinus*, aut *Calinus*, non *Calvinus*.

Vnde Necesse, & Necessum dicatur?

An Necessitas sit Dea?

An sit idem ac Fatum?

De absoluta & primogenia: nec non de respectiva Necessitate. Necessarii consanguinei dicuntur. *An* Necessitudo & Necessitas *differant inter se?*

sitas: quædam dicitur absoluta, quam *primogeniam* Zasius vocat. De hac intelligi debet *l. sicut*, C. *de actio*. qua nemo astringitur ad mutuandum. Alia respectiva, vel consecutiva vocatur, qua pacta liberè inita complere astringimur. Necessitas item conjunctionem sanguinis, vel amoris, h. c. affinitatem, vel strictam amicitiam significat. Sic necessarii pro consanguineis. Inst. ti. eo. Adde, si vis, & Festum, & Gellium, qui libr. 12. deridet Grammaticos, qui necessitudinem & necessitatem inter se differre putant. Spieg.]

Impossibile.

LIX.
Quotuplex Impossibilitas sit?

NEcessariò opponitur Impossibile: & etiam multis modis accipitur & usurpatur. At tres sunt præcipui qui à Iuris Professoribus considerantur. Vnde in Lexico suo scribit Ioannes Cahlinus. [Impossibilis conditio tribus modis potest dici: primò natura, ut si cœlum digito tetigeris, §. *si impossibilis, inst. de injur. stipul.* item de jure, ut si patrem ab hostibus non redemeris, vel parentem non alueris: quia ea quæ sunt contra bonos mores, nec facere nos posse jus præsumit. *l. filiff. de condit. inst.* item de facto, ut si montem aureum dederis *gloss. in* §. *impossibilis inst. de hered. inst.* Est & quædam quarta impossibilitas propter perplexitatem, ut *in l. si Titius*, & ibi Bart. *in summario*, ff. *de condit. inst.* Io: Bello. *Etym.*] Interim, quia Augustinus scribit, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*, & hæc ipsa verba Sancta Synodus Tridentina ad Fidem pertinere definiit, & quia multis ante Synodum Tridentinam annis. Et Bonifacius VIII. consonans Augustino hanc Pontificiam Regulam num. 6. præscripsit, *Nemo potest ad impossibile obligari*; posset videri omnem Impossibilitatem ab actibus humanis excludi: adeoque non esse, cur multa de Impossibilitate diceremus? Cæterùm quia S. Benedictus, Pater noster, in *Regula cap.* 68. habet in titulo, *Si Fratri impossibilia injungantur*. Et in fine, *Si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat Iunior ita sibi expedire, & ex Charitate, confidens de adjutorio Dei, obediat.* Posset videri ex alio capite, multa de Impossibilitate dici à nobis debere: quoniam, si D. Benedicto asserente Monachis impossibilia injungi possunt; & Antistiti impossibilia præcipienti, Monachi obedire tenentur, dantur Impossibilia, quæ fieri possunt, & non debent Impossibilia dici, quæ fieri non possunt.

Tum hatio etiā, & inadvertentia actum impossibilē reddit.

An Deus, aut homines jubere possint impossibilia? Trident. sess. 6. cap. 11.

Anne Benedictini Abbates suis possint Monachis impossibilia præcipere?

Hac occasione scripsi incidentem Quæstionem, quæ interrogat, *An Patres Benedictini obedire Prelato debeant, quando præcipit impossibilia?* Et habetur in nostra Theologia Fundamentali post Fund. XL. § XII. in qua multa, quæ Impossibilitatis conceptum exponunt, reperiuntur: & quia huc omnia conferunt, saltem Epigraphas Articulorum, ut habeatur aliqualis notitia, subscribemus. Signis autem scire plura desideret, in prædicto libro omnia uberiùs explicata poterit reperire.

Varia Impossibilitatum genera proponuntur.

Artic. I. *De his, quibus impossibilia respectivè & finaliter, id est, inutilia, injunguntur.* Nota illud *respectivè*, quia quæ sunt possibilia Petro, esse possunt impossibilia Paulo, puta, si utrique præcipiatur ut legat, & tamen Petrus habeat oculos, & eis careat Paulus. Nota illud *finaliter, & inutiliter*; nam, si, ut incendantur ligna, nivem jubeat adhiberi superior, inutilia præcipiet, & finem impossibilem; videlicet, per illud mediū. Consono communi Scriptorum Sententiæ, inter quos P. Ægidius Coninck *de Sacram. disp.* 23. *dub.* 5. *num.* 3. *pag.* 827. *a.* sic inquit. [Nota ex dictis *disp.* 7. *num.* 36. Legislatores humanos non habere potestatem ferendi leges, aut in eis dispensandi, nisi quatenus de hoc utile est Communitati, &c.] Et Suario *libr.* 6. *de legib. cap.* 19. *num.* 6. subscribit.

De Impossibilitate respectiva & finali.

An inutilia possint præcipi?

Articulus II. *De his, quibus politicè seu moraliter impossibilia, hoc est, difficillima injuncta.* In Ioannis Cahlini Iuridico Lexico hæc lego. [Impossibile & Difficile prope modum non distant. Vlpianus ff. *familiæ ercisc. Si familiæ erciscundæ*, inquit, *vel communi dividendo judicium agatur, & divisio tam difficilis sit, ut pene impossibilis habeatur.* Old.] Nota illud *pene*: quæ enim moraliter sunt impossibilia, realiter loquendo, non absolutè, sed pene impossibilia sunt. Consonat Reverendiss. P. M. Raymundus Nidus in doctissimo suo Syntagmate de Regulis Iuris, in Expositione Sextæ. Ibi enim ait. [Impossibile dicitur, quod aut nullo modo, aut certè, nonnisi cum maxima difficultate fieri potest virtute naturali, & ordinaria; Deo enim nihil est impossibile (*) quia est Omnipotens, eò quòd omnia potest, quæ facere vult, aut velle potest, Augustinus *libr.* 21. *de Civit. Dei. cap.* 7. &c.]

De Morali & Politica.

*) Deus omnia potest: & in ipso etiam Nos omnia possumus. D. Thomas *quæst.* 109. *art.* 4. *ad* 2. sic inquit. *Illud, quod possumus cum auxilio Divino, nō est nobis omninò impossibile, secundū illud Philosoph.* in 3. Ethic. cap. 2. *Quod per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.*

Si dicas, me malè hic Impossibilitatem cum Difficultate confundere, eas enim præter alios distinguit & secernit Ambrosius, qui *in Comment. ad cap.* 6. *Epistolæ ad Hebraeos,*

braes, sic scribit. *Impossibile in desperationem eos misit iterum baptizari non posse: quia impossibile est, quod fieri non potest; difficile verè, quod quamvis cum labore, fieri tamen potest*. Quo sensu, etiam voces usurpat Emanuel Gonzalez *ex leg. continuus.* §. *illud.* & §. *cùm quis*. *ff. de verb. obligat.*

LX.

Quæ moraliter impossibilia dicuntur, sunt realiter possibilia.

De gravissima difficultate.

Respondebo S. Ambrosium, & cum eo Emanuelem Gonzalez agere de impossibilitate reali, quam differre à Difficultate certum est. Et addam, non expedire ut summè difficilia præcipiantur, & ideò hæc censeri moraliter & civiliter impossibilia. Et hæc profectò Impossibilitas reduci ad Respectivam potest; quia considerata hominum ignavia, omnia, quæ summè difficilia sunt, censentur humaniùs impossibilia. Et ideò inter Legum qualitates ponuntur, quòd claræ esse debeant, & faciles.

De impossibilitate quoad gradum.

An præcepta Dei sint impossibilia?

Hæreticorum Argumentum.

Articulus III. *De eo, cui respectivè impossibilia injuncta: hoc est, possibilia quidem, sed in gradu impossibili*. Et, quia in eo contra nostri ævi Novatores, multa edissero de asserta ab ipsis impossibilitate Decalogi, hic monere vel uno verbo volo, illos manifesta æquivocatione laborare. Eorum enim Fundamentale Argumentum est hoc.

Præcipitur nobis ut in hac vita amemus Deum.

At cum, dum vivimus, imperfectè amamus.

Præcepto ergo imperfectè obedimus.

Ejusdem satisfactio & responsio.

Et huic Ego argumento summa brevitate respondeo. *Præcipitur nobis, ut Deum in hac vita amemus*. Distinguo Majorem. *Ut illum perfectissimè & intensissimè amemus*, nego Majorem; *ut illum amemus secundum mensuram gratiæ, quæ nobis est concessa divinitùs*, concedo Majorem. *At cum, dum vivimus*. &c. concedo Minorem. *Præcepto ergo*. &c. nego Consequentiam.

Et est sanè hæc Responsio exactissima, & desiderarem, ut meus Lector dignaretur attentè legere Quæstionis Procœmialis (quæ in ipso initio nostræ Dialexeos de Non-Certitudine, exhibetur.)

An possit quis rem præceptam valde imperfectè facere, & tamen perfectè obedire?

25

De eo qui malè pronunciat:

aut malè scribit.

Articulus IV. cui titulus, *Potest & solet subditus præceptam rem imperfectè facere, & tamen Præcepto perfectè satisfacere*. Hoc enim demonstratur clarissimè: nam Beneficiato balbutienti, ut legat Officium Divinum præcipitur, si ipse, prout potest, recitat, malè legit, malè dictiones profert, & tamen perfectissimè obedit. Confirmatur, nam si nesciat Petrus pulchros characteres scribere (Hispanicè. *si hiziere mala letra*) & tamen jubeat ei Superior, ut talem Bullam Pontificiam exscribat, si debitam ille diligentiam adhibeat, & scribat prout sciet, scribet quidem malè, sed bene obediet.

De Judice contra jura jubente.

Articulus V. *De his, quibus rebus attentata, quæ validè præcipi non possunt, injuncta*. De illis Regula XXVI. sic statuit Bonifacius VIII. *Illa, quæ fiunt (disponuntur, aut jubentur) à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*.

De præceptis & legibus periculosis.

Articulus VI. *De his, quibus præcipiuntur impossibilia; quæ sine certissimo vitæ periculo tentari non possunt*. Et hic, sicut in omnibus Quæstionibus, in quibus agitur de periculo, notari debet *certissimum mortis periculum*, & *periculum mortis certissima*, multum differre inter se.

De peccaminosis, & scandalosis.

Articulus VII. *De his, quibus injunguntur probabiliter mala; hoc est impossibilia, quæ sine probabili peccato fieri non possunt*. Totus iste Articulus (qui anno 1640. conceptus fuit & dictatus Lovanii: & post Fund. XL. in Theologia Fundamentali anno 1652. editus) innititur doctrinæ communi, quæ peccata probabilia, aut etiam materialia admittit: at Nos re meliùs perpensa & examinata anno 1670. Dialexim de Non-Certitudine scripsimus (*) & in ipsa non pauca præter Opiniones communes, in ipsius secunda parte pag. 235.a. num. 679. prostat Articulus XIV. sub hoc titulo. *Demonstrantur illa decem Asserta, quæ sub Libri initium proponebantur*. Et ibi est Assertum VIII. *Repugnat conceptus peccati probabilis*. Et repugnat certissimè. Quoniam, si ad peccatum requiritur, rem esse certò interdictam. Ubi Titius facit rem certo interdictam, illum peccare, certum est: ubi autem facit rem, quæ non est certò interdicta, eumdem non peccare certum est.

*] Anno illo 1672. jam habebat Censuras & Licentias Romanas, licèt in typo moras traxerit, & anno 1674. prodierit.

An ista Propositio Dantur peccata probabilia sit falsificari?

Ex alio etiam latere possunt peccata probabilia negari. Nam, si peccata probabilia darentur, peccata probabilia non darentur. Quia tunc peccaret certissimè, qui illud faceret, quod probabiliter formale esset peccatum: propter quod esset Dei gratiam probabiliter perditurus; & probabiliter in æternum damnandus. Ergo in casu, id quod probabiliter peccatum esset, certissimè peccatum esset. At ubi datur Certitudo, locum habere non potest Probabilitas. Ergo, si darentur probabilia peccata, nō darentur probabilia peccata.

An mala confessa sint impossibilia?

Articulus VIII. *De his, quibus evidenter mala* (certò à Deo interdicta) *hoc est, Theologicè impossibilia; quæ sine certissimo peccato committi non possunt, præcepta*. Et hāc inter alias Impossibilitates admittit Gothefredus, *ad leg. 3.* t. ff. *de obl. act.* asserit enim

N. B. Dixi sæpe omnes opiniones strictas esse laxas, & omnes severas benignas. Et hoc posterius hic demonstro clarissimè, Hoc enim LXVIII. Regulæ Caput, quod siquidem concedit Abbati, ut impossibilia præcipiat, severissimum est, concedit subdito, ut se excusare possit, & donec Superior iterum excusatione non obstante fieri rem injunctam præcipiat, non teneatur eam facere. Ergo benignissimum est.

esse tres, unam realem, contra rerum naturā: alteram moralem, contra bonos mores (& hæc est, de qua in hoc Articulo in specie differitur) & tertiam politicam, natam ex summa rei difficultate. Et hæc est, quæ Artic. II. edisserebatur; & *ex leg. 16. de cond. inst. vel fact.* quod est admodum difficile, *leg. 4. S. 1. de statu lib.* Et communiter Iuris-prudentes, quæ contra Deum & bonos mores militant, respectu hominis probi vocant *Impossibilia*: & probant *ex leg. fil. ff. de const. inst.*

Articulus IX. *An* (in Sancti P.N. Benedicti Religione) *omnibus etiam, & singulis; an solùm uni, vel alteri, impossibilia injungi possint?*

Articulus X. *An* (Benedictinis Religiosis) *impossibilia injungi debeant?*

Articulus XI. *An* (iisdem; siquidem prudentissimi & doctissimi Viri apud ipsos adsumuntur ad regimen) *impossibilia injungi soleant?*

Volui omnium Articulorum, quæ in illa Quæstione proponuntur, titulos exhibere, ut sibi persuaderi patiatur Lector Eruditus & Candidus, in ea quidquid in hac materia scitu dignum judicatur, accuratè & diffusè expediri.

Possibile non.

LXI. a) Repugnare materialium, quæ vocant, peccatorum conceptum, *in Dialex. de Non Certitudine part. 2. art. 14. Assert. 9. pag. 241. a.*

SVbalternatur Impossibili; & ab illo per necessariam consequentiam infertur. Quoniam hæ sunt bonæ Illationes,


Impossibile est hominem esse lapidem.
Ergo possibile est hominem non esse lapidem.
Impossibile est mulierem ad Ordines promoveri.
Ergo possibile est mulierem ad Ordines non promoveri,
Impossibile est dari peccatum materiale (a)
Ergo possibile est, non dari peccatum materiale.

Contingens.

LXII. *Communis error Dialecticorum. Pater d'Vlrrieu laudatur. Errat in erroris correctione adhibenda. Vera Conclusio. Modus Contingens cum cæteris omnibus componitur, & comparatur.*

PErsuasum fuit ab initio Dialecticis, & multi etiamnum in hac opinione permanent, *Contingens* esse idem, ac *Possibile non*. Primus, quem sciam, qui hunc errorem percepit, fuit P. Philippus d'Vlrrieu, S. I. Philosophiæ Professor Duaci; optimi ingenii vir; & tamen, quia altero præpediebatur præjudicio, existimans in Oppositionum Paradigmate Propositionum cellulas quatuor esse debere; dum conatur adhibere remedium, adposuit medicinam, quæ altera medicina necessariò indiguerit. Iussit enim, ut *Contingens* idem esset ac *Possibile sit*. Et in hanc potuit allucinationem induci à Ioanne Cablino, qui in Iuridico Lexico scribit (*Contingere*, notissima significatione significat *accidere*. Sic *Contingere damna*. *Contingere incendium, culpa, dolo.* &c. Briss. ex D.) Sed tamen, ut noster Hercules Logicus Labore III. evidenter ostendit *Contingens* simul in suo conceptu includat esse posse, & non esse; adeoque *Necessariò*, & *Impossibili* contradictoriè opponatur, & subalternet, & per necessariam consequentiam inferat *Possibile sit*, & *Possibile non*. Ergo, sicut in Schemate, quo simplicium Propositionum Oppositionem repræsentavimus, quintam adhibuimus cellulam, in quam Syncategorema *Non-omnis* poneretur; sic etiam hic quintam debuimus addere, ut Modum Contingens exponeremus. Considera sequentes Lineas.

Hoc Paradigma accuratè prospecta.



SEC-

SECTIO IX.

De Æquipollentia Modalium.


TSI sub hujus Sectionis initium insinuaverim, quænam & quibus Propositionibus Modalibus æquivalerent, impræsentiarùm volui doctrinam hanc ad Canones & Regulas reducere, & omnia, quæ in nostri Herculis Logici uberiùs pertractantur, qua liceat brevitate, perstringere. LXIII.

Literæ technicæ, quibus utor sunt hæ.

E *dictum negat*: I *qua modum*: *nihil* A, *sed* O *totum*.

Vt harum literarum praxim cognoscas, addo quatuor dictiones,


Torquebat Satyros, Rectoris Lysander,

quas reducit ad metrum hæc digestio,

Torquebat Satyros Rectoris ab arce *Lysander*

& ad artificium Dialecticum delineatio, quæ sequitur,

In his dictionibus I & Y idem valent.



Dictionũ technicarum Digestio.

Ergo supponendo Propositionem, quæ modificari debet, esse hanc, *Homo est albus*, quia ordo Modorum est, *Possibile*, *Impossibile*, & *Necessarium*: vox *Torquebat* jubebit, ut in primo negetur modus: in secundo dictum; & neutrum in tertio. Propositiones ergo inter se æquipollentes, quæ ad Cellam *Torquebat* pertinent, sunt istæ.

Non est possibile hominem non esse album.
Impossibile est hominem non esse album.
Necessarium est hominem esse album.

Istæ Propositiones sunt æquipollentes, & similes Vniversali affirmativæ.

In cella *Satyros* collocabuntur Propositiones æquipollentes, in quarum prima nihil, in secunda Modus & totum in tertia negetur ut conspicis,

Possibile est hominem esse album.
Non est impossibile hominem esse album.
Non est necessarium hominem non esse album.

Et hæ sunt similes Particulari affirmativa.

Dictioni *Satyros* contradictoriè opponitur dictio *Lysander*, in cujus cellula sunt similiter tres Propositiones æquipollentes, in quarum prima Modus: nihil in secunda, sed Dictum in tertia negatur. Ipsæ sunt.

Non est possibile hominem esse album.
Impossibile est hominem esse album.
Necessarium est hominem non esse album.

Et hæ sunt similes Vniversali negativa.


Et tandem in cellula, quæ voci *Rectoris* correspondet, & contradicit voci *Torquebat*, & subalternatur cellæ & voci *Lysander*, in prima Propositione negatur Dictum, in secunda Totum & in tertia Modus, ut conspicis.

Possibile est hominem non esse album.
Non impossibile est hominem esse album,
Non est necessarium hominem esse album.

Et ista denique Particulari negativa.

Quæ omnia simul prostant in exemplo sequenti.

In omnibus cellulis, in primo loco *Possibile*, in secundo *Impossibile*, & *Necessarium* in tertio collocatur.



Sed de hoc uberiùs in Reali nostra Prologica, & in Herculis Logici labore tertio disputatur.

SECTIO X.

Doctrina de Modalibus ad summam reducitur facilitatem.

LXIV. *Quàm sit hæc doctrina difficilis?*

TAM obscuram difficilemque Antiqui, hanc Quæstionem *de Propositionibus Modalibus* esse censuerunt, ut illam *Pontem Asinorum* vocaverint. Voluerunt enim hoc importuno insinuare cognomine illam difficillimam esse, cum contrarium vocabulum ipsum, si benè exponatur, significet; esse enim debet expeditus & pervius ille Pons, per quem asini transeunt; & hanc ob rem *lutum* (Hispan. *un lodo, barranco, cenagal* .&c.) deberet dici, in quo cespitant, & cadunt asini. Difficultates graves, non invenerunt, sed in hanc materiam invexerunt Dialectici; & nos omnia reponimus expeditiùs, & clariùs. Quoniam verba *Possum*, & *Debeo*, quæ sunt nota universis adsumimus; & per illos clarè exponimus omnia, quæ per modos *Necessitatis*, *Impossibilitatis*, & *Contingentia* obscurissimè à Veteribus significabantur. Sequentes considera Propositiones.

Cur Pons Asinorū vocetur?

Hæc, *Necessarium est Tullium fore Consulem*: æquipollet huic, *Tullius non poterit non esse Consul*: & huic, *Tullius debebit esse Consul*.

An hæc materia ex natura sua sit difficilis an verò sit facilis, & à Dialecticis sit difficilis reddita?

Hæc, *Impossibile est Tullium fore Consulem*, æquivalet huic, *Tullius debebit non esse Consul*.

Hæc, *Possibile est Tullium fore Consulem*, significat idem, ac hæc, *Tullius poterit esse Consul*, ac propterea idem erit ac hæc, *Tullius non debebit non esse Consul*.

Hæc, *Possibile est Tullium non fore Consulem*, est eadem, ac hæc, *Tullius poterit non esse Consul*. Vnde & eadem erit ac hæc, *Tullius non debebis esse Consul*.

Et tandem hæc, *Contingens est Tullium fore Consulem*, exponetur per hanc *Tullius poterit esse, & non esse Consul*, aut si velis per hanc, *Tullius, nec debebit esse Consul, nec debebit non esse*.

Hæ autem, in quibus per verbum *Possum*, aut *Debeo* prædicatur, more & ritu simplicium opponuntur.



Non



Stat ergo ab Antiquis per obscuras & difficiles Regulas fuisse plurima tradita, quæ jam rebus meliùs discussis, per claras & faciles impræsentiarum expedimus. *Modi Debet & Potest componuntur, & ad æquipollentiam reducuntur.*

SECTIO XI.

Modi Iuridici proponuntur & dilucidantur.

LXV. *Enumerantur alii modi, qui inveniuntur in Iure.*

PRæter hos Modos, quos debui necessariò edisserere, passim alios ignotos Peripatui in Iure Civili reperies, de quibus aliquid dicturus sum: sunt enim communiores, *De Iure est, Naturale est, Verum est, secundum sinceritatem, & bonam fidem est. Æquum est, ab Imperatore constitutum est. A Iurisconsulto responsum est.* &c. Et ut altiùs intelligantur, aliquos locos proponamus.

An aliquis testatus & intestatus possit mori?

Pomponius *lib.3.ad Sabinum* utitur hac modali. *Ius nostrum non patitur, eumdem in Paganis & testato & intestato discedere.* Simplex erat positio, *Nemo simul testatus, & intestatus moritur.* Modus autem est, *Secundum Ius Romanum*, qui modus non excludit esse in mundo alia Iura, secundum quæ aliquis partim testatus, & partim intestatus devivat. Vide, quæ de hoc argumento uberiùs, cum de Contradictoriis agebam, disputavi.

De his, qui conveniuntur ex liberalitate.

Paulus *lib.3.ad Sabinum* ponit hanc. *Secundum naturam est, commoda cujuscumque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* Vnde propositio simplex per illa verba *secundum naturam est*, modificatur. Idem autem est dicere *secundum naturam est*, ac *necessarium est.*

Imperator quousque vixerit non debet Divus appellari.

Vlpianus *lib.3.ad Sabinum* sic ait, *Divus Pius rescripsit. Eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt* (nempe, *commodè*) *condemnandos.* [Nomen *Divus* non nisi Imperatori mortuo attribuitur: unde hodie ignorare historias veterum dicendi sunt, qui Imperatorem regnantem *Divum* nominant, quod eruditè ostendit Lipsius.] Et hic Assertio simplex Præcepto Cæsareo modificatur, qui modus generalis est, & Leges universas pervadit; omnes enim præceptæ sunt.

Quid factum, & infectum fieri nequit.

Idem *lib.42.ad eumd.* hæc habet. *Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere* (hoc est, *factum infectum posse reddere: quia ad præteritum nulla est potentia*) Modus, *Verum est* addit claritatem, nam hæc propositio verbi gratia, *Deus est trinus*, est obscura: hæc autem, *Deum esse trinum est verum, est certum, est credendum*, est clara: nam illius demonstratur credenditas.

Inter est & non est, non semper conditio invenitur. Systematis Iuridici Prædicamenta.

Idem *lib.43.ad eumd. Sabinum* sic infit. *Quod autem ad Ius Civile, servi pro nullis habentur: non tamen Iure naturali.* Ecce hic duæ intelliguntur Propositiones. *Servi sunt nulli, servi non sunt nulli*, vel aliter *Servi non sunt personæ, servi sunt personæ*; modi sunt *civiliter* & *naturaliter*: quam ob rem hæ duæ propositiones *servi sunt personæ*, & *servi non sunt personæ*, tametsi videantur esse oppositæ (aut etiam contradictoriæ, si id velis) carent oppositione; nam prior sumitur naturaliter, civiliter verò posterior. In Systemate autem Iuridico sunt tria tantummodò Prædicamenta, videlicet Personæ,

Res,

Res, Actio, & servi non ad primum, sed ad secundum pertinent, vocantur σώματα, *corpora*, & rebus seu suppellectilibus adnumerantur. His propositionibus, *servi sunt personæ, servi non sunt personæ*, sunt hæ similes *Prata rident, Prata non rident*, quæ tamen non sunt contradictoriæ; nam in sensu improprio, & metaphorico verificatur prior, in proprio & naturali posterior.

De colligatione & dissolutione.

Præterea idem Vlpianus *lib.48.ad Sabinum* hanc modalem proponit, *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est*, quæ æquipollet huic, *Naturalissimum est, rem ita dissolvi, ut fuerat colligata*. Quam ob rem verborum obligatio verbis tollitur; & nudi consensus obligatio nudo consensu dissolvitur. In ea Modus erat. *Naturalissimum est*.

Non potest bis exigi idem debitum.

Gajus *lib.18.ad Edict.Provinciale*: sic inquit *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur*; vel aliter, *Bis idem exigere, est contra bonam fidem*. Et ibi dictum modificat illud prædicatum, *est contra bonam fidem* quidquid autem contra bonam fidem perpetratur, fraudulentum est.

An, & quando conditio non posita censeri debeat purificata?

Et lib.77.ad Edictum [*ex tr. de Præt. stip.*] idem Iurisconsultus. *In Iure Civili receptum est, quoties per eum cujus interest conditionem non impleri, fiat quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset*. Propositionem modificant illa verba, *In Iure Civili receptum est*. Tota propositio est intelligenda de rebus Iuri Cæsareo subditis: nam si cum cognata sponsalia contraxeris sub hac conditione, *si Pontifex concesserit dispensationem*, & posteà solicitaveris, ne concedatur dispensatio, non poterit perindè haberi ac si fuisset purificata conditio, hoc est, dispensatio concessa. Nam matrimonia in gradibus interdictis non pendent à lege Cæsarea. Immò etiam putarem hanc doctrinam non esse habituram locum, si conditio sit de re, quæ alterius consensum, aut licentiam requirat. Et hoc etiam in Iure Civili, seu Cæsareo.

LXVI.
An materia existat existentia formæ?

Qui dicit, *Sententia Angelici Doctoris est, materiam existere existentia formæ*, nec asserit, nec tenetur defendere propria materiam existentia carere. Sed hoc doceri à Divo Thoma: tametsi illa simplex, *Materia existit existentia formæ*, sit merè probabilis: modalis verò (nimirùm, *id asseruisse D. Thomam*) est certa. Hinc intelliges Celsum, qui *lib.33.digest.* sic ait, *Neratius consultus, an quod beneficium dare se, quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur? respondit. Non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat concessisset, defuncto concessisse*. &c.

Quid ipse Imperator resolvat?

Ad quæstionem respondit Neratius negativè. At Celsus non respondet negativè: sed ait Resolutionem negativam esse Neratii. Ergo positio simplex, *non dedit*, Neratii est; modalis autem Celsi: & Modus est, *Secundum opinionem Neratii*. Cæterùm Neratii responsionem suam fecit Iustinianus, quando illam Iuri Cæsareo inseruit.

De illo, qui cum aliorum infortunio ditescit.

Pomponius *libr 9. ex variis lectionibus*, assumit istam simplicem, *Nemo potest cum alius injuria fieri locupletior*, & ipsi addit modum *Æquitatis*, & *Iuris naturalis* dicens, *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*. Vbi meritò detrimentum cum injuria connexuit; si enim detrimentum sine injuria accideret, nihil obesset. Et hinc intelliges quid insinuabat ille in theatro Comœdus, cum conversus ad Pompejum dicebat, *Et tu infortuniis nostris es fælix*.

Quid sit desinere?

Paulus *lib.3.ad leg.Iuliam & Papiam*, sic inquit; *Non potest videri (lege, habere) desiisse, qui nunquam habuit*. Quæ verba æquivalent his, *Impossibile est, ut habere rem desierit, qui eam nunquam habuit*. Propositio simplex (seu *de in esse*) est, *Non desiit rem habere, qui nunquam habuit*: & modo *Impossibilitatis* afficitur.

Cur hos modales addiderimus?

Hæc adducere placuit, ut ostenderem, præter modos, qui in Logica à Peripateticis traduntur, esse alios multos in Iure, quos possem expendere, & assignando illis oppositos (contrarios, aut contradictorios) dilucidare. Pono autem calamum; nam & ipsi modi, à Peripateticis omissi, aut minùs necessarii sunt, aut per analogiam illustrandi: qui enim illos cognoscat, qui communiter edisseruntur, cæteros etiam poterit inter se componere & opponere, & hanc ob rem ad ulteriora progrediamur.



SEC-

SECTIO XII.

De Gradibus Veritatis.

LXVII.

Propositiones vel sunt veræ quoad se, vel quoad nos.

An Veritas magis & minus recipiat?

PRopositio quoad se, & quoad nos poterit considerari. Inter Propositiones veras quoad se consideratas, non datur magis & minus; omnes enim sunt æquè veræ formaliter. Consultò dixi *formaliter*, quoniam materialiter veritas recipit magis & minùs: nam hæ duæ Propositiones *Deus existit* & *Æthiops est niger* sunt veræ: & formaliter sumptæ sunt æquè veræ: differunt tamen materialiter, nam prima habet veritatem infinitè necessariam, secunda verò contingentem.

Propositiones quoad nos consideratæ habent suos certitudinis gradus, nam aliæ sunt magis, aut aliter notæ quàm aliæ. Præcipuè autem istæ considerantur, videlicet *per se nota, certa de fide, certa humanitùs, Probabilis, Dubia.*

Quænam Propositio per se nota dicatur?

Quæ certa de fide?

Quæ certa humanitus?

Quæ probabilis?

Quæ dubia?

Propositio per se nota est, cujus veritas ex ipsa terminorum connexione est manifesta, ut *Deus est, Triangulus habet tres lineas, Homo est animal.* Impossibile est enim, ut quis intelligat, quid Subjectum in his propositionibus significet, & dubitet de prædicato. Certa de fide, quæ est divinitùs definita, ut *Deus est trinus & unus.* Certa humanitùs, quæ ratione evidenti probatur, ut *In omni Triangulo, omnes tres anguli sunt aquales duobus rectis.* Probabilis, quæ ratione forti, non tamen evidenti suadetur. Hujusmodi sunt plurimæ in Philosophia & Theologia: nec enim sunt evidenter veræ, aut evidenter falsæ, in quibus doctissimi Scriptores dissentiunt. Sit hæc exempli loco hæc *Patruo succedunt Nepotes in lineas, & non in capita*, quæ à plurimis asseritur, & à plurimis etiam negatur. Dubia, pro qua ratio levis, vel nulla militat, ut *Tursa dormit.*

Si negatio supra Modum, aliter significabit Propositio, & aliter, si super Dictum cadat,

Si negatio cadat supra modum, ut *Certum* & *Incertum, Probabile* & *Improbabile, Dubium* & *Indubium* oppositio erit contradictoria. Si supra dictum, indigebit consideratione; *nam Certum est rem esse* & *Certum est rem non esse*, sunt contrariæ, & simul esse falsæ possunt: *Probabile est rem esse*, & *Probabile est rem non esse*, vel coincidunt, vel saltem sese mutuò inferunt: *Dubium est rem esse*, & *Dubium est rem non esse*, sunt æquipollentes.

SECTIO XIII.

De Moralitatibus.

LXVIII.

Humanorum actuum Regula, quæ?

PRæcipuè sunt Bonitas ac Malitia; Actus boni sunt, qui correspondent Regulæ. Ratio, nec est lex, nec regula humanorum actuum; sed est præco, qui regulas & leges intimat. Actuum Regula, vel est Philosophica, vel Theologica.

Bonitas & malitia Philosophica.

Regula Philosophica est naturalis honestas, cui si respondent actus *decentes*, & si opponantur, *indecentes*, non autem *peccata* vocantur.

Bonitas & malitia Theologica.

De bono totali & partiali.

Regula Theologica est Decalogus, & omnia præcepta Divina: sunt & Consilia. Actus, qui præceptum aut consilium exæquat, est theologicè bonus: qui autem opponitur præcepto, est *peccatum*: qui consilio, *imperfectio.*

Illud Axioma, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*, si intelligatur de Παντάγαθῳ, *bono totali*, verum est, si *de bono partiali*, qualia pleraque humana sunt, est falsum.

De oppositione moralitatum,

Si admittantur actus indifferentes, Bonum & Malum erunt termini disparati: nam idem actus (1) bonus (2) malus (3) bonus simul & malus (4) nec bonus nec malus esse poterit. Oppositio constitui poterit inter istos terminos *Bonum totale, Malum totale, Bonum partiale*, & *Malum partiale.* Tunc enim *Bonum totale*, & *Malum totale* contrariè. *Bonum partiale* & *Malum partiale* subcontrariè: *Bonum totale* & *Malum partiale*, nec non *Malum totale* & *Bonum partiale* contradictoriè opponentur.



De

De Modo Sciendi.

EST *habitus intellectum efficiens, & quomodo illo debeamus uti praescribens. Est triplex, Definitivus, Divisivus, & Argumentativus. Unde collige ipsammet Logicam prout doces definire, dividere, & argumentari, vocari modum sciendi.*

SECTIO XIV.

De Definitione.

LXIX. *Quid & quotuplex sit?*



EST *oratio explicans naturam rei*: & est triplex, Nominalis, Essentialis, & Accidentalis. Prima dicitur Etymologia. Secunda Definitio. Tertia Descriptio. Prima per voces, secunda per realitates internas, tertia per accidentia propria explicat naturam rei.

De Etymologia

Porrò aliud est unde nomen sumitur, & aliud quod nomen significat: nam *lapis* à lædendo pede dicitur, & tamen non læsionem pedum sed petram significat: interim aliquando derivationem & etymon vocis considerando, ad essentiæ cognitionem venimus, quoniam

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

An falsa sit melior quam vera?

Aliquando etiam juvamur anagrammate, nam multa ex literarum inversione ingeniosè eruuntur. Est autem Etymologia ars, quæ nominis originem & derivationem exponit. Et est duplex, vera & falsa; vera vocem à legitimo fonte deducit: falsa est audax, & temeraria interdum, & originis veritatem non curat. Sed hic obiter nota falsas quasdam etymologias esse pulchriores veris. *Metaphysica* vox Græca est, & dicitur à μετὰ & φυσικὴ: & tamen ab aliquibus vocatur *Metaphysica*, quæ est *meta Physica*; ubi pulchrè vox *meta*, tametsi Græca sit, in Latina significatione usurpatur.

Vocis Metaphysica *Etymon.*

Sic similiter *Phasianus*, avis saluberrima censetur, & aliquorum sententiâ, Italicè *fasiano* dicitur, quoniam *fà sano*; hoc est, *facit sanum*, cùm tamen à Phasi, Asiaticæ Iberiæ celeberrimo fluvio, apud quem nidulabantur sub initium hæ aves, & inde fuerunt in alias translatæ regiones, nomen traxerint.

Vocis Phasianus Etymon.

LXX. Anagrammatica verò est ars, quæ nominis literas invertendo novas voces appositè, significantes reperit, ut si ex *Roma* voces *Amor*, *Mora*, *Maro*, &c. extraxeris. Pono exemplum. Petiit Pontius Pilatus à Christo, *Quid est Veritas?* Respondet Anagramma. *Est Vir qui adest.*

Quotuplex sit Definitio essentialis? Logica, Hypophysica, Physica & Integralis

Definitio essentialis vel est Logica, vel est Hypophysica, vel Physica, vel Integralis. Logica constat ex genere & differentia: ut *Homo est animal rationale*. Hypophysica constat supposito & natura, ut *Homo est persona habens humanitatem*. Physica constat materia & forma (hæ enim *partes physicæ*, in Schola vocantur) ut *Homo est substantia completa ex corpore & anima rationali coalescens*. Integralis constat membris & partibus, ut *Homo est, qui habet caput, manus, pedes*. &c. Cùm absolutè ponitur vox *Definitio*, intelligitur Essentialis, & non quæcumque, sed Logica, quæ per genus & differentiam naturam definiti exponit.

An descriptio per accidentia communia fieri possit?

Definitio accidentalis, quæ descriptio dicitur, per proprietates definitum exponit, ut *Homo est risibilis*. Et hic obiter nota errare illos, qui putant eas posse per communia accidentia describi: nam licèt communia accidentia videatur congregare Descriptio, congregat illa, quorum singula communia sint; quorum tamen collectio, ita Definito sit propria, ut in alio reperiri non possit.

De Definitione singularium.

Singularia ab homine non possunt definiri essentialiter; non enim hæceitates cognoscimus; & ab Angelo, & Anima separata poterunt. Interim possunt & solent à nobis per communia accidentia describi: quoniam accidentium collectio, quæ in uno individuo invenitur, in alio inveniri non potest.

LXXI. Proponuntur leges Definitionum. *An verbulum in Definitione superfluum sit, quod ponitur majoris claritatis gratia?*

QVatuor sunt Definitionis leges. Prima, *ut omni Definito conveniat*. Secunda, *ut soli Definito conveniat*. Tertia, *ut nullum verbum superfluum habeat*. Quarta, *ut clarior sit suo Definito*. Prima & Secunda lex sunt essentiales & necessariæ. Tertia disputationi obnoxia: non enim superfluum verbum est, quod ad claritatem conducit, & tamen aliqui ut unum & idem verbum bis ponatur non tolerant. Unde hanc definitionem, *Logica est Ars bene intelligendi*, condemnant aliqui, nam illud *bene* in Arte clauditur, non enim dantur Artes malè operandi: alii excusant, nam juvat, ut clariùs, quid Logica sit, intelligatur. Quarta lex expositione indiget,

diget, niſi enim obludere verbis velimus, eſſe multas definitiones ſuis definitis obſcuriores eſt certum. Et id videtur demonſtraſſe Cicero de Divinit. apud quem quidam ægroto Medicus.

An omnis Definitio ſit clarior ſuo definito?

El que nunca ſalio de ſu poſſada,
Y vive en un portatil apoſento,
Y con un perezoſo movimiento
Trepa, y la ſenda dexa ſeñalada;
Eſte os dara la vida,
Y con el cobrareis ſalud perdida:

Et tamen æger neſcit quid ſibi præſcribatur, tametſi Cochleam Medicus eleganter deſcribat. Et intelligeretur proculdubio, ſi pro infirmo limaces præparari juberet. Verba Ciceronis ſunt hæc. *Vt ſi quis medicus ægroto imperet, ſumat terrigenam tardigradam, domiportam, ſanguine caſſam, potiùs quàm hominum more Cochleam diceret.* Ergo in caſu, Cicerone aſſerente, definitio eſſet obſcurior definito.

SECTIO XV.

De Diviſione.

LXXII. *Quid ſit?* *An nomen reſpiciat aut rem?*

Diviſio *eſt oratio aliquem terminum dividens*. Et alia eſt nominis, & alia rei. Sanè æquivocus terminus priùs dividendus & poſteà definiendus eſt: Vnivocus autem, aut etiam analogus priùs eſt definiendus, quàm dividendus. Diviſio nominis terminum materialem in ſua ſignificata dividit; ut, cum dicimus, *Aries, vel animal, vel conſtellatio, vel machina militaris eſt*. Diviſio rei ſignificationem termini reſpicit, & conceptum magis communem per minus communes diſtribuit. Ratio quæ dividitur *Diviſum*: & illa ſubjecta in quæ dividitur, *membra dividentia* appellantur. Eſt autem Diviſio quintuplex. * Generis in Species ut quando *Animal in hominem & brutum dividitur*. * Speciei in individua, ut quando *dividitur Homo in Petrum, Ioannem, Ferdinandum*. &c. * Subjecti in accidentia, ut cum dicimus *Homines eſſe aut albos aut nigros*. * Accidentis in Subjecta, ut cùm *Album in nivem, calcem, farinam. &c. diſpeſcimus*. Et tandem Accidentis in accidentia, ut quando *Dulce per album, nigrum, & alia accidentia diſtribuimus*. * Addi poteſt Analogi in ſua analogata diviſio, ut, ſi *Sanum in animantem, pulſum, urinam, & medicinam dividatur*.

Dividitur vox æquivoca.

Diviſio rei habet varias ſpecies, eſt enim aut generis in ſpecies, aut Speciei in indiuidua, aut ſubiecti in accidentia, aut accidentis in ſubiecta, aut accidentis in accidentia. 23

LXXIII. *Leges Diviſionis.* *An illas Peripatus obſervet?*

Diviſionis leges, quas Logici præſcribunt, ſunt quatuor. Prima jubet, ut Diviſum membra omnia dividentia poteſtativè contineat. Secunda, ut hæc enumerentur ſufficienter. Tertia, ut Diviſum cum nullo membro dividente convertatur. Quarta, ut dividentia membra condiſtinguantur inter ſe. In hanc quartam legem impingunt Peripatetici, cùm (1) Quantitatem continuam in Lineam, Superficiem, & Corpus dividunt: nam in Superficie, Lineæ, & in Corpore ſuperficies clauduntur. Cum (2) Quantitatem diſcretam in numeros; nam Binarius in Ternario, Ternarius in Quaternario. &c. & omnis minor in majori concluditur cùm; (3) Subſtantiam in primam & ſecundam dividunt, ſecundæ enim includuntur in primis.

SECTIO XVI.

De Argumentatione poſitiva.

LXXIV. *Quid ipſa ſit?*

EST *oratio unum ex alio inferens: ut currit. Ergo movetur*. Ejus præcipuæ ſpecies ſunt *Aſcenſus, Deſcenſus, Polylemma, Syllogiſmus*. &c. de quibus, tametſi in noſtra Scholaſtica Logica uberiùs diſſeruerimus, proderit nunc (mutata materia & exemplis) breviter diſputare [Et hic moneri debet Lector, cæteros argumentandi Modos, qui in Libris aliorum leguntur, ad hos noſtros reduci, & non eſſe diverſas Argumentationis ſpecies.]

Aſcenſus diſtributivus.

ASCENSUS eſt vel Diſtributivus, vel Copulativus, vel Disjunctivus. * Ille (Diſtributivus) à particularibus ſufficienter enumeratis ad propoſitionem univerſalem diſtributam adſcendit, ut ſi dicas. *Hic ignis eſt calidus, iſte etiam, ille ſimiliter. &c. nec ullus unquam invenit ignem non calidum: ergo omnis ignis eſt calidus*. * Iſte (Copulativus) à particularibus enumeratis nullo omiſſo ad univerſalem copulativam

Copulativus.

adſcendit, ut ſi dicas, *Matthæus, Lucas, Marcus, & Ioannes ſunt Evangeliſtæ. Hi ſunt quatuor, & præter hos nullus eſt Evangeliſta. Ergo omnes Evangeliſtæ ſunt quatuor.*

Disjunctivus. Tandem Disjunctivus per ſingularia disjunctivè propoſita ad propoſitionem particularem adſcendit; ut, *Tres Reges Magi fuerunt Gaſpar, Melchior, Balthaſſar. At vel primus, vel ſecundus, vel tertius fuit niger. Ergo aliquis Rex Magus fuit niger.*

LXXV.
Deſcenſus. Diſtributivus. Copulativus. Disjunctivus.

ASceneſui opponitur DESCENSUS, quia ſicut per illum ad Vniverſalem adſcendimus, ſic per hunc deſcendimus ad particulares. Eſt autem vel Diſtributivus, vel Copulativus, vel Disjunctivus. * Diſtributivus ad ſingula particularia deſcendit, ut *Omnis homo eſt animal. Ergo hic eſt animal, ille eſt animal. &c.* * Copulativus à propoſitione copulativa ad contentos in illa ſimul ſumptos deſcendit, ut *Triumviri ſimul poſſunt hoc decernere. Nunc Petrus, Ioannes, & Ferdinandus ſunt Triumviri, ergo nunc Petrus, Ioannes, & Ferdinandus ſimul poterunt hoc decernere.* * Disjunctivus à particulari propoſitione ad ſingularia deſcendit, ut *Aliquis homo currit. Ergo vel Petrus, vel Clodius, vel. &c. currit.* Vt conſequentia clara ſit, debent eſſe pauca, & numero determinato comprehenſa, ſingularia illa ad quæ deſcenditur.

LXXVI.
Quid Polylemma ſit? Dilemma. Trilemma. Veterum error Dilemma pro Trilemmate uſurpantium. De Deipara immaculata Conceptione. Fuit Virgo Singularis.

POlylemma, vel eſt Dilemma, vel Trilemma; nam rarò quatuor, vel plura membra adſumimus, ut hujuſmodi argumenta formemus. Dilemma præmittit Disjunctivam, & à negatione unius partis ad alterius affirmationem procedit, ut ſi dicas. *Petrus vel eſt rationalis, vel irrationalis. At non eſt irrationalis: Ergo eſt rationalis.* In Trilemmate ſic proceditur. *Petrus aut eſt inferior, aut æqualis, aut ſuperior Franciſco. At non eſt inferior: Ergo eſt aut æqualis, aut Superior. Sed non eſt ſuperior: Ergo Petrus Franciſco æqualis eſt.* Et hic obiter nota, malè veteres fuiſſe argumentatos contra immaculatam Deiparæ Conceptionem. Dialecticabantur enim ſic. *Aut ante Conceptionem, aut poſt illam fuit ſanctificata. At non potuit ante: non enim erat. Ergo fuit ſanctificata poſt: Ergo fuit in peccato concepta.* Ajo illos malè fuiſſe argumentatos; quoniam inter *Ante* & *Poſt* datur medium: debebant enim non Dilemmate, ſed Trilemmate uti, & ſic diſcurrere. *Aut ante Conceptionem, aut in ipſa Conceptione, aut poſt Conceptionem Sanctificata fuit Angelorum Regina. At non fuit antè: non enim ſanctificari potuit antequam eſſet. Sed neque fuit ſanctificata poſt; non enim eſſet ſingularis, ſi ipſi quod aliis nonnullis Sanctis, fuiſſet privilegium conceſſum. Ergo in ipſamet fuit Conceptione Sanctificata. Ergo fuit ſine labe concepta.*

LXXVII.
Quid Syllogiſmus ſit? Medium. Major extremitas. Minor extremitas. Platonis Forma. Ariſtotelis Figura.

SYllogiſmus *eſt oratio, quæ ex duabus propoſitionibus tertiam infert.* Habet tres terminos. Ille qui bis ponitur in præmiſſis, vocatur *Medium*: alii duo *Extremitates*. Major extremitas in majori, & minor extremitas in minori comitantur medium. Forma Platonica poſtulat, ut Medium prædicetur in majori, & ſubjiciatur in minori: & in concluſione minor extremitas de majori dicatur, ut *Homo eſt animal, Animal eſt vivens. Ergo homo eſt vivens.* Hanc Formam deſiguravit Ariſtoteles, & tres claſſes invenit, quas Figuras vocavit. Prima ſubjicit Medium in majori, & prædicat in minori; Secunda prædicat in utraque; Tertia ſubjicit in utraque. Et in omnibus his Figuris majorem extremitatem prædicat de minori Concluſio.

LXXVIII.
Syllogiſmus Idemticus.

SYllogiſmus Idemticus obludit verbis, & habet unum terminum tribus nominibus ſignificatum, ut *Marcus eſt Tullius, Tullius eſt Cicero. Ergo Marcus eſt Cicero.* Hic intellectus non diſcurrit, immò nec judicat; mens enim, cui correſpondent omnia hæc verba, nihil aliud dicit, quàm *Cicero eſt Cicero*, aut certè *Cicero eſt*.

Syllogiſmus Indefinitus.

INdefinitus componitur poſitionibus indefinitis, ut *Animal eſt vivens, vivens eſt ſenſibile. Ergo animal eſt ſenſibile.* Et quidem Indefiniti Syllogiſmi in Forma Academica, & Figuris Peripateticis conſtrui poſſunt, at non poſſunt multiplicari in varios modos; ubi enim non ſunt univerſales propoſitiones, modorum diſtinctio non datur.

...llogiſmus ...ius. An ...ivinis locum ...at?

SYllogiſmus Expoſitorius habet medium ſingulare, ut *Qui hodie imperat eſt Leopoldus I. At Leopoldus I. eſt Princeps juſtus. Ergo, qui hodie imperat eſt Princeps juſtus.* Huc reduci poteſt, cujus altera, vel utraque extremitas eſt ſingularis. * Hic Syllogiſmus habet locum in Divinis, ſi à notionibus præſcindamus. Pono exemplū. *Intellectus Divinus eſt hæc Divinitas. Hæc Divinitas eſt voluntas Divina. Ergo intellectus Divinus eſt voluntas Divina.* Non autem habet locum in notionalibus, non

enim

enim possumus dicere. *Paternitas est hac Divinitas. Hac Divinitas est Filiatio. Ergo Paternitas est Filiatio.* Vt autem in notionalibus habeat locum, debet ad Vniversalem reduci; ut si dicamus. *Quidquid est Paternitas est hac Divinitas. Quidquid est hac Divinitas, est Filiatio. Ergo quidquid est Paternitas est Filiatio.* Est bonus Syllogismus, nihil tamen concludit, quoniam minor est falsa.

Quomodo ad universalem reducitur.

LXXIX.
Quid Syllogismus universalis sit?

SYllogismus universalis dicitur, *in quo altera vel utraque præmissa est universalis.* Ejus leges sunt hæ.

I. *Ex puris particularibus in materia contingenti nihil evidenter concluditur.* Et hanc ob rem Peripatetici in nullo syllogismo duas particulares præmittunt. Nos autem ex puris particularibus, etiam in materia libera, & contingenti Probabiles Syllogismos formamus, quos *Morales*, seu *Iuridicos* dicimus, inferiùsq; dilucidamus.

An ex particularibus possint syllogismi fieri?

II. *Conclusio sequitur debiliorem partem.* Quam ob rem, si aliqua præmissa fuerit particularis aut negativa, erit particularis, aut negativa conclusio.

III. *Ex veris semper sequitur verum; ex falsis aliquando verum, & aliquando falsum.* De cæteris non dubitas, sequi ex falsis verum hoc exemplo demonstro. *Omnis homo est lapis, Omnis lapis est rationalis. Ergo omnis homo est rationalis.*

Qualis debet esse Conclusio? An vera sequatur ex falsis?

Sanè ut Vniversales Syllogismos formemus, his versibus juvari poterimus.

FORMA. *Bammada, Camene, Dimagni, Figmeno*, nec non
Pone indirectos *Fesapinor*, atque *Fesisor*.
FIGURA I. *Barbara, Celaren, Darii, Ferio*: hisque reflexos,
Addere debebis *Fapesmor*, atque *Fisesmor*.
FIGURA II. *Cesare, Festino, Dacoro* aut *Barocco, Camestres*,
Atque indirecti *Frimesor* atque *Domacor*.
FIGURA III. Tertia subsequitur, *Datisi*, cui junge *Darapti*. 30
Felapton, Disamis, Docamo, aut *Boccardo, Ferison*,
Fapelmor repulit, *Fismeror*, atque *Dacoccor*.

Excesse jussi sunt omnes Modi superflui, & additi, quos omiserant Aristoteles & Peripatetici.

Singulæ voces, quæ cursivo charactere scriptæ, sunt modorum nomina, in quibus Syllogismi formantur; vocales A, E, I, O, dant propositionibus speciem quantitatemque. Harum literarum valorem dedimus.

LXXX.
Quid Enthymema sit?

ENthymema *est syllogismus, in quo aliqua propositio subticetur* ut *Iustitia est virtus, ergo laudanda.* Subticetur in illo hæc propositio *Omnis virtus est laudanda*: quam, si primo loco posueris erit Syllogismus in *Darii*. Si in secundo erit in *Dimagni*. In intellectu non reperiuntur Enthymemata, sed in lingua vel calamo; non enim omnia quæ concipiuntur labio, aut stylo exarantur in tabulis:

LXXXI.
Quid Sorites sit?

SORITES *est argumentatio, in qua multiplicantur præmissa*, & ideò diversi Sillogismi intexuntur. Potest fieri in omni figura, atqui in Platonica forma componitur, est frequentior & clarior: ut *Petrus est homo, omnis homo est animal, omne animal est vivens, omne vivens est substantia. Ergo Petrus est substantia.*

SORITES, si benè formetur, securissimus est: sed quia multæ rès bonæ ob abusum malè audiunt, apud multos Soritæ inter Sophismata numerabantur. Fuerunt in causa Vafri aliqui Iurisconsulti, qui malitiosè multas Propositiones conserendo & à legitima forma discedendo, Iudices decipiebant incauros. Et quia oculatissimi esse debent, qui de Soritæ perfectione dijudicent, & plurimi erant in Dialecticis talpæ, cautum est, ne Patroni uterentur Soritis, quibus nonnulli abutebantur. Et huc respexit lib. 5. digest. Iulianus, cùm dixit, *Ea est natura cavillationis, quam Græci Σωρίτην, alii Σοφιστικὴν appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.* Interim si debita forma servetur, hæc ipsa perductio impossibilis est. Cæterùm quia scientiæ ita debent tradi, ut plerisque omnibus prodesse possint, ne obloquatur Iulianus, cavillationes committi in Soritis expertus, illos à nostra Morali Logica excesse patiamur, aut jubeamus; & ne quippiam in illa nostro candido Lectori desit, quod sit necessarium, aut utile, nonnihil etiam de Sophismatibus edisseramus.

An hæc sit secura argumentatio?

Cur rejecta à peritis?

Et est sui sophismatum adnumerata.

LXXXII. *Quid sit Elenchus?*

ELENCHUS *est Syllogismus Sophisticus, qui aut in forma, aut in materia peccat*. Peccat in forma, si in modo legitimo non sit: in materia, si vel admittatur præmissa, quæ deberet negari: vel si utraque vera sit, habeat tamen medium æquivocum, atque adeò laboret quatuor termino, qui in syllogismis morbus incurabilis est. Vnum aut alterum exemplum propono. *Canis est Sydus*, *Animal latrabile est canis*. *Ergo animal latrabile est Sydus*. Petrus fuit suspensus ab Episcopo. Suspendi dicuntur, qui ponuntur in patibulo. Ergo Petrus positus fuit in patibulo. *Iurisconsulti sunt Sacerdotes*. *Sacerdotes missas celebrant*. *Ergo Iurisconsulti missas celebrant*.

LXXXIII. *Quid intelligatur nomine syllogismi.*

SYllogismus Iuridicus seu Moralis ille est, quo Advocati, quo Iudices in Tribunalibus utuntur. Sanè libellum suum & omnem discursum Advocatus claudere debet syllogismo: debet claudere Iudex, quoniam considerando leges, ut Regulas fundamentales, & probata discendo profert sententiam, hoc est, infert Conclusionem, qualem Iura & Probationes postulare videntur. Et quidem multos Syllogismos Politicos formandi modos producere in medium possemus, sed facilitati & claritati consuleotes novem tantummodò exhibebimus, qui clauduntur his numeris.

Syllogismorum Iuridicorum Modi.

FALLITIS *ponti* PLACIDI MAGISTRIS
Concha MUGIVIT PARIDIS PUDICI,
Raucus dum Classem RAPIDI CAMILLI
NOBILIS *armat*.

Omnes sunt in prima Figura habentque Minorem & Consequentiam Singularem, Majorem autem quantam syllaba prima determinat. Considera sequentem Tabulam.

Eorumdem Modorum efficacia.

Characteres.	Syncategorema-ta.	*Nomina Syllogismorum.*	Modi Concludendi.
CA.	*Cuncti omnes.*	Camilli.	*Certè realiter.*
FA.	*Ferè omnes.*	Fallitis.	*Certè moraliter.*
PL.	*Plures.*	Placidi.	*Probabilius.*
MA.	*Media pars.*	Magistri.	*Æquè probabiliter.*
PA.	*Pauciores.*	Paridis.	*Omnis probabiliter.*
MV.	*Multi.*	Mugivit.	*Vix probabiliter.*
PV.	*Pauci.*	Pudici.	*Temerè.*
RA.	*Rari Fere Nulli*	Rapidi.	*Temerè.*
NO.	*Nulli.*	Nobilis.	*Contra manif. Veritatem.*

Expositio Tabulæ præcedentis.

Habet quatuor Columnas. Prima Characteres Artis exhibet, qui conformandis Syllogismis serviunt. Secunda ponit ob oculos Syncategoremata illis Characteribus correspondentia. In tertia nomina Syllogismorum leguntur, in quibus prima majorem syllaba, minorem secunda, tertia Conclusionem significat. In quarta singulorum modorum Dialectica efficacia conspicitur.

An hi Modi noti fuerint Aristoteli?

Hi Syllogismorum modi nunquam in Peripatu auditi, in omni Tribunali non jam utiles, non jam ad melius, sed simpliciter sunt necessarii. Conatus est Iurisconsultos juvare Bartholus, & singularem tractatum edidit de methodo argumentandi. Sed quia viam communem inivit, non multum profuit, Legalium Topicorum Explanationem c.I. Cantiuncula Iurisperitus edidit: de locis Iuridicis sesipsere non pauci, at verò nullos de Arte conformandi Syllogismos Iuridicos, sine quorum notitia in nullo Iustitiæ Tribunali potest administrari: omnis enim Civilis, aut Criminalis causa clauditur Syllogismo Iuridico. Majorem concernit enim Ius. Leges Civiles exhibent minorem, quæ continet Factum, dat Processus & Sententia est Conclusio. Vt si dicamus.

Omnis, qui hominem vulneravit cum intentione occidendi, est etiam capite tanquam homicida damnandus.

Sed Ambrosius Ioannem vulneravit, cum intentione occidendi.

Ergo Ambrosius est capite tanquam homicida damnandus.

Major est expressa in Iure, videlicet *in leg. 1. §. Divus D. ad leg. Corn. de Sicariis*, Crimina

mina enim, quibus non sunt pœnæ in Iure expressæ, non solent ultima sententia expiari.

Minor est probanda in processu. Sed duas habet partes, effectum prior & urget intentionem posterior. Prior pars plenè per contestes probari poterit. At pars posterior, imò etiam prior, si desint oculati testes, debebit circumstantiis & indiciis juridico syllogismo suaderi; ut, si ipsum factum probaturus, sic arguas.

Quomodo effectus & quomodo affectus suadeatur.

RA- *Rarus vanè gloriatur de capitali crimine, quod non commisit.*
PI- *At Ambrosius de gravitèr à se Ioanne vulnerato coram talibus & talibus vanè gloriatus est.*
DI. *Ergo temerarium erit credere quòd hoc ille crimen non perpetravit.*

Modus RAPIDI concludit potentè.

Erit examinanda major, an sit vera: nam si illa judicio prudentum stat & minor plenè probetur, negari consequentia non potest. Et ad intentionem veniendo, hic etiam poterit syllogismus formari.

Plerique, qui hominem graviter vulnerant, habent occidendi intentionem.
Sed Ambrosius Ioannem graviter vulneravit.
Est ergo probabilius illum vulnerasse cum intentione occidendi.

Modus PLACIIX concludit probabilitèr.

Hic etiam venit considerandus Major: an videlicet prudentum judicio debeat Syncategorema *Plerique* in *Fere omnes* mutari, & probabilioritas consequentiæ in moralem evidentiam transire; quod ipsum à Minoris probatione pendebit, quam fortè circumstantiæ remittent, si vulneris gravitas per accidens evenisse dicatur. Quæ omnia, & Iudicium prudens & Logicæ exactam cognitionem requirunt.

SECTIO XVII. 31

De Argumentatione Negativa.



Tametsi in Realibus Argumentatio negativa claudicare videatur, in moralibus frequentissimum habet usum: imò etiam aliquando etiam in naturalibus.

LXXXIV. An probationes negativa sint efficaces?

Sanè ex illo Principio, *Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate*: nascitur hoc, *Nihil est asserendum sine necessitate*. Ergo sufficiens est ratio ad negandum propositionem, quod nulla ratio sufficiens ad illam asserendam subveniat. Considera argumentum subsequens.

Quid requiratur, aut sufficiat, ut una propositio negetur?

Quod nec sensus percipit, nec ratio evincit, nec Fides docet, non debet in Scholis admitti. At esse sphæram ignis super aerem & infra globum Lunæ sensus non percipit (nec enim videtur, nec sentitur) ratio non suadet (nec enim à priori illa, aut à posteriori probatur) sed nec Fides statuit (non enim est in Sacra Scriptura aut Conciliis locus, qui illam dari definiat.) Ergo ejusmodi ignis sphæra non debet in Scholis admitti.

In Ethicis frequentiùs utimur hoc argumento: nemo enim privari debet libertate à Deo & natura concessa, nisi detur ratio, quæ limitationem persuadeat: quia ratio videtur sufficiens ut probem me hoc vel illud licitè posse facere, quod non detur ratio sufficiens quæ meam libertatem obstringat. Ponam aliqua exempla, ut meliùs veritas cognoscatur.

Unde nascatur me posse aliquid licitè facere?

Inquiris, *An Laicus, aut Clericus, non Sacerdos, baptizans in mortali in necessitate, peccet mortaliter?* Respondet Leander *1.p.disp.4.qu.5.* non peccare & rationem assignat, *quia non est ratio, qua ad contrarium asserendum cogat.* Ergo teste Leandro est sufficiens ratio ad negandum peccatum, non dari rationem, quæ ad asserendum cogat: at quia neminem cogit Probabilitas, certam in Leandri sententia rationem requiri, certum est.

Unde probari debeat aliquem non peccasse mortaliter?

Antonius Cotonius in Summa Dianæ *verb. Reservata. num. 2.* agens de licentia præsumpta seu implicita, sic ait. [*Ut Confessarius prudenter judicet facultatem concedendam esse, ait Suarez sufficere, quod nulla ratio suadeat esse negandam.*] Quod judicium nascitur ex hoc syllogismo. [*Prælatus, non potest negare Confessario facultatem absolvendi pœnitentem à reservatis, nisi detur causa. Atqui hic & nunc nulla est causa negandi. Ergo concedetur facultas.*] Majorem formant hæc ejusdem Cotonii verba ibid. [*Peccaret Prælatus Regularis, non solùm contra Charitatem, sed etiam contra Iustitiam, negando facultatem Confessario absolvendi aliquod reservatum; si ex licentia negata temerètur grave aliquod subditò detrimentum; etiam ex ejus fragilitate aut duritia. (Lege contra Suarez) & in tali casu Confessarius potest nihilominùs pœnitentem pro illa*

Cur possit dispensatio, aut licentia concedi.

In vice absolvere licentia petita, & non obtenta: sic declarante Paulo Quinto, ut docet Texeda.]

LXXXV.

OMnia hæc, quæ de hoc argumento negativo dicuntur, insistunt doctrinæ, quam nostra Dialexis *de Non-Certitudine* suadet, aut, si velis, persuadet. Illam ibi Doctissimorum Scriptorum testimoniis firmavi: illamque hic, sine gravi aliqua autoritate manere sinam, eam ingenio & verbis P. M. Ioannis de Sancto Thoma confirmabo.

Qualis fuerit P. Ioannes à S. Thoma?

Sed quis, quæso, ille fuit? Vir sanè Optimus, Maximus. Eum habuit suspexitq; Academia Complutensis: & ab ipsius Schola, & Discipulis multos Eximios Theologiæ Doctores, & Professores nacta, ejus post fata Nomen cum laude, & applausu commemorat. In eo, dum viveret, Pietas & Doctrina de Principatu contendebant. Erat ob elegantiam morum charus Principibus, & tandem à Philippo IV. quem ob Religionem *Magnum* dicimus, in suum Confessarium & conscientiæ Directorem electus. Scripsit in S. Thomam Commentarios doctissimos, & *tom.1. in 1.2. disp.12. art. 3. pag.521. b. n.21.* sic inquit.

Quo modo debeat procedere, ut respondeat Theologus, quando interrogatur, An aliquid sit, aut non sit peccatum?

[Attenta gravitate materiæ, seu negotii tractandi, circa resolutionem & formationem dictaminis, primò attendenda est Lex, seu Ius, si aliquod detur in tali materia. In quo potest esse dubium in primis, *An lex talis detur?* &, si datur, *An obscurè vel clarè loquatur, ita quod de ejus intelligentia sint diversæ opiniones?* & dato quòd clarè loquatur, *An obliget etiam in isto casu; An verò exceptionem patiatur, puta in casu necessitatis urgentis, aut ubi ἐπιείκεια locum habeat?* Si est dubium, *An detur lex?* fieri debet diligentia juxta quod est possibile in tali tempore, aut loco, idest, juxta arctitudinem, vel latitudinem temporis, & loci, in quo urget negotium faciendum. *Quòd si facta sufficienti diligentia, non constet, An detur lex aliqua circa talem materiam? Sed maneat dubium, non obligat lex, quia in dubio, aut detur, aut non detur lex, vel verum (quod est lex privata) post factam sufficientem diligentiam, non obligat talis lex; sed reputandum est, quòd non detur,* eò quòd lex est gravamen, quod imponitur inferiori, & quasi in servitutem & obedientiam redigens, in dubio autem servitutis & gravaminis possidet quis libertatem suam. Quòd si constet de lege, sed circa ejus intelligentiam sit varietas opinionum, oportet id regulare, vel penes consuetudinem loci, vel praxim Tribunalium receptam, vel penes graviores Authores, & eorum fundamenta, sicut statim dicemus loquendo de formatione conscientiæ penes principia extrinseca, idest, authoritatem Doctorum.] Et omnia hæc decidit solidissimè. Quia est certa Interpretatio legis, quam firmat consuetudo: & est certa, quam approbat Tribunalium praxis, quæ semper graviorum Scriptorum authoritate succollatur.

Non obligat lex, de cujus existentia dubitatur.

Certa igitur legis existentia esse debet.

Unde legum certa interpretatio desumatur?

Proponitur Casus, in quo de existentia & intelligentia legis constet, & de dispensatione quæratur.

Et posteà agens de dispensatione, aut excusatione, quæ hominem ab obligatione legis observandæ subducit, ait. [Si verò constet de intelligentia legis, sed dubium sit de exceptione legis pro isto casu, ratione ἐπιεικείας, vel urgentis necessitatis, aut ex alio capite, oportet considerare, an talis necessitas, vel utilitas, aut ratio, propter quam fit exceptio, sit evidens, si enim sit opinabile, & dubium de ipsa necessitate, vel utilitate, prius facienda est diligentia, an verè talis sit necessitas, vel causa exceptionis; si enim sit dubium de causâ exceptionis, potiùs lex possidet, & exceptio non est facienda.] Nota illud *evidens*.

Ergo hujus Magni Viri sententia, quando de licitate, seu Conscientiæ securitate disseritur, æquè in Obligatione, aut Præcepto, ac in Excusatione aut Dispensatione, ad Possessionem, qui consulitur, debet recurrere.

An, & quando in die jejunii possit, & non possit vesci carnibus?

Confirmat hanc doctrinam Antonius Cotonius, cum alibi, tum *in Summ. verb. jejunium. num. 2.* inquit enim. [Si cœnans in carnibus pridie jejunii, dubitet, An media nox transacta sit? adhuc cœnam prosequi potest, quia possessio stat pro ipso, qui cœnare cœpit die paschali (sic vocat diem in quo carnes licitè comedebantur) unde non debet ei prævalere jus dubium jejunii. Contrà verò, si ipsum dubium contingat cœnanti Sabbato in piscibus, is non potest edere carnes, quia possessio stat pro præcepto. Ita Villalobos *tom.1. tract. 1. difficult. 22. num.7.* Diana *part.4. tract. 3. resol. 18.* &c.]

LXXXVI.

An, qui ex dispensatione carnes comedit die jejunii, jejunare teneatur?

Quam ob rem, quando agitur de aliqua conscientiæ obligatione, ad horum & aliorum Illustrium Scriptorum sententiam, utemur negativo argumento, & dialecticabimur sic.

Libertas est in possessione operandi & faciendi quod velit: & non debet ab hac expelli possessione, nisi detur lex quoad existentiam, & quoad interpretationem certa.

Sed,

Sed, qua jubet, ut qui licitè in quadragesima carnibus vescuntur, jejunent, quoad existentiam non est certa; vel si quoad existentiam certa aliqua producatur, non est certum per illam jejunium in tali casu præcipi.

Ergo, qui licitè vescuntur carnibus in quadragesima, non tenentur in collatione formam observare jejunii.

An hæc doctrina in Fidei materia locum habeat?

Major est certa, & non solùm in materia Morum, sed etiam Fidei locum habet, ut enim teneamur aliquid Fide Divina credere, dari debet Revelatio, quæ, tam quoad existentiam, quàm quoad intelligentiam esse certa & indubitata cognoscatur. Malderus in Duacena Vniversitate S.Theologiæ Doctor & Professor(& habetur in *Theologia nostra Fundamentali, post Fundam.III. §. De evidentia, qua ad Fidei assensum requiritur*,) universìm loquendo sic statuit. *Ad hoc ut aliquis teneatur credere, oportet, ut talis ei fiat Fidei propositio, qua evidenter* (hoc est, *qua certò*) *videat, res Fidei esse credibiles & credendas*. Consonat Libertus Fromondus: & jam omnes Theologiæ Doctores communiter. Ex quibus Ego verbis hanc Ecthesim Practicam infero. *Ad hoc, ut aliquis teneatur operari* (*observare jejunium v. gr.*) *oportet, ut talis ei fiat legis* (*præcepti, & obligationis*) *propositio, qua evidenter* (*certò*) *cognoscat, rem, de cujus obligatione disputatur, esse factibilem & faciendam*.

Quid requiratur, ut aliquis teneatur credere?

Quid, ut teneatur operari?

De Inferno. An verus in illo sit ignis?

Doctrinam de Fide, quam universìm & in genere tradidit Malderus, eam in singulari admittit P. Eligius Bassæus *tom.2.verb. Infernus.num.4.* ubi interroganti, *An verus in Inferno ignis sit?* respondet dicendo[Communis omnium Theologorum sententia est, ignem infernalem esse verum & substantialem ignem, ejusdemque speciei cum nostro igne elementari. Quæ Conclusio, etsi non sit Fidei,cum de ea non exstet aperta Definitio Ecclesiæ, communiter tamen asseritur.] Ergo, ut teneat credere, debet mihi Ecclesiæ Definitio aperta (hoc est, clara, & aperta) proponi. Interim id quod de Inferni igne Bassæus affirmat, verum est: quoniam P. Ægidius Coninck *de Sacramentis. disp.11. dub.3. concl.4. num.25. pag.524. a.* sic scribit [Illa quæ docet torqueri Animas corporeo igne, est communis sententia Patrum, atque Doctorum. Vnde in Concilio Florentino *sess. ult.* hoc senserunt omnes Latini ibi congregati: Græci tamen, etsi consenserint, eas Animas pati aliquas pœnas, negarunt tamen torqueri igne, nec tamen ideò fuerunt damnati. Quare hæc Conclusio non est tam certa, quā priores, quæ sine errore negari nequeunt.] Ecce utitur negativo argumento: & asserit, hanc suam, & nostram Conclusionem posse sine errore negari.

An ad Orthodoxam Fidem asserens sententia pertineat?

Græcorum Theologorum opinio

LXXXVII.

Sicut certum præceptum contra certam libertatem:

Sanè sicut, ut tollatur libertatis possessio, requiritur certum præceptum, unde in hoc genere Argumentum negativum est efficax. Vnde possunt dicere.

Non datur certum præceptum, quod ut hodie jejunem, præcipiat.

Ergo hodie non teneor jejunare.

Sic etiam, ut præcepti legitimi possessioni derogetur, requiritur certa dispensatio. Vnde consequenter debemus dicere.

Sic etiam certa dispensatio contra certum præceptum postulatur.

Præcepti dispensatio, qua dari dicitur, non est certa.

Ergo manet in sua possessione præceptum: atque ideo illi obedire tenemur.

Et, si Semphronius dicat, ipsummet necessitatem dispensare, nec Superioris indulgentiam requiri; duo contra ejus Objectionem reponam.

Pronunciabo enim primùm, hoc ipsum quod dicit, verum aut falsum sit, esse contra D. Bernardum, qui & necessitatem, & Superioris licentiam in simili casu requirit, quoniam in *Epist. ad Carnotenses*, quæ *Libellus de præcepto & dispensatione* inscribitur, *cap.1.* sic scribit. *Quamdiu ergo* (præcepta propter Charitatem imposita) *Charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò, ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt. At, si è contrario contraria fortè aliquando Charitati visa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc posse videre* (cognoscere, & examinare) *datum, & providere creditum est*,&c. Ergo quando finis legis contrariè (*) cessat verisimiliter & probabiliter, poterit Superior concedere dispensationem, sed nisi hæc concedatur, in sua manebit possessione præceptum.

S. Bernardus.

*) Cessat contrariè, quando, quæ pro Charitate, aut bono publico præcepta sunt, contra Charitatem, aut bonum publicum militent, circumstantiis mutatis.

Quamdiu manuteneri debeat lex in possessione?

Pronunciabo secundùm certam & manifestam cessationem requiri, & sufficere ad dispensationem. Et probo autoritate P. Ioannis à S. Thoma, qui *tom.1. in 1.2.disp. 1.num.22. pag.522. a.* agens de exceptione, quæ à Dispensatione contra legis efficaciam & valorem desumitur, sic ait. [Exceptio ista est sicut vulnus legis, & quædam ejus abscissio; cùm autem lex semel est statuta, & stabilita, est in possessione præcipiendi, quia jam existit præceptum ejus, nec est lex dubia, ut supponimus. Ergo, si causa exceptionis non est certa, sed dubia,non potest legem vulnerare, & in hac parte deponere, quia lex possidet, & in casu dubii *melior est conditio possidentis*. Tum etiam, quia communiter iura, quando ponunt exceptiones legis alicujus faciendas

prop-

propter necessitatem vel utilitatem, addunt semper particulam *evidentem*, scilicet propter evidentem utilitatem, vel necessitatem, ergo requirunt necessitatem non esse dubiam. Et licèt posita evidenti necessitate, vel utilitate non videatur necessarium, quòd lex ipsa excipiat, quia naturaliter ex ratione ἐπιείκειας manet talis casus exceptus; tamen id volunt nos docere Iura, quòd non debeamus propter quodcumque dubium, vel opinionem de necessitate, vel utilitate, legem prætermittere, sed debemus habere evidentiam de ipsa necessitate. Sic autem Iura ipsa decernere constat ex multis locis, nam *in Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.* posita lege de Residentia Episcoporum, excipitur casus urgentis necessitatis & evidentis utilitatis pro Republica, vel Ecclesia: de quo etiam videri possunt plures Textus *in tit. de Cleric. non resident.* Similiter *in Extravag. ambitiosæ*, ubi Paulus Secundus præcipit non posse fieri alienationes immobilium Ecclesiasticorum, excipit casum evidentis necessitatis, aut utilitatis. Non ergo licitum est exceptiones à lege facere ratione necessitatis, vel utilitatis, nisi evidenter constet de necessitate, ad quod etiam faciunt *Textus in cap. non minus, & in cap. adversus, de Immunitat.* super tributis in bonis Ecclesiasticis imponendis, quod fieri non potest sine examine necessitatis vel utilitatis, propter quam imponitur.) Hæc ille.

Cur in Iuribus particula evidenter ponatur.

De residentia Episcoporum.

Quando in ea dispensetur.

Quando gravari?

Quando non possint?

Ergo in Moralibus, si benè concinnetur, Argumentum Negativum est efficax, benè enim dialecticamur, dicentes.

De tali re facienda, de Ecclesiasticis bonis non alienandis, aut gravandis, &c. est in possessione Preceptum.

Dari Necessitatem, qua in illo dispenset, non est certum.

Ergo manere debet in sua possessione Preceptum.

Talis ergo res debet fieri: & talia Ecclesiastica bona, de quibus agitur, non possunt alienari & gravari.



Dissertatio
LOGICA.
De Principiis, & Regulis Iuris Canonici.

LXXXVIII.

De Prædicamentorum syntagmate.

An pertineat ad Logicam?

An æquè ad omnes alias facultates spectet?



Ærent sæpè Dialectici, quoniam carent Materia, in qua Scientiam exerceant, quam in Scholis didicerunt. Huic inconvenienti ante Aristotelem obviam ivit Architas Tarentinus, proponendo Rerum omnium Categorias, quæ præbent Generales Materias in quibus exerceri possint Logicorum Ingenia & in partem alterutram dialecticari. Hanc Architæ Libellum Aristoteles curioso calamo dilucidavit; eumdemque Recentiores Philosophi in Dialecticam ponunt; non quòd ipse Dialecticæ potiùs, quàm Grammaticæ, Rhetoricæ, aut Poeticæ sit [sicut enim sine Materia, dialecticari nequit Logicus, sic sine illa nec orare aut declamare potest Rhetor, aut Poeta canere] sed quia id Aristoteles præstitit, illumque posteriores Philosophi voluerunt imitari.

De Syllogismo.

Quid ille sit

Experti sunt habere Materiam circa quam ad discurrendum & dialecticandum non sufficere, sed debere necessariò habere Dialecticos Propositiones quasdam certas, quas præmitterent, ut ex illis Consequentias infallibiles, & certas inferrent. Omnis enim Discursus, si bonus, & legitimus est, ad syllogismum opportunè reducitur. *libr. 1. Prior. cap. 1.* asserente Aristotele Συλλογισμὸς ἐστι λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι. *Syllogismus est Oratio (vel Ratio) in qua positis aliud quiddam diversum ab his, quæ posita sunt, necessariò [*] accedit; eo quòd hæc sunt.* Debet ergo habere Dialecticus, Propositiones Certas & Indubitatas, quas præmittit, ut ex iis possit infallibiles consequentias inferre.

Hanc

Hanc ob cauſam nonnulli de Principiis Philoſophicis, aut etiam Theologicis copioſa ſcripſere ſyntagmata, quæ vel inſeruerunt Logicæ, vel ſeorſim ediderunt in lucem. Quos denique imitatus Boniſacius VIII. doctus & eruditus Pontifex, ſyntagmata aliorum, quæ percurrebant totam Philoſophiam, ad Iuriſprudentiam reſtrinxit, & ſpeciale ſcripſit, & poni in ſexto juſſit, quod contineret & exhiberet Regulas Fundamentales, quas qui benè intelligeret, legitimè & exactè de omni Canonica controverſia diſcurreret.

LXXXIX. *De Principiis certis, & univerſalibus.*

Multi ſunt, qui has ipſas Regulas ſuis Scholiis, & Commentariis illuſtrarunt; ſed inter omnes ſi vivacitatem ingenii, ubertatem doctrinæ, & ſecuritatem Concluſionum conſiderem, Reverendiſſimo P. Raymundo Nido, Soncinati; Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro, nec non adverſus pravitatem Hæreticam in Civitate, & Principatu Papiæ Inquiſitori Generali, primus locus debetur: collegit enim omnia, quæ ſparſim apud alios leguntur, & ſoliditate ſui Iudicii, quæ indigeſta apud ipſos remanſerant, digeſſit, & ad Dialecticæ rigorem elimavit.

De iis, qui illas dilucidarunt.

Et denique poſt Virum tantum adhuc Ego ſumpſi quartum, aut etiam quintum Calamum; ET QUAS diverſo Conſilio, ex diverſis Fundamentis, in diverſis locis, & temporibus dilucidavi: [QUAS VIDELICET *in Theologia Fundamentali Cap. V.* ut Iuſtitiæ ſpecies differentes exponerem, in claſſes opportunas diſpeſcui: (ita nimirùm, ut *Fundam.* XXXVI. quæ ad Adnullativam Iuſtitiam; *Fundam.* XXXVII. quæ ad Diſtributivam, Commutativam, & Poſſeſſivam: *Fundam.* XXXVIII. quæ ad expoſitivam; *Fundam.* XXXIX. quæ ad Commiſſivam; *Fundam.* XL. quæ ad Præceptivam, & obſervativam: & tandem *Fundam.* XLI. quæ ad Vindicativam Iuſtitiam pertinent Regulæ fuerint dilucidatæ) QUAS ITERUM *in Dialexeos*, de Non-Certitudine, *Prodromo. Capit. IV. pag. 90. b.* ut ad Poſſeſſionis legem omnes, ceu ad verum Fundamentum reducerem, recognovi & recenſui: QUAS DENIQUE, ut alias difficultates pervias redderem, aliis in locis reſcripſi, & diverſis Scholiis & Commentariis illuſtravi,] modò liberius tempus nactus relego, & quia impræſentiarùm imbuti ſumus Dialecticis inſtitutionibus, illas ipſas ad Dialecticas leges exigo: præcedentiq; Moralis Logicæ Synopſi coopto. Ergo (Lector Logice) attende.

Quia Regularum Canonicarũ Autor (Bonifacius VIII. circumloquiis delectari videtur, & multa verba ponere, quibus exeſſe juſſis, ſenſus maneret clarior, illas reſcripſi imitando ſtylum duodecim Tabularum, qui videtur ſeveriorem Majoremque Majeſtatem, & autoritatem præ ſe ferre.

Vnde dicitur Regula? REGULA *dicta eſt, eò quòd rectè ducit, nec aliquando aliorſum trahit. Vel, quòd regit. Vel, quòd normam rectè vivendi præbet. Vel, quòd diſtortum, pravumque corrigit.* Vt habet Iſidorus *lib. 6. Etym. cap. 16.* Ergo, quia rectè duci voluimus; & quæ in noſtris moribus diſtorta & prava ſunt, corrigendo, rectè vivere deſideramus, conſideremus ſingulas, illaſque Notis Afectieis, Dialecticiſque dilucidemus.

XC.

REGULA I. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri.*

Beneficium ſine Canonica inſtitutione nõ obtinento.

Noto illud *non poteſt*: & laudo Autorem, qui non voluit dialectico Peripatetica loqui: dixiſſet enim ſi eſſet Ariſtoteleus, *Impoſſibile eſt ſine Canonica Inſtitutione licitè obtineri aliquod Beneficium.*

Sanè *Impoſſibile eſt, ſine,* &c. & *Neceſſarium eſt, ſine,* &c. ſunt Contrariæ: *Impoſſibile eſt, ſine,* &c. & *Poſſibile eſt ſine*: ſunt Contradictoriæ. Et *Impoſſibile eſt, ſine.* &c. & *Poſſibile eſt, ſine,* &c. non *obtineri.* &c. ſunt Subalternæ.

Quibuſnam opponatur syncategorema Impoſſibile.

Vt noſtra ex poſitio habet, hæc Propoſitio, *Impoſſibile eſt, ſine.* &c. & hæc *Non poteſt ſine.* &c. ſunt æquivalentes. Et hæc poſterior, *Non poteſt, ſine, &c. obtineri*: contrariatur huic, *Non poteſt, ſine, &c. non obtineri.* Et contradicit huic, *Poteſt, ſine, &c. obtineri.* Et ſubalternat hanc, *Poteſt, ſine, &c. non obtineri.*

Quibus etiam Non poteſt.

XCI.

REGULA II. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Exercet Canonem de Æquipollentia, quem *oum.* traditimus: nam *non ullus*, eſt idem ac *nullus*: ſicut *non-nullus*, eſt idem ac *ullus*, aut *aliquis*.

Sine bonæ fidei poſſeſſione non præſcribento.

REGULA III. *Sine Poſſeſſione Præſcriptio non procedit.* Eſt indefinita, & tamen æquivalet Vniverſali, unde ejus ſenſus eſt, aut *Nulla præſcriptio procedit* &c. aut *Nunquam Præſcriptio procedit.* &c. Quoniam *nunquam* eſt adverbium temporis univerſale.

Sine poſſeſſione præſcriptiones non ſunto.

REGULA IV. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.* Eſt etiam Indefinita & æquivalet Vniverſali, ut ſenſus ſit, *Nullum peccatum dimittitur*, &c. vel *Nunquam peccatum dimittitur.* &c.

Furtorum & extorſionum pœnæ ſine reſtitutione remittuntor.

REGULA V. *Peccati venia non datur niſi correcto.* Eſt ſicut præcedens Indefinita, virtute tamen univerſalis, reddit enim hunc ſenſum, *Nullius peccati venia datur*, &c. vel hunc *Nunquam peccati venia datur.* &c.

Veniam non niſi correcti conſequuntor.

REGULA VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Eſt Simplex, & Vniverſalis, & poteſt in Modalem tranſire. Quoniam *Nemo* eſt *Nullus homo*, ſyncategorema, quod om-

Ad impoſſibile non obligantor

omnes nemine dempto excludit. Et illud *Nemo potest* &c. transire poterit in hoc, *Impossibile est, ut aliquis ad impossibile (ad id, quod facere non potest) obligetur.*

Personam privilegia personalia sequuntor.

REGULA VII. *Privilegium personale personam sequitur.* Est, ut multæ aliæ, Indefinita & virtualiter Universalis: & æquivalet huic, *Omne Privilegium personale.* &c. aut etiam huic. *Semper Privilegium personale.* &c.

XCII.
Semper esse mali, qui semel fuerunt mali, præsumuntor.

REGULA VIII. *Semel malus, semper præsumitur malus.* Quanta est? Videretur esse Universalis propter illud *semper*; & propter illud *semel*, singularis. Respondeo esse propositionem hypotheticam, & ex duabus (Singulari, & Universali) componi.

Quomodo ex semel adverbio singulari possit semper, quod est universale inferri?

Circa seosum observandum est, non dixisse Summum Pontificem, *Semel malus semper est malus*, id enim, ut constat ex experientia falsum est: sed dixisse, *Semel malus semper præsumitur malus*: hoc est, de illo, quem semel malum fuisse scimus, in aliis occasionibus fuisse malum suspicari poterimus. Quam ob rem, si Petrus furti commissi semel convictus sit, & hodie furtum commissum fuisse constet, & quæratur fur; sine temeritatis periculo cadere poterit supra Petrum suspicio, & poterimus dicere.

Certum est Petrum commisisse furtum illud.
Ergo verisimile est [*] Petrum etiam commisisse furtum hoc.

*] Nota illud *verisimile*, nulla enim ex simili antecedenti certitudo deducitur.

Quæ consequentia erit similis huic.

Certum est Deum multis peccatoribus pepercisse.
Ergo, quod mihi dabit gratiam & tempus, ut pœnitentiam agam, verisimile [a] est.

Et huc pertinet illud Tristichum, quod in Defunctorum Missa canitur ab Ecclesia, videlicet.

a] Et hic illud *verisimile* optari debet.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Et consultò *spem* dicit: ut ubi nulla datur certitudo, cum timore, tremore, & providentia procedamus.

Definitiva.

REGULA IX. *Ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum.* Illud *non* sumitur universaliter, ita ut idem sit, ac *nullus*, vel *nunquam*.

XCIII.
Definitiva.

REGULA X. *Ratihabitionem retro trahi & mandato non est dubium comparari.* Est virtualiter universalis. Et ut illam intelligas, casum istum propono.

De Epikeia, seu voluntatis alienæ interpretatione.

Sciebam Petrum, qui absens erat, indigere una domo; & quia eram ejus amicus, & mihi videbatur hæc Propositio vera, *Petrus, si præsens esset, hanc domum emeret*, illam ejus nomine emi. Modò agitur de ratihabitione: & inquiruntur duo. Primum, Quis ratihabere debeat? & Secundum, Quid importet ratihabitio, si legitimè fiat?

Respondeo ad primum ex præcedenti Regula, illam emptionem ratam habere non posse Gellium, vel Fridericum, quia illorum nomine gesta non est: posse Petrum, cujus gesta fuit nomine.

De mandato implicito.

Respondeo ad secundum, me antequam emissem illam domum, per ἐπιείκειαν habuisse à Petro mandatum (ut judicavi) implicitum & interpretativum & ejus virtute processisse. Supervenit Petrus. Et ratam habet, illam venditionem, aut non. Si non declarat, me malè ejus voluntatem intellexisse & interpretatum fuisse: adeoque initum à me contractum fuisse invalidum: supponebatur enim in eo Petrum velle, quod ille reverà nolebat. Si autem emptionem ratam habeat, declarabit, se revera habuisse illam voluntatem, quam ego per ἐπιείκειαν eum habere supposui. Ergo Ratihabitio retrotrahitur, agit enim de voluntate præterita (emendi domum, in nostro casu) & eam adfuisse declarat: & mandato æquivalet; idem enim præstat voluntas implicita, & posteà ratificata, ac voluntas, quæ innotesceret per expressum mandatum.

In obscuris & dubiis reo potiùs, quàm actori favento.

REGULA XI. *Cum sunt partium Iura obscura, favendum est potiùs reo, quàm actori.* Subintelligitur particula *semper*, & est universalis. Et ratio legis est, quia reus est in possessione, & in omni dubio beatus ille, qui possidet.

XCIV.
Personas in Iudiciis & tribunalibus non acceptanto.

REGULA XII. *In Iudiciis non est acceptio personarum facienda.* Est Universalis, nam illud *non* importat, aut *In nullis Iudiciis.* &c. aut *Nunquam in Iudiciis.* &c.

Qui factum, non autem, qui Ius ignorant, excusantor.

REGULA XIII. *Ignorantia facti, non Iuris excusat.* Est composita: & continet duas Universales, nam æquipollet huic, *Semper quidem ignorantia facti, nunquam autem ignorantia Iuris excusat.*

In multis rebus hæc Regula verificatur, at præcipuus usus est, si illam his verbis referibamus, *Ignorantia legis præcipientis, ad quam debemus elimare nostras operationes, si* in-

invincibilis sit , & non aliàs, à peccato excusat : ignorantia autem legis , valorem actuum definientis,aut pœnas culpis accensentis, non excusat. Vnde Lucretia, si (quod multi asserunt) invincibiliter ignoravit αὐτοχειρίαν esse peccatum,non peccavisse sibi mortem conciscendo dicenda est . At Titius, qui tres testes in suo testamento adhibuit , quia septem esse necessarios invincibiliter ignorabat , non obstante sua ignorantia invalidũ testamentum condidit. Et ubi per Reipublicæ legem furtum notabile expiatur laqueo, si Cajus notabile furtum cõmisit, & tamen invincibiliter ignoravit laquei ipsi pœnam correspondere , condemnandus est laqueo : ab eo enim in examine nunquam petetur, utrùm sciverit, aut non sciverit talem pœnam esse furto præscriptam, sed tantummodò,an crimen furti perpetraverit .

An Lucretia sibi mortem cõsciscendo peccaverit ?

Et hinc infert P.Ioannes Pontius eum qui cognoscat esse Deum & contra eum tale peccatum militare,& tamen illud committat,etsi de æterna inferni pœna nihil prorsus audiverit, aut suspicatus fuerit, sanctissimè & justissimè æterno supplicio condemnari.

Sanè contra ignorantiam facti asserta à reo , manet & obtinet quousque probetur scientia . Sed quid, si probationes non convincant ? poterunt-ne per rei juramentum elidi ? *In Diana Summ. verb. Iuramentum. num.19.* respondet Antonius Cotonius his verbis . [Iuramentum ignorantiæ non tollit præsumptionem scientiæ in contrarium, si illa adest . Ita Alexander *in addit.in verb. tamen breviùs* , & alii, contra Portellium *p.1.casu 27.num.3.*docentem, quòd juramentum super ignorantia excludat præsumptionem Iuris in contrarium existentis . Et referuntur à Diana *p.5.tr.14.resol.24.S.Dico primò .*]

An scientiæ præsumptio Iuramento purgetur ?

Regula XIV. *Cùm quis in jus succedit alterius , justam ignorantiæ causam censetur habere .* Est Vniversalis : potest enim reponi per hæc verba, *Omnis, qui in jus succedit alterius.*&c.aut etiam per hæc, *Semper,qui in jus succedit alterius .* &c.

Definitio.

XCV.

An & quando Ministri sequi poterunt suorum prædecessorum in officio vestigia.

Hac passim in Republica abutuntur Ministri. Primò volunt, ut hæc Regula æquivaleat huic, *Cùm quis in Officium succedit alius,uti & frui poterit omnibus suè antecessoris juribus .* Et posteà , *Antecessores in hoc Officio* , inquiunt, *hac & hac jura , & emolumenta percepere , ergo & nos possumus .* Et benè;si non esset certum per fraudem & interdum per vim, eorum antecessores illa,quæ jura & emolumenta appellant vocabulo commentitio, extorsisse .

Regula XV. *Odia restringi, & favores convenit ampliari .* Est similiter Vniversalis, ut sensus sit, *Omnia, quæ sunt odiosa, quantum litera legum permittat, debent restringi : & omnia quæ sunt favorabilia, quantum etiam legum litera toleret, debent ampliari .* Aut etiam, *semper, quæ sunt odiosa,* &c. & *semper, quæ sunt favorabilia .* &c.

Odia restringuntur ; & favores ampliantur .

Regula XVI. Docet,*concessum à Principe Beneficium esse perpetuum .*

XCVI.

Beneficia concessa à Principe functo perpetua.

De Modo semper . *Quibus illa opponatur ?*

In hac propositione *Decentiæ* Modum, à Dialecticis intermissum reperio . Propositionum hoc Modo affectarum Oppositionem poteris sic dilucidare ,

Semper decet, & *Nunquam decet* , sunt Contrariæ .

Aliquando decet, & *Aliquando non decet*, sunt Subcontrariæ .

Semper decet, & *Aliquando non decet* : nec non *Nunquam decet*, & *Aliquando decet* , sunt Contradictoriæ .

Et denique *Non-semper* opponitur contradictoriè τῷ *Semper* , & τῷ *Nunquam* . Et subalternat & infert τὸ *Aliquando sic* , & τὸ *Aliquando non* .

Sed hucusque non *Decentiæ*, sed *Temporis* Oppositionem exposuimus . Progrediamur ergo, & *Decentiam* ipsam consideremus .

Hæ *Decet hoc facere*, & *Decet hoc non facere* [Sicut etiam, *Licet hoc facere* , & *Licet hoc non facere*] in materia indifferenti, quæ nec præcepta,nec interdicta sit, censentur Propositiones simul veræ : ac propterea opponi inter se subcontrariè .

De Modo Decet ; *& sibi oppositis.*

Hæ autem *Non decet (dedecet, aut indecens est) hoc facere*, & *Non decet (dedecet, aut indecens est) hoc non facere*, [Sicut etiam, *Non licet (illicitum est) hoc facere*, & *Non licet (illicitum est) hoc non facere* .] in eadem materia sunt simul falsæ , ac propterea Contrariæ inter se.

Et denique hæ , *Decet* , *Dedecet* , *Est decens* , *Est indecens* . [*Licet*, *Non licet*, & *Est licitum*, *Non est licitum* .] sunt inter se Contradictoriæ .

XCVII.

A nemine Beneficia, siqua Iure possidet , auferuntor.

Regula XVII. *Indultum à Iure Beneficium , non esse alicui auferendum .* Est Vniversalis : nam illud *non*, vel est *Nullum*, vel *Nunquam* .

Quæ Iure ab initio sunt nulla , temporis decursu nõ firmantor.

Regula XVIII. *Non firmatur tractu temporis , quod de Iure ab initio non subsistit .* Est similiter Vniversalis : nam illud *non* significat *Nunquam* , aut etiam *Nihil* : *Nulla res, Nullum privilegium, Nullus contractus*, &c.

Sed objicis . Titius, vel quia non habebat sufficientem ætatem , vel quia annum

De Professione invalida, & quinquennio ad reclamandum concesso.

probationis non compleverat, vel ex alia quacumque causa in Monasterio N. invalidè professus est. Ibidem per quinque aut plures annos perseverat. Et vi hujus perseverantiæ censetur validè professus. Ergo tractu temporis (nempe annorum decursu) firmatur (fit valida Professionis solemnitas), quæ non subsistebat (non erat valida) ab initio.

An, & cur invalida Professio post quinquennium fit valida?

Respondeo illam Professionem, quæ erat in ipso initio invalida, post quinquenniū reddi validam: at hoc non fieri vi solius temporis, sed propter ratificationem implicitam: nam sicut in ordinatione Subdiaconi, jubente Pontifice ut qui vovere Castitatē velint, accedant: qui accedunt, etsi nihil loquantur, censentur Castitatem vovere; sic similiter jubente Apostolica Sede, ut qui per quinquennium in Monasterio post invalidam professionem permanserit, hoc ipso priorem professionem ratificet, jam ille tractus temporis erit signum externum, quo prior ratificetur professio.

XCVIII. *Advocatorum errores.*

Et hic obiter nota, aliquando Advocatos & Procuratores Religiosorum, volentiū ab obligatione Solennis Professionis se eximere, non adsequi punctum difficultatis, & graves errores committere; qui innotescent clarissimè, si Casus sequens proponatur, & exponatur.

An, & cur professus non debeat audiri post quinquennium?

Fr. Ioannes, quia nondum compleverat sextumdecimum ætatis annum, invalidè professus est. Mansit in Monasterio, ex. gr. per sex annos. Hoc tempore elapso reclamat; non auditur. Statutum est enim, ut sine speciali Sacræ Congregationis, quæ negotia Regularium examinat, rescripto, in nullo tribunali admittatur. Romam ergo Fr. Ioannes recurrit: licentiam postulat, ut possit ex jure contra valorem suæ professionis procedere. Conceditur à Sacra Congregatione postulata licentia. Causa authoritate Apostolica ad Episcopum & Prælatum remittitur. Et quomodo in illa procedetur?

Ad quos remitti causa debeat?

Quid in illa ante cætera soleant Advocatus & Procurator facere?

Incipit statim Fr. Ioannis Advocatus instrumenta producere, quibus probare valeat illum Novitium vota emisisse ante ætatem legitimam: & Iudices, quoniam concurriunt, hac plenè probata circumstantia, Professionem illam Fr. Ioannis invalidam esse pronunciant, eumdemque esse liberum, & posse ducere uxorem, si velit.

Illos errare demonstratur.

Committunt manifestum errorem; poruit enim contingere, ut qui invalidè professus fuerat, per ratificationem, & tacitam professionis emissionem validè fit postea professus. Ergo, non de ætate primùm, sed de Ratificatione debet in hac causa disputari. Quærendum est, Cur, ubi *manere in Monasterio per quinquennium est profiteri tacitè*, non habeat in Fr. Ioanne locum; sed dicendus sit, non ratificasse priorem professionem, nec tacitè vota de novo emisisse. Sanè Ego hanc primam causam vel litem ad duo tantùm capita posse judicavi reduci. Vel enim Fr. Ioannes invincibiliter ignorabat, perseverantiam illam quinquennalem esse professionem implicitam: vel propter metum gravem, qui posset cadere inconstantem virum, toto illo quinquennio, aut sexennio, post priorem professionem elapso, reclamare ad Superiores non potuit.

De tacita professione. Quo modo fiat?

Qua sit examinanda?

Hoc est, quod primo loco debet examinari in Causa Fr. Ioannis. Nisi enim constet illum vota non renovasse, & tacitè nulla vota emisisse, frustra quæretur, An fuerit valida prima Professio?

Notentur ista bene, nam in iis graves errores committuntur.

Et hic volui tantisper immorari, quia video interdum hanc rem à Procuratoribus & Advocatis non intelligi, & in ea errores manifestos committi.

IC. A culpa, qui rebus, quæ sua non intersunt, se immiscenti non excusantor.

Regula XIX. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Est Vniversalis, reddit enim hunc sensum, *Nunquam est sine culpa*, &c. aut etiam hunc, *Nullus est sine culpa*. &c.

Et quàm multos accusat hæc Regula, stat enim inveterata consuetudo ut homines, res, quæ ad se pertinent, negligant, & de rebus, quæ sua non referunt, anxii sint & solliciti.

Pluribus uti defensionibus non prohibentor.

Regula XX. *Nullus uti pluribus defensionibus prohibetur.* Est formaliter Vniversalis. Et contrariatur Propositioni *Omnis uti*, &c. & Propositioni, *Aliquis uti*, &c. contradicit.

Semper, quæ semel placuerunt, placento.

Regula XXI. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.* Continet duas Propositiones, quarum priorem illa particula *semel* tedit Singularem: & posteriorem Vniversalem particula *non*, id est *nunquam*.

Quando habeat vim hæc Regula?

Habet locum hæc Regula quando per meam approbationem adquisitum est alicujus, contra quod procederetur, si mutarem dictamen. Quoniam in rebus indifferentibus, ex quibus nulla proximo irrogatur injuria, inconstantiæ signum erit mutare sine causa dictamen, licet hæc ipsa mutatio ad peccatum imputari non poterit.

C.

Regula XXII. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* Posuit Pontifex *alterius* loco *alius*; & illud *præ* addidit, non ut aliquid significaret, sed ut periodus gratior

tior auribus efficeretur. Quid voluit dicere, universi percipimus, at non dixit quod voluit, quoniam *non debet* differt à *debet non*, & sensus Propositionis est, *Omnis homo debet non gravari odio alius*. Ergo tametsi quoad verba sit Particularis, est Vniversalis quoad sensum: & æquipollet huic, *Nullus homo potest gravari odio alius*.

Aliorum odio non gravantor. Aliud est non debet, & aliud diversum debet non.

Sine culpa non puniuntor.

Regula XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, Est Vniversalis, quia *Non aliquis* est idem omninò, quod *Nullus*.

Vt sensus stet, verbum hic *puniri* debet usurpari impropriè, ita ut sit idem ac *affligi*, aut *gravari*. Quoniam, si sumatur propriè non poterit dari casus in quo aliquis possit sine culpa puniri: quoniam *culpa* & *punitio* sunt relativè connexa, nam innocens non potest puniri.

Aliud est puniri, & aliud affligi.

An saltem affligi & gravari? Post Lutherum & Calvinum negat Michael Bayus, cui Cornelius Iansenius subscribit; docent enim non posse Deum de potentia absoluta Animam innocentem affligere. At contra hoc argumentum conformamus Catholici,

An possit Deus animam innocentem affligere?

Beatissima Virgo Maria hujus vita fuit miserias perpessa: sustinuit famem, sitim, & alias plurimas incommoditates. Et tandem mortua fuit. Ergo, vel Deus potest Animam innocentem affligere, vel Sanctissima Virgo non fuit innocens. Hoc ultimum dici non potest: Deipara enim caret omni peccato. Dici ergo debet illud prius.

Huic doctrinæ insistendo Bonifacius VIII. ad homines extendit præcedentem doctrinam, licèt enim nemo sine culpa & causa gravari à superiore possit: gravari sine culpa poterit, modò adsit causa, quæ impoui illud gravamen, exigat.

Quo sensu fuerit loquutus Pontifex?

Regula XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Tres continet Propositiones, in quibus aliqua veniunt observanda.

CI. Definitiva.

Prima est virtute Vniversalis, æquivalet enim huic, *Omnis, qui operatur ex mandato Iudicis*.

Secunda non est, *dolo non facit*, sed *dolo facere non videtur*; ut omnibus casibus aptari possit. Quia, Iudex est legitimus, & legitima præcipit, cessat quæstio. Quæritur autem, quid dicendum sit, quando Depositario Iudex præcipit tali aut tali consignari depositum, si forte ille illegitimus sit; aut jubeatur personæ, cui non debet, consignare depositum. An scilicet sub istis circumstantiis Depositarius obediens Iudici, dolo egisse censendus sit?

Non facit, & Non videtur facere non sunt idem.

Respondeo primò considerandum esse, in quo statu est Iudicis autoritas, qui illegitimus dicitur. Quoniam, si habeat titulum coloratum, quem vocant, & apud omnes receptus & admissus ut legitimus sit, nemo dolosè agit, quando ei obedit. Quod si ejus sit dubia & litigiosa potestas, qui cum alius damno illi obedit, dolo facere censendus est.

De Iudice, qui habet titulum coloratum.

Respondeo secundò Iudicem, etiam legitimum, non posse jubere, quidquid velit, sed habere terminos jurisdictionis, ultra quos invalidè procedat, aut jubeat, quod ipsum olim Hesiodus *in operib.* cecinit dicens,

De legitimo Iudice.

Bonus ille est, qui rectè dicenti (jubenti) obedit.

Quod etiam idem Pontifex *nu.26.* definivit his verbis, *Illa, quæ fiunt à Iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt* (hoc est, *sunt invalida.*) Ergo, si Iudex extra limites sui officii præcipiat, considerandum est illud *extra*: an certum aut disputabile sit? Si primum, ubi agitur de damno tertii, non obedire debet. Si secundum se juvare remediis Iuris; & si hæc non prosint, & obediat, non poterit dolo egisse præsumi.

Quid faciendũ sit, si extra terminos suæ potestatis præcipiat?

Tertia hujus Regulæ pars est Modalis: nam hæc verba, *Cum habeat parere necesse*, æquivalent his, *Necessarium est omni clienti (nempe, in casibus à Iure præscriptis) ut pareat Iudici.*

Præcedens Regula rescribi poterit terminis generalibus, qui eodem modo ac præmissi exponantur: puta dicendo, *Quod subditus mandato facit Prælatis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse*. Et hæc Regulæ propagatio & extensio exornari, & dilucidari poterit historiis, quæ *in Theolog. Fundam. post Fund.* XL. in Quæstione, cui epigraphe, *An Patres Benedictini obedire Prælato debeant, quando præcipit impossibilia?* Ibi Articulus VI. agit & disserit *de his, qui injuncta impossibilia; quæ sine certissimo vitæ periculo tentari non possunt*. Nam Ioannes Monachus, cui (ut constat *ex Vitis Patrum. cap.2.§.26.*) Abbas Paulus jussit ut leænam, quæ viam obsidebat, ligaret; vinctamque ad Monasterium conduceret: & Maurus, cui (ut S. Gregorius enarrat) B.P.N. Benedictus præcepit, ut ambularet super aquas & Placidum submersum & periclitantem educeret: & alii, qui in Obedientiæ exemplum ab Asceticis proponi solent, se expo-

An semper obediendũ Prælato præcipienti sit?

Quid si Prælatus jubeant impossibilia.

Fr. Ioãnes leænam ligare: & S. Maurus super aquas ambulare jubentur.

sue-

fuerunt incurrendæ mortis manifesto pericolo, & de eis quæri posset; *An videantur fecisse dolo? an excusari ideò debeant, quòd hubuerint parere necesse?*

Considerandum est, qualis sit, qui præcipiat?

Respondeo, Prælatos à Prælatis & casus à casibus distinguendo. Nam si tibi unus ex communi grege & oůmero Prælatorum, aut vincire leænam, aut in profundo lacu super aquas ambulare præciperet, posses meritò dicere hoc esse præceptum invalidū, quia est de rebus, quæ exsunt contra autoritatem & Iurisdictionem Prælatorum: quoniam ut ex Regul. XXVI. paulò ante dicebamus, *Illa, qua fiunt à Iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.* Verùm enim verò, si tibi, aut Abbas Paulus, aut S. Benedictus, præceptum tale imponeret, certus de sanctitate præcipientis, posses clausis oculis obtemperare. Et ad majorem regiminis Divini suavitatem, piè possumus credere, Deum quando Paulo & Benedicto revelavit, se velle ut hujusmodi præcepta imponerent; se, ut obedirent, velle, Ioanni & Mauro simul revelavisse.

Sed facilius & tutius est ad revelationem recurrere.

CII. Vnicuique propriæ, & alienæ moræ nocivæ sunto.

REGULA XXV. *Mora sua cuique est nociva.* Considero illud *cuique*, & assero hanc Propositionem esse Vniversalem, & ad Loxicam (hoc est, ad Logicam obliquam spectare) de qua jam dudum Tractatum specialem edidimus. Poterit ad Logicam Rectā reduci, si dicamus, *Vnusquisque à sua propria mora, & non ab aliena patitur nocumentum.*

Quæ extra Iudicis potestatem fiunt, invalida & nulla censentor.

REGULA XXVI. *Illa, qua fiunt à Iudice* (seu à quocumque Superiori, Ecclesiastico, aut Laico) *si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt* (clariùs, & breviùs, *sunt invalida.*) Quo illa sensu usurpari debeat, jam constat ex dictis ad Regulam XXIV.

Est universalis negativa: nam illud *Non*, est vel *Nunquam*, vel *Nulla*. Puta, si diceremus. *Nunquam, quæ fiunt, &c. viribus subsistunt*, vel *Nulla, qua fiunt &c. viribus subsistunt.*

Definitiva.

REGULA XXVII. *Scienti & consentienti* (adde, *& potenti consentire*) *non fit injuria, neque dolus*, Consultò illa verba, *& potenti consentire*, interserui: sunt enim multa, in quibus noster consensus nihil præstat. Nemo enim potest dare licentiam, ut se Titius occidat, ut suam uxorem Fridericus cognoscat. Quam ob rem, etsi Nero ab amicis & comitibus anxiè postulaverit, ut se occiderent; nemo illum licitè poterat volentem & consentientem occidere: quia consentire non poterat, & hanc ob rem consentiebat invalidè. Marito etiam, qui suam uxorem prostituit, scienti & consentienti fit injuria, quoniam consentire non potest. Vnde, si Otho, quod dicitur ob Politicas causas, suam uxorem prostituit [ut aliqui ex Epigramm. & Suetonio in Othone cap. 3. & illo versu

Corrigi & limitari debet, ut sit vera.

Vxoris mœchus [*] cœperat esse suæ.

colligunt] præbuit alicui licentiam, ut ad uxorem suam accederet: ille Aliquis adulterium commisit, & injuriam Othoni intulit, qualem & quantam intulisset, si caruisset licentia.

*] Mœchus passim est, qui uxorem alienam cognoscit: sed hic videtur significare eum, qui propriam prostituit.

CIII. Quæ à Communi Iure exorbitant, in exemplum & consequentiam non trahuntor.

REGULA XXVIII. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Est universalis negativa, nam illud *Nequaquam* est, vel *Nunquam*, vel *Nulla*; ut sensus sit, *Nunquam, quæ à Iure &c. ad consequentiam sunt trahenda*, vel si velis. *Nulla, quæ à Iure, &c. ad conseq. sunt trahenda.* Non sunt, inquam, trahenda ad consequentiam: nam sunt facta licitè, vel illicitè. Si illicitè: corrigenda sunt, non repetenda: Si licitè: illa non sunt talia, quæ Iuri Divino opponantur; id enim nunquam violatur licitè; illa igitur Iuri purè humano opponuntur; & non nisi propter necessitatem admissa sunt. Ergo cessante necessitate, repeti aut reponi non debent. Vide Reg. LXXVIII.

Definitiva.

REGULA XXIX. *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.* Ad Logicam & ad Loxicam pertinet; & est trifariam Vniversalis. Illud enim rectum, *Quod*, est *Omne*, aut *Quidquid*, & in obliquis *tangere omnes*, & *ab omnibus* vel probari reperio. Sed quia designari postulas oppositarum digestionem, quæ ab hac Vniversali nascuntur, lineas subsequentes scribo.

* An dentur Propositiones, quæ multis sint modis Vniversales: vel Particulares?

Primò, hæc Propositio, *Omnis res, quæ tangit omnes, ab omnibus est adprobanda* trifariam est Vniversalis. Vnde considerata secundum syncategorema *Omnis*, contrariè opponitur huic propositioni, *Nulla res*, &c. Et contradictoriè huic, *Aliqua res, quæ omnes tangit, non est ab omnibus approbanda*, quæ non æquivalet huic, *Aliqua res, &c. est ab omnibus non approbanda.*

Secundò, illæ particulæ, *Quæ contingit omnes*, subjectum complent, & modificant. & ex Loxica (Logica Obliqua) transire in Rectam possent, si v. gr. diceres, *Vbi omnes tanguntur, omnium requiritur approbatio & consensus.*

Ter-

Tertiò illud prædicatum, *ab omnibus debet approbari*, potest in rectum & subjectum transire, si dicatur, *Omnes id approbare debent*, quod universos tangit.

REGULA XXX. *In obscuris minimum est sequendum*. Est universalis; nam in ea adverbium *semper* subauditur, ut sit, *Semper in obscuris*. &c.

Minimum in obscuris sequuntor.

CIV.

REGULA XXXI. *Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet*. Est Vniversalis negativa: æquivalet enim huic, *Nullus, qui certus est*. &c.

Vlteriùs, qui certi sunt, non certiorantor.

Quærunt Philosophi, *An dentur magnitudinis termini?* Dari creaturam perfectissimam, qua perfectiorem non possit Deus producere opinatur Arriaga, contra quem tota concitatur Schola. At materiales Formas habere magnitudinis, & parvitatis terminos, ita ut neque sub minori, nec sub majori possint esse, jam asserunt, & jam negant Autores, qui scripserunt de Physica. Nunc Moralia tractamus, & hujus Autor Regulæ testatur Certitudinem habere propriæ magnitudinis terminos, ultra quos promoveri non possit.

An dentur magnitudinis termini? Opinio Arriagæ.

REGULA XXXII. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit*. [lege, *non est*, hæc enim Regula ex Prudentia & Lege Naturali desumitur, & esset vera, etsi nullæ existerent lites in Mundo.] Est Vniversalis: & illud *non* ita potest exponi; ut sit *Nunquam licet Actori*, &c. vel *Nulla res est licita Actori, quæ Reo non sit similiter licita*.

Actori, quæ Reo non licent, non licento.

REGULA XXXIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*. Est Regulæ XXI. Expositio; & sumitur universaliter, nam æquipollet huic universali negativæ, *Nemo consilium mutare potest in alius detrimentum*.

Consilium cum alicujus injuria non mutanto.

REGULA XXXIV. *Generi* (subintellige, *semper*) *per speciem derogatur*. Est Vniversalis affirmativa: & vera. Nam, si in testamento Titii Cajo omnes animantes legentur, intelligendæ veniunt etiam aves: quod si hæc particula *quadrupedes* apponeretur, à legato aves excluderentur.

Definitiva.

REGULA XXXV. *Plus semper in se continet quod est minus*. Considera illud *semper* ut scias hanc esse Vniversalem.

CV.

Definitiva.

Cum hac Regula debet connecti illud Commune Pronunciatum, *Qui potest, quod est plus, poterit etiam quod est minus*. Est enim verum, si illud *plus*, ut constat ex contexto, ita exponatur, ut in se contineat, quod est *minus*. Vnde benè dicitur, *Qui habet pecunias, ut possit dare, aut expendere mille, hic sufficientes habet, ut possit dare, vel expendere centum*, quia mille in se continet centum. Malè autem sic discurreret Lælius. 36

Quo hac Regula modo sit intelligenda, & exponenda.

Qui potest plus, potest & minus.
At plus est absolvere à peccatis, quàm à pecuniis debitis.
Ergo Sacerdos, siquidem habet potestatem Pœnitentem absolvendi à peccatis, poterit eum absolvere ab onere pecunias restituendi, quas debet.

Dixi Lælium malè discurrere, nam illud plus (nempe absolvere à peccatis) non continet in se (absolvere à pecuniario debito) quod est minus.

REGULA XXXVI. *Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere*: hoc est, *qui dolosè egit, quæ si sine dolo egisset, revera desiisset possidere*. Est Vniversalis, & æquivalet huic, *Semper pro possessore habetur*. &c.

Qui dolo desierunt possidere, pro possessoribus habentor.

Et hujus Regulæ hoc exemplo dilucidatur veritas. [Cnejus morosus solutor condemnatur, ut contra eum per exsequutionem procedatur. Ipse, ne ulla exsequutio habere locum possit, domum, & supellectilia, quæ in ea, per instrumentum publicum donat Laurindo.] Dico hanc donationem fuisse invalidam, & tam domus, quàm supellectilium, quæ in ipsa erant, verum & legitimum possessorem esse Cnejum, *qui dolo desiit possidere*: hoc est, ut sub initium dicebamus, qui dolosè procedens illa egit, quæ si sine dolo fecisset, proculdubio desiisset possidere.

Donatio dolosa est invalida.

REGULA XXXVII. *Vtile non debet per inutile vitiari*. Et dico in illis verbis *non debet*, aut elocatam esse illam voculam *non*, aut *non debere* positum esse pro *non posse*. Lex est universalis, & reddit sensum hunc. *Vtile debet non vitiari per inutile*, aut, quod in idem recidit, *Vtile non potest vitiari per inutile*.

CVI.

Vtilia per inutilia non vitiantor.

REGULA XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit impugnare*. [Hic, sicut in aliis etiam locis verbo *existere*, sumens illud pro *esse*, abutitur Papa Bonifacius.] Et etiam hic verbum *debeo* adsumitur pro verbo *possum*. Est ergo Regula Vniversalis, & æquipollet huic, *Nullus fructum ex eo consequi potest, quod fuerat nisus impugnare*.

Ex his, quæ impugnaverunt, fructum non consequuntor.

REGULA XXXIX. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo*. Et videretur hæc esse Particularis, quoniam, *Cùm quid prohibetur*, idem est, ac, *Cùm aliquid prohibetur*. &c. At est universalis; nam adverbium *quotiescumque* subintelligitur, ut sensus sit, *Quotiescumque aliquid interdicitur, tunc simul interdicuntur omnia*

Definitiva.

illa

An accessoria suum principale debeant sequi?

illa, quæ sequuntur ex ipso. Cui similis est hæc Propositio, *Quotiescumque aliquid conceditur, tunc simul conceduntur omnia illa, quæ sequuntur ex ipso*: & etiam hæc, *Accessorium sequitur suum principale*, de qua ad Reg. XLII. redibit sermo.

Definitiva. *Est numerus dualis in multis linguis.*

REGULA XL. *Pluralis loquutio duorum numero est contenta*. Particularis & non universalis est. Falsa enim est, si universim sumatur: & necessariò debet contrahi, ut sit vera. Nam in Latino Idiomate quod duali caret numero, stat hæc Regula: in omnibus autem aliis, in quibus Dualis numerus locum habet, quale est Hebræum, & Græcum, pluralis loquutio, trium numerum requirit ut minimum.

Quæ sine culpa omissa non imputantur.

REGULA XLI. *Imputari* (nempe, *ad culpam*) *non debet ei, per quem non stetit, si non faciat, quod per eum erat faciendum*. Et consultò illud *ad culpam* interposui; nam potest imputari ad damnum. Quoniam, si cum Artifice contrahas te daturum illi centum & illum talem picturam v.gr. intra mensem absoluturum esse. Si ille in morbum incidat & non absolvat opus, id ipsi non imputabitur ad culpam: sed imputabitur ad damnum, nam illa centum non recipiet.

CVII. *De pace Imperii in Germania.*

De hac Regula disputatum est acriter in Germania cum Ministris Cæsareis, qui subducere volebāt Imperatorem ab obligatione restituendi Palatinatum filio & hæredi Comitis Palatini, etsi enim promisisset hanc ipsam restitutionem Imperator, ille Comitatus erat in manibus Regis Catholici, qui nec verbum de hac materia auscultare volebat. Vnde dicebant Cæsariani Ministri, *Non fuit, prout in Pacis instrumento erat positum, Palatinatus restitutus: sed hoc ipsum minimè imputari Imperatori debet, siquidem per eum non stetit, quòd non restitueretur dictus Palatinatus, qui per eum erat restituendus*. Vrgebant Adversarii Instrumenti Publici literam, ubi enim Palatinatus restitutio promittitur, modus explicatur his verbis, *Idque autoritate Cæsarea effectum iri, ita, ut nec Rex Catholicus, nec Dux Badensis aliquid objiciat, vel opponat*. Ergo de Regis Catholici, & Ducis Badensis voluntate Imperator promisit: ergo imputari ei debet, etsi per eum non stet, si non faciat, quod per eum erat faciendum. Cessavit tamen acris, & contentiosa Controversia, quia Palatinatum in Mariannæ Augustæ, Sponsæ suæ, gratiam Imperatori consignavit, & iste Palatino restituit.

An, & quo modo debebat Imperator Palatinatum restituere?

N. B. *Quidquid in isto Mundo fiat, semper Hispaniæ Rex ad expensas damnatur.*

Et hic non possum non dicere, quod licet mirum, est verum, & universis notum, in omnibus Principum, aut etiam inferiorum nobilium causis, litibus, & controversiis, sive pax ineatur, sive bellum moveatur; seu filius, seu frater, seu mater à Rege dissentiat, & discedat; & hoc non solùm in Gallia, Anglia, aut Germania, sed in Africa, aut alibi, semper Regem Catholicum (D.N.) condemnari ad expensas.

Suum Principale Accessoria sequuntur.

REGULA XLII *Accessorium naturam sequi congruit Principalis*. At quia hic non congruentias sed obligationes examinamus, & quid sit *sequi naturam* scimus, sublatis circumloquiis & verbis inutilibus dicimus, *Semper accessorium sequi debet suum Principale*. Et per illud *Semper*, hanc Regulam, Vniversalem asserentem esse significamus; & *Accessorii* nomine intelligimus id, sine quo aut non potest, aut secundum communes Patriæ mores, non solet existere suum Principale.

CVIII. Definitiva.

REGULA XLIII. *Qui tacet* (quando potest, & debet loqui) *consentire videtur* (hoc est, *consentire censendus est*.)

An loquamur tacendo.

In Dissertatione sequenti exponitur, & dilucidatur hæc Regula Commentario copioso, & ideò non erit, cur impræsentiarum immoremur. Eam autem Vniversalem esse, constat, quia idem est dicere, *Qui tacet* &c. ac dicere, *Omnis, qui tacet*. &c.

Definitiva.

REGULA XLIV. *Is, qui tacet, non fatetur; sed neque negare videtur*. In sensu reali est vera: quoniam, qui tacet, non loquitur: & qui non loquitur, nihil negat, aut asserit. Et est Vniversalis, nam illa verba, *Is, qui tacet, non* &c. æquipollent his, *Nullus, qui tacet*. &c.

An consentire idem ac Affirmare sit?

Ex mala intelligentia hujus Regulæ prodiit, ut quidam Iuris Professor Neapoli, quia *negare & affirmare* in hac legebat Regula, asseruerit eodem præcedentem modo interpretari & exponi debere; unde illa verba, *Qui tacet, consentire videtur*, jubebat æquivalere his, *Qui tacet, affirmare videtur*. At adlucinabatur certissimè. Quoniam etiam consentimus negando: sicut enim D. Thomæ affirmanti peccatum mortale in suo quiditativo conceptu includere malitiam infinitam, assentiris & consentis, si id asseris: sic eidem Angelico Doctori neganti in individuo actus indifferentes, consentis, assentirisque, si id similiter negas.

Regula in sensu reali est accipienda?

Et circa hujus Regulæ veritatem pronuncio, eam in sensu reali, ut sub initium dicebam, veram esse: & addo eamdem in sensu morali admitti posse in casibus, in quibus Canoni sequenti non præjudicet: videlicet, *Is, qui rem aliquam interrogatus, in casu, quo possit & teneatur loqui, tacet, non solùm non videtur negare, sed fateri censendus est.*

RE-

CIX. In obscuris verisimiliora inspiciuntor.

REGULA VI. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Est Vniversalis, quoniam reponi, & exponi his debet verbis. *Inspicimus semper in obscuris*,&c.aut *Inspicimus in omnibus rebus obscuris*. &c.

Quid verisimilius sit?

De Placidi Morali Syllogismorum Modo.

Asserit, & scitè, Bonifacius verisimilius seu probabilius esse illud,quod plerumque accidere, aut fieri consuevit. Et hac subcollatur Regula ille nostræ Dialecticæ Moralis Modus, qui nominatur PLACIDI, & Conclusionem probabiliorem infert: ut si dicas,

Ex Cretensibus plures mendacio, quàm veritate delectantur,

At Fridericus est Cretensis.

Ergo probabilius est eum mendacio potiùs,quàm veritate delectari.

Succedentes in aliorum Officia, eodem jure, quo Prædecessores utuntor.

REGULA XLVI. *Is, qui in jus succedit alterius,eo jure, quo ille, uti debet.* Si verba examinem, video, τὸ *is, qui*,poni pro τῷ, *quicumque*;hic, ut etiam sæpè alibi, τὸ *alterius*, pro τῷ *alius*; & τὸ *debet* pro τῷ *potest*; homo enim potest suo jure cedere, & si deberet illo uti,cedere illo non posset. [Hac interdum Regula abutuntur Ministri:sed hoc abusu jam egimus ad Regul.XIV.]

Definitiva.

REGULA XLVII. *Præsumitur* (subintellige,*semper*) *ignorantia, ubi scientia non probatur.* Patet, cum nati simus in ignorantia est,ignorantia est in possessione, & didicisse veritatem & adquisisse scientiam, est quæstio facti: & debet propterea probari. Ergo tam facti,quàm juris ignorantia præsumitur,ubi scientia non probatur.

CX. *Quo modo hæc Quadragesima septima Regula cum Tertia decima componatur?*

An hæc Regula Tertiæ-decimæ opponitur, videlicet, *Ignorantia facti,non Iuris excusat?* Respondeo negativè, aliud enim *præsumere*, & aliud *excusare* est. Vnde, si Titius ut conderet testamentum tres vel quatuor testes adhibuit, cùm septem, vel octo debuisset, præsumam eum legis dirimentis ignorasse rigorem; quia, si scivisset,in suo testamento plures testes vocasset. At illum, & ejus testamentum,à legis censura non subduco, & excuso; sed assero illum errasse & istud esse invalidum: quoniam dirimentium legum efficacia à subditorum, qui ad illas suos debent elimare contractus, ignorantia aut notitia non indiget.

Cum aliorum injuria non locupletantor.

REGULA XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Illud *non* afficit signum *aliquis*, & est idem ac *Nullus*. *Non debet* ponitur pro *non potest*: *Alterius* pro *alius*. Et illud *vel jactura* est superfluum. Qui enim utitur suo jure,aliquando procedit cum aliorum jactura vel damno, non autem cum aliorum injuria. Est ergo sensus Regulæ, *Nemo locupletari potest cum alius injuria*.

In pœnis benigniorem interpretationē eliguntο.

REGULA IL. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Est Vniversalis, & æquivalet huic, *Semper in pœnis*. &c. aut huic, *In omnibus pœnis*. &c.

Fundamentum est ipsummet Possessionis Ius: nam qui luit pœnas,solvit, & quia in omni dubio pro possessione stari debet, in omni condemnatione pœnali benignior semper interpretatio debet fieri.

CXI. Actus legitimi conditionem aut diem non recipiunto.

REGULA L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* Est obscura, & difficilis: interim verificatur in aliquibus casibus; quoniam non valet iste matrimonii contractus, *Ego te accipio in meam, ita ut non hinc, sed ab anni sequentis initio, sis mea uxor; & dissolvatur Matrimonii vinculum, si fortè adulterium commiseris*, exponi ergo debet, quid *actus legitimi* nomine intelligatur, priùs quàm decidatur,an hæc possit,aut debeat Regula accipi universaliter.

An possit matrimonium, quod cras v.gr. incipiat, & annum finiatur, contrahere?

De quibusnam Actibus hæc Regula sit intelligenda?

Sanè desumpta fuit hæc Regula *ex leg.Actus legitimi*,ait, *qui non accipiunt diem,vel conditionem,veluti Emancipatio, Acceptilatio, hæreditatis Aditio, servi Optio, Datio curatoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem*. Ecce Vir prudentissimus non Legem aut Regulam sumit universaliter, sed particulariter tantùm, ad casus speciales contractam.

P.Mag.Nidus laudatur.

Reverendiss.P.Raymundus Nidus, Ordinis Prædicatorum, S.Theologiæ Magister, & Inquisitor Gen. in Principatu Papiensi. &c. nuper in lucem misit in Iuris Pontificii Regulas Commentaria doctissima; & dilucidans Quinquagesimam hanc, hæc ipsa verba Papiniani producit, & subjungit. [Vt vides, non habet sermonem Iurisconsultus de omni actu legitimo, at de illis solùm, qui non recipiunt diem, neque conditionem: & de istis docet, quòd vitiantur, si conditio aut tempus apponatur. Quare Cagnolus *ad eamdem leg. Actus legitimi.sub num.3.* scripsit, Clariùs, meliusque processisse Iurisconsultum tradendo Regulam limitatam, quàm fecerit Summus Pontifex,Bonifacius VIII.*in præsenti* absolutè & generaliter loquendo de Actibus legitimis: Et,nisi esset Regula illa Iuris Civilis, per quam hæc nostra declararetur, hæc malè salvari posset. &c.]

De Bonifacio & Papiniano.

Vter clariùs procedat?

An hæc Regula sit Vniversalis?

Propositio igitur, quæ in Regula præsenti exhibetur, non est Vniversalis,sed debet affici signo & syncategoremate Particulari;nempe dicendo: *Aliqui Actus legitimi;con-*

ditionem non recipiant, neque diem. Et, qui sunt isti? Respondebimus idem per idem; illos nimirum tales esse, qui diei aut conditionis additione vitiantur.

CXII.
De Matrimonio.

An, stando Juri Naturæ, recipiat conditionem, aut diem?

Papinianus inter alios solennes Contractus, quos recensuit, non posuit Matrimonialem: quoniam apud Romanos illo ævo Matrimonia libello subjacebant repudii, adeoque recipiebant conditionem & diem. Quam ob rem verba illa, *Accipio te in meam*, hunc reddunt sensum; *Duco te in uxorem, hac videlicet lege, ut mea sis adusque illam diem, qua libello repudii interposito te, ut peragar tua negotia dimittam.* Qui contrahendi modus non omninò Juri Naturali repugnare videtur: quoniam sub P. Ignatii Derkennis præsidio 10. & 11. Julii. 1640. Conclusio hæc Lovanii num. 100. fuit propugnata. *Ostendi nequit, spectato præcisè Jure Naturæ in omni casu ab intrinseca invalidam esse Matrimonii dissolutionem, immò nec illicitam.*

Abantis Regis lex de Matrimonio triennali.

Et hanc doctrinam amplecti videntur multi in Asia; erat enim sub annum 1620. Abantis, Persarum Regis speciali decreto cautum, ut triennialia essent Matrimonia; & hoc tempore elapso, ipso illa jure dissolverentur, Vnde Conjuges, si volebant, se post triennium separabant, aut novo contractu revinciebant: & si neutrum fecissent, in contubernio censebantur manere, & filii, si quos procreassent, illegitimi reputabantur. Ita narrat Petrus della Valle *in sua Perside.*

Quæ, & qualis sit Propositio, quæ vocatur Impertinens?

Ænigma proponitur.

Hinc lux Impertinenti (sic Lovanii Positio dicitur, quæ eruditionis gratia extra filum & seriem Conclusionum in Disputatione proponitur) quæ in Thesibus, anno sæculari (nempe MDCXL. à Patribus Societatis propugnatis sub numero 100. legitur, videlicet, *Dic, quibus in terris Societatis Apostoli ex eodem toro proles invenire frequenter potuerint, quarum prima legitima, secunda illegitima, tertia rursus legitima fuerit?*

Resolvitur.

Respondeo, similes proles inveniri apud Persas; nam, si Fatimam ex. gr. Zelinus in uxorem duxit, & ex ea primo decurrente triennio suscepit filium; & hoc elapso tempore illam absque novo contractu apud se retinens alterum filium habuit: & post ejus nativitatem denuò cum eadem Fatima matrimonium contraxit, & procreavit filium. Hic & primus, quia ex legitimo matrimonio nati, essent legitimi: illegitimus verò esset secundus, utpotè extra matrimonium susceptus.

CXIII.
Semel dicata Deo ad usus alios non transferuntor.

REGULA LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.*

Sed quanta est hæc Propositio? Videri posset Singularis propter adverbium *Semel.* At est Vniversalis, reddit enim hunc sensum. *Nulla res, quæ semel fuerit Deo consecrata, potest posteà profano usui servire.*

An non solùm ratione Religionis, sed etiam ob generalem rationem hæc Regula verificetur.

Et tametsi videretur esse in hac Regula speciale præceptum propter Religionis circumstantiam, insistit generali doctrinæ, quæ etiam in rebus humanis locum habet. Est enim hæc Regula, quædam Propositio subalternata, cujus subalternans est hæc, *Nulla res donata Titio v. gr. potest posteà sine ejus conscientia & consensu Cajo vendi, donari, aut quocumque alio modo alienari.* Et patet: quoniam per donationem transfertur dominium: & per dedicationem, privatum dominium, quod in re dedicata habebat possessor, in Deum transfert. Ergo sine consensu Dei, hæc ipsa res Deo dedicata, in alios nequit usus converti.

An, & quo modo Deus præbeat in rebus suis alienandis consensum?

Definitiva.

An-ne, & quomodo poterit cum Dei consensu? Sunt in omni loco Sacro, & Pio Administratores, qui Dei nomine eleemosynas & res Deo dicatas recipiunt, easque ad majorem loci utilitatem (adeoque ad majorem Dei gloriam) vendunt, alienant, & distribuunt. Et horum conscientia & consensu, prout necessitas & utilitas postulet, & Superiores, quorum interest providere, permittant, quæ semel fuerunt Divino cultui consecrata in usus poterunt humanos & profanos converti.

Quæ non sunt, non operantur.

Nullum impedimentum præstat matrimonium invalidum.

REGULA LII. *Non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.* Est Generalis & Vniversalis, & reddit hunc sensum, *Nulla res (contractus, præceptum, &c.) quæ, si esset validè posita tale aut tale impedimentum induceret, illud inducit, si invalidè posita fuerit.* Virtute hujus Regulæ, Petrus, qui duxit in uxorem Isbellam, si hoc matrimonium initum fuerat validè, habet impedimentum & illa superstite aliam non potest ducere. At Petrus dicit se cum Isbella contraxisse matrimonium invalidè; benè. Si hoc probet, probabit se posse aliam quamcumque ducere, non enim matrimonium præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.

CXIV.
Definitiva.

Termini plus, & minus, quomodo sint intelligendi?

REGULA LIII. *Cui licet id quod est plus, licet utique, quod minus est.* Est Vniversalis, & exponi poterit per hanc Propositionem, *Semper, cui licet,* &c. vel per hanc, *Cuicumque licet.* &c. Pertinet ad Loxicam (Logicam Obliquam) & poterit ad Rectam reduci, si rescribatur his verbis, *Vnusquisque, qui potest præstare, vel facere, quod est majus, poterit etiam facere & præstare, quod est minus*: puta, si illud minus sit pars, & ut talis contineatur in illo quod est majus; juxta ea, quæ in Regulæ XXXV. expositione dicebamus.

Priores tempore, jure potiores sunto.

An inter Creditores reperiatur varietas?

REGULA LIV. *Qui* (cæteris paribus) *prior est tempore, potior est jure.* Est Vniver-

salis

falis: & ut talis evadat, debet transire in hanc *semper, qui est prior.* &c. aut in hanc, *Omnis, qui prior est.* &c.

Tres illorum differentiæ adsignantur.

Illud, *cæteris paribus*, debui interferere; ut ostenderem esse circumstantias quæ tempori debent præferri. Certum est enim in singulis Provinciis & Regnis sic ob causas rationabiles disponente Republica, dari debita privilegiata, quæ debent universis præponi. Præter hæc debita, Creditores habent cautiones, & securitates inæquales, & hæ gradus inter illos constituunt. Vnde primo in loco constitui debent Hypothecarii, secundo Chirographarii, Verbales tertio. Verùm enim verò inter ejusdem ordinis Creditores, me judice, observari debet hæc Regula: exterùm, quia alii Doctores, aliter & aliter statuunt, placet producere P. Andream Mendum, qui *in Opinionum Moralium, certò Probabilium Epitome, verb. Creditor. pag.* 200. sic scribit. [Si in aliqua Provincia vel loco peculiaria statuta dentur de anteponendis his vel illis debitis, eis est standum. Dum autem ea non dentur, inter Creditores æquè privilegiatos aut æquales, si bona cunctis debitis solvendis non sufficiant, pro rata sunt dividenda, quin [N. B.] ad temporis anterioritatem attendatur. Ea autem in Hispania attenditur, cum datur concursus Creditorum & etiam in Creditoribus gazæ Regiæ, qui redditus annuos in illa sibi vendicant. Si autem Creditor in potestate sua habeat bona aliqua Debitoris, posse ex his recuperare suum debitum, quin illa dividat inter alios, probabile est.] Et, ut has doctrinas probet, citat *leg. Eos. Cod. Qui potiores sunt pignore.* Leg. *Bonis venditis. ff. de privilegiis Creditorum.* Leg. *si ventri.* §. *in bonis ff. de priv. Cred.* Leg. *Qui in navem. ff. de eod. tit.* nec non D. Thomam, D. Antoninum, & Medinam *apud se in citatis diss.* 6. *qu.* 4.

An, qui ad eamdem classem pertinent, anterioritate temporis gaudere debeant?

P. Andreæ Mendi sententia.

Ostenditur prærogativam temporis considerandam esse.

At ego vellem, ut huic argumento P. Mendus, & qui ejus opinionem sequuntur, respondeant. [Cornelius Aurelio mutuos centum aureos, refundendos, & solvendos post annum, solo illius chirographo contentus, tradidit. Elabitur tempus; moras Aurelius trahit & non solvit. Interrogo, An Aurelius teneatur Cornelio realiter, an personaliter? Si personaliter, jus habet Cornelius in Aurelii personam, & potest ad capturam procedere, quod praxis & Politici mores non tolerant. Ergo tenetur realiter. Ergo ipso Iure, quantum sufficiant illi debito, omnia Aurelii bona sunt oppignorata Cornelio. Ergo non sunt capacia ut oppignorentur Creditori secundo, quousque primo Creditori (qui Cornelius est) sit satisfactum. Et propter hanc rationem In Hisp. & in aliis benè gubernatis Provinciis in debitis anterioritas consideratur.

An personaliter, an verò realiter teneantur debitores?

An Debitor servare ordinem debeat in solvendo?

Hinc est, quòd te bene perpensa, non possit Debitor, qui non est solvendo omnibus Creditoribus, non possit posteriori satisfacere cum anterioris damno. Qui contradicunt huic doctrinæ, non dicunt oppositam esse certam, sed probabilem. Audi Antonium Coronium *in summ. Dianæ. verb. Creditor*, nempe dicentem [Creditor posterior, cui Debitor inverso ordine solveret, omisso nimiùm creditore anteriori, non tenetur restituere. Ita probabiliter Molina *de Iustitia. tom.* 2. *tr.* 2. *disp.* 536. quamvis Faber *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *disp.* 50. *cap.* 7. *n.* 222. etiam probabiliter contrarium doceat. Ità Diana *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 10. §. *Notandum est etiam.* &c.]

CXV.
Sentientes onera, commoda sentiunto.

Regula LV. *Qui sentit onus, sentire debet commodum & contra.* Est Vniversalis, & in materia Reciproca, adeoq; *simpliciter* converti potest, est enim bona Consequentia.

Omnis, qui sentit onus & commodum debet percipere.

Ergo omnis, qui commodum percipit, onus debet sentire.

In re communi prohibentium vota præferuntor.
De possessionis divisione indivisa.

Regula LVI. *In re communi* (quamdiu manet communis) *potior est conditio prohibentis.* Subintellige particulam *semper*, nam hæc Regula est Vniversalis.

Consultò illam interposui parenthesim, nam quando duo possident bona indivisa, & tamen alter se vult ab altero invito separare & dividere, non est melior conditio prohibentis.

Contra eum, qui apertiùs potuit loqui, & non voluit, legem interpretantor.

Regula LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Subintellige *semper*; est enim hæc Veritas, & ex ipso Iure Naturali desumpta. Et clarissimè persuadetur hæc Regula: quoniam, si lex habeat duos sensus, benigniorem, & severiorem; & hoc ipsum cognoscebat Princeps, certum est noluisse ad severiorem obligare: quia, si id voluisset, legem indixisset apertiùs. Quoniam de natura legis, ut obliget, est quòd sit clara; & non erit clara, adeoque nec lex, nisi ab omnibus intelligatur. Et hoc ipsum persuadetur evidentissimè *ex cap. in istis temporal. dict.* 4. nec non *ex leg. leges. G. de legibus*: ibi enim dicitur, *Leges Sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Vide Illustriss. D. Acacium March. de Velasco *tom.* 2. *res.* 179. *nu.* 5. *pag.* 384. *b.*

An hæc Regula habere locum possit in Divinis?

Et est tam generalis hæc doctrina, ut in Decalogo, & Iure Divino locum habeat; multa enim Deus, quæ clarè potuisset præcipere, reliquit disputationi humanæ, ut homines dum utrimq; reperiunt rationes probabiles, alterutrum licitè operarentur.

Definitiva.

REGULA LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Est Vniversalis & æquivalet huic, *Nullum juramentum, si contra bonos mores sit, poterit obligare*. Ergo in Regula *Iuramentum* est subjectum; *præstitum contra bonos mores*, est circumstantia, quæ subjectum modificat: *non est*, est copula constituens propositionem negativam: & *obligatorium* est ejusdem propositionis prædicatum.

CXVI.
De Herode. An peccaverit interimendo S. Ioannem Baptistam?
Marc. 6. c.

Et hic occurrit Quæstio, quæ inquirit, *An peccaverit Herodes, jubendo plecti capite S. Io. Baptistam?* Videretur, quòd non. Quoniam invitus jussit, & hoc, ne jus juratum temeraret. Ergo, ne peccaret, decapitari Ioannem jussit. Id ergo jubendo non peccavit. Historia est hæc. Tripudiavit in convivio Herodiadis filiola; & quia Herodi & simul discumbentibus placuit, hæc fuit prodiga oblatione dimissa. *Pete à me, quod vis & dabo tibi*, inquit Herodes: subjungitque juramento interposito, *Quidquid petieris, dabo tibi; licèt dimidium Regni mei*. Exiit illa, & consulta parente, rediit, dixitque. *Volo, ut protinùs des mihi in disco caput Io. Baptistæ*. Et quid tunc Herodes? Sacer Textus. *Contristatus est Rex, propter jusjurandum; Et propter simul discumbentes noluit eam contristare; sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere: & attulit caput ejus in disco; & dedit illud puellæ: & puella dedit matri suæ.* Considera illa verba, *Contristatus est*. Supponebat enim Herodes, illo se juramento obligari.

De Herodis juramento. Laborabat conscientia erronea, & se obligari illo juramento putabat.

An Herodis in bivio positus: alterutrum fecisse peccasset?

Sit Conclusio. *Herodes peccavit mortaliter rem juratam præstando: &, si non præstitisset, etiam peccavisset mortaliter*. Sanè peccavisset mortaliter, si juratam rem non præstitisset, operatus enim fuisset contra dictamen, quod habebat de facto; putabat enim se sub gravi teneri culpa jurijurato stare. Et peccavit mortaliter satisfaciendo juramento: quia fuit operatus contra dictamen, quod debebat habere.

An necessariò peccaverit?

Infers. Ergo Herodes necessariò peccavit. Respondeo hoc tuum argumentum contra omnes, qui laborant erronea conscientia, militare. Nam, qui putat thus adolendum esse Iovi: peccat, si adoleat; peccat, si non adoleat; & tamen, non necessariò, sed liberrimè peccat.

An inter facere, & non facere detur medium?

Instas: Inter juramento satisfacere & non satisfacere, non datur medium: inter thus Iovi adolere, & non adolere non datur medium. Ergo si alterutrum fiat, peccatum committitur, & tertium non datur, fateri oportet, in propositis casibus peccatum necessariò committi.

Omnia peccata committuntur contra dictamen.

Respondeo negando antecedens; quia omne peccatum committitur contra dictamen: inquit enim Apostolus, *Quod non est ex fide* (quod non procedit ex sincero & fideli dictamine) *peccatum est*. Atqui inter dictamen, in quod peccavit Herodes juramentum observans & illud in quod peccavisset, si juramentum non observasset (& idem dico de Ethnico, qui offerendo incensum Iovi peccat; & etiam, si illud non offerret, peccaret) datur medium: Ergo nulla est in nostro casu peccandi, aut exorbitandi necessitas. Minorem demonstrabo clarissimè. Satisfaciendo jurijurando Herodes peccat contra dictamen, quod debebat habere, videlicet, *Non est obligatorium contra bonos mores juramentum*. Et, si non satisfecisset Iuramento, peccavisset contra dictamen, quod habebat de facto, nimirùm, *Obligatorium est omne juramentum, etiam si bonis moribus opponatur*. At inter hæc duo datur medium: quoniam poterat, & debebat, erroneum illud dictamen, quod habebat, deponere; & correcto intellectu cum vera doctrina judicare, & dicere,

Et hoc est duplex: nempe, quod quis habet, & quod deberet habere.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

Sed juramentum de decapitando Ioanne (etiam, si plena advertentia fuisset præstitum) militat contra bonos mores.

Hoc ergo de decapitando Ioanne juramentum non est obligatorium.

De erronei correctione dictaminis.

Vide, quæ de Dictamine erroneo, & de deponendi illud obligatione dissero *in Dialecticæ de Non-Certitudine Prodromo. art. 9. & 10. pag. 61. num. 113.*

CXVII.
Quæ posteà restitui debeant ne petuntor.

REGULA LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.* Est Vniversalis affirmativa, & reddit hunc sensum, *Quicumque petit, quod restituere posteà debeat, dolò facit.*

Morosi, qui se exceptione legitima excusant, non censentor.

REGULA LX. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.* Illa verba, *Non est in mora*. &c. æquivalent his, *Nullus est in mora*. &c. Ergo Regula est Vniversalis negativa.

Quæ in gratiam sunt indulta in dispendium non obtorquentor.

REGULA LXI. *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Est Vniversalis negativa, reddit enim hunc sensum. *Omnia* (puta, *privilegia*, aut similia) *quæ in gratiam alicujus indulgentur, non sunt in ejus molestiam obtorquenda*. Vbi Syncategorema *Omnia non*, ut ex æquipollentiæ legibus constat, & Syncategorema *Nulla* coincidunt.

REGULA LXII. *Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non sit, obligatur.* Et ejus quiditas, quantitasque ex signo *Nullus* constat manifestissimè.

Ex consilio, quod fraudulentum non fuit, non damnantor.

Præbet fraudulentum consilium, qui alicui consulit contra dictamen; qui autem secundum dictamen respondet, si tamen ex consilio suo mala vel damna eveniant, ad satisfactionem nullo modo obligatur.

REGULA LXIII. *Exceptionem objiciens, non videtur in intentione Adversarii consiteri.* Quia explicatur per hanc, *Nullus, qui exceptionem objicit, videtur.* &c. dicenda est esse Vniversalis negativa.

Exceptionem objicientes in intentione Aduersariorum confiteri, non censentor.

REGULA LXIV. *Quæ contra Ius fiunt, debent utique pro Infectis haberi.* Sumpta universim falsa est: multa enim Matrimonia ex. gr. contra Iura Ecclesiastica fiunt, quæ valida sunt, & non possunt pro infectis haberi. Sciendũ est ergo, dari interdicentes, & dirimentes leges: quarum priores ad pœnam, aut etiam ad culpam, si sint Morales, obligant, contractum autem non adnullant: hæ autem ita contractum interdicunt, ut statuant, illum, si fiat, haberi debere pro infecto. Ergo, ut ad sanum & legitimum sensum Regula reducatur, debet reponi his verbis, *Quæcumque contra Iura dirimentia fiunt, sunt nulla & invalida.* Est ergo Vniversalis, & Affirmativa.

Quæ contra Iura dirimentia fiunt, nulla sunto.

REGULA LXV. *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.* Subintellige *semper*: & dic hanc esse Vniversalem asserentem.

CXVIII. Possidentes præferuntor.

Ponitur huc, quæ deberet primo loco constitui, hæc enim unica, Regulas universas subcollat, ut *in Dialeceos Prodromo, per totum Caput IV. à num. 591. & pag. 90. b.* persuadeo. Et quidem hanc eamdem Regulam tam infallibilem esse judicavi, & nunc judico; ut in illa totam Dialeceos doctrinam fundaverim, formaverim, stabilierim.

Quàm sit generalis & efficax Regula Possessionis?

REGULA LXVI. *Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Est Vniversalis, & æquipollet huic, *Omnis conditio, quæ ab eo, à quo erat implenda, ob potentiæ defectum, non purificatur, haberi debet pro purificata & impleta.* Est difficilis: & in civilibus omninò falsa: vera in criminalibus, si agatur de culpa aut pœna, non de merito: nam etsi actus virtuosi 39 omissio, quando homo illum non potuit facere, non imputatur, neque inquinatur culpa, nec infert pœnam: nihilominùs nullum meretur præmium. At posset esse laudabile desiderium actum illum faciendi: unde, si propter morbum non possit audire missam Petrus, nec hæc non auditio missæ erit culpabilis, nec punibilis, nec ullo præmio digna: at erit in Petro laudabilis bona voluntas, si doleat se non posse audire missam, & desideret habere vires, ut se ad Ecclesiam conferat, & missam audiat.

Quæ sine culpa omissa, facta censentor.

Quo modo intelligi debeat hæc Regula?

Voluntas faciendi est laudabilis, ubi impedit bonum opus necessitas.

REGULA LXVII. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Est obscura & difficilis: nam Sacerdos, qui non potest proprio nomine consecrare, nec pœnitentem à peccatis absolvere, id præstat Christi nomine: & Dux Albanus, qui proprio nomine non potuit nubere Alberto Austriaco, nomine Isabellæ Claræ Eugeniæ, Philippi Secundi, Hispaniæ Regis filiæ, Tertii sororis, ex. gr. potuit. Ergo [N.B.] in matrimonio quod per Procuratorem celebratur, vir potest esse Procurator mulieris.

CXIX. Quæ non potuerunt proprio, alieno nomine non faciunto.

REGULA LXVIII. *Potest quis per aliam, quod potest facere per se ipsum.* Et sensus ejus est, *Omnia, quæ per se ipsum ab aliquo fieri possunt, etiam possunt per Procuratorem expediri.* Et hæc ipsa Propositio, Vniversaliter loquendo falsa est, dantur enim Iura & obligationes personales, quæ Procuratorem non tolerant. Vnde prodiit Epigramma ingeniosum, concludens *Cujum, qui non per se, sed per Procuratorem observabat Decalogum, etiam æternam Beatitudinem non per se, sed per Procuratorem esse consequuturam.* Ergo intelligenda est Regula de actibus Civilibus, quæ per Procuratorem fieri Iura permittunt. Sed tunc dicet idem per idem.

Definitiva.

Sunt multæ actiones personales, quæ per procuratorem nequeunt fieri.

REGULA LXIX. *In malis promissis fidem non expedit observari*, hoc est, *fides debet non observari.* Et hæc profectò Propositio æquivalet huic, *Nemo in malis promissis potest fidem servare*: Et est Vniversalis negativa.

In rebus, quæ sunt malæ, promissis, fidem non observanto.

Huic subalternatur & ab hac infertur Quinquagesima-octava.

In malè promissis debet fides non observari,

At Iuramenta contra bonos mores materiam continent malè promissam.

Ergo in Instrumentis contra bonos mores debet fides non observari.

Componitur cum Quinquagesima octava præsens Regula.

Legis hæc & interrogas, *An, qui juraverit, se facturum esse rem malam, potius perjurus esse debeat, quàm rem peccaminosam facere.* Forsè responderet aliquis affirmativè; scitè enim *homil. 43.* [Et habetur 22. *quæst. 4. Canon. Si aliquid.*] Beda exclamat. *Si fortè nos incautius jurasse contigerit, quod observatum in pejorem vergat exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum noverimus; magisque instante necessitate pejerandum nobis est, quàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum.* At Ego negativè respondeo, hoc est, non dari casum possibilem, in quo violare juramentum

An alicui esse perjuro liceat? Verbum pejero *potest sumi bifariam: materialiter videlicet, & formaliter.*

sit

sit licitum. Et ad testimonium dico, Sanctum Patrem verbum *pejerare* sumere materialiter; ita ut sit, non facere, id, quod juramento valido aut invalido promissum est. In casu autem, quòd quis rem malam se facturum promiserit, & juramento rem promissam firmaverit, nihil promisit validè, adeoque nullum est juramentum, quod formaliter loquendo possit observari, vel frangi: ut enim Regul. LVIII. præscribit, *Contra Deum, & bonos mores emissum jus jurandum nullum est & invalidum.*

CXX.

Nulla obligationes, aut impedimenta oriuntur ex Juramento invalido.

Juramentum legitimum impedit, ut quis licitè possit rem oppositam facere, hoc autem impedimentum non oritur à juramento invalido; juxta illud, *Non prabet impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.* Regul. LII.

In alternativis Debitores eligunto.

REGULA LXX. *In alternativis debitoris est electio; & sufficit alterutrum adimpleri.* Debet præponi adverbium *semper*: nam est Universalis affirmativa.

Alternativa in sua prima institutione semper fuerunt æqualia.

Non fuerunt cum tempore aucta rerum pretia, sed pecuniarum valor fuit imminutus,

In alternativis semper reperitur sine magna differentia Arithmetica æqualitas; nam, si temporibus & rebus alteratis tollitur æqualitas, tollitur alternatio. Et hoc in censibus & gravaminibus fundorum manifestè percipitur. Ante centum annos v. gr. vitulus in provincia A. valebat 10. argenteis tantùm, hodie valet 20. Fuit campus datus in perpetuum libellum sub onere, quòd locatarius pro annuo canone, aut vitulū, aut 10. esset argenteos soluturus. Ergo, si rem bene intelligere velimus, hic contractus, *Habebis campum & dabis, vel vitulum, vel 10. argenteos*, æquivalet huic. *Habebis quidem campum, & dabis vel vitulum, vel tantundem (quantum ipse valet) in pecunia, aut argento*: quia pretium succedit loco rei. *leg. si rem. ff. de pet. hered.* Ergo, quia tunc plùs minùs alterum alteri æquivalebat, debitoris erat electio, & sufficiebat alterutrum adimpleri. At hodie, temporibus mutatis, non sunt rerum pretia aucta (& nota id bene) sed valor pecuniæ imminutus, argentum enim & aurum, quod ante detectionem Americæ pretiosissimum erat, quia rarum, hodie ob copiam & abundantiam in Europa vilescit. Ergo, vel debet dari vitulus, vel in pecunia ejusdem pretium. Ergo, quia hoc posterius non vult præstare debitor, erit creditoris electio.

De Ministrorum stipendiis. An injusta sint reddita?

Firmare videtur Resolutionem hanc doctrina, quam ex Diana *part. 9. tract. 8. resol. 8.* tradit Antonius Cotonius *in Summ. verb. Iuramentum. num. 28.* dicens. [Tabelliones & Ministri Iustitiæ non tenentur ad juramentum de non accipiendo plus de mercede à Iudice taxata pro labore sui officii, quando progressu temporis illa merces facta est injusta. Ita Sanchez, & alii.] Ergo siquidem merces & labor debent proportionari; & salarium, quod ante 100. annos erat sufficiens, hodie non est sufficiens, sed debet ex justitia augeri: etiam vitulus (de quo agebamus) & ejus pretium debēt esse æqualia: &, quia successu temporis pecuniæ est imminutus valor, aut ista (pecunia) augenda est; aut saltem in specie vitulus ipse domino fundi solvi debet. [Interim

An hac Diana doctrina Ministri non pauci abutantur?

quia, ut video, doctrina hac Dianæ aliqui Ministri abuti solent, & mea aliquis (abuti) poterit, nihil doceo, sed propono tantùm, Resolutionemque à doctioribus aliis expecto.]

CXXI.

Qui ad agendum admissi, ad excipiendum admittuntor.

REGULA LXXI. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.* Procedit à fortiori, & est affirmativa Universalis, æquivalet enim huic, *Omnis, qui ad agendum admittitur.* &c.

Quæ per Procuratorem sunt facta, per personam principalem esse facta censentor.

REGULA LXXII. *Qui facit per alios, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Æquivalet huic. *Omnis qui aliquam rem (bonam, malam) operatur per alios, eodem modo est judicandus (laudandus, aut vituperandus, & damnandus) ac si illam faceret per se ipsum.* Est Universalis affirmativa.

Facta legitimè non retractantor.

REGULA LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.* Verbis *debet*, & *non debet*, delectabatur Bonifacius, & quia in illis debitum rigorem aliquando non servat, ideò debuimus illa alterare & mutare: & ob eandem præsentem Regulam rescribimus, dicimusque, *Nulla res legitimè facta retractari potest, licèt casus.* &c. Et ejus veritas in matrimonio manifestè percipitur:

Impedimenta, quæ vocantur dirimentia, si sequantur jam celebratum Matrimonium non dirimunt.

nam, si Titius Margaretham cognoverit, ducere in uxorem non poterit ejus sororem Liviam; obest enim tali Matrimonio impedimentum dirimens affinitatis: &, si illam (nempe Liviam) de facto ducat, erit matrimonium invalidum. Cæterùm, si Margaretham duxerit, erit validum matrimonium. Et, si forte posteà cognoscat Liviam, non ideò prius matrimonium dissolvetur, sed in suo remanebit valore, sed ille in pœnam non poterit ad suam uxorem accedere sine dispensatione. Hanc autem dispensationem concedere potest in omnium opinione Episcopus: & Confessarius Regularis cū aliquibus limitationibus, quas adducit & edisserit Antonius Cotonius *in Summ. verb. Confessarius. Regularis. num. 4. & verb. Incestus. num. 3.*

CXXII.

REGULA LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

plum. Est Vniversalis negativa; reddit enim hunc sensum. *Nulla res, quæ alicui gratiosè conceditur, trahi potest in exemplum ab aliis*. Et est verissima; in rebus enim, quæ à sola gratia pendent, non habet locum Argumentum à fortiori, aut à pari.

Gratiæ in exemplum non transiunto.

REGULA LXXV. *Frustrà sibi fidem postulas ab eo servari, qui fidem à se præstitam servare recusat*. Consonat illi vulgato Axiomati, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*. Et erit Vniversalis asserens, si in istam transeat, *Omnis, qui fidem aliis præstitam servare recusat, ut sibi fides servetur, frustra postulat*: aut etiam Vniversalis negativa, si jubeatur transire in hanc, *Nemo jure sibi servari postulat, si ipse, quam aliis præstitit, non observat*.

Qui præstitam fidem non observant, sibi servari fidem non postulanto.

Hinc solvitur Quæstio, quæ Interrogat, *An Infidelibus fides servanda sit?*

An sit fides servanda infidelibus?

Respondemus fidem Catholicam non debere cum fidelitate confundi: qui enim dicit, quòd infideli (hoc est fidem aut fidelitatem non servanti) fidem non debere servari: non docet Acatholico, qui cum hominibus in suis contractibus fidem observat, posse non observari fidem. Ergo Infideli (Hæretico, Iudæo, Mahometano, Ethnico, &c,) si sit aliàs vir probus, & fidem servet, debet fides necessariò servari.

An Acatholicis?

Et hinc oritur alia similis Quæstio, quæ interrogat, *An liceat mercatorem decipere?* Et ratio dubitandi est, quòd cùm secundum depravatos hujus sæculi mores, mercatores decipiendo (hoc est, subripiendo, & extorquendo) ditescant, censendi sint ut se decipiant cæteris indulgere licentiam, *Frustra enim se non decipi postulas, qui alios est paratus decipere*.

An licitè possimus Mercatores defraudare?

Ovidius 3. *de Arte* tenuit asserentem sententiam: dixit enim.

Ovidii opinio.

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem:
Armaque in armatos sumere Iura sinunt.

Hinc sequeretur nos Mercatori, qui paratus est emptores ad se venientes non solùm in rerum qualitate, sed in pondere & mensura decipere, posse monetam falsam & adulterinam præbere, fraudemque altera fraude elidere.

At contrarium præcipit Divina lex: quoniam te odio habentem, odio habere non potes: mentienti tibi tu mentiri non potes: adeoque nec te decipientem decipere.

Vera Conclusio 40

REGULA LXXVI. *Delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare*. Transit in hanc, *Nullum delictum à privata aliqua persona commissum potest redundare in detrimentum Ecclesiæ*. Est igitur Vniversalis negativa.

CXXIII. Personarum delicta in Ecclesiæ detrimentum nō redundanto.

Abutuntur hac doctrina nonnulli Superiores, & quia ipsi non sunt satisfaciendo, & Ecclesiam non posse condemnari supponunt, multa perpetrant cum notabili damno Reipublicæ. Quid dicam de aliis locis, si in ipsa Vrbe hac Regula homines abutuntur? Erat lex de extinguendis locustarum seminibus. Et pœnæ graves impositæ. Et tamen aliqui Prælati nolebant in Monasteriorum suorum fundis opportuna remedia contra locustas ponere, ne expensas necessarias subirent; impunitate fisi, ex Regulæ præsentis contextu. In aliquibus locis non est admissa hæc Regula, & hoc videtur nimium. Temperamentum ergo aliquod adhiberi deberet: & adhiberetur, ut existimo, si gravis pœnæ personalis metus arceret personas, ut peccata committerent, de quibus disputari posset, an in Ecclesiæ detrimentum redundare deberent?

An non pauci Prælati hac doctrina abutantur? Quo possit modo adhiberi remedium?

REGULA LXXVII. *Rationi congruit, ut succedas in onere, qui succedit in honore*. Sensus ejus est, *Omnis, qui in honore, etiam in onere debet succedere*. Est igitur affirmativa Vniversalis. Consonat Regulæ LV. videlicet, *Qui sentit onus, sentire debet commodum; & contrà*.

CXXIV. Qui in honore succedunt, in onere etiam & labore adnexo succedunto.

REGULA LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa*; hoc est, *Nulla, ex his, quæ propter necessitatem sunt concessa, in argumentum possunt trahi*. Est igitur Vniversalis negativa.

Consonat Regulæ XXVIII. videlicet, *Quæ à Iure Communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*.

Quæ ob necessitatem aliquando sunt facta, in argumentum nō trahuntor.

REGULA LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur*. Et de quiditate, & quantitate hujus Positionis non est ambigendum; nam illud *Nemo* est signum Vniversale negativum.

Plus in alios Iuris, quàm habent, non transferunto.

REGULA LXXX. *In Toto Partem non est dubium contineri*. Subintellige *semper*; est enim hæc Propositio affirmativa Vniversalis.

CXXV. Definitiva, *De Toto, & Parte*.

Est æquè certa hæc Propositio, ac illa Geometrica, *Totum est majus sua parte*; non tamen cum illa coincidit: aliud enim est *contineri*, & aliud diversum *esse minus*: & Euclides Partem minorem esse Toto, & illam in hoc contineri Bonifacius affirmat.

REGULA LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. Subintellige *semper*, & habebis Vniversalem asserentem.

In generali concessione, quæ verisimiliter non esset in specie concessurus nō includuntor.

Hæc Regula fundatur in alia generali: videlicet, *Nihil volitum, quin præcognitum*:

nihil

nihil enim magis opponitur voluntati & præcipuè libertati, quàm ignorantia: & hæc est duplex; actualis & habitualis. Habitualem, quæ propriè vocatur *Ignorantia*, qui rem revera non cognoscit: Actualem verò, qui rem cognoscit quidem habitu, sed hic & nunc non, propter inadvertentiam. Ergo sensus est Regulæ, quòd in generali concessione illa excipienda sint, quæ à Concedente propter inadvertentiam non excipiuntur; &, si ille advertteret, verisimiliter exciperentur.

An aliquid volitum sit, quin pręcognitum?

Cognitio & advertentia ad omnem liberum actum requiritur.

Ergo, quia eadem scientia, & advertentia, quæ in Concessione in multis aliis rebus requiritur, ex præcedenti propositione nascuntur hæ per identitatem rationis.

Regula præcedens propagatur.

In generali præcepto (voto, promissione, juramento. &c.) non veniunt ea, quæ si rem cum advertentia recognosceret, non esset quis verisimiliter in specie præcepturus (voturus, promissurus, juraturus, &c.)

De Voto, Promissione, & Iuramento.

In generali dispensatione (absolutione, &c.) non veniunt ea, in quibus, si cum debita advertentia fuisset res perpensa & examinata, non esset quis verisimiliter in specie dispensaturus (absolutionem concessurus. &c.)

De Dispensatione, & Absolutione.

CXXVI. Qui contra Iura mercantur, bonam fidem habere non censentur.

Regula LXXXII. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.* Illud pronomen *Qui*, idem est, ac *Omnis, qui*. Est ergo universalis affirmativa.

Iterum, quæ jam semel exacta sunt, non exiguntor.

Regula LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.* Breviùs; &, ut existimo, etiam clariùs, *Quod semel exactum fuit, non potest iterum exigi.* Et Regula claudit hanc Vniversalem negativam. *Nulla res potest exigi bis.* Cui correspondent hæc. *Nemo tenetur solvere bis eamdem pecuniam. Nemo potest puniri bis propter idem delictum.*

Et hæc Regula connexa est, cum Quinquagesima-nona: quoniam ego discurro sic.

Regularum Connexio.

Qui eamdem rem (debitam pecuniam v.gr.) bis exigit, tenetur illam restituere. Quia tametsi prima illam vice jure exigat; quando eamdem iterum exigit, caret jure, & extorquet indebitam.

At bona fides non patitur, ut quis rem petat aut exigat, quam debeat postea restituere. Reg. LIX.

Ergo bona fides non patitur, ut res semel exacta, iterum exigatur. Reg. LXXXIII.

CXXVII. Qui una via adspirabant, & sunt exclusi, si alia via postea adspirent non admittuntor.

Regula LXXXIV. *Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.* Explicari & limitari debet, ut stet, & sit vera. Aliqua enim interdicuntur quoad substantiam, alia quoad modum. Priora omni via prohibentur: & ideò, siquis unam viam ingressus, fuit repulsam passus, & posteà alia via ad eumdem finem se dirigat, debet eodem modo repelli. Posteriora, quoniam non prohibentur omni modo, vel via; si quis repulsus fuit, quia viam inivit illicitam & interdictam: si dignus aliàs sit, & posteà viam licitam ingressus fuerit, poterit permitti & admitti. Rem diluciдо exemplis.

Quomodo promoveri ad Ordines fœminis prohibentur?

Promoveri ad Ordines est res mulieribus quoad substantiam prohibita. Ergo Antonia, quæ una via (nempe, mentito habitu virili) adspiravit, ut promoveretur, & detecta fraude fuit repulsa; alia via (quamcumque aliam ineat) non debet (lege non potest, aut debet non) admitti.

CXXVIII. *Canonicatus v. gr. Sacerdoti quoad modum.*

Addatur exemplum secundum. Vacabat in Capitulo N. quædam Ecclesiastica dignitas. Ad eam adspirat Celsus; Sacerdos doctus & non indignus ex hoc capite: sed quia erat cæteris, qui adspirabant nobilior, & hoc solo nomine volebat universis præferri, Repulsam patitur; & ad concursum veniens, novam ingressus viam, ut doctrinæ merito adspiret permittitur: &, si fuerit reliquis doctior, promovebitur. Sed Lælius, etsi suæ posset doctrinæ & ingenio confidere, ut valeret securiùs obtinere Dignitatem, quæ vacabat, interposita pecunia, emebat veriùs, quàm solicitabat suffragia, & ideò statim ab omni prætensione, autoritate Episcopali prohibitus. An-ne hac prohibitione, quæ viam concernere videtur, non obstante poterit venire ad concursum & adspirare ad eamdem Dignitatem Lælius ob excessum doctrinæ? Stando Iuri Naturali posset: nullas enim simoniæ censuras Ius Naturale adnexuit: & Lælius aliàs erat dignus: quam ob rem prædicta illi Promotio, non prohibebatur, quoad substantiam, sed secundum illam viam tantùm, quæ erat illicita. Ergo, qui ratione simoniæ, quia illicitam viam fuerat ingressus, excludi ab Episcopo debuit, aliam viam iniens (hoc est, suæ doctrinæ merita proponens & exponens) stando Iuri Naturali, poterit tolerari & admitti.

Censura, quas simoniaci incurrunt non à jure natura,

Sed à jure Pontificio proveniunt.

Consultò illam particulam, *stando Iuri Naturali*, posui, reposuique: quoniam de simoniæ via aliter, quàm de cæteris, quæ indifferentes aut licitæ sunt, stando Iuri Canonico est philosophandum: pœnæ enim quæ contra Simoniacos in Iure Pontificio im-

imponuntur, sunt omninò observandæ. Et quidem Antonius Cotoius *in summ, verb. Simonia.nu.2.* scitè advertit (Simoniacos præter culpam sacrilegii incurrere ipso Iure io excommooicationem Papalem, privationem Beneficii venditi, vel empti, & obligatiooem restituendi pecuniam receptam, & irregularitatem. *Extravagant.1. & 2. de Simon.* Sed irregularitas in Simonia occulta probabiliter non incurritur, teste Diana *p. 10.tr.15.res.8.in fin.* Omnes autem incurrontur per promissionem etiam noo impletā: & ea Completa probabile est, pœnas retrotrahi ad tempus promissionis. Ita Diaon *p.10.tr.18. resol.13.*) Ergo stando Iuri Canooico Lælius exclusus, quia per Simoniæ viam fuerat ingressus, quia Papali Excommunicatione irretitus permansit, per aliam viam, si regrediatur, admitti non poterit.

Quales sint

CXXIX. Definitiva. *De Contractibus.*

Regula LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* Est Vniversalis, nam *Contractus* idem est ac *Omnis contractus.* Et ideò Contractus dicuntur leges privatæ & particulares, quibus, qui volunt pacisci inter se debent dirigi.

Damna, quæ sua culpa patiuntur, aliis non imputanto.

Regula LXXXVI. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Est certissima, & vigesimam-quintam subalternat. Quoniam, si unusquisque sibi imputare & non alii debet damnum, quod propria culpa patitur. Mora, siquam ex negligentia propria traxerit, sibi erit nociva & oon aliis: & hoc ipsum nocumentū, sibi & non aliis imputare poterit & debebit.

Exponitur Regula sensus.

Seosus Regulæ est. *Omnis, qui propria culpa damnum patitur, sibi illud uni & non aliis, imputare debebit.* Est ergo affirmativa universalis.

In famibus omnes portæ dignitatum claudunter.

Regula LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant Dignitatum.* Pertioet ad Loxicam (Obliquam Logicam) & traoslata ad Rectam transibit io hanc *Nullus infamis permittatur ad Dignitates promoveri.* Est igitur Vniversalis negativa.

CXXX. Leges ipsæ ad veram Legislatoris mētem & non ad Grammaticum rigorem literæ interpretantor

Regula LXXXVIII. *Certum est, quòd committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis* (lege *Legislatoris*) *nititur voluntatem.* Est maoifesta: quoniam, ubi voluntas cognoscitur Legislatoris, scitur quid verba Legis importent; quæ, non ideò aliter interpretari debent propter aliquam Grammaticam, aut Criticam subtilitatem.

Verba hujus Regulæ ad Logicam formam reducentur, si dixeris, *Omnis Interpres, qui voluntatem Legislatoris percipit, & tamen ex verborum proprietate occasionem captat, ut contra mentem Legislatoris legem exponat, contra Legem (contra Iustitiam Legalem) grave crimen committit.* Est afferens & Vniversalis.

Hujus Regulæ Fundamentum apud Stobæum de Magistratu nos docet Lisias dicens *Iudices* (nam sunt legum Interpretes) *eadem omninò mente praditos esse debere, qua Legislatores.*



Dissertatio

ALTERA:



EAQVE ETIAM LOGICA.

De ipsa Iuris-Prudentia; & de efficacia Argumentorum, quæ ipsa Regulis præmissis insistendo concinnat.

CXXXI. *Quid Logica Moralis sit?*



Oralem sum editurus Dialecticam [hoc est, Artem, seu Methodum, quæ doceat Iurisperitos securissimè dialecticari: qui tunc demum dialecticaturi sunt, sine erroris periculo, cùm Legibus Pontificia, Cæsarea, & Regia Autoritate latis bene utentur; & in Casibus (Litibus [*] & Rebus) occurrentibus solidè & maturè discurrent.]

*] Cicero pro Murena ait: *Nondum potuisse statuere Iurisconsultos, Verùm REM, an LITEM dici oporteret?*

Iterum dico. Moralem editurus Dialecticam, Politicis Ecclesiasticis & Secularibus servio; ut sint Mihi Debitores utrique. Et, quia connexum est Debitum Debito, utrisque Ego (quod & libenter fateor) Debitor sum. Vtar ergo Exemplis Ecclesiasticis, ut Maximas Seculares exponam: & produeam Seculares Historias, ut dilucidem Regulas Ecclesiasticas.

Moralis Logica Ecclesiasticis & Secularibus est necessaria.

Modus, quem impræsentiarùm observabo, ille ipsissimus est, quem in aliis Operibus tenui. Et ut existimo, Brevitatem cum Claritate conciliabo: nec morabor occlamantem Horatium,

Autor, ut existimat, clarus, & brevis est.

—— *Brevis esse laboro,*
Obscurus fio.

Quia procedens à notioribus ad minùs nota, semper Posteriora à Prioribus lucem opportunam recipient.

CXXXII. *Puerile est in Scholasticis rhetoricari. Magna requiritur in stylo claritas, ubi obscuræ Quæstiones traduntur, & edisseruntur.*

De Stylo etiam aliquid dicturus sum. Quoniam, ut monet Cicero, puerile vitium est Scientias tradere rhetoricando: non enim debet Intellectus per Metaphoras distrahi, ubi maxima attentio requiritur, debentque verba singula in summa proprietate usurpari. Audiri proderit Gerardum Ioannem Vossium, Autorem Criticum, qui *in sui libri de Grammatica initio*, sic scribit. *Si ut Tullius* libr. 3. de Finib. *de rebus Philosophicis ajebat [Istiusmodi res dicere ornatè velle, puerile est: planè autem & perspicuè expedire posse, docti, & intelligentis Viri.* &c.] Vnde & ipse, tametsi in re Grāmatica, quam edisserebat, per tempe posset florida & ornata decurrere, prætulit claritatem ornatui, scripsitque Scholastico stylo, ut ab omnibus intelligeretur. Eum, quem ut *tract. 1. art. 2.* monui, sum in Architectura imitatus, imitabor & nunc, & Tropis & Schematis excesse jussis, concisè & breviter dialecticabor; est enim tam arcta Dialecticæ & Iurisprudentiæ connexio, ut si fortè aliquis sine Iurisprudentia eminuerit Dialecticus, nunquam tamen sine Dialectica laudem, applausum-ve, aut consequutus fuit, aut promeruit aliquis Iurisperitus. Et hoc est ita verum, ut possem nominatim proponere aliquos Pontificiorum, & Cæsarianorum Pandectarum publicos Professores, qui Logicas Institutiones, quas (ut solet) in Pueritia neglexerant, in Senectute didicerunt. Et consultò illud, *ut solet*, posui: quoniam cum magno Reipublicæ (Scholasticæ, & Politicæ) damno, ita aliqui (aut etiam multi) de Canonibus & Legibus ratiocinantur; ut eorum Discursus, quia se per malè cohærentia Fundamen-

An eminere in Iurium Scientia possit, qui Dialecticam nesciat?

ta

ta præcipitant, Philosophi, qui Dialecticum rigorem observare sunt soliti, nescio quâ invidia ducti, aut universim loquendo, *Raçones de Carta rota* appellitent, aut etiam, *Raçones de Canonistas, y Legistas*.

Cur Raçones de carta rota, aut etiam Raçones de Canonistas, y Legistas, ab invidis Ratiocinia malè conformata videntur?

CXXXIII. Vt ergo hæc Obloquutio, quæ propter paucos imperitos in multos Viros doctos audet [*propter paucos*, inquam, quia pauci, ut puto, sunt in Tribunalibus, qui Dialecticorum Fundamentorum inscii, Definitivas audent pronunciare sententias: & addidero *in multos*; quia Vulgus est imprudens & improbum; &, si vel unum cœcutientem in subsellijs reperiat, omnes cæteros esse cœcos exclamat] cessaret; aut obtunderetur, si cessare non vellet, Tomos sequentes edo, quibus Synopsim & duas Dissertationes præmitto. Et argumenta, quæ in ipsis edisseruntur, in præsenti paucis verbis expedio.

Propter paucos in multos audesis Vulgus insolens?

Quia Λογικὴ dicitur ἀπὸ τῦ λόγϐ & Λόγος, *Sermonem & Rationem* significat, in toto Priori Tomo de Dictionibus & Terminis Vocalibus dissero, & omnia, quæ Voces concernunt, examino. Et in Posteriori tribus Mentis Operat. dirigendis insudo. Et novas Logicæ Institutiones exhibeo, quia Aristoteleas non esse sufficientes ut Politica (Criminalia aut Civilia) expediantur, demonstro.

Logica à Sermone & Ratione nomē habet.

Præcursor, qui præmittitur, tres Partes continet. PRIMA Σύνοψις dicitur, quia est quoddam totius Logicæ & Dialecticæ breve Compendium. SECUNDA Regulas Canonici Iuris, quæ in Materia Morali, omnes Privatas, & Publicas Sententias, & Resolutiones subcollant, Dialecticè perpendit, & examinat. TERTIA (& ipsa est hæc ipsa, quam ob oculos habes) Iurisprudentiæ nomen & essentiam dilucidat: Vocum IVS & VIS differentiam exponit. Vtrùm Iuris Regulæ sint *Æternæ Veritatis Propositiones* examinat; &, si tales non sint, quo modo possint reddi Infallibiles, accenseriq; *Propositionibus Veritatis æternæ*. Et, ut Ingeniosus Lector proprijs oculis videat, esse certum, facilemque Modum, qui à Nobis proponitur, exhibetur in specimen Regula, *Qui tacet, consentire videtur*, quæ tametsi, prout jacet, periculosa & fallax sit, prout à nobis corrigitur, aut reformatur, est infallibilis, quia sit casus possibilia, in quo falsigati, aut errori subjaceat.

Quid Synopsis Logicæ Moralis contineat?

De propositionibus Veritatis æternæ.

An ad illas pertineant, aut pertinere possint Iuris Regulæ?

Vt ergo, quæ promittimus, expediamus in hac Dissertatione, progressuri paulatim exordium ab ipsomet nomine IURISPRUDENTIAE desumamus.

ARTICVLVS I.

De Iurisprudentia etymologicè considerata.



CXXXIV. EST ἐτυμολογία, Facultas quædam Critica, quæ Radices, Origines & Derivationes Vocabulorum meditatur. Hanc Plato in omni Disputatione præmitti jubet, quoniam nomina, si benè imponantur, sunt breves quædam rerum Definitiones: unde in Axioma prodijt,

Quid Etymologia sit?

Conveniunt rebus nomina sæpè suis,

Vbi illud *sæpè* ponitur, quia interdum Nomenclatores adlucinantur; nam, si qualis erat Adamus, fuissent doctissimi, & rerum naturas optimè percalluissent, potuissent Res singulas opportunis designare nominibus; & tunc illud *sæpè*, quod particulare Adverbium est, posset in *semper*, quod est universale, transire; & tunc præcedens Axioma transire deberet in hoc.

An & cur Nomenclatores adlucinentur?

Conveniunt rebus nomina quæque suis.

Et, quia Adami nomine m. Hebræam Linguam commendare debebo; quoniam, ut ex *cap. 2. Gen.* colligitur, sub Dei præsidio, quæ naturis singularum Rerum responderent, ipse nomina imposuit. Sacer Textus sic inquit. *Formatis igitur Dominus Deus cunctis Animantibus Terræ & universis Volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret*, [*] *Quid vocaret ea. Omne enim, quod vocavit Adam Animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta Animantia & universa Volatilia Cæli & omnes Bestias Terræ*. &c. Quem locum D. Isidorus Clarius, Episcopus Fulginatensis hoc Scholio dilucidat. *Opinor ex hoc loco Platonem venisse in eam Opi-*

[*] Illud, *ut videret*, ad Deum & Hominem referri potest, ut sensus sit, vel, *ut videret Deus* vel, *ut videret Adam*. At Plato, ut ex ejus verbis, constat, *de Deo*, & non *de Homine* Textum hunc intellexit.

nionem, ut diceret, in lib. de recta Nominum ratione, *videri sibi eam Naturam, quæ Rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hac Humana; nam cùm indidit Adam Animantibus nomina, nondum legitur à sua præstantia lapsus. Impositio autem nominum significat; & quòd Adam naturas Animantium perfectè callaerit; nam id demum, aut potiùs id solùm proprium cujusque rei nomen est, quod illius naturam exprimit: & quòd ipsa Animalia Humano Imperio subjecta essent; Etenim imponere solemus nomina iis, qui Iuris sunt nostri*. &c.

Impositum est Iurisprudentiæ nomen scitissimè & oculatissimè.

Et hac ego Platonica doctrina præventus illius Critici Mentem, quæ nomen IURISPRUDENTIAE imposuit, cæteris omnibus, quæ in hac Grammaticæ parte occupantur, celsiorem & nobiliorem esse: utpotè, quæ rem totam doctissimè, & oculatissimè consideravit; & tam fœliciter processit ut in ipsomet nomine incluserit Definitionem; quam, qui illud percalleat, ignorare non possit. Ergo, ut sciamus, *Quid sit Iuris-prudentia?* Sufficiet ejus nomen radicitùs examinare.

CXXXV. *In partes illud, ex quibus conciunatur, dividitur.*

Sanè gloriosum IURISPRUDENTIAE nomen, à *Iure* & *Prudentia* desumitur. Nempè à duobus Vocabulis, quæ examine indigere videntur. Illa ergo breviter exponamus.

Ius æquivocè sumitur.

PRimo ergo loco nomen *IVS* exponatur: nomen profectò, in cujus derivatione, & acceptione Critici non conveniunt. Esse illud quoddam nomen æquivocum, consensu unanimi, asserunt universi Doctores: nam priùs vocem dividunt, quàm definiunt. Acceptionum varietate luxuriat, sed mea intersunt quatuor præcipuè, quas frequenter Iustinianus admittit.

Quid sit Iustitia.

Primò *Ius* sumi solet materialiter, & tunc significat id, quod dignum, & justum est Vaconius *lib. 1. declarat. 1. num. 2.* clarissimè: inquit enim. *Prætereà* Ius, *&* Iustum *idem est*: ut in 5. & hic. *Sed* Ius *dicitur per apocopen remota syllaba: tam sicut* Fac *pro* Face. Iustum autem idem est quod bonum. Hoc sensu accepit vocem Imperator *l. 1. de Iust. & Iure*, cum dixit, *Iustitia est constans, & perpetua voluntas Ius suum cuique tribuendi*: nam id, quod cuique tribui debet, est quod æquum est. Hinc patet, quid innuat Ecclesia illis verbis, *Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est. Verè dignum & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, &c.* nam cùm Deus creationis, conservationis & justificationis titulo Ius habeat, ut illi semper & ubique agamus gratias, cum illum benedicimus & prædicamus, offerimus illi, quod dignum & justum est, hoc est, quod suum est, quod illi debemus.

CXXXVI. *An Ius in ratione consistat?*

Secundò Ius sumi solet formaliter & tunc significat titulum & rationem, ob quam aliquid justè possidemus, aut justè postulamus. Vnde, qui justè aliquid sibi arrogat, *uti suo jure* dicitur. *l. Iustitia 10. eod. tit. quod quisq; jus in alium stat. l. cum hæredibus 59. de admin. tut.*

Sæpè res, quæ fit, & locus in quo fit, eodem nomine significatur.

Tertiò *Ius* sumitur pro tribunali, seu loco, ubi administratur Iustitia, & Ius redditur. *l. penult. ad fin. D. hoc tit.* quo spectant tituli, *De in Ius vocando. Siquis in Ius vocat. In jus vocati ut eant. Ne quis eum, qui in Ius vocab. vi eximat. l. 4. § ult. & toto titulo de interrog. in jure faciend.* Nec mirum videri debet, rem, quæ fit; & locum, in quo illa fit; eodem vocabulo significari; nam hanc ipsam parallaxin patiuntur voces, *Ecclesia, Concio, Panegyris,* & aliæ.

An Ius, & Iurisprudentia, sint idem?

Quartò tandem accipitur *Ius* pro Iuris facultate, quam Vlpianus esse artem boni, & æqui definit. Et hoc sensu *Ius*, & *Iurisprudentia*, idem sunt. Et quidem hæc vocis acceptio communissima est, sicut enim studere Theologiæ & dare operam Philosophiæ sic etiam dicimur dare operam & studere juri, hoc est, Iurisprudentiæ.

CXXXVII. *De Vocibus Iustitia & Ius.*

Ius & *Iustitia* nomina sunt cognata, & Doctores interrogant, an illud ab ista dicatur, an contra? Faber *in Iurisprudentia scientia. Princ. 1.* ait, *jus à justitia est appellatum. l. 1. in princ. D. hoc tit.* & post pauculas lineas, *Potest jus considerari dupliciter, in abstracto, ut ita dicam, quatenus causa est justitiæ, in concreto quatenus est effectus justitiæ; sive accipiatur pro ea ipsa re, quæ justa est; sive pro arte, & scientia, quæ docet facere justa. Concreta autem denominationem sumunt ab abstractis, non abstracta à concretis. l. 1. §. 1. D. de pactis, ubi non dissimiliter Vlpianus* pactum *à pactione dictum scribit.* Agit Faber de causa & effectu formali, non autem efficiente. Et concludit acceptionem, quam loco secundo posuimus, esse primariam, unde cæteræ derivantur.

An res sint malæ, quia prohibitæ?

Res ergo prudentissimi Viri sententia, sunt malæ, quia prohibitæ, non autem prohibitæ, quia malæ: & sunt bonæ, quia præceptæ, aut consultæ, non verò præceptæ, aut consultæ, quia bonæ.

Malitia est duplex: alia Theologica, & alia Philosophica.

(Ago de Theologica bonitate & malitia.) Vnde *ibidem* dixerat, *Si jus intelligas, id ipsum quod bonum & æquum est, aut ut generalius loquar, legibus consentaneum.* Profectò generaliora sunt priora: ergo prius est actum humanum legibus esse consentaneum quàm ut bonus, aut æquus dicatur.

Quæ-

Duplex Iustitiæ acceptio.

Quæstionem ego sic expedio: Ajo vocem *Iustitia*, sumi posse bifariam, nimirùm, aut passivè, aut activè: nam vel *Iustitia* dicitur, quasi *Ius stans*, vel quasi *Ius statuens*; cùm ergo nisi detur Iustitia, quæ Ius statuat, Ius stare non possit; Ius, si pro bono, & æquo sumatur, à Iustitia activa denominari pronunciabimus.

De voce Iustitia apud Hispanos.

Et hic, quia vocum rationem damus, & omnibus scribimus, volo breviter exponere quomodo voce hac *Iusticia* nostri utantur Hispani. Primò hæc vox *Iusticia* passivè sumitur, pro re æqua, ut cùm dicimus, *Pedro pide Iusticia, Iuan consiguira su Iusticia*. Secundò pro æquitate, ut si dicas, *Es razon, y Iusticia, que se le conceda a Ferdinando lo que pide. &c.* Tertiò activè, pro Ministris Iustitiæ, ut si dicam, *Encontre la Iusticia*; & hic sicut *Magistratus* apud Latinos, non unum significat, sed plures; sic apud Hispanos *la Iusticia*, non significat unam personam, sed Satellites, & Ministros Iustitiæ. Sed apud Aragones vox jubetur esse generis masculini, *el Iusticia*, & unicum; nempè eum, qui Prætoria rempublicam potestate regit, significare.

Magistratus, & Iustitia, an unicam personam significet?

Iustitia generis masc.

CXXXVIII.

An Prudentia sit specialis Virtus? An omnis virtus sit prudentia? Non potest virtus sine Prudentia intelligi. Quid vitium sit? An ab imprudentia distinguatur?

TRanseamus ad alteram vocem. Prudentiam esse specialem virtutem credidit, & docuit Aristoteles, quem omnes Philosophi, & Theologi, & Iurisperiti sequuntur: at re meliùs considerata pronuncio *Prudentia*, & *Virtus moralis* (de hac enim agimus) esse duo nomina, & eumdem objectivum conceptum. Omnis Virtus est prudentia, & talis virtus est talis prudentia, hoc est, in tali, vel tali materia. Sic prudentia circa res donandas dicitur *Liberalitas*; circa retinendas *Parcimonia*; circa labores tolerandos *Fortitudo*; circa cibos sumendos *Temperantia*. &c. Vel præscinde, & abstrahe ab aliqua ex his virtutibus prudentiam, & in vitium convertes: nam qui bona sua imprudenter profundit, est prodigus; qui imprudenter conservat, avarus; qui imprudenter se periculo exponit, temerarius; qui imprudenter à cibis abstinet, in se crudelis. &c.

Veterum argumenta malè proponit Aristoteles.

Et hic obiter nota hanc meam sententiam antiquissimam esse, & malè proponi ab Aristotele; nam ipse providè argumenta partis adversariæ ita ponit, ut possint evidentiùs dissolvi. Virtutem non esse sine Prudentia Adversarius concedit, at Virtutem esse Prudentiam negat: ac si illorum argumentum esset.

Argumentum quod ille supponit.

Illa identificantur, quorum unum non potest existere sine alio.
At nulla Virtus potest existere sine Prudentia.
Ergo omnis Virtus est Prudentia. Ergo Prudentia non est aliqua Virtus determinata, & specialis.

CXXXIX.

An corpus omni loco, & tempore carere possit? Inseparabilia possunt esse destincta. Vera nostra sententia probatio. Character Synonymorum.

Concedit Minorem Aristoteles, sed quia meritò negaverat Majorem, negat etiam consequentiam illatam. Et quidem scitè negatur illa major; nam omittendo circumstantias temporis, & loci, quibus carere nequeunt corpora in multorum sententia, totum non posse existere sine parte, hominem sine anima, mundum sine Deo, est certissimum, & tamen nec totum est pars, nec homo est anima, nec mundus est Deus. Omisso igitur hoc argumento, quod Aristoteles manifestè dissolvit, aliud proponamus, quod ille enervare debuisset, & Peripatetici poterunt considerare. Sic inquam.

Quando duo voces tales sunt, ut quidquid altera dicit in recto, etiam altera dicit in recto; & quidquid altera dicit in obliquo, etiam altera dicit in obliquo, sunt Synonyma.
Sed tales sunt Prudentia, *&* Virtus; *nam nihil in recto, aut obliquo altera voce impertatur, quod altera non imponetur.*
Ergo voces Prudentia, *&* Virtus *sunt Synonyma. Ergo* Prudentia, *&* Virtus *sunt idem.*

Identificatio duplex; negativa, & positiva.

Et hic obiter nota, me, quando dico Prudentiam, Virtutemque identificari, non agere de identificatione positiva, qualis inter Animal, & Rationale reperitur: quæ tametsi identificata sint, duæ sunt formalitates: sed agere de identificatione negativa, qualis esset inter Animal, & Animal, aut Rationale, & Rationale: nam sicut Animal à seipso, nec re, nec ratione distinguitur, sic nec Prudentia à Virtute re, aut ratione distingui potest.

CXL.

Ad mentem, an ad voluntatem Prudentia pertineat? Animantes, nec Iustitiæ, nec injuriæ capaces sunt.

Prudentia dicit duo, intellectum, & voluntatem: illum ut rationes discutiat, hanc ut eligat. Vnde, quia sine ratione non est Prudentia, ideò Iustitia, aut Ius sine ratione esse non potest. Hanc ob rem rationis expertes animantes, nec sunt Iustitiæ, capaces, nec injuriæ. Damnum illæ, & pauperiem inducere, injuriam inferre non possunt. *l. 1. & tot. tit. Si quadrup. pauper. fecis. dicat.* Cognita partium significatione (*Ius*, & *Prudentia*) poterimus vocis integræ (Iurisprudentiæ) veram significationem cognoscere. Est igitur Iurisprudentia *rectè à ratione voluntas tribuens unicuique suum Ius.*

Iuris divisio.

Ius, vel est Divinum, vel Humanum, vel ab utroque præcisum: Iuris Divini prudentia vocatur *Theologia Moralis*: Iuris Civilis prudentia, *Politica*: Iuris Pontificii prudentia

dentia posset dici *Canonica*, nam contemplatur Canones: Juris ut sic Prudentia vocatur *Philosophia Moralis*.

CXLI. *De scientia Adami.*

Jurisprudentiam Adamo divinitùs infusam, per peccatum obnubilatam, aut etiam ab humanis cordibus obliteratam cultiores, & politiores populi, quà licet, puritati restituunt, & promovent: & Viri illustres doctissimis libris dilucidant: quos, ut meliùs intelligas aliquid de origine, & inventione Moralium Facultatum dicamus: nam quæ fuerat per peccatum amissa, aut etiam emortua, hodie non esset, nisi fuisset à Viris probis, & doctis inventa, & excitata.

De rerum humanarum notitiis.

An malitia Physica differat à Morali?

Ethica origo.

Dicebat Socrates, se nihil scire. Et cur? Aliud est opinari, & aliud scire.

Græci olim (sicut etiamnum Sinenses, & Japones) vix malitiam moralem distinguebant à Physica: nam Antiquiores Philosophiæ Naturali promovendæ insudarunt, & Socrates videtur esse primus, qui Morali ex professo studuerit. Omnes Artes sub initium balbutiunt, & ideò Moralis facultas in infantia (hoc est, Socratis ævo) non fuit ad optatam perfectionem evecta, nec potuit *Scientia* dici, sed nomine *opinionis* contenta, tradebatur ingeniosis Discipulis. Hinc assequimur, quo sensu dixerit Socrates, *Se nihil scire*: non enim ignorabat prudentissimus Senex, quæ tradebat Discipulis. Prudentiam enim imprudenter doceret, qui omninò Prudentiam nesciret: Sed quia sincerus erat, & demonstratione Asserta sua adfirmare non poterat, pronunciabat ingenuè, se opinari, non scire.

ARTICVLVS II.

Iterum de Nomine IVS. *An* à Iussu, *an à Iusto dicatur*? Quod est quærere, *An quæ mala censentur, mala sint, quia prohibita* (quia contra jussum veniunt) *an verò sint probibita, quia* (injusta, &) *mala*?

CXLII. *Etymologia nominis IVS, iterum dilucidatur.*

An à jussu illud, an verò à justo deducatur?



Dixi non convenire Autores in definiendo, & decidendo, *Vtrùm à* Iussu, *an verò* à Iusto IVRIS *nomen ducatur*? Quoniam, qui à *Iussu* nomen deduci jubent, omnem humanorum actuum bonitatem à Consilio aut Præcepto; omnemque malitiam existimāt, ab *Interdictione* desumi: adeoque illa (omnia, & sola) dici *Iura*, quæ jussa; &, quæ injussa, sub Iurium nomine non comprehendi. Qui autem discurrunt contrà, & IVRIS nomen deduci à *justo* volunt, malitiam, bonitatemque ante omne Consilium, Præceptum, & Inhibitionem in actibus humanis reperiunt, asseruntque homicidia ex. gr. interdici, quia mala, non autem esse formaliter mala, quia interdicta. Sanè apud me semper fuit vera & indubitata hæc

Resolutio.

CONCLUSIO. *Omnia mala (tam illa, quæ extrinseca, quàm quæ intrinseca inficiuntur malitia) sunt theologicè mala, quia divinitùs sunt interdicta.*

In qua opus est, illud *theologicè*, & illud *divinitùs*, dilucidare.

Si nulla essent leges, nulla prævaricationes essent.

Porrò universim loquendo si nullæ essent leges, nulla peccata forent. Constat ex S. Paulo, qui *ad Roman.* 3. ait, *Per legem enim cognitio peccati*. Et quomodo per legem? Quando quæritur, *An aliquid sit peccatum aut malum*? videndum, an illud interdictum sit? si enim interdictum, est malum; non autem, si non est interdictum. Vnde Apostolus interrogatus, *An Concupiscentia esset mala*? cap. 7. respondet. *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam Concupiscentiam* (esse peccatum) *nesciebam, nisi lex diceret*, Non concupisces. *&c.*

CXLIII. *De Lege Philosophica & Theologica.*

Lex est Philosophica, vel Theologica: utraque consistit in Scientia & Divino dictamine. Quando enim simpliciter indecentiam Deus in actu humano aut angelico intelligit, & tamen illum non interdicit; tunc ille actus dicitur habere malitiam Philosophicam: tunc autem habere Theologicam, quando actus à Deo interdicitur.

Cur Reges possint leges morales ponere: & cur istæ obligent in conscientia?

A Deo, inquam; ideò enim possunt Reges & Principes obligare conscientias, quia Deus illis indulsit istam autoritatem: & ideò est peccatum violare moralia Superiorum præcepta, quia jussit Deus, ut iis obediremus. Vnde sicut, si per impossibile, non tulisset Deus quintam legem Decalogi, homicidia essent Philosophicè mala, & Theologica peccata non essent: sic similiter, si per impossibile quartam ejusdem Decalogi

legem non pronunciasset, non obedire Parenti (Naturali, aut Morali) esset malum Politicum, obnoxium pœnæ; &, quia non esset malum Theologicum, forum internũ, & conscientiam non tangeret. Consonat hæc doctrina Conclusioni, meo judicio, certissimæ, quæ 14. Iulii 1643. in Generalibus Patrum Franciscanorum Comitiis sub P. Antonii Oudenhoven præsidio fuit publicè propugnata Lovanii, videlicet num. 6. & proponebatur his verbis. *Etsi verò implices hominem cum usu liberi arbitrii creari, quin etiam præfixam sibi habeat Legem Naturalem; si tamen per impossibile Deus non præcepisset ea, quæ sunt Legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis Legis, licèt sciret se agere contra Naturalem Honestatem.* Vide, quæ *in Theolog. Moral. libr.2. cap.3. disp.6.num.* 1187. nec non *in Theolog. Fundamentali. post Fund.*12. *num.*320. *pag.*155.*a. Iuxta Editionem Francofurtensem*; & sæpe alibi de hoc argumento scripsi: hæc enim doctrina, meo judicio ita est vera, ut non possim adhærere contrariæ. Ergo Malitia Philosophica, quæ decentiæ & honestati naturali est opposita, non autem Theologica, quæ peccatum includit, invenitur ante omnem prohibitionem Divinam. Sed illa, quæ Leges humanæ prohibent semper ante prohibitionem erant mala, aut ratione sui, aut ratione periculi: quam ob rem homicidia v. gr. sub pœna capitis interdicuntur à Republica, nam opponuntur bono publico, & priùs erant interdicta divinitùs; & præcipitur, quòd nocturno tempore, ab hora tali, omnes se contineant in suis domibus; id enim, tametsi secundum se consideratum sit indifferens, est per accidens malum, periclitaretur enim quies publica, si per plateas nocturno tempore singulis civibus discurrere permitteretur.

Firma Autoris Opinio.

Omnia, quæ lege humana prohibentur, ante prohibitionem erant mala.

Hanc quæstionem agitant & decidunt Theologi cum Magistro *in* 4. *dist.*7. & cum S. Thoma 1. 2. *quæst.* 72. CXLIV.

Dn. Augustinus Redingus, Vir reverà doctissimus, est Thomista severus, & *in Theologia sua tom.2. quæst.*15 *art.2. contr.1. pag.*361.*b. num.*3. mentem, sententiamque Angelici Doctoris dilucidans, Legem æternam in eam, quæ ad simplicem Dei Intelligentiam, & eam, quæ ad Visionem spectat, dividit: & ita illas exponit, ut prior sit præceptiva, & posterior præcipiens: & posteà *pag. seq. num.*6. his verbis Quartam Conclusionem proponit. *Lex æterna omnimoda Moralis actionis extrinsecus est mensura, ut nullum peccatum etiam intrinsecè malum sub qualicumque malitia Moralis formalitate sit intelligibile, nisi ex oppositione ad legem æternam ex D.Thoma* in 4. dist. 7. qu.3. art.2.& 1.2.qu.72.art 6.ad 4 *&c.* & post pauca. *Constat proinde omnem malitiam moralem in peccatis essentialiter malis præsupponere Legem Æternam prohibitivam* (lego, *prohibentem*) *tanquam Primam sui mensuram & regulam. Unde commune illud Axioma* Quædam mala sunt, non quia prohibita, sed quia mala sunt prohibita, *non habet locum respectu Legis, quò spectantis ad simplicis intelligentiæ scientiam*; (hæc enim est præceptiva, non præcipiens: habetque pro objecto Honestatem Naturalem) *benè tamen respectu Legis Naturalis menti creatæ impressa* (hæc enim est imago Legis æternæ præcipientis, quæ ad scientiam Visionis spectat.)

N. B. Actuum humanorum malitiam à lege & interdictione non dependere, erat communis olim Ethnicorum Opinio, nesciebant n. à Deo latũ fuisse Decalogum: & inter Malitiam Philosophicã, Theologicamque non distinguebant.

Consonat huic doctrinæ Illustriss. D. Acacius March. de Velasco: nam *tom.2. resol.* 180.*num.1.pag.*384.*b.* sic scribit, *La Ley Eterna es la Providencia Divina, con la qual Dios gobierna todas las cosas.* Et citat D.Thomam 1.2.*qu.*91.*art.*1. & subjungit. *La Divina es, como dicen todos [Deus ipse, quatenus judicat, quid faciendum sit, quid verò omittẽdum & voluntatem habet obligandi homines & Angelos ad sui observationem.* &c.] Nota illud, *como dicen todos*, Ergo in hoc, teste Acacio, non est inter Doctores aliqua opinionum varietas. Nota illud *& voluntatem habet obligandi*. Ergo ideò homines & Angeli obligamur, quia Deus vult; Ergo nulla daretur obligatio, si per impossibile illa nos obligandi voluntas non daretur in Deo. Et hinc nova oritur Controversia, quæ interrogat,

An Princeps (Ecclesiasticus, aut Sæcularis sit) jubere possit quidquid velit?

Respondeo tamen, ex dictis Decisionem decidi. Quoniam, si omnis autoritas humana à Deo est: *illa & non alia poterunt Reges facere, quæ Deus illis commisit.* CVI.
Non ergo Reges & Principes jubere possunt, quidquid velint.

Resolutionem hanc illustrat, firmatque Pontificii Iuris Regula XXVI. videlicet, *Illa, quæ fiunt à Iudice, si ad ejus non exspectant officium, viribus non subsistunt.* Ex qua hanc ἔκθεσιν debet necessariò deduci, *Illa, quæ fiunt à Principe (Ecclesiastico, aut Laico) si ad ejus non spectant officium (si ad illa non extendatur authoritas indulta à Deo) viribus non subsistunt.*

An Principes facere possint, quidquid velint?

Hanc sanè veritatem non intellexerunt omnes Ethnici; multi enim erant ἄθεοι, & ideò

ideò leges Supremi Numinis non morabantur. Et tales fuisse videntur Regis Cambysis Senatores, ipsi enim interroganti, *An in Persarum Tabulis esset lex, qua inter fratres Matrimonia dirimeret, aut inhiberet?* (vocabat enim, ut olim Iupiter, sororem in uxorem adsumere, & erat paratus facere, quod æquum esset, si idoneos fuisset sortitus Consiliarios.) Et illi responderunt. *Nullam se recipere legem, quæ fratri permittat matrimonium cum sorore contrahere; sed tamen hanc capitalem & Fundamentalē esse in Perside legem, quòd liceat Regi facere, quod voluerit.* Et ejusdem opinationis erat illa, cui cùm Augustus diceret, *Si liceret, liberet,* in rabiem acta dixit, *Memento, te Imperatorem esse; & non debere recipere leges, sed dare.* At quia sunt temerariæ & irrationales istæ voces, & nos sumus à sententia contraria, illam uberioris doctrinæ gratia iterum confirmemus.

An liceat fratri sororem in uxorem ducere?

Vt ego, sæpè alibi & præcipuè *in Theolog. Fundam. tom. 2. epist. 1. nota* XVIII. *ad S. R.* persuadeo *Reges* à regendo dicuntur, quòd suos subditos rectè regere possint: & tunc rectè illos regent, cum à Divina lege recti. Id *Deuter.* 17. 18. expressè legitur. *Cùm acciderit Regem in Regni sui solio sedere, hanc sibi Legem (nempe, Divinam) à Sacerdotibus & Levitis in libro exscribito: eamque apud se habeto, & legito per omnem vitam suam, ut discat Ieovam, Deum suum, vereri, caveatque ut omnibus verbis hujus legis atque his institutis pareat, ne contra suos consanguineos animo insolescat, ne-ve de disciplina ad dexteram aut sinistram deflectat, ut diu vivat in Regno suo, tum ipse, tum ejus nati inter Israelitas.* Et hæc est doctrina tam clara, ut vel innotuerit ipsis Ethnicis, tam certa, ut à Patribus tradita & inculcata fuerit. Cicero *Philipp.* 11. sic exclamat; *Lex, nihil est aliud, nisi recta & à Numine Deorum ratio, imperans honesta, prohibensque contraria.* Et D. Augustinus *lib. 9. de Civit. Dei.* hanc eamdem doctrinam hoc Scholio dilucidat. *Omnium legum est inanis Censura, nisi Divinæ Legis imaginem gerat.* Et videtur consonare Menandro, qui cecinit.

Divinæ legi Reges obedire tenentur.

Vnde proveniāt leges?

Εἰκὼν δέ Βασιλεὺς ἐςιν ἔμψυχος Θεῦ.

Imago autem Rex est animata Dei.

Actiones ergo Regum, operationum esse debent Divinarum imagines.

Haec de prima nominis *Iurisprudentiæ* parte adnotasse sufficiat: aliquid de secunda dicamus.

Adlucinatur Arist. cùm existimat prudentiā esse virtutē specialem: quoniam *Virtus* & *Prudentia* sunt duæ voces synonymæ, quæ significant quamdam ideam genericam, quæ per diversas differentias ad species contrahitur. Prudentia enim pencs materiarum in quibus exercetur, differentiam, sortitur differentia vocabula. Nam, quando tribuit unicuique, quod suum est, appellatur *Iustitia*: & præscribitur terminis, ensis enim depositus, etiam si suus sit, non debet consignari phrenetico, nam hoc Prudentia non permittit. Cum quis prudenter erogat suas pecunias, vocatur *Liberalis*; cùm imprudenter *Prodigus*. Cùm prudenter eas retinet, *Parcus*; cùm imprudenter, appellatur *Avarus*. Cùm prudenter reos Superior punit, est *Severus*: cùm autem imprudenter *Crudelis*. &c. Debent ergo leges prudenter observari, & servari, debent enim tempori, loco, patriæ moribus, & subditorum viribus attemperari; Vnde *in Heaut.* Terentius.

An specialis, an verò generalis Virtus sit, Virtutibus universis communis?

Verum illud, Greme, dicitur;
Ius summum sæpè summa malitia est.





ARTICVLVS III.

De inversione Iustitiæ. *Quàm sit nocivum & peccaminosum in Republicâ Ordinem Iuris & Iustitiæ pervertere?*

Vberioris eruditionis gratia Difficultas ex Fundamentis Anagrammaticis dilucidatur.



Vris-Prudentiam dialecticè contemplaturus, mentem præparo à Logica ad Logicam me promovendo. Sanè Λόγος, ut paulò ante dicebam, est *Sermo & Ratio*. Ergo Λογικὴ, quà voces & sermones concernit, Me juvabit; ut meliùs posteà Λογικῇ quæ mentis operationes speculatur, utar, & clariùs possim Iuris-Prudentiæ essentiam, passionesque dilucidare. Et quia inter Vocales Artes Ἀναγραμματικὴ est ingeniosa & curiosa, nonnihil de Iustitia, & Iure ad hanc Artem elimatum præfabor. CXLVI.

Quæ scientia sit Anagrammatica?

Hujus Artis Objectum Finisque est Protcos condere: easdemque literas, aliter & aliter ordinando & ponendo Novas Dictiones aut Sententias eruere.

Quem finem, & objectum concernunt?

Ipsamque non posse habere in jure locum videretur alicui; quoniam Anagrammatica Scientia in inconstantia & deordinatione consistit: & tamen Vlpianus *in leg. Iustitia*, & Iustinianus *ff. de Iustitia & Iure*, & Politicæ Philosophiæ Professores Iustitiam semper *perpetuam & constantem* vocarunt.

An in jure habeat locum?

At illorum doctrina in sensu composito est vera; nam Iustitia quamdiu Iustitia est, constans est, perpetua est, immutabilis est: nam, cùm primùm mutatur, convertitur in iniquitatem. Quò respiciens Nomenclator Latinus voluit, ut IVS & VIS haberent easdem literas: quoniam

An in Iustitia, elementorum commutantur & commisceantur Anagrammata?

Cedunt Arma Togæ speciosa tempore Pacis;
Tempore sed Belli, Toga cedit Militis Armis.

Quando enim quieta sunt omnia, & occluduntur valvæ Iani, IVS obtinet, legitimèque universa gubernat: at turbatis Populis & Communitatibus IVS & VIS Politica sunt Anagrammata: ubi enim publica perturbatur tranquillitas, Iura silent & sola dominatur Iniquitas. Qui enim gliscunt insurgere tyrannica temeritate & audacia,

De tempore Pacis, & Belli.

Non metuunt leges: sed cedit Viribus Æquum;
Victaque pugnaci Iura sub Ense jacent.

Ovidius libr. 5. Trist. Eleg. 8.

Vnde in Hercule furent. Seneca.

Ius est in armis: opprimit leges furor [*]

Et in Agamemn.

Periere Mores, Ius, Decus, Fides.

*] Alii legunt *pudor*: sed aptior videtur nostra lectio.

Et id hoc apud exercitus Romanos tam propudiosa perversione accidebat, ut ausus sit Lucanus canere,

Imminet Armorum rabies: Ferrique potestas
Confundit Ius omne manu: scelerique nefando
Nomen erat Virtus; multosque exibit in annos. &c.

Lucanus de bello Pharsal. libr. 5.

Et huc pertinet scandalosa illa Vox, quæ [*] Antuerpiæ in Hortis, (ab Hæreticis dum rerum potirentur) scripta: videlicet, *Quod volumus, id justum est*. Cui consonat insolens illa vox,

Sic volo, sic jubeo: stat pro Ratione Voluntas.

à qua non multum abest illa arrogans & temeraria,

Sic quæcumque ruent, stat pro Ratione Potestas.

*] Nomino *Antuerpiam*, quia illam ibi legi; sed non dubito, quin etiam in multis etiam aliis locis legatur.

Quam intonare videntur illa Tormenta Bellica (Hisp. *Aquellas Piezas de Artilleria*) quibus inscribitur hoc Lemma

RATIO ULTIMA REGUM:

Esse duodecim, eaque fusa ex mandato Cardinalis Richelii, dicuntur: & hoc Vulgi dictum esse verisimile probat, unum ex ipsis, quod in Obsidione Ticinensi fuit interceptum & hodie in Castro Mediolani conspicitur, & hanc ipsam Inscriptionem præfert.

Vltima Regum ratio, quæ?

Ius non consistit in armis; sed arma, quæ ex Iure debentur recuperant.

*] Nota illud *certum*: nemo enim potest in dubio possessione privari.

sefert. At ego non facilè credam Inscriptionem illam præfixam fuisse illis Tormentis Bellicis conscientia, & consensu Richelii; fuit enim prudentissimus Vir, & Prudentia & Iustitia in Autore illius Lemmatis desideratur. Quoniam Belli Ius formaliter in armis non consistit: sed recuperativè tantummodò; non enim meliorem rationem ille habet, qui potentiorem & fortiorem exercitum: sed Princeps, qui certum [*] Ius habet, & tamen est per injuriam exclusus, quæ sibi debentur ex Iure, recuperabit, si majores, quàm Adversarius, vires habeat.



ARTICVLVS IV.

De Injustitia. *An Mores habeant suam Grammaticam, & in ea possint Solœcismi, aut etiam Barbarismi committi?*

CXLVII.

An ne solœcismi committantur in Iure? Quis Polemon fuerit?

*] *Vocifero, as*, in pejorem partem accipitur, quàm *vociferor, aris*.

An possit manu solœcismus committi?

Curiosæ eruditionis gratia ad Syntacticæ Fundamenta Controversia expeditur.



Aber Syntaxim in sua Grammatica Iurisprudentia: nam interdum iniqui Iudices barbarismos; & interdum solœcismos committunt, & ut id cognoscatur liquidiùs, historiam subsequentem scribo.

Polemon Sophista (qui Philostrati Atheniensis fuit filius: & Xenocrati in Academia successit) ab ingenio & eruditione ab omnibus commendabatur. Electus in certamen Pantomimorum Arbiter, illos exire jussit, ut de singulis conceptum, & judicium formaret. Prodierunt alii, qui voce, gestu & manu sunt laudem & applausum promeriti. Sed præter alios prodiit Theodomirus (vocetur sic: ejus enim Vocabulum Historiographi non scripserunt) & vociferari, aut veriùs [*] vociferare occœpit, dicens,

Iuppiter has lachrymas, miseras has Terra querelas
Suscipe, & innocuo, quam peto defer opem.

CXLVIII.

An, & à quibus Ministris committantur?

*] Athenas venerant Milesiorum legati, contra quos erat Demosthenes orationem habiturus in foro, Pridie illum Legati magna vi argenti subornarunt, & postridie ille declamare nô potuit, quia, ut dicebat, laborabat angina: nempe, argentea.

a] Δῶρις est provincia in Græcia celebris, & Δῶρον *donum* & *Musa* autem *Dorica* à dono, & non à provincia nomen habet.

Hispanus per Antonomasiam aurum *metallum* nominat, & ait.

Que el mejor metal de voz,
Sera la voz del metal.

Et, quia Iovem invocans deorsum manum demisit, & Terram adloquens, illam sursum erexit, exclamavit Polemon, *En manu solœcismum ineptus homuncio perpetravit.* Cæterisque ad præmii participium admissis, Theodomirum exclusit. Vide *nostram Polymn. art. 21. sect. 3. pag. 269. b.*

Et quot, quæso, solœcismos manu sine Superiorum culpa, scribendo, subscribendo, extorquendo, Ministri inferiores committunt. Balburit solœcismum lingua Testis, cùm contra veritatem deponit: manu, cùm nomen suum depositioni iniquæ & mendaci subscribit, quàm dicitur. Mente possunt & solent homines, cùm propter munera quæ receperunt, nolunt vera resc̄ire. Euripides *in Medea*.

Πεί'θειν δῶρα καὶ Θεȣ'ς λόγος.
Persuadere munera & Dis sermo est.

Mente igitur solœcismum committit Iudex, quando non vult rem intelligere, ut benè agat: quando videlicet ultrò vera dediscit, & à donorum eloquentia sibi patitur persuadere contraria. Committit lingua solœcismum Demosthenes, quando subticet, quando vociferatur: silet enim, quando debebat loqui, quia *ἀργυράγχην πάσχει* [*] *argyranginam patitur*: & clamat, quæ debebat tacere, erat enim ipsi opportunum ea dicere, quæ Δωρικὴ Μȣ̃σα [a] *Dorica Musa* dictabat. Sed & Iudex lingua solœcismum committit, quando

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Et tandem manu Iudex, cùm processum subscriptione confirmat. Sed & omnes Ministri hujusmodi & plurimi cum ipsis aliorum ordinum & conditionum homines, perpetrant solœcismos manu; non solùm, cùm aliena cum dedecore rapiunt, sed & cum sub jurium colore & prætextu indebita stipendia & salaria subripiunt; ut enim *Eccles. cap. 19.* dicitur, *Donec accipiant, osculantur manus dantis & in promissionibus suis humiliant voces suas, & in tempore retributionis postulabitur tempus.* Vadunt, redeunt, & summa Procuratores, quamdiu recipiunt munera à Cliente, causæ exitum diligenter solicitant: ubi autem ille, vel tædio affectus, vel pecuniis emunctus, claudit manum,

illi

illi ſtatim ſunt claudi. Vt enim feſtivè quidam cecinit,

Cur domi Celſi manet Advocatus?
Nam gravi morbo podagra laborat;
Hujus & morbi propria eſt origo
Chiragra Celſi. [b]

b] In quibuſdam Oveni diſtichis ſimilem conceptũ reperies.

At, quia præter aliquos, qui contra Iuridicæ Grammaticæ Canones, graves manu ſolœciſmos committunt, ſunt plurimi Iuriſperiti ſancti, & probi, interſeri hic poterit Quæſtio, quæ interrogat, *Quis & qualis eſt ille, qui* integer vitæ ſceleriſque purus [c] *Iuſtitiam adminiſtrat exactè?*

CXLIX. *Imago integerrimi Iuriſperiti.*

c] Horatius libr. 1. Carm. Ode 22.

Propheta Iſaias *cap.33. 15.* jam ante multos annos huic dubio ſatisfecit his verbis, *Qui ambulat in Iuſtitiis & loquitur veritatem* (qui ſecundum ſuum dictamen pronunciat, habetque Iuſtitiæ & Legibus [d] conſentaneum dictamen.) *qui projicit avaritiam ex calumnia* (qui non vult lucrum ex calumniis adquirere.) *& excutit manus ſuas ab omni munere* (qui nunquam in officio ſuo manu ſolœciſmum committit.) *Qui obturat aures ſuas ne ſanguinem* (falſum & ſubornatum teſtem) *audiat: & claudit oculos ſuos, ne videat malum* (qui odio habet Aſſeſſores iniquos. *Hiſp.* El que a los malos Miniſtros no los puede veer de ſus ojos.) *Iſte in excelſis* (in Cœlo Empyreo) *habitabit.* &c. *Regem* (Deum) *in decore ſuo* (in gloria ſua) *videbunt oculi ejus. Cernent* (deſpicient) *Terram de longè* (quoniam à Cælo Empyreo, in quo Sancti triumphant, ad uſque Terram, in qua Viatores militamus, eſt intercapedo longiſſima.)

d] Qui loquitur, ut ſentiat, & ut bene ſentiat, adhibet diligentias, quas poteſt.

Quam intento meo appoſitiſſimam Prophetæ ſententiam, uno aut altero verbo mutato apud Poetam reperio, ad numeros ſequentes reductam. Eamdem ipſam Titio (& *Titii* nomine multos intelliges, quos veneratus ſum, dum viverent; & modò, ut ſpero, ſunt mihi tutelares in Patria) eamdem ipſam Titio, ut dicebam, integerrimo Iuriſperito, qui religioſiſſimè vixit, & cum ſanctitatis opinione non jam vitam cum morte; ſed hanc mortem, quæ *vita* vulgò dicitur, cum vita æterna commutavit, ad proprio, & ſic inquam.

Apud Virgilium Æneid. 6 Rex Latinus de Dardano. *Ibi legitur* Coriti Tyrrhena. 46

Hinc illum Heroem, terrena *ab ſede profectum*
Aurea jam ſolio ſtellantis Regia Cæli
Accipit, & numerum Divorum Altaribus auget.

ARTICVLVS V.

Iterum de Injuſtitia. *An ſententia, quæ contra Leges ſit, ſit à Viro probo judicanda impoſſibilis? An Amicitiæ Iure peti ab amico poſſit, ut contra Ius ſententiam proferat?*

Majoris claritatis gratia Quæſtio ex Metricæ Fundamentis reſolvitur.



ON ſunt omnes digiti æquales in manu; & tamen aptè inter ſe diſpoſiti pulchram illam & ſpecioſam reddunt. Non ſunt omnes in dictionibus æquales ſyllabæ, ſed tamen ordine opportuno digeſtæ, ſuaviſſima Metra concinnant. Et eodem in Republica modo, non ſunt æqualia omnium, vel talenta, vel merita, & quia ſunt diverſa officia & munera, ſuaviſſimè conſonant mores, ſi unuſquiſque impendatur, ubi eſt aptus: & operetur, uti debet. Et quidem quanta inter Metricam Iuriſprudentiamque ſit Analogia oſtendet Hiſtoria, quam ex Plutarcho *in Apophth.* Fulg. *libr.6. cap.4.* recenſet. Themiſtocles enim cùm imperii clavum gubernaret Athenis oratus à Poeta Simonide, ut amicum, non adeò juſtam cauſam habentem, commendatiſſimum haberet, & protegeret, ſe non poſſe id præſtare reſpondit; & rationem ſuæ impotentiæ expoſuit, dicens, *Sicut Simonides lucratus eſt Poeta nobiliſſimi gloriam, quòd cùm canit, aut ſcribit carmina, ſyllabarum modulos accentuſque diſponat prout Metrica leges definiunt, ſic & ego integerrimi Prætoris & Iudicis nomen & laudem obtinere non potero, niſi in proferendis ſententiis modum exactè obſervem, quem Politicæ leges præſcribunt.*

CL. *Diverſarum rerum inæqualitas ad pulchritudinem & decorem conducit.*

De Poeta & Iudice Apophthegma.

ARTICVLVS VI.

De Certitudine & Securitate Iuris-prudentiæ. *An Scientia sit; & ex indubitatis Præmissis Consequentias necessarias deducat?*

Evidentioris Resolutionis gratia, omnia, quæ in hoc & in sequentibus proponentur Articulis, elimabuntur ad rigorem Dialecticæ.

CLI. Scripta fuit hæc Quæstio & impressa Lovanii anno 1643. & postea in aliis locis iterum, iterumque recussa.



NON est, cur novum sumam impræsentiarum calamum, & denuo hanc Controversiam scribam, siquidem jam dudum illam edisserui, & typis mandavi Lovanii; & nuper Sanctangelii, aut etiam Campaniæ recudi. Dabo igitur illam nunc tertiò, nempe, per priora verba: quo enim hæc mutarentur, quando antiqua manutenetur Resolutio? Tunc itaque ut scribendi occasionem exponerem, dicebam sic.

An detur de Iuribus & Canonibus Scientia?

Anne leges sint Principum Placita: an verò à ratione dependeant?

An omnia in Iure fundamenta vacillent?

[Interfuerunt heri Theologicæ Disputationi Iuris Doctores, aut omnes, aut præcipui, qui suo ingenio & doctrina hanc Lovaniensem Vniversitatem honorant; qui cùm Thomistarum Scotistarumque observarent conflictus, & tamen in Thesibus affixis & distribntis, Theologiam esse non scientiam modò, sed & sapientiam legerent, confidenter dixerunt, potiùs Iurisprudentiam Scientiam esse; nã minori illa, quàm Theologia, sententiarum varietate dispescitur. Sed uno ore Theologi Iurisprudentiæ scientiæ gloriam negabant: nam tota illa, quanta est, non ratione firma, sed authoritate fundatur. Et addebant ingeniosè & acutè, Leges esse Principum Placita, adeoque illas non à ratione, sed à voluntate pendere. Erant etiam Iuristæ, qui Theologis assentirentur, objicientes scientias sine Dialectica non posse subsistere, & illam à Iuristis aut nesciri, aut contemni; nec esse talem, quæ in Practicis prodesse possit. Præcipuas Logicæ partes esse Definitionem, Propositionem, & Argumentationem: nam Logica Intellectui correspondet, cujus operationes tres, Apprehensio, Iudicium, & Discursus sunt; & tamen omnes in Iure Definitiones periculosas esse: omnes Vniversales Assertiones, etiam illas, quæ nominantur Regulæ, incertas esse, & exceptionibus multis obnoxias: unde deficientibus universalibus non manere apud Iurisprudentiam Præmissas, ex quibus Demonstrationes fierent; cùm tamen illa sola notitia sit scientifica, quæ per Demonstrationem illata. His Ego Ideis præventus domum redii: hac nocte rationes præmissas ponderavi: surgo: calamum sumo; & Maximas sequentes scribo.

MAXIMA PRIMA.

I*Vrisprudentia (sive hoc Pontificia, & Canonica nomine, sive Cæsarea, & Legalis intelligatur) est Scientia.*

CLII. Faber in Prologo Iuris-prudentiæ.

Cur ipsa minoris fiat, quàm debeat? Faber laudatur.

Militat contra hanc Resolutionem Communis & Vulgaris Censura, quam Antonius Faber repræsentat his verbis. *Invaluit jampridem illa multorum animis infixa opinio, Iuris nostri* (Civilis) *neque Scientiam, neque Artem illam esse, magisque vana & fortuita hominum æstimatione, quàm reipsa, certaque ratione totum Ius constare. Qua res mirum est, quantum de Iurisprudentia pretio apud plerosque, de dignitate verò apud omnes detraxerit. Quotus enim quisque est, qui genus illud studii velit eligere, in quo posteàquam senuerit, nihil tandem aliud assequutum se gloriari possit, quàm ut multa didicisse, nec quidquam tamen scire videatur.* Sed Faber stat à contraria sententia, & Iurisprudentiam Scientiam esse definit. An temerè? Statim videbimus: multùm enim ille Facultatem promovit, & tamen caruit Morali Logica, sine qua Facultates Morales nequeunt dici scientificæ.

Ego sic statuo. *Iurisprudentia est Scientia.* Et hoc Assertum probo.

Quid requiratur, ut aliqua Facultas sit scientia?

Illa Facultas Scientia *dicitur, quæ per Demonstrationem suas Conclusio-*

clusiones persuadet. Et demonstrativè procedit, quæ ex Principiis certis & indubitatis per bonam & legitimam Logicam infallibiles Consequentias deducit.

Quid Ethicæ nomine intelligatur?

Sed Ethica (quo nomine omnes Morales Facultates, adeoque ipsam Iurisprudentiam intelligo) supponit certa & indubitata Principia: habet propriam Logicam, quæ certa & infallibilis est: & securas Conclusiones deducit.

Ergo Ethica (& Iurisprudentia nominatim) est Scientia.

Consequentia est legitima. Major est evidens: illa enim, quæ ad Demonstrationē postulat Aristoteles, nec possibilia sunt, nec si essent, deberent necessaria censeri. Minor habet tres partes, quæ debent singulatim suaderi.



ARTICVLVS VII.

Probatur prima Minoris pars, hoc est, *Ostenditur Iurisprudentiam habere Principia infallibilia.*



INcipio ab ipsa Iustitiæ definitione, in qua multum nos docuit Vlpianus, & ex eo Iustinianus, si illam legere attentè velimus. Sic discurro. CLIII.

Iustitia definitio explicatur Alia propositiones necessaria, & alia contingentes sunt.

Iustitia est constans, & perpetua voluntas Ius suum unicuiq; tribuendi. *l. Iustitia* 10. *hoc tit.* Ergo assumit certa, & infallibilia Principia. Ergo est Scientia. Vt efficaciam illationis percipias, adnotato, alias propositiones esse contingentes, quæ interdum veræ, & interdum sunt falsæ: alias esse necessarias, quæ æternæ veritatis sunt, & nusquam, & nunquam sunt falsæ. Circa illas priores, nec ratio, nec voluntas potest esse constans, nec perpetua: nam, mutato objecto, debent intellectus, & voluntas mutari. At rationalis illa voluntas, quæ *Iustitia* dicitur, est constans, & perpetua, immutabilis, & invariabilis. Ergo versatur circa secundi generis Propositiones, quæ necessariæ, aut saltem infallibiles sunt, & mutari non possunt.

An circa veras versetur Iurisprudentia?

Ecce doctrinam meam supponit Imperator in ipsamet definitione: Sed ut securiùs procedamus, ne quis dicat, Imperatorem nimis sibi indulsisse, Iurisconsultos aliquos celebres recognoscamus.

CLIV.

An prima Iuris principia humanæ constitutionis sint?

An secundaria principia deducantur ex primis?

De hoc argumento ingeniosissimus Faber sic inquit. *Vt in cæteris scientiis omnibus, ita & in Iurisprudentia nostra duo sunt Principiorum genera; Vnum eorum, quæ Prima Principia dicuntur, & Independentia, atque ut Philosophi loquuntur, Primò prima; Cujusmodi tamen sunt apud Nos perpauca; nec alia ferè ulla, quàm quæ faciunt partem Iuris constituti: quorum licèt plerumque etiam aliâ, nulla tamen melior unquam ratio est, quàm quòd sic fuerint constituta. Alterum est eorum, quæ subordinata sunt, & ut ajunt secundaria; quorum rationem, si altiùs investiges, facilè reperias pendere illa ex aliis superioribus, quæ vel ad Iuris-prudentiam ipsam, vel ad Philosophiam, aut Naturalem, aut Moralem, aut Politicam, aut Oeconomicam omninò referantur.* Legi attentè, & inclamo.

Parturiunt montes, nascetur parviculus mus:

An sibi contradicat Faber?

Porrò hæc Fabri verba, & illa, quæ paulò ante dixerat, se mutuò destruunt, & simul constare non possunt. Nam, si Juris Principia, ideò certa sunt, quia sic sunt cōstituta; certum est, illa nec à naturâ rei, nec à certa ratione pendere, sed succollari fortuita hominum æstimatione, & per consequens Iurisprudentiam nec Scientiam, nec Artem infallibilem esse.

An Grammatica sit Scientia?

Profectò Faber cùm vult Iurisprudentiam extollere, illam omninò deprimit, & ad Grammaticæ, Metricæ, & aliarum inferiorum Facultatum censum improvidè & incautè deducit. CLV. Illicò assumet ejus ratiocinium Fidentius, aut alius qualiscumque Grammaticus, & se Scientiam profiteri gloriabitur, diceretque. [Vt in cæteris Scientiis

An habeat per se acta Principia?

Cur hoc voces modo, & non alio inflectantur?

De secundariis Principiis.

tiis omnibus, ita & in Grammatica nostra duo sunt Principiorum genera. Vnum eorum, quæ *Prima* dicuntur, & *Independentia*, & ut Philosophi loquuntur, *Primò prima*. Cujusmodi sunt apud nos perpauca; nec alia ferè ulla, quàm quæ ad desluxum Inflexionum spectant: nam, si peratur ratio, cur *Musa*, *Dominus*, &c. *Amo*, &c. sic inflectantur, nulla melior unquam reddi potest, quàm quod sic fuerit institutum: sic enim instituerunt Latini Idiomatis conformatores. Alterum est eorum, quæ *subordinata* sunt, & ut ajunt *Secundaria*, quorum rationem, si altiùs investiges, facilè reperias, pendere illa ex aliis Superioribus, quæ aut sint Primaria, aut ad Primaria referantur. Nam si postules, cur *Porta*, *Mensa*, *Tabula*, &c. *Animus*, *Lupus*, *Agnus*, &c. *Laudo*, *Clamo*, *Porto*, *Reporto*, &c. inflectantur, ut vides, dicam hoc ab Analogia pendere, & à Primariis inflexionum legibus, quas imitantur.] An-ne hoc, ut Grammatica Latina dicatur esse Scientia sufficiet? Asserit Scaliger *libr. 1. de caus. ling. Lat. c. 1.* illique adhæret bonæ notæ Grammaticus Nicodemus Frischlinus. Negat Gerardus Ioannes Vossius *de Arte Gramm. libr. 1. cap. 2.* dicens [Scientia esse nequit; quia ea est rerum æternarum; Grammatica autem est rerum contingentium: versatur enim circa notiones secundas, quæ cùm sint opus Grammatici, ab ejus quoque ut pendeant intellectu, necesse est. Adde, quòd non ipsæ modò notiones secundæ sint res contingentes, sed quòd id quoque, cujus gratia eæ fabricantur, hoc est, oratio, non habet οὐσίαν (essentiam) immobilem & invariabilem, à qua certæ fluant passiones de subjecto demonstrabiles. Nam, ut ait Flaccus epist. ad Pisones.

Cur Grammatica non sit scientia?

In vocum usu nil est constans.

Mutatur cum tempore vocum significatio & usus.

Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.]

An Gymnastica, Culinaria, Pistoria, &c. sint Scientia?

Sic, & quidem doctissimè, Vossius: nam, si abuti voluero vocabulis, exorbitare potero cum Galeno, qui *libr. ad Thrasybulum*, Gymnasticam esse Scientiam definit: similiter Scientiam dicturus Culinariam, Pistoriamque, si de illis esset disputaturus.

Quo sensu Iurisprudentia Scientia sit?

Porrò Grammatica non est Scientia, ut bene demonstravit Vossius. At, si bene argumentaretur Faber, Grammatica esset Scientia. Ergo ille malè argumentabatur. Altiùs ego de Iuris-prudentia sentio: non, ut eam Scientiam dicam, nomen Scientiæ deprimo & Grammaticæ, Gymnasticæ, &c. facio commune. Illud, illud, in eminenti sua significatione, vi cujus Mathematicæ Facultates esse Scientiæ dicuntur, manere jubeo; & hoc sensu assero Iurisprudentiam Scientiam esse. Fortè difficilem Spartam ineo: dictamen & rationem sequor. Attendite. Sit igitur

SECVNDA MAXIMA.

Philosophia Moralis, seu Iurisprudentia Principia sunt infallibilia, certa, & indubitata.

CLVI.
Principia Iurisprudentia, quæ?

ALia Primaria, & alia Secundaria sunt. Primaria dicuntur, quæ per se stant, & per se cognoscuntur: Secundaria, quæ per legitimam, & manifestam consequentiam ex Primariis deducuntur. Vtraque certa, & indubitata sunt: quam ob rem consequentiæ ab illis illatæ sunt scientificæ, & Morales Facultates sunt scientiæ.

Iurisprudentia desinitio Vlpiana.

Qualis Vlpianus fuerit?

An sine Dei cognitione Iurisprud. possit stare?

Legislator humanus in præceptis suis dependet à legislatore Divino.

Primum est, *Datur Deus*. Applaudat mihi Vlpianus, quod à Deo exordium sumam, nam & ipse in Iurisprudentiæ objecto Divina, & humana conclusit, dicens, *Iurisprudentia est Divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi, & injusti scientia.* Ita in *l. Iustitia. 10. de Iustit. & Iur.* Fuit Ethnicus, & Christianorum persecutor, (unde Genebrardus, ad annum Mundi 4559. *Alexander Mammææ, Christi imaginem in suo larario habuit, eique ut Deo templum consecrare statuit: & Vlpiani ejusdemque farina Iurisconsultorum furores contra ejus cultores cohibuit.* Et adlegat Lampridium.) & tamen rerum humanarum à Divinis dependentiam cognovit: & Iurisprudentiam sine Dei cognitione subsistere non posse statuit. Carpitur à nonnullis, quasi Theologica confundat, aut commisceat Politicis, quæ videntur toto cœlo differre. Sed injustè profectò. Nam omnis humana potestas à Deo est, habentque Principes præfixos à Deo terminos, ultra quos decreta sua promovere non possiot. Est igitur Iurisprudentia *Divinarum, atque humanarum rerum notitia*: contemplatur Divina, & humana: sed diversimodè: nam illa speculatur, ut dirigatur; hæc ut dirigat: illa, ut obediat, hæc ut imperet; sunt enim invalida hominum quorumcumque præcepta, quoties obversantur Divinis. Ergo, siquidem Iurisprudentia rerum Divinarum, & humanarum est notitia: & siquidem humanis sunt priora Divina; ab Vlpiano moniti, meritò sumpsimus à Deo principium, & meritò statuimus primum, & summum Iurispru-

den-

An dari Deum sit per se notũ?

An possit aliquis invincibiliter ignorare dari Deum?

Quàm sint Brasili stupidi?

An possit demonstrari?

De demonstratione à priori.

An creatura infinita sit possibilis?

De quantitate indefinita.

dentiæ Principium esse. *Datur Deus*. Est hoc, & necessarium, & per se notum: & ita clarum, ut ab homine mediocri ingenio prædito, longo tempore ignorari non possit. Hoc statim clarissimè demonstraturus sum: nam sunt aliqui obtusioris ingenii, à quibus non petetur ratio, de ratione, quam non receperunt, quales censentur plerique Brasili; de quibus legi in Hollandorum expeditionibus non habere sufficiens ingenium, ut Christianam religionem intelligant; ex quibus cognovi Madriti aliquos, qui Dei beneficio erant Christiani, nec tamen sciebant, cur olim Christiani non fuerint, aut cur tunc essent. Hominum enim sunt ingenia inæqualia, & quæ unus potest discursu naturali invenire, alius non potest; unde etiam hic considerata ingeniorum diversitate, Deum cognoscere, nec volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei. Interim innuo à priori *dari Deum* demonstrari non posse; quia, nisi vocum significationem alterare velimus, tunc à priori discurrere dicimur, cùm à causa ad effectum philosophamur. At quia Deus Causa causatum est, seu causa prima, causam non habet. Ergo non possunt à priori fieri de Deo demonstrationes. Rationes Metaphysicæ, quæ ab abstractis formalitatibus sumuntur, fortè supponunt id, quod quæritur: nam qui dari conceptum Categorematicè Infinitatis supponit, Deum dari supponit; nam demonstratur etiam Infinitatem, & Divinitatem esse duo nomina, sed eamdem rem; omninò enim repugnat Infinitas talis extra Deum. *Talem* consultò dico, nam Syncategorematicum Infinitum, non est Infinitum actu, sed potentia; & ideò meliori vocabulo *Indefinitum* appellatur.

CLVII.

Spiritus fortes qui apud Gallos dicuntur?

Multi Deum esse fatentur labio, & moribus omninò negant

Hoc profectò Principium prosternit Atheum, qui Gallicè *Il fort Spirt* nominatur. Multi enim tunc tantùm se spiritu forti esse ornatos delirant, cùm pietatem, & religionem omnem exuunt, & in Deum audent. Et quia exsecranda hæc impietas apud non paucos hodie obtinere videtur (multi enim Deum esse profitentur labio, se tamen aliter sentire inclamant moribus) operæ-pretium erit, hujus Fundamentalis Assertionis Demonstrationem facilem, & claram contexere. 48

Rejicitur demonstratio Aristotelis.

An processus in infinitum possibilis sit?

Animantes moventur à seipsis.

Quid vita sit?

An Peripatetici processum in infinitum admittant?

An continuum sit in infinitum divisibile?

An mundus fuerit ab æterno?

Et quidem nulli hodie placet Aristotelis ratio, licèt Veteres illam esse dixerint demonstrativam. Sic ille arguit. *Omne, quod movetur, ab alio movetur. Ergo vel admittendus est processus in infinitum, vel perveniendum ad aliquem, qui immotus moveat. Processus in infinitum repugnat: ergo dicendum est esse aliquem Motorem immobilem, & hic est, quem nominamus Deum*. Non placet inquam hæc ratio, nam singulæ propositiones, aut falsitate, aut probabilitate laborant, & ideò nihil necessariò concludunt. Primò illa, *Omne, quod movetur, ab alique movetur*; tametsi hodie admittatur à Renato Cartesio, & ex Aristotele probari soleat, falsa est. Nam Animantes omnes (ut de plantis nil dicam) moventur ab intrinseco; quia vita est motus ab intrinseco: & qui dicunt animantes moveri ab extrinseco, se novis implicant difficultatibus, & post ambages plurimas nihil suadent. Si prodigi, aut liberales simus, & hanc ipsam Propositionem condonemus, & illatam consequentiam, bonam esse asseramus, adhuc nihil evincitur, quia processus in infinitum non horret Peripatus, quia Continuum Aristotelicum est in infinitum Divisibile; & qui Genealogiam Petri velit describere, cùm Mundus Aristoteli sit ab æterno, à Petro per patrem, avum, abavum, atavum, &c. hoc est, per infinitos progenitores curret, & nunquam ad finem perveniet.

CLVIII.

An possit aliquid semetipsum producere?

An Deus semetipsum produxerit?

An Mundus esse potuerit ab æterno?

Demonstratio clarissima, qua evincitur dari Deum.

Cur hæc aula sit tanta? cur nec major, nec minor?

Rationem hanc Aristotelicam, utpotè ægrotam conati sunt recurare nonnulli, ex motu locali ad causam effectricem transeuntes. Sic arguunt. *Quidquid producitur, ab alio producitur. Ergo vel admittendus processus in infinitum, vel perveniendum ad aliquem, qui improductus producat. At ille processus in infinitum repugnat: Ergo datur, qui improductus producat, & hic est Deus*. Sed neque hoc argumentum evincit. Nam major, quæ mea sententia est certa, negatur rotundè à Lactantio Firmiano, qui docet, *Deum esse à se*, hoc est, *producere seipsum*, quem sequutus videtur fuisse Renatus Cartesius, cùm dixit, *Deum esse à se positivè*, cùm tamen dicere deberet, *Deum esse à se negativè*, hoc est, non esse ab alio. At quia Cartesius verba sua ita exposuit, ut malè loqui, sed benè sentire dicendus sit, & idem omninò Lactantius faceret, si hodie viveret, concedamus sine ulla limitatione antecedens. At Mundum esse ab æterno docet Aristoteles; illum errasse scimus; oppositum enim Fides Orthodoxa nos docet. Si autem agamus de potentia, potuisse saltem esse ab æterno multi Catholici opinantur. Ergo non repugnat evidenter in causis efficientibus, & subordinatis infinitus processus. Ergo nihil concluditur. Ego rem summè necessariam summa claritate, & facilitate demonstro, & utor ratiocinio, quod ab omnibus possit intelligi. Discurro sic. *Aula hæc, in qua has lineas scribo; hæc, in qua tu easdem legis, tot determinatos pedes longitudinis, tot latitudinis, tot etiam altitudinis habet*. *Cur non*

est

est longior, aut brevior? cur non est latior, aut contractior? cur non est altior, aut humilior? An essentialiter, & necessariò postulat has mensuras? minimè; nam, si major esset, aut minor, contradictoria non involveret. Ergo ab extrinseco non habet, quòd tanta sit, & non minor, aut major. Sed unde? ab Artifice: hic enim illam potuit minorem, aut majorem formare, & tantam voluit, majorem, aut minorem non voluit. Hinc transeo ad hoc Amphitheatrum, quod *Mundum* dicimus, & sic progredior. *Terra est finita magnitudinis: hinc ad illius centrum tenditur finita distantia leucarum 1000. quantam statuit VVendelinus utens mensuris Belgicis. Sed cur illa non est duplò major, vel duplò minor? Si duplò major esset, non haberemus duo contradictoria simul vera: sed neque, si esset duplò minor. Ergo ab intrinseco, & essentialiter non postulat, ut tanta sit, & non major, aut minor. Et tamen tanta de facto est, & non major, aut minor. Ergo est tanta, quia agens extrinsecum voluit illam esse tantam, & eam esse majorem, aut minorem non voluit. Sic similiter hinc ad Lunam, ad Solem, ad cætera Cælestia corpora sunt tanta distantia: & Luna, Sol, & Sydera habent tantam magnitudinem. Et cur distantia illæ non sunt majores, aut minores? Et cur illæ corporum Cælestium magnitudines non sunt longiores, aut breviores? An quia essentialiter, & necessariò tanta sunt? minimè. Quia, si esse duplò majores, aut duplò minores supponeremus, contradictoria non involveremus. Ergo tanta illa sunt, quia agens extrinsecum tantas esse voluit, & contractiores, aut productiores esse noluit. Et hoc agens extrinsecum, qui liberè Cælos, & Terram condidit, vocamus* DEUM. Redeo ad lineam.

Quanta sit telluris semidiametrus?

Cur major, aut minor non sit?

Cur corpora Cælestia non sint majora, vel minora?

CLIX. SECUNDUM. *Deus est hominum Dominus.* Id Creatio ostendit, quia illos liberè producit, & non producere potuit, & potest: & actuale Dominium in conservandi, & destruendi libera potestate consistit, ut in Theologia Intentionali fusè ostendo.

Cur Deus sit rerum omnium Dominus?
Quid sit dominium?

TERTIUM. *Deus hominibus potest leges imponere.* Hæc potestas oritur ex dominio: quia, siquidem humanorum actuum est supremus dominus, sicut ad operandum, & ad non operandum potest concurrere physicè sine humanæ libertatis jactura; nempè dando auxilia à scientia media dependentia, vel non dependentia: nam hæc veritas in Schola (Thomistica, Scotistica, & Molinistica) potest defendi: sic etiam potest concurrere moraliter: nempè imponendo præcepta (afferentia, negantia) quibus actus consonos suæ Divinæ voluntati præcipiat, & dissonos interdicat.

Cur hominibus Deus imponere præcepta possit?
An sit necessaria scientia media?

QUARTUM. *Hæc Divina in homines potestas est absoluta, & omninò independens.* Probat id evidenter infinitas; quia dependere ab alio dicit imperfectionem, & ordinari ad hoc, & non ad illud dicit limitationem, quæ quia imperfectiones sunt, in potestate infinitè perfecta inveniri non possunt. Cæterùm hanc ipsam Dei potestatem esse infinitam, demonstrabo clarissimè: nam in Deo universa sunt: & ideò Deus ipse est infinitus, non solùm penès essentiam, & attributa realia, sed etiam penès attributa, & virtutes Morales. Est infinitum Ens, est infinita substantia; habet intellectum infinitum, voluntatem infinitam; potentiam, & potestatem infinitam: quia in ipso *Ens, substantia, intellectus, voluntas, attributum, virtus, potentia, potestas,* &c. plura sunt nomina, & una indivisibilis res.

Potestas Dei independens.

Omnis ordinatio dicit limitationem.

Nihil in Deo, quod non sit infinitum.

CLX. Corollarium. *Ergo obediendum est Deo. Faciendum est ergo quidquid jusserit, & quidquid interdixerit, est omittendum.* Oritur ex præcedenti necessariò.

QUINTUM. *Deus aliqua præcepta imposuit.* Est certissimum. Nam, vel Deus tulit Decalogum liberè, vel necessariò. Si dicatur hoc ultimum, cessat quæstio: quia si illum Deus necessariò tulit, verè tulit. Si placet dicere illud prius, adhuc hoc Principium est certum, nam Deum tulisse Decalogum, de Fide est.

An leges hominibus Deus imposuerit?

Nec huc pertinet illa quæstio, quæ interrogat, *An Deus possit dispensare in Decalogo?* Quia sive possit, sive non possit, dantur de facto præcepta lata à Deo, in quibus non dispensavit: & hæc extant in Tabulis, quas, quòd decem præcepta continent, communiter vocamus *Decalogum*.

An possit Deus dispensare in Decalogo?

Sed neque huc pertinet illa quæstio, quæ postulat, *An mala, sint mala, quia prohibita; an verò sint prohibita, quia mala?* Vel enim agimus de præcepto primario, vel de secundario. Et quidem primarium dico illud, ante quod res non est interdicta; secundarium verò, quod rem priùs interdictam, iterùm interdicit. Et quidem si quæstio sit de præcepto secundario, hoc prohibet, quæ mala erant, nempè, malitia contra primarium præceptum militante, & hoc maximè relucet in præceptis humanis; nam homicidium Politicæ leges interdicunt; & hoc, quia malum: essetque malum, etsi humanitùs non interdiceretur; nam est interdictum divinitùs. Cæterùm, si agamus de præcepto primario, dicendum est, nihil esse prohibitum, quia Theologicè malum; nam homicidium ante primarium illud legis divinæ præceptum consideratum, Theologicam malitiam non includit, neque intelligitur esse peccatum; nam Theologicam

An omnia, quæ mala dicuntur mala sint, quia prohibita?

Præcepti primarii, & secundarii distinctio.

omnem

omnem malitiam ideò habet; quia opponitur legi, *Non occides*. Et hoc tam in Scotistarum, quàm in Thomistarum Schola: utraque enim in hoc convenit, quòd asserat non intelligi in humanis actibus Theologicam malitiam præscindendo à Divino præcepto: & solum differunt in modo præcepti: nam alicubi docet S. Thomas omnia Decalogi præcepta esse necessaria: negat alibi: cùm tamen asserat constanter Scotus omnia secundæ Tabulæ, & omnia affirmativa primæ (quidquid de negativis primæ sit) esse libera, ut suo loco demonstro.

De præcepto primario & secundario.

Cur homicidiū peccatum sit?

CLXI.

At sunt aliqui, qui malitiam & peccatum repeciunt, in homicidio, v.gr. præscindendo à Decalogo. Fateor: at hi neque novam Scholam constituunt, neque ad ullam ex antiquis spectant: hodie enim non alias in Theologia cognosco, quàm Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem, & tamen istæ tres nostram Conclusionem tuentur: unde opposita est singularis opinio hominum singularium. Et ut video, non ratione, sed allucinatione fundatur: quoniam malitia Moralis duplex est, Philosophica, & Theologica. Prior illa reperitur in hominum actibus, etsi per impossibile non esset Deus; nam consistit formaliter in quadam indecentia, seu deordinatione contra rectū dictamen. Quam ob rem homicidium, etsi non esset Deus, esset adhuc Philosophicè malum; nam naturalis ratio dictaret, non esse occidendum innocentem. At homicidium, nec esset Theologicè malum, nec peccatum, si divinitùs interdictum non esset: malitia enim Theologica, & peccatum Legis Divinæ violationem supponit.

Consentiunt nobis omnes Autores Classici.

Quot hodiè Scholæ?

Malitia duplex, Philosophica, & Theologica.

Quid sit Theologica malitia?

Hæc doctrina est unica, & sola tenenda: & quidem, si opposita, quam pauci tuentur, & singularem dixi, videretur probabilis, adhuc esset rejicienda à Legistis, meliùs enim Ius naturale ipsi intelligent, si analogia servata discurrant, dicantque sicut Ius Cæsareum est quod latum ab Imperatore, sic Ius Naturale, quod à Natura naturante, hoc est, à Deo Rege Regum, & Domino Dominantium latom est. Hanc Analogiam ob oculos habuit Vaconius *lib.1.declarat.1.num.3.* dicens. [Ius naturale est bonum quoddam à Natura, id est, à Deo ordinatum, ac tributum conveniens, conducensque naturæ cujusque Animalis (lego Rationalis Animalis: hoc enim Ius nolo extendere ad bruta) sicut Ius Gentium est bonum ordinatum à Gentibus. &c. Ius verò Civile est bonum quoddam à Civitate ordinatum. &c.] Potuisset addere, Ius Cæsareum est bonum quodam ordinatum ab Imperatoribus: & Ius Canonicum bonum quoddam ordinatum à Summis Pontificibus. Sed & *num.6.* iterum nomine Natura intelligit Deum: inquit enim. (Hoc est, quod ait Iurisconsultus *in l.1. ff. de Iust.& Iur.* cum inquit, *Ius naturale est, quod natura docuit omnia animalia*. Natura scilicet increata. &c.)

Inter Ius naturale, & Ius Gentium, & Civile analogia.

Ius Naturale est licitum.

N.B. Mihi Ius gentium est ipsū Ius naturale, prout respicit homines mysticos, hoc est, Rēpublicam.

Natura est Deus.

CLXII.

Sed quæ præcepta hominibus imposuit Deus? Respondebit Principium.

Sextum. *Primum præceptum jubet, ut ames Deum*. An-ne ex hoc sequuntur omnia reliqua? Attende, ex hoc præcepto nascuntur in prima Tabula.

An ex primo præcepto libere, cætera necessariò nascantur?

Ergo non occides.
Ergo non mœchaberis.
Ergo non furaberis.
Ergo non mentieris.

Sicut ex hoc Præcepto *Ama Deum* sequuntur hęc quatuor Præcepta: sic etiam ex Præcepto, *Ama Proximū*, sequuntur alia quatuor analoga, ut inferiùs videbitur.

Non amat innocentem, qui occidit. Ergo, si Deus occidi posset, illum non amaret, qui occideret: nec illum occideret, qui amaret. Sanè Deus occidi effectivè non potest, affectivè potest. Ergo affectivè tollit Deum Atheus, quando dicit Deum non esse, quem vincibiliter ignorat. Nec hinc multum distat Odium formale Dei: qui enim Deum habet odio, scit Deum esse, imò eum immortalem & æternum esse: doler tamen illum esse immortalem, eumque adnihilaret, si posset; & ideò non illum adnihilat, quia non potest. Hoc formale odium reperitur in Dæmone & in damnatis animabus: at in hac vita putarem valdè paucos tam esse improbos, ut formaliter odio habeant Deum.

An & quomodo Deus possit occidi?

De atheismo.

De odio Dei.

An apud mortales reperiantur?

Mœchari contra proximum dicitur, qui ad fœminam non suam accedit: ergo sumpta analogia mœchabitur in Deum, Idolatra, qui ad Deum non suum accedit. Hanc ob rem in Sacra Scriptura Babylon, &c. fornicari dicitur, quòd Deos non suos cognoscat. Ergo, qui Deum unicum amat, Idola adorare non potest. Et hic meritò posset inquiri, *An graviùs Græci & Romani erraverint, scelerates Deos comminiscendo, quàm Atheos, illos prorsus negando?* Huic autem dubio *in Moralibus* Plutarchus respondet his verbis. *Quibusdam minus mali fuit, non omninò videre, quàm perperam videre; ut Herculi, qui filios videns, pro hostibus occidit. Ita levius malum est, Deos omninò non credere, quàm credere noxios.* Quam ob rem Græcis, Latinisque præferendi sunt barbari Americani, qui nullis suos Deos vitiis commaculant, sed gloriosis virtutibus, quas mentiuntur, exornant: ut sæpè legitur apud Ioannem Botterum.

De Idolatria.

Attrectare, quid sit?

Furatur à proximo, qui rem alienam capit, invito Domino. Ergo furabitur à Deo qui res Dei capiat invito Deo. Voce *attrectare* utuntur Ethici, ut non solùm *capere*, sed *retinere* includant: at qui retinet, quandiù retinet, tamdiù actu capit. Ergo, qui amat Deum, Sacrilegus esse non potest; non enim res Deo sacras usurpabit; & adimplebit vota, quæ distinxerunt labia sua. Quia sicut per donationem, domus, quæ erat Petri fit Dei; sic etiam per votum adquirit Deus jus in humanum actum, quem debes elicere, quando instat promissio. Vnde sicut, qui dixerit, *Offeram cras centum aureos Deo*, tenetur tempore congruo illos aureos ponere & offerre; sic qui dixerit, *Voveo, & offero Deo jejunium crastinum*, tenetur cras subire Jejunium Deo oblatum.

De Sacrilegio.

De violatione Voti.

Cur vota reddere teneamur?

CLXIII.

Voti violatio duplicem malitiam includit.

Mentitur proximo, qui promissis non stat: Ergo Deo, qui non observat votum. Vnde in violatione Voti, furti & mendacii Sacrilegia inveniuntur. Sed reperitur perjurium, cujus malitia in eo est, ut Deum velit testem esse mendacem. Ergo omnia, quæ in duobus primæ Tabulæ includuntur præceptis, ex illo omnium primo, *Ama Deum*, necessariò inferuntur.

De observatione festorum.

Hæc observantia dupliciter consideratur.

Ad quem pertineat festa determinare?

An infertur tertium, *Memento, ut diem Sabbati sanctifices?* Sanè, siquidem amare tenetur homo Deum, debet hoc facere aliquando, & alicubi. Ergo in hoc præcepto tria sunt consideranda, tempus, & locus, & modus, ut sic; & iterum tempus & locus, & modus determinatè. Hoc præceptum juxta considerationem primam, infertur necessariò ex illo primo, *Ama Deum*. At verò, *Ama Deum, tali tempore, tali loco, tali modo*, in lege veteri præceptum cæremoniale fuit, & in lege gratiæ pertinet ad Ecclesiam omnia festa determinare. Iussit ergo Ecclesia, ut tali die jejunando, tali abstinendo à carnibus, tali vacando à servilibus operibus, audiendo Missam, &c. amemus Deum.

Quomodo inceperit Sabbati observantia?

Petis, An ab initio mundi fuerit Sabbati cultus, & observantia? an tunc tantùm inceperit, cùm in monte Sinai Decalogum suo digito lapideis tabulis insculpsit Deus? Hoc ultimum asserit Tertullianus: illud prius Hebræi omnes, antiquæ traditioni constantes. Proderit audire Genebrardum, qui *in Chronico ad ann. Mundi* 1949. sic inquit.

CLXIV.

Genebrardi sententia.

Tertulliani sententia.

[Sabbatum, ut præcedentes Patriarchæ, coluit (Abraham) item alias naturæ leges, & sacra, quæ posteà Moyses literis obsignavit, & veluti de novo instituit. Abben Ezra *in Decalogum*, Rabbi Selon *Gen.* 26. Tertullianus tamen adversus Iudæos, neque Adam, neque Abelem, neque Henoc, neque Nohe, neque Melchisedech, neque Abraham, neque ullos alios ante Moysem sabbatizasse putat. Tamen, quia jam inde ab initio diem illum Deus consecraverat ad recolendum creationis beneficium, quousque dies Dominicus ad recolendum recreationis, sive redemptionis mysterium succederet, veras hic existimo Hebraicas traditiones. Adde hunc unum esse de actibus Religionis & primarii Iuris Divini. Alioqui Decalogus fuisset tempore Legis naturæ uno præcepto mancus.]

De Hebræorum traditionibus.

Ego quidem Hebræorum traditiones non contemno, nisi Christianorum traditionibus aut historiis obsistant. Interim dicere possent aliqui illam Iudæorum traditionem non fuisse à Christianis receptam, nam aliàs illi non obstitisset Tertullianus; &, si fortè fecisset, omnium Patrum calamos in suam audaciam concitasset. Argumenta quidem Genebrardi nil probant.

CLXV.

An Deum debeamus imitari?

Arguebat primò sic. Deus sanctificavit Sabbatum. Ergo debent homines illum colere. Deus Sabbato cessavit ab omni opere, quod patrarat; ergo & homines ab omni debent opere servili abstinere. Sic puto Genebrardi argumentum procedere.

Nulla est malitia Theologica præscindendo à præcepto.

Non est bona consequentia, Deus fecit, ergo fieri præcepit.

Respondeo præscindendo à præcepto nihil esse in Decalogo, quod homines Theologicè obliget sub peccato. Quam ob rem, sicut creare mundum, Cœlos, Sydera, Plantas, Animantes, Homines, &c. non est præcipere, ut homines novos mundos, Cœlos, Sydera, Arbores, animalia, aut etiam homines alios producant, sic sanctificare Sabbatum, non est præcipere, ut illum homines sanctificent: nec cessare die Sabbati est præcipere, ut homines ab omni opere cessent: nam & tota secunda Deus hebdomade, tota tertia, &c. cessavit: ergo & homines semper cessare debent. Vt igitur homines debuerint Sabbatum observare, pronunciari hæc lex debuit, *Diem Sabbati sanctificanto*. Quidquid igitur de doctrinæ veritate sit, aut non sit, constat ut minimùm Genebrardum inefficaciter argumentari.

An novem præceptis possit componi Decalogus?

Argumentum secundum potest ad hæc verba reduci. Decalogus semper decem præcepta habuit: sicut enim repugnat numerum Denarium unitaribus novem constitui, sic etiam repugnat novem legibus componi Decalogum. At, si vera esset Tertulliani sententia, usque ad Moysem novem tantùm legibus compositus fuisset Decalo-

gus

gus: quod repugnat omninò. Ergo falsa est Tertulliani sententia. Confirmatur. Quia Divina Lex nunquam fuit manca. Sed, si assentiremur Tertulliano, necessariò dicere deberemus illam ab Adamo ad usque Moysem mancam fuisse, Ergo à Tertulliano dissentire debemus.

An lex naturalis fuerit manca?

CLXVI.

Argumenti solutio.

Non omnia, quæ in tertio præcepto ponuntur, ad legem Naturalē pertinent.

Respondeo Genebrardum etiamnum inefficaciter argumentari. Posset enim respondere Tertullianus primò, impossibile quidem esse, ut Decalogus habeat novem leges, at potuisse Deum ab initio tulisse non Decalogum, sed Ennealogum, qui novem legibus componeretur. Posset respondere secundo, aliud esse *observare dies*, & aliud *tales dies*; illud prius esse legis naturæ, hoc posterius Mosaicæ. Quam ob rem etiam ante Moysem fuisse Decalogum; quia homines tenebantur aliquo loco & tempore colere Deum, tametsi non tenerentur loco & tempore determinatis.

Quid mancum dicatur?

An majorem gratiam & gloriam habere possit Deus noster Iesus Christus?

Observatio Dominicæ qua talis est Iuris Ecclesiastici.

Ad confirmationem, *vel diceret* Legem Naturalem semper habuisse decem præcepta: nam licèt ante Moysem non præceperit Sabbatum observari, præcipiebat nihilominùs aliquod tempus observari, juxta ea quæ notabamus, *vel diceret* legem Naturalem habuisse novem præcepta ad usque Moysem, negaret tamen mancam fuisse; non enim *mancum* dicitur, cui addi aliquid potest, aliàs enim & Christi Domini gratia & gloria esset manca, quia cùm finita sit, major & major esse potest: sed mancum est, cui deest aliquid quod debebatur; nempe id, quod habet alicujus rei ad suam integritatem necessariæ defectum. Quam ob rem lex Naturalis non fuisset manca ante Moysem, etsi observare Sabbata non præcepisset, nullam enim obligationem habet Deus jubendi, ut observemus Sabbata: nam & modò lex Naturalis non est manca, & tamen non præcipit, ut sabbatizemus: sed neque observemus Dominicas, sed ut congrua aliqua tempora, quæ Ecclesia sanctissimè determinavit.

Resolutio.

Hebræorum Hiphil.

Sic placuit cum Genebrardo disputare. Interim communis opinio statuit à mundi initio omnes Patres veteres sabbatizasse. Et posset ostendi observantiæ præceptum, nam ubi dicitur Deus, *sanctificasse diem Sabbati*, si legatur in *Hiphil*, dicetur Deus *fecisse*, *aut præcepisse, ut sanctificaretur dies Sabbati*. Est ergo vera Genebrardi doctrina, tametsi ab eo non fuerit sufficienter probata.

CLXVII.

An ex primo præcepto etiam secundæ tabulæ præcepta inferantur?

SVPEREST Quæstio difficilior, *An ex præcepto*, Ama Deum, *sequatur necessariò*, Ama proximum.

Multi stant à sententia asserente: nam, si est verum adagium. *Qui amat Petrum, amat & canem ejus*, consequenter, qui Petrum amet, amabit etiam filium Petri. At nos sumus Dei filii. Ergo, qui Deum amat, etiam amabit proximum.

An sit bona consequentia. Iubemur amare Deum, ergo & proximum?

Sed Christus appositam sententiam nos docuit.

Quæstio à Pharisæis Christo proposita.

Christi Decisio

Præcepta primaria sunt duo

Ad eum enim accesserè Pharisæi, ut periclitarentur, an meliori fortuna illum alloquerentur & colloquendo *caperent in sermone*, quàm Saducæi fecerant, qui se subtraxerant valdè confusi. S. Ioannes Chrysostomus *homil.* 71. *in Matth. cap.* 22. *d.* 35. rem enarrat his verbis. *Saducæis confusis, Pharisæi rursus aggrediuntur, cumque quiescere (fortè adquiescere) oporteret, decertare volunerant, & legis peritiam profitentem* (nempè, *Theologiæ expositivæ Professorem*) *præmittunt, non addiscere, sed tentare cupientes, ac ita interrogant. Quodnam primum mandatum in lege sit?* Noster Vulgatus *magnum* in interrogatione ponit, non *primum*. At Christus plus respondet, quàm postulant; quia majori illi instructione indigebant, majori luce, quàm putabant. Sic inquit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est Maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* Quæ verba in Dialecto Scholastica sic reddi possunt. [Prima Theologiæ Moralis Maxima maximumque ejusdem Theologiæ Principium est, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. At hoc non sufficit, ut legem Divinam impleatis; tulit enim Dominus alterum Præceptum huic analogum, quod etiam in suo genere, & classe primum Principium, & Maxima indubitata est, ex qua multæ etiam Morales consequentiæ nascuntur. Et est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Vt hæc duo Præcepta religiosè observentur, data fuit tota lex, & eodem fine omnes Prophetæ declamarunt, & monita sua esse sibi inspirata divinitùs vaticiniis suaserunt, futura enim nemo cognoscit præter Deum, unde in Isaia legitur, *Dicite, quæ futura sunt, & dicemus, quòd Dii estis vos.*] & cur quæsò Christus, cùm de primo Præcepto rogaretur, etiam secundum exposuit? Chrysostomus. *Vt ostendat idcircò ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset Charitas, sed invidiæ livore tabescerent.* Ergo sensit D.N. Iesus-Christus, secundum non includi in primo; ergo ab eodem doctus idem sensit Chrysostomus: nam, si hoc Præceptum, *Diliges proximum*: clauditur in hoc, *Diliges Deum*, satis superque fuisset hoc pro-

Contingentia futura cognoscit solus Deus.

De præcepto amandi proximum.

Prophetia à solo Deo.

An secundum in primo includatur?

producere & dicere, *In hoc Mandato*, Diliges Deum, *universa lex pendet, & Prophetæ*.

CLXVIII. *An Fidei Orthodoxæ articuli possint hæreticorum testimonio probari?*

Vt hoc secundarium Theologiæ Moralis Principium dilucidem, producam Timanni Gesselii verba *ex Hist. ad annum Christi 30. tom. 1. pag. 79.* desumpta. Sed cur Principia Catholicæ Veritatis dilucidaturus, verbis Authoris Calvinistæ juvabor? Vt cognoscat Europa tam execrabilem Calvini esse doctrinam, ut illam Calviniani rejiciant. [Vide *Logic. Moral. pag. 43. b.*] ubi enim volunt eruditi & sinceri videri, nobiscum sentiunt & scribunt. Gesselius ergo sic,

Primum secundæ tabulæ præceptum malè exposuerunt Ethnici.

[Christus, tanquam novus & Cœlestis homo, docet finem & scopum homini Christiano propositum esse debere, vitam alteram, meliorem, Cælestem, æternam; & in hac vita pacem conscientiæ, & veram illam animi tranquillitatem, quam Philosophorum quæsiverunt plurimi, invenit nemo. Illi quidem negativè dicebant, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quibus (verbis) tantum prohibetur peccatum commissionis, ut loquuntur Theologi, ne quid mali faciamus proximo. Sed Christus ulterius procedit & proponit nobis Regiam illam legem, cœlestem illam sapientiam affirmativè, (positivè) qua jubet, *Vt quæcumque nobis fieri volumus, faciamus alteri*. Et cum naturæ ductu nobis omnia bona fieri velimus, præcipit, ut ea faciamus proximo, contra peccatum, quod dicitur omissionis; quare sic dicitur à Paulo, *Qui diligit proximũ, implevit legem*. ad Rom. 12.] Sic ille, & quidem catholicissimè contradicit Calvino deliranti Divinæ legis observantiam impossibilem esse.

Ex amore proximi oritur necessariò tota secunda Tabula. An impossibilia jubeat Deus?

Quales essent humani mores Tabula secunda sublata?

Ecce duo præcepta similia, & analoga, quæ imposuit hominibus Deus, exposuit Christus, & diximus secundum (nempè, *Ama proximum*) non inferri necessariò ex primo (nempè, *Ama Deum*) aliàs enim Christus non duo Præcepta, sed unicum dilucidasset: Quam ob rem, si Deus secundam Decalogi Tabulam non tulisset, illæso Dei amore, homo posset lascivire, furari, mentiri, & concupiscere.

CLXIX. Vt ergo benè difficultatem capias, adnotato bifariam te amare posse proximum; nempè proximum Deo, vel proximum ipsimet proximo. Stando primæ considerationi, benè sequitur, *Amo Deum, ergo amo proximum Dei*: & stante hoe amore proximi, non sequitur homicidium esse peccatum. Quia, si illæso amore Petri, possum occidere inimicum Petri, stante amore Dei, occidere possem inimicum Dei. An & amicum? Stante amore Petri, possum reducere Ioannem ad statum, in quo plus amet, & honoret Petrum, ergo si amor Patriæ supponatur perfectior, quàm viæ, stante amore Dei, possem occidere Amicum Dei, ut perfectiùs Deum amet in Cœlo, quàm amet in Terra. Ergo, ut amem proximum, proximo addi debuit novum præceptum, nempè, *Amà proximum, sicut te ipsum*.

Amor proximi duplex.

CLXX. SVperest, ut breviter objectionibus satisfaciamus; nam doctrinam ipsæ semper impugnationes, si benè solvantur, dilucidant.

An in præcepto amandi proximum totus includatur Decalogus?

OBIICIS PRIMÒ. Paulum ad Romanos cap. 12. *Qui diligit proximum, implevit legem*. Ergo tota Christiana lex clauditur unico præcepto: non ergo est necessarium duo ponere, nam datur unicum, è quo cætera per necessarium consequentiam nascantur.

An, qui Deum remuneratorem esse credit, Deum esse credat?

Respondeo Paulum etiam dixisse, *Accedentem ad Deum, debere credere, quia Deus est, & quia remunerator est*, & tamen conveniunt Theologi hoc secundum non inferri ex primo & tamen primum claudi in secundo. Quoniam non est bona consequentia, *Deus est, ergo remunerator est*, potuit enim & Angelos & Homines condere & neutros ad æternam gloriam provehere. Bona enim opera possunt dupliciter considerari, aut secundum naturam suam, aut secundùm elevationem, quam habent. Priori illas modo considerabat Paulus, cùm dixit, *Non sunt condignæ passiones hujus Seculi ad futuram gloriam*, posteriori autem, cùm confidenter addidit. *Reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Iustus Iudex, &c.* Sed in quo consistit elevatio? In promissione, quam suo sanguine nobis impetravit Dominus Noster Iesus-Christus, unde Cistercienses in Hymn.

An necessariò Deus homines prædestinaverit?

Vnde jus ad gloriam, quod homines habent pascatur?

Si corde rogamus pie,
Certè debes ex promisso.

Gloriæ æternæ donatio, Gratia est, & nihilominùs Iustitia est. Sanè est Iustitia, quia promissione posita nobis illa ex Iustitia debetur, at hæc ipsa promissio libera fuit, unde hæc ipsa *Iustitia* à Patribus, *Magna gratia* vocatur. Hinc illam consequentiam, *Deus est, ergo remunerator est*, ajo necessariam non esse: tota enim in gratia liberè concessa fundatur: his tamen non obstantibus hanc, *Deus remunerator est, ergo est*, esse necessariam resolvo; qui enim concedat antecedens, consequens non potest negare. Vnde communiter Theologi asserunt sufficere, ut accedens ad Deum, credat eum-

Magna gratia, quæ?

remuneratorem, quia in hac positione, *Deus remunerator est*, clauditur hæc, *Deus est*.

CLXXI. *Datur lux illi communi Philosophorum Axiomati: Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

Ergo hac luce perfusus assero illud Principium Philosophicum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, quod in Physica cespitat, in Ethica, quando agimus de Amore, benè fluere; non autem benè, si de odio disseramus: non enim valet dicere, *Odio habeo peccatum propter Deum, ergo magis odio habeo Deum*. Vnde concludo hanc consequentiam.

Amo Deum propter se:
Ergo amo proximum proximo propter Deum; non esse similem huic.
Amo proximum proximo propter Deum:
Ergo amo Deum propter se.

An in antecedente consequens non clauditur?

hæc enim est necessaria, & illa non: nam in hujus antecedente clauditur consequens, non aliter ac in ista,

Deus remunerator est:
Ergo Deus est.

in priori autem nulla relucet necessitas, benè enim stat, ut amem Deum propter se, & tamen non amem proximum proximo propter Deum.

An, & cur impleat legem, qui amat proximum?

Hinc ad verba illa Pauli, propter quæ hæc omnia diximus. *Qui diligit proximum suum* (nempè sicut seipsum, & propter Deum) *implevit legem*: nam implevit totam secundam Tabulam amando proximum; & totam primam amando Deum: non enim potest quis amare Ioannem propter Petrum, quin amet Petrum, imò quin intensiùs Petrum amet, quàm Ioannem: juxta illud Philosophorum Pronunciatum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*; quod paulò antè protulimus. Ergo hæc duo Præcepta,

An, & quæ Præcepta includantur in aliis?

Ama Deum propter se.
Ama proximum proximo propter Deum.

ita se habent, ut primum in secundo claudatur, non contrà.

CLXXII. *An alia inferantur ab aliis? Qui non amat Deum propter se, non potest amare proximum propter Deum, Qui proximum non amat propter Deum, non amat Deum propter se.*

Obiicies Secundò. S. Ioannes Chrysost. *loc. cit.* ait. *Quam ob rem simile est huic? Quia hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur*. Ergo primum Præceptum, *Ama Deũ*, inducit, & infert secundum, nimirùm, *Ama proximum*: & contrà.

Respondeo primò Chrysostomum agere in sensu negativo: videlicet.

Petrus non amat Deum propter se:
Ergo non amat proximum propter Deum.

tunc enim tam sunt hæ propositiones connexæ, ut prima secundam inferat, & iterum à secunda inferatur: benè enim dicimus.

Petrus non amat proximum propter Deum;
Ergo non amat Deum propter se.

Quid sit odio habere lucem?

Huc enim pertinent probationes, quibus est usus Aureus Doctor: qui sic disserit. *Quicumque enim malè agit* (hoc est, non amat proximum propter Deum) *odio habet lucem, & non venit ad lucem*, (hoc est, *non amat Deum*) & posteà, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (ecce athei non amant Deum propter se) *Deindè sequitur, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*. (ecce ex eo, quòd athei non amant Deum, sequitur, quòd non ament proximum.)

CLXXIII. Posito præcepto de amando proximum ipsimet proximo nascitur tota secunda Tabula ex primæ Tabulæ primo præcepto.

Obiicies Tertiò, hæc ejusdem Sancti Præsulis verba. *Si ergo diligere Deum, diligere proximum est; (nam si diligis me, ò Petre, inquit, pasce oves meas) si etiam dilectio proximi facit, ut mandata custodias: meritò ait, in illis totam legem, & Prophetas pendere*. Ergo sensit primum Præceptum includi in secundo, & è contrà.

Quid bonum inferat Logica ex primo præcepto Decalogi? De hypothesi, cui S. Chrysostomus insistit. Quomodo amor proximi ex amore Dei inferatur? An ex prima legis Tabula inferatur secunda? An prima secundam inferat?

Respondeo nos hucusque egisse de primo præcepto Decalogi præcisò à cæteris: nempè in casu (possibili, aut impossibili) quo cætera præcepta Deus non imposuisset: & hoc casu diximus ex illo, *Ama Deum*, sequi quidem, *Ama proximum Deo*: non autem sequi, *Ama proximum ipsimet proximo*; aut, quod in idem recidet, *Ama proximum sicut teipsum*. At Chrysostomus supponit aliam hypothesim, nempè Deum jam tulisse Decalogum, unde paulò antè assumpserat Christi Domini verba, quæ possunt ad hanc formam reduci.

Siquis diligit me, mandata mea servabit.
Sed ego mandavi homini, ut diligat proximum sicut seipsum.
Ergo, qui diligit me, diliget proximum sicut seipsum.

Ergo rem attentè considera. Non est hæc bona consequentia.

Datur præceptum de amando Deo.
Ergo datur præceptum de amando proximo ad favorem, & utilitatem ipsius proximi.

quia

quia ut Scotus me docet, posita prima Tabula, potuit adhuc secunda non poni. At hæc consequentia est necessaria.

Deus præcipit, ut amemus Deum, & proximum.
Petrus amat Deum.
Ergo amat proximum, Si enim hunc non amaret, violaret legem Dei, & si illam violaret, non amaret Deum, num peccaret.

His positis, quid ex proximi amore per necessariam illationem consequatur, attentione debita consideremus.

CLXXIV. *Unde erlatur tota secunda Tabula?*

Sicut elementa & inanima corpora amoris vinculo concernantur, sic & homines debent, & ideò fuit latus Decalogus.

EX hoc præcepto, *Ama proximum sicut teipsum*, per necessariam consequentiam nascuntur omnes leges Humanæ, quod doctè edisserit Ioannes Henricus Alstedius *in Encyclopædia sua tom.4.lib.32.cap.8.regul.1 pag.48.* his verbis, *Principio itaque ex amore illo Divino, quo Deus universa sunt opera complectitur, immò seipsum intimè amat, & ex amore naturali, qui tanquam aurea catena omnes res trahit, & inter se devincit in hac rerum universitate: Ex hoc inquam amore Divina illa & Regia amoris Lex manavit,* Dilige Deum supra omnia; & Proximum sicut teipsum, *cujus legis ordo attentè perpendendus est, ad originem Iuris intimè concipiendam. Hac igitur lex, est matrix & fons omnium legum, quæcumque existere possunt, ut ex Tertulliano disputant gravissimè. Legem istum constanter retinuerunt Patriarchæ ante & post diluvium, eamque variis Conclusionibus exornatam liberis suis & domesticis inculcarunt.* Sed quæ sunt istæ Conclusiones, quas ex amoris præcepto Patriarchæ inferebant, & posteris suis inculcabant? Sunt quatuor Præcepta: videlicet,

Consequentia, quæ ex Proximi Amore inferuntur.

Ergo non occides.
Ergo non mœchaberis.
Ergo non furtum facies.
Ergo non mentieris.

Hæc Præcepta in Species varias dividuntur; & subdividuntur.

S. Pauli Dialectica.

Si enim Petrum amo, eum non occidam, ipsius uxore non abutar, illum non spoliabo, & illum tandem non decipiam. Et quidem ex illo præcepto, *Ama Proximum, sicut teipsum*, has quatuor consequentias inferri, constat ex D.Paulo, qui *ad Rom.cap.13.b.* sic scribit. *Nemini quidpiam debeatis, nisi ut invicem diligatis, qui enim diligit Proximum, legem implevit. Nam,* Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, *& si quod est aliud Mandatum, in hoc verbo instauratur,* Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum. *Dilectio Proximi malum non operatur; Plenitudo ergo Legis, est Dilectio.* Hanc Dialecticam, quæ omnes has Consequentias ex Proximi amore deducit, radicitùs percallebat S.Ioannes Apostolus, & Evangelista, qui in omni festo die concionabatur, & in omni adsumebat pro Themate, *Filioli diligite alterutrum.* Quæ verba, quia semper eadem repetebantur, & inculcabantur, inceperunt esse tædio Auditoribus; & tanto, ut illi auderent dicere, *Magister, quare semper id loqueris?* Ad quod ille reposuit dignam Ioanne sententiam, *Quia præceptum Domini est; & si solum hoc fiat, sufficit.* Et benè: omnia enim, quæ in secunda Tabula præcipiuntur, & sunt necessaria ad salutem & Proximum amandi præceptum per necessariam consequentiam sequuntur,

Dialectica S. Ioannis Evangelistæ.

Recenset hanc Historiam S. Hieronymus in Commentario, quo dilucidat Epistolam Apostoli ad Galatas.

Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non mentieris.

Si enim, ut paulò antè dicebam, Petrum amo, non eum occidam: non ipsius uxore abutar: non illum spoliabo: non illum decipiam.

An contra Amorem proximi sit fornicatio?

De simplici fornicatione major erit difficultas; non enim statim occurrit illam illæso amore proximi admitti non posse; præcipuè cùm experientia doceat actus hujusmodi ex amore subnasci. Aio amorem lascivum esse deordinatum & illud præceptum, *Ama proximum*, agere de amore rationali; unde quicumque inordinatus amor eidem præcepto opponitur.

CLXXV. *An, & officiosum mendacium?*

An simul sit bonum, & malum.

Et quid dicam de officioso mendacio? Animam majoris fieri debere, quàm corpus: adeòque, qui utiliter decipitur, injuriam pati, & in re pretiosissima, nempè in anima: nam hæc decipitur. Ergo etiam injuriosum est proximo, officiosum mendacium. Quam ob rem nemo probare poterit illud malum non esse: sed ut plurimum esse simul bonum & malum.

Sed quia sunt diversa ingenia hominum, & suo unusquisque modo solet philosophari; tametsi dixisse sufficeret, *Ama Deum, & proximum*, ut totum homo Decalogum observare deberet: nam ex his duobus præceptis per necessariam consequentiam omnia,

nia, quæ in utraque sunt Tabula, inferuntur: nihilominùs, ne homo allucinaretur, & in discursu exorbitaret, hæc ipsa decem præcepta posuit Deus, clarè & distinctè, ut ratio dictabat Divina & ratio humana, si non esset læsa, dictaret.

De præcepto honorandi parentes,

Inter Deum & Proximum, Parentes sunt (naturales, morales) & quia sapiunt extremorum naturam, sunt quidam Dii humani, seu homines Divini; quibus obedientia debetur: & sunt proximi, qui etiam debent amari. Hanc ob rem positum est quartum præceptum, quod humana Divinis, ima summis connecteret. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*, inquit Deus; quia sunt Dei loco, illos obediendo honora: quia sunt proximi, illos honora non occidendo, non mœchando, non furando, non mentiendo. Consequentia postulat, ut peccata in Parentes admissa addant novam speciem. Hæc in Homicidio & Fornicatione relucet: cur non in Furto & Mendacio? Opinionem communem scio, rationem nescio.

Quid sit parentes honorare?

An peccata in parentes admissa addant novam malitiæ speciem?

De nono & decimo præcepto Decalogi.

Interdicuntur scandala, & actus mali interni.

Sed quia actus interni etiam sunt mali malitia ab objecto interdicto desumpta: qui enim mulierem lascivè respicit & concupiscit, jam mœchatus est in corde suo; & quia ex peccatis propter scandalum concomitans nova suboriuntur peccata, ut benè instituerentur homines, nonum & decimum præceptum est additum.

Stat igitur Decalogum continere Naturalia Principia, quæ aut necessaria, aut saltem infallibilia sunt.

ARTICVLVS VIII.

An Iuris Regulæ sint infallibiles, & necessariæ? 52

CLXXVI.

Iurisprudentia componitur cum Mathematica.



ATHEMATICAS Facultates esse scientificas, & summè illis homines delectari, cum omnibus supponit Faber, & infit. *Quantò præclarior, magisque ipsis Principibus digna credetur Iurisprudentia, si Vulgo persuasum esse posset, non minùs illā habere certitudinis & voluptatis, quàm habent Mathematicæ: dignitatis verò tantò plus, quantò dignius subjectum tractat, quantoque majoris illam esse constat, & apud omnes in confesso est utilitatis.* Redibo ad lineam, sed liceat utiliter digredi, & unicam periodum interserere, quæ Principes nobis fideli penicillo depingat.

An Artes Mathematicæ infallibiles sint?

Vulgus quale?

[*Vulgum cæcum, & ignorantem esse*, videtur esse æternæ veritatis Assertio; nam fuit semper ab antiquis asserta & à Iunioribus visa oculis & manibus tacta. Hieronymus. *Plebs facilè imponitur.* Quintilianus, *Nihil est facilius, quàm in quemlibet affectum movere populum.* Et Cicero. *In Vulgo non est consilium, non ratio, non discrimen* (nempè, *discretio*) *non diligentia: sapientesque ea, quæ populus fecisset, semper ferenda, non semper laudanda dixerunt.* Vnde Lupus de Vega.

Hieronym. ad Nepos. Quintilian declam 15. Cic. pro Planco.

El Vulgo es necio, y por aquesto es justo,
Hablarle en necio para darle gusto.

Quales sint multi Principes?

Sed Faber, ut Principes hanc, vel illam scientiam addiscant, ad Vulgi sententiam recurrit: opinabatur ergo Vir sapiens Principes esse indoctos, & Vulgi opinionibus regi. Vtinam decipiatur, & sit illis injurius: sed experientia fortè à Fabro constare videtur. Quidquid de hoc sit, ad semitam priorem redeo.]

CLXXVII.

Cur Principes Iuris studium parvipendant?

Sanè Vulgus, qui illius vento reguntur Principes, teste Fabro, Iurisprudentiam despiciunt. Sed unde tam crassus hominum animis inhæsit error, ut Morales Facultates incertas putet, quas tamen esse certissimas persuadere conamur? Vnde hæc profluxit opinatio, quæ hodie Viros magnos pervadit? *Comperi*, inquit Faber, *ex eo solùm profluxisse, quòd Interpretum vetustissimi, nec satis feliciter ad tantam scientiam eruditi, nec in cæteris disciplinis ullo ferè modo versati, non alia Iurisprudentiæ nostræ Principia esse crediderunt, quàm quas passim* Iuris Regulas *appellamus. Quarum fermè omnium cùm ea sit conditio, ut singulæ suas exceptiones, ut cum nostris dicam, fallentias, & limitationes, easque non paucas patiantur. Inde nimirùm fieri putarunt, ut nihil tam certum sit & exploratum in Iure nostro, de quo dubitari probabiliter, ac in utramque partem velut problematicè disceptari non possit. In eamque rem abuti solent Iavoleno, qui Regulis tractans, non de Principiis scripsit,* Definitionem omnem in Iure civili periculosam esse, *quod vix sit, ut non aliquo casu subvertatur. Atque non Ius ex Regula sumi-*

An Iuris Regulæ incertæ sint?

An omnis in Iure Definitio sit periculosa?

An Ius ex Regula desumi possit?

An infallibilia sint Iuris Principia? Quæ sint Principia? Principiorum, & Regularum differentia.

mitur; sed ut benè Paulus noster ait, Ex Iure, quod est, fit Regula*, id est,* Ex Iuris Principiis, ex quibus solis tota utique Iuris substantia æstimatur. *Principia porrò illa ut nos fallant, non magis fieri certè potest, quàm ut seipsam Veritas fallat. Eo siquidem nomine non alias Propositiones intelligo, quàm quæ ut primo rationis intuitu plausibiles, ita semper verissima, ac certissima sint, & sine ulla penitùs exceptione. Quæ potissima, vel potiùs unica est inter Iuris Principia, & Regulas differentia. Principium enim quodlibet Regula est; sed ejusmodi, quæ nullam exceptionem admittat. Non autem æquè vicissim omnis Regula Principium est, nisi si qua talis proponatur, quam, & necessariò, & perpe-*

CLXXVIII. *Ratio regulæ principium est.*

tuò veram esse, negare ausit nemo. Denique sic statuo, Principium non tam esse Regulam, quàm rationem Regulæ, & ut ita dixerim Regulam Regulæ. *Quod eò pertinet, ut si quo casu ob facti, vel personæ, vel loci circumstantiam aliquam ratio illa locum non habeat, hoc ipso appareat nullum Regulæ locum esse posse, Ne alioqui Rationem omnimoda vitiari oporteret, si non Regula ipsa vitiaretur. Summa rei hæc est,* Regula plerumque


Cur Iurisperiti Regularum rationes non inquirunt? An dentur Principiorum Principia?

fallere, sed rationem nunquam, ex qua scilicet non minùs exceptiones, & limitationes Regularum, quàm Regulæ ipsæ proficiscuntur. *Neque de hoc dubitarent Interpretes, si eo usque progrederentur, ut Regularum quoque rationes inquirerent: Sed ne inquirere, aut possint, aut velint, ex eo impediuntur, quòd & Regulas pro Principiis habent, ut dixi, & Principiorum rationes non nisi absurdè, ineptèque inquiri posse arbitrantur, quasi contradictionem implicet, ut Principia dicantur, quæ ex altiore & superiore aliqua ratione dependeant; In quo rursum falluntur.*

Ecce doctè Faber Regulas à Principiis distinguit, & illas asserit exceptiones recipere, & sæpè fallere: at Principia non item. Morbum hunc, quo laborant Regulæ

Regulæ Doctor, quis dicatur? Veri perniciosiores, qui parum, an qui nihil omninò sciunt?

observarunt, & notarunt Authores, unde Adagio communi, *Doctor Regulæ* dicitur, qui Regulam scit, & Regulæ exceptionem ignorat, ut vel hinc comprobetur minùs esse generi humano perniciosos homines, qui nihil sciunt omninò, quàm qui tantum aliquid. Illos enim cohibet suæ ignorantiæ cognitio; at isti ex præjudicio Regulæ, non prævidentes exceptiones, consequentias inferunt temerarias. An huic Regularum morbo poterit adhiberi remedium? poterit: ut ex paulò post dicendis manifestè constabit.



ARTICVLVS IX.

Quomodo intelligenda sit illa lex, Omnis in Iure Definitio est periculosa.

CLXXIX. *An errent plerique Doctores?*



OMnem Definitionem esse incertam, & obnoxiam periculo, docent communiter Iurisperiti ex *l. omnis definitio. D. de reg. Iuris.* sed ut video, plerique omnes in sensu legis allucinantur: nec sciunt, quid ibi significet vox *Definitio*. Verba legis sunt hæc.

An omnis Definitio in Iure claudicat?

Omnis definitio in Iure Civili periculosa est, parum est enim ut non subverti possit. [Aliqui legunt *rarum*, non *parum*.]

Minus est, innuere, quàm loqui expressè.

In Sebastiano de Medicis Florentino *de definit. p. 1. nu. 7.* lego hæc verba. *Ex eo, quòd textus illam periculosam vocat, & subvertit, innuit illam periculosam esse.* Exstat hic Author *in Tractatibus tom. 18.* Vtitur mirabili Logica. Tu lineas subsequentes considera.

Hæ consequentiæ non sunt bonæ.

Textus periculosam vocat omnem definitionem:
Ergo subvertit omnem definitionem:
Ergo innuit periculosam esse omnem definitionem.

Innuere Quid sit?

Vtraque consequentia mala est. Non enim, qui periculosam vocat aliquam rem, subvertit illam eamdem rem: & minus est innuere quàm dicere: innuit enim Petrum esse talem, qui dicit aliquid ex quo inferri possit Petrum esse talem; non autem qui dicit expressè, *Petrus est talis*. Turbare potiùs videtur Textum, quàm dilucidare.

An Iuristæ more Dialecticorum forment definitiones?

Antonius Merenda *tom. 4. lib. 23. controv. Iur. cap. 47.* in titulo, *In definitionibus Iuris nostri Authores sequutos magis fuisse morem Oratorum, quàm Dialecticorum præcepta,* & in corpore fusè ostendit receptissimas Iuris definitiones periculosas esse; & citat Duarenum *in initio tit. ff. de vulgarib.*

Hoc etiam sensu hanc legem intellexit Ioannes Cahlinus, qui *in Lexico Iuridico* di-

cit

cit. [Definire quoque est, non tantùm quid res sit explicare, sed ea quoque omnia, quæ ad rem aliquam pertinent determinare : unde dicitur in Regula Iuris, omnem in Iure definitionem periculosam esse, &c.] Sed *paulò post* vocem eamdem in alia accipit significatione.

Quid definire apud Logicos sit?

Cujacius *in Rubr.tit.ff.de jure fisci* citat Galenum *lib.4.de differ.pulsuum*. Oinotom. *lib.4.tit.de actionib.§.Sed ista.num.13.* Vbi docet non esse vim faciendam in hujusmodi definitionibus legalibus, quia potiùs dicuntur descriptiones, seu notificationes à posteriori sumptæ.

Quales definitiones Iuris sint?

Paulus Montanus *tr.de tutor.& curat.cap.2.* Zasius *in leg.possessio.num.11.& 12.ff.de adquir.possess.* Longavallius *in leg.imperium.n.55.ff.de jurisdict.omnium Iudic.* Coratius *in leg.qui liberos.in princ.n.71.ff.de ritu nup.* Facchineus *libr.7.controvers.juris.c.52.lit.C.* & alii multi affirmant definitiones universas, quæ in Iure, non esse bonas secundum Dialecticam methodum, sed esse quasdam descriptiones constitutas à Iure-consultis ex his, quæ frequentiùs accidunt.

An sint descriptiones solummodo?

CLXXX. AT hic Autores indigent approbatione, & impugnatione. Docent vix in Iure reperiri Logicas definitiones, sed plerasque omnes, quæ tales dicuntur, esse descriptiones solummodò, & assentior. Volunt Iuristas veteres negligentiæ incusare & obsisto, nam definitiones Logicæ sunt semper difficiles, & aliquando impossibiles, & ideò non solùm in Iure, sed etiam in aliis Facultatibus raræ. Legantur Scriptores, etiam illi, qui Dialecticam Commentariis illustrant, & ostendantur definitiones, quæ periculosæ non sint, quæ impugnari non soleant, & inverti non possint. Vide *art.7. not.2. De definitionibus, quæ in Iure Cæsar. leguntur*. Hæc non est Quæstio, quæ impræsentiarum disceptatur. Concedo enim omnem definitionem, immò etiam omnem descriptionem, tam in Iure, quàm in Logica, Physica, Metaphysica, Theologia, & Medicina, periculosam esse : sed quia hoc ipsum Quæstionem præsentem non concernit, pronuncio, omnes adlegatos Doctores nomen ipsum non intelligere : nam in lege *Omnis definitio.ff.de reg.Iuris*, vox illa *Definitio*, non significat Orationem, quæ explicat naturam rei, sed Axioma vel Regulam ; nam etiam Conciliorum generalium Canones à Theologis *Ecclesiæ Definitiones* nominantur, quoniam contra Arrium v.gr. Filium esse æqualem Patri definivit Ecclesia, & hæc Propositio, *Filius est æqualis Patri æterno*, quia ab Spiritu Sancto per Ecclesiam definita, dicitur *Definitio*. Vnde in Ordine Cisterciensi Constitutiones *Definitiones* audiunt : & illi, qui cum Generale leges statuunt, *Definitores* nominantur. Ideò etiam in Iure Civili *Definire* est generaliter, & summatim quid statuere. *l.4 §.Puto.de hæred.inst.l.5.§.Concessa.de don.inter virum & ux.l.14.de reg.jur.l.1.de reg.Cato. l.uls.de bon.damnat.l.3. de impens.in res dot.* Bris. Et subjungit Cahlinus, [Leges passim *definitiones* appellantur. De quo vocabulo vide latiùs per Leonardum *in Comment Oeconomicorum Aristotelis*. Drusæus *in methodo Iuris*.] & inferiùs. [*Definitio* sumitur etiam pro generali Regula & Canone, ut *in l.32. ff.de usuris.l.10.ff.de auro & arg.& in l.omnis definitio.de reg.jur.* Omnis in Iure definitio periculosa est, *quod vel titulus ipse demonstrat*.] Et meritò Cahlinus sumit argumentum à titulo : nam, si ibi agitur de Regulis Iuris, tollitur nominis æquivocatio, & scitur vocabulo *Definitionis*, non orationem, quæ explicet naturam rei, sed Iuris regulam esse intelligendam. Et quidem titulos legum esse faces, quæ juvant, ut leges ipsas intelligamus, constat ex *l.10.ff.de aur.& arg.leg.3.§.1.de hæred. instit.* [Sic Regula Catoniana etiam dicitur definire. Neque enim tam est difficile rem aliquam in Iure civili exactè definire, quàm est rarum, regulam ex legibus colligere, quæ nulla in parte infirmari queat. Adde Vigl.*Instit.de test.ord.*& vide Bud.*in annot.* Quamvis hoc ipsum quoque Acursius declaravit. Spieg. Nec id videtur ignorasse, Prosper Aquitanicus, qui *in epistola quadam de libero arbitrio* sic scribit. *Ad defensionem alicujus* Definitionis, *ea promenda esse, quæ alteri intellectui, à quo videtur definitio non dissonare* (lege *dissonare*, expuncta particula *non*) *non cedant, & eam regulam, cui sunt aptata, non deferunt*.] Ecce Prosper *Definitionis* nomine decisionem intelligit.

Sunt difficiles Logicæ definitiones.

An Dialectici Logicas Definitiones formont?

Quid sit Definitio?

Quænam sint Definitiones Conciliorum?

Definitiones Cistercienses, quæ?

Definitor, quis sit?

Definire, quid?

An leges sint Definitiones?

An Regulæ & Canones Definitiones appellentur?

An tituli ad legum intelligentiam conducunt?

Regulæ fallibiles sunt.

Definitio sumitur pro decisione, seu resolutione.

CLXXXI. [Acursius hic intelligit legem hanc loqui, non de definitione propriè sumpta juxta definitiones de quibus supra, sed de Regula, quæ ut definitio breviter tradenda est *l.1.supra eo*: nam verbum *definitionis* multis modis accipitur, ut per Abbatem de Rosa *in Diction.verb.Definitio*. Facit, quòd vulgò dicitur, legem debere intelligi secundùm naturam tituli, sub quo situata est. *l.Imperator.cum ibi not.supra de in diem addic.* Eo maximè, quòd in textu Græco est verbum *Canon*, quod *Regulam* significat.] Sic loquitur Hieronymus Cagnol. *tom.3.ad l.Omnis definitio, pag.791.* in quo displicet, quod subscribit, videlicet. [Sed communiter, & in antiquis Codicibus est verbum *Definitio*

Sententia Acursii.

De legum titulis.

An definitio Canon sit?

tio, non est igitur recedendũ à propria significatione vocabuli *hoc aliter. de leg.3.* & ad hunc textum potest respondert, quòd Vlpianus hic Regulam tradit circa Definitionē, quæ valdè necessaria est. &c.] Sed doctissime Cagnole, attende. In antiquis & novis Codicibus reperiri vocem *Definitio* fateor, hanc vocem debere accipi in propria significatione addis & hæreo. Primò, quia propriè apud Logicos *definire* est rei naturam explicare: apud Politicos verò, aliquid statuere: & Vlpianus cùm Politica tractet, non Logica, ejus verba accipienda sunt sensu Politico. Prætereà, quando libri in diversis linguis circumferuntur, se juvant mutuò, ut locos obscuros, & difficiles interpretemur. Sic in Sacra Scriptura, quando Textus Latinus est ambiguus, recurrimus ad Hebraicum, ut ad originalem; si autem in Hebraici Textus intelligentia hæremus, à Septuaginta Interpretibus Græcis, & à Vulgato Latino, nam hæ versiones sunt authenticæ, instruimur, & illuminamur. Ergo similiter quia Regulæ Iuris Latinè, & Græcè reperiuntur, & Græca translatio est authentica, siquis in Græca lectione hæreat, ad Textum Latinum recurret, & contra: ut omnis æquivocatio auferatur. At in casu, ubi Latinus habet *Definitio*, Græcus scripsit *Canon*. Ergo tota controversia sopitur. Hoc observaverat Iavolenus, cujus meminit Faber, & Ego *nu.*56. qui nomine Definitionum Regulas Iuris intelligit.

Quid propriè significet Definitio? Quid apud Logicos, & quid apud Politicos? Originalia, & Versiones, quę in diversis linguis circumferuntur, nos juvant, ut literæ rigorem intelligamus. *An textus Græcus tollat difficultatem?*

Ex his patet hanc Propositionem, *Omnis definitio in Iure est periculosa*, æquipollere huic, *Omnis Regula in Iure est periculosa*, aut etiam huic, *Omnis Regula generalis (in Iure) patitur exceptionem*. Et habetur *in Authentica, de non alienandis. §. ut autem.* ubi legimus. *Necessarium existimamus quasdam exceptiones dare legi, cum multis vigiliis & subtilitate adinventas, ut eas habens in auxilio lex nequaquam moveatur*. Et Glossa ad verbum *in auxilio*, sic textum exponit. *Sed illud est quoad exceptionem, quæ remota est à Regula: sed ipsa Lex, vel Regula firmatur, quæ remanet*. Vnde in Adagio habemus, *Exceptio firmat Regulam in contrarium*.

Regulæ generales exceptionibus subjacent.

NOTA I.

An, & quomodo possint Regulæ in Principia transire?

CLXXXII. QVO Regula & Principium modo differant; jam vidimus: posse illas in hæc converti innuimus, sed tu contradicis ex *l. omnis definitio. ff. de reg. juris.* quam hucusque exposuimus, & *ex l. 14. ff. de divers. temp.* quam dilucidat Brisson. Tenor legis hic est, *Nihil in perpetuum, neque generaliter definire possumus*, unde sic argumentaris.

An ex Regulis Principia fiant?

Principia sunt quædam Maximæ generales & universales, quæ quia perpetuæ sunt, & in omni loco & tẽpore verificantur, Positiones æternæ veritatis *dicuntur: nam à loci & tẽporis mutatione non pendent; & à Iurisitis* certæ, *non autem* periculosæ *nominantur*.

Qualia Iuris Principia sint? Propositiones æternæ veritatis quæ? Quales Regulæ?

Sed Definitiones Regulæ, & Leges, non possunt esse universales, quæ enim in Hispania sunt utiles, essent nocivæ in Gallia: & quæ antiquitùs observabantur, hodie sunt obsoletæ, nec sine turbatione Reipublicæ poterunt ad praxim reduci, quoniam loco & tempori debent attemperari: & ideò in Iure, si universales sint, incertæ *&* periculosæ *nominantur*.

Ergo Definitiones, Regulæ, Leges, nec Principia Iurisprudentiæ sunt, nec in Principia possunt ulla humana diligentia transire.

An hæ in illa converti possint?

Ergo Iurisprudentia non est Scientia: nam Scientia æternæ veritatis Propositiones contemplantur.

Quid Scientia sit? Quid Iustitia?

Ergo malè Iustitiam definit Iustinianus, cùm ex Vlpiano dixit, Iustitia est constans & perpetua voluntas, dandi unicuique quod suum est. *Habitus enim, cujus objectum inconstans, & mutabile est, esse constans & perpetuus non potest*.

An Iurisprudentia sit immutabilis?

Respondeo concedendo majorem. Minor duas habet partes. Ejus priorem, quæ asserit Regulas (Definitiones, Leges) non esse universales & perpetuas, concedo: posteriorem, quæ statuit, non posse reddi perpetuas & universales, nego. Consequens eodem modo divido: nam sicut certum est Regulas, prout nunc jacent, non esse æternæ veritatis Principia: sic etiam verum est, illas in Principia transire posse. Hinc nego secundam Consequentiam: nam etsi Regulæ non possent in Principia transire, adhuc Iurisprudentia esset Scientia; quoniam præter Regulas habet Principia infallibilia, ex quibus securas conclusiones deducit, ut *Art.1.* demonstravi. Sed & ultima Consequentia falsa est; objectum enim Iustitiæ est perpetuum & constans; considerat enim constantia & perpetua Principia; & Regulas, quæ licèt fallaces hodie sint, vel cognita exceptione firmantur; vel alio possunt modo in Principia transire.

Objectionis Responsio. *An, & cur Iurisprudentia Scientia sit?* *An Iustitiæ definitio sit bona?*

TER-

TERTIA MAXIMA.

Est possibile, aut etiam facile, omnes utriusque Iuris Regulas ita corrigere, ut nullam exceptionem aut limitationem patiantur.

CLXXXIII. *Quomodo possint Regulæ in Principia converti?*

SI hoc semel fiat, universæ Regulæ in infallibilia, universalia, & minimè periculosa convertentur Principia. Sed quomodo? Considerentur omnes exceptiones, quas Regula patitur, & addatur unum aut alterum verbum, ut Regula illos casus, qui excipiuntur, excludat, & habebimus Regulam generalem, quæ nulli exceptioni subjaceat.

Regula, Qui tacet, *&c. in Principium convertitur.*

Pono exemplum. *Qui tacet, consentire videtur*. Est Iuris Regula, & in multis casibus fallit. (1) in odiosis. (2) quando aliquis non potest contradicere. (3) quandò potest, sed non tenetur. Ergò quid vetat dicere. *Semper in favorabilibus; in odiosis verò, quando quis scit, potest, & tenetur loqui, si tamen taceat, consentire censetur?* Tunc ipsa Regula erit universalis, & nullam exceptionem admittet.

De terminis Scit, Potest, & Debet. *De horum terminorum ordine, si sumantur affirmativè. Quid si sumantur negativè?*

Illos tres terminos *Scit, Potest, Debet*, considera: quia se succesivè supponunt: qui enim debet, ille potest & scit: qui potest, ille verè scit, sed fortè non debet: qui scit, fortè non potest; &, si possit, fortè non debet. At, si eosdem terminos negativè sumamus, nempe dicendo, *Non scit, Non potest, Non debet*; etiam ordinem servant. Quæ enim non scimus, nec impedire possumus, nec debemus. Qui reclamare nequit, rem sciat aut nesciat, illam impedire non debet: nam ad impossibile nemo tenetur: &, qui contra gravamen reclamare non debet, etsi taceat, non est dicendus consensisse.

Hoc ego modo in Theologia Fundamentali correxi Regulas Iuris Canonici, & poterunt Iuristæ adhibere laborem, ut etiam Politicas corrigant.

NOTA II.

De Regula, Qui tacet.

CLXXXIV. *Tiraquellus laudatus.*

HAnc ita Regulam exposuimus, ut in odiosis non censeatur consentire, qui tacet, nisi obloqui possit & debeat. Multa passim occurrunt, quæ expositionem meam affirmant: sed quia Andream Tiraquellum libenter lego, & tanti ingenii ubertatem & facilitatem admiror, addere unam, aut alteram periodum placet, ex quibus constet, à nobis esse Virum magnum. Ipse igitur *tom.5. tr. de Præscript. tit. Rentes ou autres servitutes. gloss.7.* §. *Hanc meam*, sic inquit. [Sed certum est, quòd ego non potui agere, antequam domus evinceretur, licèt etiam diceretur esse aliena. *l. qui rem.* & *l. si post. C. de evictio.* Ergo hactenus non habuit locum præscriptio. Præterea præscriptio cum bona fide est partim inducta in favorem præscribentis bona fide, & partim in odium negligentis jus suum prosequi. *c. præscriptionum. 16. quæst. 3.* & quod notat Bar. *in l.1. ff. de usucapio.* & *in l. nemo potest. ff. de lega.1.* & Dyn. *in c. possessor. de reg. jur. lib.6.* Sed hic nulla mihi potest imputari negligentia, cùm ante evictionem non potuerim experiri: Ergò cum desit fundamentum atque ratio præscriptionis, deest quoque præscriptio. Et maximè cùm textus *in d. l. 1. C. si adversus credito.* innitatur diurno silentio creditoris nunc hypothecariam intentantis: sicque illum respiciat, qui cùm agere & proclamare potuisset, negligentia tamen siluit. Neque enim possunt illa verba adaptari ad eum qui proclamare non potuit. Nam dici non potest silere, qui loqui non potest, sicuti nolle illius, qui velle potest. *l. ejus.* ff. *de reg. jur.* & is dicitur *intestatus*, qui testari potuit, *l.1.* ff. *de suis. & leg. & facit.* quod in simili notatur per Doctores, maximè per Bartolum *in l.1. ff. quod vi aut clam.* Sed & quod contra creditorem habentem hypothecariam justaque causa impeditum non currat præscriptio, est casus secundum unum intellectum *in l. cùm postulassem.* §. *ult. ff. de damno infect.* & notat Glossa *in d. l.1. C. si adversus creditor.*]

Non est censendus nolle agere aut velle non agere, qui non potest agere: sed qui potest, & tenetur agere, & tamen non agit. Notentur bene hæc verba.

An dicendus sit silere, qui loqui nō potest? Quid sit intestatus?



ARTICVLVS X.

Ostenditur Regulam illam, Qui tacet, consentire videtur, *juxta dilucidationem nostram, esse æternæ veritatis Principium.*

CLXXXV. *Principiorum, & Regularum differentia.*

Hæ possunt in illa converti.

Cur dilucidetur hæc Regula?

Monitum Scholasticum.

An leges de re indubitabili esse possint?



Iximus Iuris Regulas non esse Principia: nam hæc universalia & infallibilia sunt, & hæ fallunt interdum: at verò addidimus has easdem Regulas, uno aut altero verbo addito, vel alterato verò in Principia posse, si illarum Reformator doctrina & ingenio sit præditus. Canonicas in Theologia Fundamentali reformavimus: reformabimus etiam Cæsareas alibi: nunc superest, ut demonstremos hanc ipsam Regulam, *Qui tacet*, &c. Canonistis, Legistisque communem, quam in specimen Lectoribus proponere placuit, bene esse à nobis reformatam: hoc est, in nullo casu fallere: nam, si hoc semel constiterit, constabit procul dubio hanc transiisse in Principium, & cæteras transire posse. Formabo igitur duas Demonstrationes, (à priori alteram, & alteram à posteriori) quæ se juvabunt mutuò, licèt sit sufficiens alterutra. [Cæterùm antequam incipiam, monere meum Lectorem volo hominum ingenia esse toto cœlo diversa. Viderit, quanto conatu ego & molimine quæro sensum, quo Regulæ in Principia vertantur, cùm tamen alii sint, qui studeant adlaborentque, ut sensum inveniant, quo infallibilia Iuris Principia in Regulas fallaces convertant. Hieronymus Cagnolus *tom.3.pag.679.a.* proponit legem *Omnia.74.ff.de reg.jur.* Primam rejicit interpretationem. Sed cur? *Quia hoc modo intelligendo*, ait, *lex, esset de indubitabili* (magnum crimen!) *idcò rejicitur talis interpretatio*. &c.]

CLXXXVI. RATIO I. à priori.

An Voluntas in ignotum feratur?

An, & quomodo Intellectus in contemplatione quiescat?

Divisio Boni.

Divisio Mali.

An possit, aut debeat Delectatio ad Vtilitatem reduci?

De Bono totali.

An omnia appetunt bonum?

Appetitus elicitus.

Appetitus innatus.

An, & à quibus, & qualiter possit appeti quod non cognoscitur?

A Priori Igitur argumentaturus, sumam è Philosophia Naturali aliquas indubitatas Assertiones, quæ post à meum discursum subcollabunt. Sit

Prima. *Voluntas non fertur in incognitum*: est enim cœca & nisi sibi intellectus præluceat, operari non potest. Est omnium: nam licèt S.Bonaventura, S. Teresia, & alii contemplativi Ascetæ doceant in contemplatione unitiva, quando videlicet Anima Deo per amorem unitur, intellectum quiescere, non ideò e-nsendi sunt docere, in illo casu intellectū non intelligere, sed nō discurrere: objecti enim (nempè, Dei) infinitæ Bonitatis perfectione absorbetur, & ideò hæret, & quiescit, nec per creatarum rerum cognitiones discurrit,

Secunda. *Bonum est triplex, honestum, utile, delectabile*. Patet; quia Philosophi (Veteres, Juniores) quartum genus Bonitatis non sciunt. *Ergo Malum est triplex: inhonestum, nocivum & molestum*. Et hic obiter nota, posse delectabile reduci ad utile: possem igitur dicere Bonum esse duplex; Honestum, quod amas propter se; Vtile, quod amas propter te.

Tertia. *Objectum totaliter bonum* (in quo nullam formalitatem, aut circumstantiam malam percipit intellectus) *amat necessariò Voluntas*: quoniam bonum ut tale odio haberi non potest. Hujus amoris in omnibus rebus umbra & imago reperitur, quam in brutis *appetitum elicitum*, & in plantis, aut etiam in substantiis inanimis *appetitum innatum* Philosophi appellare solemus. Vaconius *lib.1. Iuris Civilis declar.1. num.5.* [Bonum est, quod omnia appetunt, inquit Philosophus *1.Ethic.* omnia inquam etiam cognitione carentia, siquidem naturali quodam appetitu tendunt in bonum; non ut cognoscentia, sed ut ab aliquo cognoscente mota: ad id quod est bonum, & sibi confert, ex ordinatione scilicet Divini intellectus (*lege*, Divinæ voluntatis) quemadmodum sagitta tendit ad scopum ex directione sagittantium.] Bonum est enim finis, ad quem omnia tendunt, sed diversimodè: nam Angeli & Homines agunt propter finem; bruta, plantæ, elementa, &c. propter finem aguntur.

CLXXXVII. *De Malo totali.*

Quarta. *Objectum totaliter malum* (in quo nulla formalitas, aut circumstantia bona relucet) *fugit, seu odio habet necessariò voluntas*, quoniam malum ut tale amari non potest. At quia omnis malitia in carentia non potest (privatione consistit: & hæc sine

sub-

fubjecto pofitivo effe nequit;res totaliter mala inveniri non poteft. Ita Sanctus Thomas.

An poffibile fit

De Bono partiali.

Voluntas humana liberè circa illud verfatur.

In furto bonitas & malitia funt fimul.

An illud Axioma, Bonum ex integra caufa, & malum ex quocumque defectu, *fit verum?*

Quinta. *Objectum partim malum, & partim bonum* (pleraque omnia humana funt talia) *Voluntas humana attingit liberè; hoc eft, amare aut odio habere poteft*; nam, quà bonum, poteft illud amare & amplecti; quà verò malum, odio habere, fugere, & deteftari. Sic furtum, eft fimul inhoneftum & utile: unde aliqui furtum ob inhoneftatem exfecrantur, & alii ob utilitatem admittunt. Hinc patet illud commune Axioma, *Bonum ex integra caufa, Malum ex quocumque defectu*; aut efse negandum (& hoc conformiùs literæ) aut diftinguendum. Porrò negandum; nam, fi agatur de Bono, & Malo adæquatis, eft falfum quoad fecundam partem: non enim quicumque defectus reddit totaliter malum objectum: fi agatur de inadæquatis, eft falfum quoad priorem partem, nec enim requiritur integra caufa, ut objectum partialiter bonum dicatur. Ergo illud Axioma, fic repone. *Bonum totale ex integra caufa: Malum partiale ex quocumque defectu.*

Et hic antequam ad alia tranfeamus, habe hoc Lemma. *Si in objecto partim bono & partim malo, malitia Moralis (Philofophica aut Theologica) fit, illud, nec Deus, nec Beatus (Homo, aut Angelus) amare poterit.* Hoc ftatus beatitudinis poftulat, quia voluntas adæquatè bona & totaliter perfecta malitiam moralem amare non poteft. CLXXXVIII.

Voluntas Divina, & beata, malitias morales non attingit.

Quomodo Æquivocatio tollatur?

An Non fit integra Propofitio?

Quo Leges, & Canones modo medullitùs intelligantur?

Sexta. *Refponfionis æquivocatio tollitur ab interrogatione.* Oftenditur: Si audias Petrum refpondentem, *Non*, nifi fciveris quid ille rogetur, quid refpondeas, non fcies; nam *Non* latiffimam, & indeterminatam habet fignificationem. Vbi autem fciveris rogati, *An loquutus fit Paulo?* ceffabit dubium, & illud *Non* virtualiter erit integra propofitio, & æquivalebit huic, *Non fum loquutus Paulo.* Hinc prudentiffimè Theologi, ut Canones Conciliorum benè intelligant, examinant Hæreticorum errores, qui Canonibus illis damnantur: & Jurifta, ut affequamur germanam legum intelligentiam qua occafione illæ fuerint prolatæ inquirunt; nam leges funt Veterum Prudentum Refponfa, & dubiæ effe non poffunt, fi interrogatio, cui lex refpondet cognofcatur.

An, cur, & quamdiu homines boni cenfendi fint?

Condemnat Deus temeraria Iudicia: nõ prudentia.

Quid requiratur, ut Iudiciũ fit prudens?

Quid jubeat Deus, cùm præcipit non judicare?

Quid fit temerarium Iudicium?

Septimò. *Homo debet cenferi bonus, quandiu non probatur effe malus.* Patet, quia omnia judicia temeraria condemnat Deus, dicens, *Nolite judicare, & non judicabimini*, & effet temerarius omninò, qui fine ullo fundamento aut motivo, aut judicaret Ioannem effe improbum, aut de ejus probitate dubitaret. Eft Ioannes in fuæ famæ, & æftimationis poffeffione, nec debet fine caufa, fama, & authoritate privari. Et quidem, ut benè legem illam Divinam, *Nolite judicare*, intelligatis, adnotato, omne Iudicium effe Conclufionem à Præmiffis illatam. Sanè, non condemnat hic Dominus Logicam, fed malam Logicam: non judicare, fed malè judicare interdicit, nam ficut peccas in proximum, quando ex præmiffis dubiis in damnum ejus certam conclufionem educis, fic fimiliter peccas, cum ex præmiffis certis, quæ proximi innocentiam certò probant, deducis confequentiam incertam, quæ ejufdem innocentiam in dubium & quæftionẽ reducat. Sed hoc alibi fufiùs dilucidabitur. Nam tota Moralis Logica eò tendit, ut qui judicare privatim, aut publicè poffit, legitimè & non temerè dialecticetur.

Hæ funt feptem Propofitiones, quæ naturaliter funt veræ, & ab Ethicis fupponi folent. Ex illis Ecthefes nonnullæ inferuntur: nos, quæ noftra interfunt, deducemus, & breviter dilucidabimus. CLXXXIX.

Ecthefes, ex doctrina præcedenti deductæ.

De illo, qui tacet in favorabilibus, an confentire videatur?

De eo, qui tacet, quando materia eft totaliter mala.

An res totaliter mala impoffibiles fit?

Illatio I. *Ergo, quando Petro offertur aliquid favorabile* (quod totaliter bonum eft) *illud neceffariò amabit, & amplectetur* ex Prop. II. *Ergo, etfi taceat, eum illud acceptare, & amplecti judicare debebo*: nec enim poteft oppofitum facere. *Ergo in favorabilibus, qui tacet, confentire videtur.* Ita Vlpianus *in l. qui pat. 18. mandat.*

Illatio II. *Ergo, fi darentur res totaliter malæ, & aliqua talis Petro offeretur, illam neceffariò refpueret* ex Prop. IV. *Ergo, fi taceret, eum hujufmodi rem afpernari judicare deberem*: nec enim eam amare, & profequi poffet. At in Prop. IV. demonftravimus entia totaliter mala effe impoffibilia: Ergo hæc illatio, tametfi fpeculationi profit, praxi Ethicæ fervire non poteft.

An femper, qui tacet, refpondere cenfendus fit?

Illatio III. *Ergo non femper homo refpondet, qui tacet.* Ita Paulus *in l. qui tacet. 185. de reg. Iur.* Et probatur, quia tacere realiter, non eft loqui realiter. Ergo, ut fit loqui virtualiter & civiliter (loqui cenfeatur) dari debent præmiffæ, quæ hanc virtualitatem inferant. At feptem præcedentes Propofitiones non femper hanc virtualitatem inferunt. Ergo non femper is, qui tacet, refpondere cenfetur. Hinc Paulus, *Qui tacet, non utique fatetur: fed tamen verum eft eum non negare.* Et habetur *leg. 185. ff. de reg. jur.*

Illatio IV. *Ergo in odiofis* (partim utilibus, & partim inutilibus: nihil enim eft totali- CXC.

An, qui tacet, quia rem nescit, consentire dicatur?

Ignotam rem nec amor, nec fugit voluntas. Error opponitur voluntario.

taliter malum, ut Prop. IV. statuit) *qui rem nescit, & tacet, non censetur respondere: immò censetur non respondere, Ergo, nec consentire, nec dissentire.* Patet ex Prop. I. quia nihil volitum (hoc est, amatum, aut odio habitum) quin sit præcognitum. Vnde sicut vulgò dicitur, *Ignoti nulla cupido*, sic etiam dici potest, & debet, *Ignota nulla repulsa*. Rem dicuntur nescire, qui errant. *l.* 117. *ff. de reg. juris.* scitè Vlpianus, *Non videntur consentire, qui errant.* Et docet Hieronymus Cagnolus *tom.* 3. *pag.* 728. *a.* ex Decio hanc Regulam nunquam fallere. Ergo est Principium.

An, qui tacet, quia loqui nequit, respondere videatur?

Impotentia est duplex; realis, moralisque.

Quid sit impotentia moralis?

Opponitur libertati violentia.

An homo habere possit voluntates contrarias?

Ex particularibus nihil sequitur.

Illatio V. *Ergo in odiosis, qui rem scit, & tamen tacet, si respondere nequeat,* (ago de impotentia morali; homo enim etsi mutus sit, per signa extrinseca potest realiter respondere, si velit) *non solum non censetur respondere, sed censetur non respondere. Ergo censebitur nec assensum, nec dissensum præbere.* Patet, quia non est censendus homo facere, quæ facere non potest. Habet moralem respondendi impotentiam, qui sine gravi damno liberè respondere non potest. Vnde Vlpianus *leg.* 117. *ff. de reg. jur.* pronunciat. *Nihil consensui (qui & bonæ fidei judicia sustinet) tam contrarium esse, quā vim, atque metum: quem comprobare contra bonos mores est.* Sanè, qui per metum aut vim consentit, duos interdum in voluntate actus habet; dissensum nempe liberum, & consensum extortum. Illum prudentia considerat, & hujus præcipit rationem non habēri. Hieronymus Cagnolus *tom.* 3 *pag.* 728. *a.* [Consensus est etiam aliquando cōsensui contrarius, quando videlicet est coactus.] Dixi ego *interdum*, Cagnolus *aliquando*; ergo, quia ex particularibus nihil consequitur, metu obrutus, nec dissentire, nec consentire erit dicendus. Non quidem consentire; quoniam si sponte consentires, à te per vim & minas non extorqueretur consensus. Sed neque dissentire, volunt enim interdum homines videri involuntarii, & cupiunt cogi ad ea, quæ maximè facere volunt. Vnde Virgilius.

Aliquando homines volunt censeri inviti ea facere, in quæ magno desiderio ferūtur.

Et fugit ad salices, volait tamen antè videri.

& Ovidius.

Pugnabat Cloris tanquam quæ vincere nollet.

Vult videri vinci; & tamen etiam vult, quòd se invitam alii judicent, insidias, & violentiam passam.

An mutus respondere possit?

Illa, quæ de muto dicebam, affirmat *l.* 167. *ff. de reg. jur.* in qua Vlpianus ait. *Vbi non voce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem & in surdo: hic quidem & respondere potest.*

CXCI.

An, qui tacet, quia non tenetur loqui, respondere censendus sit?

Consequentia à potentia ad actum non valet.

Illatio VI. *Ergo in odiosis, qui tacet, & scit, & potest loqui, si tamen non teneatur loqui non censetur respondere.* Ita Modestinus *in l. Cajus.* 39 *de pignorat. act.* Bartolus & plerique Doctores, ut notat Africanus *in l. quæ dotis.* 34. *solut. matr.* & Menochius *libr.* 3. *præsumpt.* 42 Et probatur, quia non benè dialecticabitur, qui dicet, *Petrus potest currere; ergo currit de facto.* Vnde docemur in Logicā, *In libris & contingentibus à potentia ad actum legitimam consequentiam non esse.* An censebitur non respondere? minimè, quia ille potest loqui & non loqui: & sicut est mala consequentia, *Potest respondere, Ergo respondet*: sic similiter erit mala. *Potest non respondere, Ergo non respondet.*

Aliud est *consentire censetur*, & aliud *affirmare censetur*.

Illatio VII. Aliud est consentire & aliud affirmare. *Et demonstratur, quia sicut affirmanti consentio, cùm affirmo; sic etiam consentio neganti, cum nego. Sunt, qui consensum cum affirmatione confundunt, errori Glosta* leg. 5. in adoptionib. D. de adopt. & emanc. *adhærentes; ait enim ibi Glosa,* Hic non, qui tacet, affirmat. *Voluit dicere.* [*Hic non habet locum Regula generalis,* Qui tacet consentit.] *& pro* consentit, *posuit* affirmat. *Sed de hoc inferiùs.*

Aliud *confiteri*, & aliud *affirmare* est.

Sicut de consensu, sic etiam de confessione philosophandum est: Quoniam aliud confiteri & aliud affirmare est. *Quando enim interrogatio est affirmativa, confitetur, qui affirmat: & quando est negativa, confitetur, qui negat. Accusatur Franciscus, quòd occiderit hominem: & in tribunali non respondet,* Occidi. *Confitetur. Accusatur Ioannes, quòd die Paschatis non audiverit missam: respondet in Tribunali,* Non audivi. *Crimen admittit; confitetur. Sanè eum, qui negat posse & solere confiteri negando, confutat ex Evangelio, nam S. Ioannes Baptista interrogatus, An non esset Christus? ut ait Divinus Historiographus,* Confessus est & nō negavit. *Sed quomodò, quæso, confessus est?* Et confessus est (*puta*, dicendo) Quia non sum ego Christus. *Quæ verba reponit, & eruditè dilucidat* S. Gregorius Papa homil. 7. in Evang.

Baptista confitetur negando.
Ioann. 1. c.

CXCII.

An, qui tacet, quādo tenetur loqui, assentiri reputetur?

An silentium sit vox? An homines tacēdo loquantur?

Illatio VIII. *Ergo in odiosis, qui tacet, & fieri rem scit, & utique loqui potest, & loqui debet, consentire censetur.* Demonstratur illatio. *Sæpè homines tacendo loquuntur: nempè tamen realiter, loquuntur moraliter & virtualiter*, hoc est, prudentum æstimatione & judicio ita se habent, ac si realiter loquerentur & realiter responderent. Ostenditur. Sunt enim communia quædam pronunciata, ab universis admissa, quæ hanc doctrinam supponunt & dilucidant: qualia sunt, *Multam interdum di-*

De Professione tacita. An profiteantur tacitè Monachi Benedictini? Cur censendi sint vovere Castitatē & Paupertatem solenniter? An Subdiaconus Castitatem voveant? An illis præceptum de servanda Castitate imponatur? De licentia tacita. De consuetudine.

dicit, qui nihil dicit. Nulla responsio, interdum est magna responsio. Confirmatur, quia professio solennis tacita, si ab Ecclesia non reprobetur, obligat. Et hodie Monachi Benedictini, Castitatem & Paupertatem tacitè profitemur: non enim nisi Obedientiā profitemur expresè; sed quia hanc profitemur solenniter, & illa sine aliis duabus solenniter voveri non potest, qui illam solenniter promisimus, alias duas censemur solenniter compromisisse. Confirmatur secundò; quia Subdiaconus servare virgineam Castitatem tenetur, & tamen ille non promittit Castitatem expresè, nec ipsi expressū præceptum imponitur. Ergo obligatur jure quidem certissimo; quod, vel sit virtuale votum, vel virtuale præceptum. Confirmant tertiò hanc veritatem omnia illa, quæ de licentia tacita seu virtuali; de consuetudine, quæ aliquando est lex tacita & virtualis, & aliquando legis tacita & virtualis derogatio. Ergo siquidem sunt casus, in quibus hæ Propositiones sint veræ, *Qui tacet, vovere censetur. Qui tacet, præceptum acceptare censetur. Qui tacet, legem ferre censetur. Qui tacet, in lege dispensare censetur:* non repugnabit, ut aliquando vera sit hæc, *Qui tacet, consentire censetur.* Ergo à possibilitate ad existentiam descendimus. Sic discurro.

CXCIII. *Cur, qui loqui debet, & tacet, loqui cēsendus sit?*

Aliquando homines tacendo loquuntur, & aliquando tacendo non loquuntur, quo ergo modo sciam; utrùm qui tacet, loqui & respondere censendus sit? Respondeo. Si tacet, qui loqui debet, illum loqui, & respondere judicabo: & hoc ex Prop. VII. Nam debeo Petrum censere bonum probumque, quamdiù non probetur contrarium, Ergo censebo Petrum observare Decalogum, quamdiù oppositum nesciam. Ergo, si habet obligationem respondendi, censebo illum per reale silentium respondere virtualiter & civiliter, quamdiu ipse (realiter, aut moraliter) non dicat apertè, *Nolo respondere*. Tunc enim erit contumax & ex alio capite condemnabitur, nempe pœna, quam imposuerit lex: quæ gravis semper est; & ferè, ut habeatur pro confesso esse potest. Nam contumacia includit formalem contemptum Iudicis & Tribunalis, undè in pœnam contumax illa fateri censetur, quæ in majoris perniciem ejus vergant. Id unanimi consensu Interpretes deducunt ex Vlpiano §. *Qui tacuit*, quod Iurisconsultus apertiùs declaravit *in l. si prolusorio. 14. §. 1. de appellat.* Faber *de errorib. Pragmat. decad. 2. errore* 10. *nu.* 13. Nec abest hinc Acursius ad Paulum. *in l. si filius. 13. verb. succurrendam. rel. tit. de interrogat. actionib.* nam trifariam interpretatur Vlpianum *in d. §. Qui tacuit*, ut cum Paulo *l. c.* concordet, & semper concludit, contumacem, ut habeatur pro confesso, damnari posse.

An contumax puniri queat? An contumacia pœna esse possit, ut contumax habeatur pro confesso?

CXCIV.

Sic & doctè Legistæ: hæc enim doctrina in Civili materia universaliter vera est: at ego, quia Sacramentalia legibus Cæsareis non subsunt, consultò dixi, *quæ* (pœna) *gravis semper est; & ferè, ut habeatur pro confesso esse potest.* Et jubeo notari illud *ferè*, quia sunt casus, in quibus contumax condemnari, ut habeatur pro confesso, non possit. Pono hunc. In Consistorio Pragensi comparuit Principissa N. & petiit matrimonium dissolvi, ob mariti impotentiam. Citatur Princeps: non comparet, nec dignatur mittere procuratorem. Excommunicatur, & censuram non horret. Quærebatur, an condemnari ob contumaciam posset, ut haberetur pro confesso. Erant à parte affirmativa multi Iuristæ & Canonistæ ad consessum vocati. Ego à negativa steti & in sententiam meam omnes Theologos traxi. Vtebar enim hac ratione. [Sunt res Civiles, humanæ dispositioni subditæ, potestque ob bonum publicum Respublica reorum dominia mutare, quod leges de præscriptionibus evidenter ostendunt: potest reos condemnare amissione bonorum, aut etiam vitæ: verum enim verò ob quietem publicam mutandi uxores, & reum damnandi, ut amittat uxorem, & cælebs maneat, non habet potestatem Respublica. Ergo Principis contumacia alia via, alio modo est coercenda & punienda; non autem ob eam potest haberi pro confesso & uxore privari.] Sic discurrebam à priori: sed progrediebar adhuc absurda, & inconvenientia proponendo, quæ ex sententia opposita suborirentur. Dicebam sic. [Si Princeps condemnetur, ut pro confesso habeatur, declarabitur matrimonium nullum. Principissa alii nubet, eò enim tendit. Quid, si post secundas Principissæ nuptias in hoc ipso Consistorio, aut alibi in tribunali superiori (puta apud Summum Pontificem) Princeps uxorem repetat, & se esse potentem persuadeat? Sequentur turbationes plurimæ: nam præter alia incommoda, erunt irritæ & nullæ nuptiæ secundæ, uxor reddetur Principi, & hoc Tribunal ignominia æterna suffundetur.] Et hæc fuit ratio, ob quam Princeps non fuit condemnatus, ut haberetur pro confesso. [Et hic obiter notent Episcopi in ejusmodi causis festinandum non esse: nam impotentia est unum impedimentum dirimens simile cæteris: &, si ut matrimonium dissolvatur, non sufficit, ut conjuges se esse cognatos asserant, sed requiritur omninò, ut probent: cur sufficiet, ut impotentiam fateantur, si illam non probent? Et quomodò quæso, illam probabunt? Examen in-

An, quando agitur de invaliditate matrimonii ob impotentiam? Variæ sententiæ. Sacramentorū valor à legibus humanis non pendet. De Civilibus potest Respublica disponere, non verò de Sacramentalibus.

Moneantur Episcopi, ut causas matrimoniales pede tardo resolvant: & quādo agitur de impedimento impotentiæ præcipuè.

An impotentia sit probanda? An possit probari?

indecens nulla persona ingenua: examen cum carnalis commotionis periculo, nullus tenetur subire Christianus. Conjuges sæpè sunt sibi graves: & ex condicto possunt aliquando mentiri: & si mentiantur, tenebit matrimonium, etsi millies sit declaratum nullum à Consistorio. Si ad secundas nuptias transeant, hæ erunt adulterinæ, & debebunt dissolvi, quotiescumq; libuerit parti alterutri. At poterit, ais, ad juramentum recurri. Esto; jurent; solvitur matrimonium, ineantur novæ nuptiæ. Quid, si postea, se falsum jurasse confiteantur? Quid in foro poli Confessarius? Quid in foro fori Episcopus facturus est? Hæc & alia, quæ brevitatis causa omitto, sunt attentis oculis consideranda.]

CXCV.

An, qui tacet, & tenetur loqui, censendus sit affirmare, an negare?

Pergo ulteriùs. Probavi, Petrum, qui tacet, quando tenetur loqui, cõsentire censeri. Sed cur censere debebo hanc loqutionẽ esse potiùs affirmativã, quàm negativam: Petrus enim, qui loqui & respondere tenetur: nec assertivè, nec negativè loqui, aut respondere tenetur? Sanè non tenetur semper asserere, non tenetur semper negare, sed tenetur veritatem dicere. Et Iudex, qui veritatem nescit & idcò eum interrogat, ut illam discat, quo scire modo poterit, an affirmet, aut neget?

Æquivocatio responsionis tollitur ab interrogatione.

Respondeo hanc virtualem loquutionem, seu responsionem secundum se consideratam esse æquivocam; & addo ex Prop. VII. Æquivocationem responsionis tolli, & determinari ab interrogatione. Ergo censebitur affirmare Petrus, si actio instituta affirmet; & negare, si neget.

Conclusio.

An Matrimonii valor Ecclesiæ subsit?

An personas Ecclesia possit inhabiles ad contrahendum reddere?

Stat ergo esse æternæ veritatis in Iure Humano (Canonico & Cæsareo) hoc Principium, *In favorabilibus semper; in odiosis verò, quando potest, & tenetur loqui; qui tacet, consentire videtur*. Sacramenta, ut vidimus, Iuris Divini sunt, eorumque valor à legibus Humanis non dependet. Nec hic proderit ad Matrimonii impedimenta recurrere, non enim Ecclesia, cùm illa statuit, aut in lege lata à Christo dispensat, aut aliter Matrimonii Sacramentum instituit, aut novam materiam & formam designat: sed attingit contractum, & personas inhabiles & impotentes ad contrahendum reddit, ubi datur impedimentum dirimens.

CXCVI.
RATIO II. à posteriori.

A Posteriori idem Principium esse indubitatum ostendo. Nam aliàs vota omnia (solennia, simplicia) tollerentur, neminem obligarent: uxores possent duceie Religiosi, Sanctimoniales nubere; & tota turbaretur Ecclesia. Consequentiæ hæ sunt nimiæ: probo ergo illas ab hujus Principii negatione deduci. Sic discurro.

An obliget acceptata promissio?

Promissio acceptata obligat: non acceptata non obligat. Promitto Francisco mille aureos: acceptat, teneor; non acceptat, non teneor. Voveo Deo ad Deiparæ honorem Rosarium. Si expressè votum acceptet, teneor; si expressè non acceptet, non teneor.

An, & cur Vota obligent?

Quid, si Deus taceat? Si est verum in casu hoc Principium, *Qui tacet, consentire videtur*, tenebor: si autem falsum sit, non tenebor. At nemo Christianus audebit dicere, me non teneri: Ergo nemo illud Principium in favorabilibus negare poterit.

Aliquando Deus expressè vota admisit.

Voventibus aliquando Deus respondere dignatur, nempè signo externo, quo ostendat se votum acceptare; nam sacrificiorum vota acceptavit igne cœlitùs misso, qui hostiam absumeret. De Abelis sacrificio id asserunt Patres communiter, quo respexit Theodotio in Versione sua dicens, *Et inflammavit Dominus super Abel*: quod idem præstitit in sacrificio consecrationis Aaron *Levit.9.* in Sacrificio Gedeonis *Iudic.6.* Davidis *lib.1.Paralip.cap.2.* Salomonis *2.Paralip.cap.7.* Eliæ *3.Reg.18.* Nehemiæ *libr.2.Machab. cap.1.*

Cœlesti igne hostiam consumens, se illam sibi placere insinuat.

Et in Novo Testamento sæpissimè Sanctis Christus apparuit, vota eorum expressis verbis acceptans & promovens. Et quia tota Civitas profusa in gaudis S.Teresiæ, ut patronæ & tutelari vota nuncupat, ajo illam votum arduum emisisse, de faciendo semper id, quod intelligeret esse Deo gratius, quod expressè acceptavit Christus, & adjuvit, ut impleret exactè.

Votum S. Teresiæ Christus acceptat, & miraculo promovet.

CXCVII.

Etiam Dæmon qui est æmulus Divinitatis, incendendo hostiam vota acceptat.

Sed & Dæmon (est enim nequissimus Divinitatis æmulator) Incendio spontaneo vota sibi placuisse explicabat in colle Vulcano, teste Solino *cap. 11.* Nota hæc verba. *Non longè inde collis est Vulcanus; in quo, qui Divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cùm porricias intulerunt. Si adest Deus, sic sacrum probatur. Sarmenta, licèt viridia, ignem spontè concipiunt, & nullo inflammante, à litato numine fit incendium. Ibi epulantibus adludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud est, quàm imago nuncia perfecti ritè voti.*

Aliquando Deus expressè vota repulit.

Aliquando etiam signo extrinseco vota reprobat Deus, ut sacrificium Caini *Genes. 4.* & Sacerdotum Baalim *3.Reg.18.* unde apud Davidem objurgat peccatorem Omnipotens, & ait: *Quare tu enarras justitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum*, & alibi ait, *Melior est obedientia, quàm victima*.

Ali-

Aliquando non omninò votum Deus, sed aliquam circumstantiam voti reprobat, & differri illud præcipit, quousque illa auferatur: Ideò apud Matthæum cap.5. c.20. sic discipulos suos Christus instituit, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vadi priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Ecce quando Deus vota expressè acceptat, aut expressè reprobat, aut differri illa præcipit, cessat quæstio, & scis homo, quid debeat facere. Quid ergo dicendum est, si taceat Deus, nam jam semper aut ferè Deus tacet?

Vota aliquandò Deus non reprobat, sed jubet differri.

Non amat Deus qui nocet proximo.

CXCVIII.

An Deus quando tacet, consentire dicendus sit?
An quando tacet, vota acceptet?
An homini respondere teneatur Deus?

Si votum sit de meliori bono, erit ad majorem gloriam Dei, ergo acceptare dicendus erit ex illa Regula, *Semper in favorabilibus, qui tacet, consentire videtur*. Si sit de re mala, aut de re minùs bona, non erit ad majorem Dei Gloriam, & ideò non dicetur Deus votum acceptasse, ex illa Regula, *In odiosis, qui potest & debet loqui, & tamen tacet, consentire videtur*; Ergo Deus *consentire non videtur*, quia materia est odiosa & loqui nunquam tenetur Deus. Immò quidquid fit de minori bono, si materia sit moraliter mala: hoc est, vel minima infecta malitia morali Theologica, Philosophica-ve, aspernari votum censetur Deus, quia, ut Assert.VI. diximus, illud acceptare non potest.

An possit quis vovere rem malam?

Dices dari votum de re mala, quod obliget: qui enim solennem professionem emittit, ut lautiùs comedat, votum peccaminosum elicit, & tamen illo obstringitur. Ergo etiam in materia mala vota acceptat Deus.

In Voto malitia, vel est objecti, vel finis; si objecti, votū est invalidum; si finis, validū.

Respondeo in voto objectum, & finem considerari debere. Addo materiam voti non includere finem, sed objectum. Si in objecto sit formalitas mala Theologicè, votum non tenet: si votum habeat finem malum & peccaminosum, votum tenet. Rem exemplis dilucido. Propter vanam gloriam voves te servaturum castitatem? teneris: nam vana gloria non clauditur in voto. Te servaturum propter vanam gloriam castitatem promittis? non teneris voto, est enim de re mala, quia in suo objecto peccatum, nempè vanamgloriam includit.

CIC.

Unde votorum obligatio nascatur?

Ecce Regula juxta nostram interpretationem in Divinis, & in Humanis locum habet. Siquis fortè contrarium opinetur, exponat nobis, unde tacente Deo, qui potest vota acceptare & renuere, nascatur votorum obligatio?

Vota reddi præcipit Deus.
Exponuntur illa verba Psalmi, *Vovete & reddite*.

Quid, si non præcepisset?

Dices nasci ex speciali jure; quia Deus dixit, *Vovete & reddite*. Sed hæc verba non urgent, quia naturæ jus non dilucidant. Sed ab illo debent dilucidari, & explicari. Peto enim statim, An sint præceptiva, an consultiva? non dices primum, quia nemo tenetur vovere: non secundum, quia omnes tenentur vota reddere. Ergo Iure naturæ ductus asseres illa verba, *Vovete & reddite*, æquivalere his. *Consulo vobis, ut voveatis. Quod si semel voveritis; jubeo, ut rem votam, si acceptetur, reddatis; non autem jubeo, ut si non acceptetur, reddatis*. Ergo adhuc manet inquirendum, an, quando tacet Deus, acceptet. Prætereà, si propter hæc Regis Prophetæ verba omnia Deus vota acceptasse dicatur, petam. An, si hæc non dixisset Deus, & quando vovemus taceret, adhuc obstringeremur votis? &, an Adamus & veteres Patres ante Davidem, (illo nimirùm tempore, quo illa verba, *Vovete & reddite*, nondum dixerat Deus) si voverent & tamen taceret Deus, votis obligarentur?

Hæc est vera expositio hujus Principii, quod esse æternæ veritatis volumus, nec minùs verum hoc, *Quadrangulus habet quatuor lineas*; quæ, ut manifestior fiat, nonnullæ objectiones addantur & solvantur.

CC.

An, & quando teneatur pater solvere debita contracta à filio?

Opponitur primò textus *in l. si filius fam.16.ff.ad SC.Maced.* in qua disponitur, ut si quasi mandato patris absentis filius familias pecuniam mutuam acceperit, & caverit literis patri missis à creditore, ut eam pecuniam in provincia solveret; nisi pater statim per protestationem actum filii improbet, teneatur. Ergo etiam in odiosis, qui tacet consentire videtur.

Cujacii responsio.

Respondet Cujacius *lib.4.respons.Iulii Pauli ad d.l. si filius familias*, casum esse valde singularem; & in quo consistat ratio Iuris, Vir doctissimus non exponit, sed sicco pede pertransit. Cæterùm, si ad oculatissimum Antonium Fabrum recurramus, docebimur, hoc casu firmari nostram Regulæ correctionem: nam, si inquiramus causam SC.Macedonianum fuit introductum, reperiemus, nullam aliam suffuisse, quàm quia talis pecuniarum per filios receptio aliquando parentibus utilis & aliquando perniciosa est, ut patet *ex leg.3.§.Is autem solus.ff.ad SC.Maced.* Ergo politicè sciri non potest, an pater illam utilem, aut nocivam censeret. Ergo præcipitur, ut mentem suam aperiat. Vnde patri nolenti illam pecuniam solvere, opponet creditor. (Vel hujus pecuniæ acceptio fuit tibi utilis, vel nociva: alterutrum dixeris, teneris solvere, quia tacuisti, & qui tacet consentire censetur. Sanè, si fuit utilis, currit Regula, *In favorabilibus semper, qui tacet, consentire videtur*: si autem nociva fuit, currit illa, *Qui tacet, consentire*

An sit favorabile patri, quod filius mutuò nummos, aut merces receperit?

Dilemma ex objectione sumptum quo nostra doctrina firmatur.

Quid dicendū sit, si pater sciverit?

censetur, si reclamare potuit & debuit,] Et quidem in casu reclamare & contradicere pater potuit, quia scivit; ergo si non improbavit, sibi imputet: ut habetur *ex leg. si tantum. 12.ff.illo tit.* ubi dicitur. *Si tantum sciente patre creditum sit filio, dicendum esse cessare Senatus consultum & ex l.7.S. interdum.ff.cit.* ubi clariùs ipsa firmatur Regula his verbis. *Nam, si* (pater) *scivit eum negotiari, etiam hoc permisisse videtur, si non nominatim prohibuit merces accipere.* Nec est novum in Iure scientiam nocere, nisi contradictio sequatur. Non quòd sola scientia aut notitia nocere possit, sed quia in casibus, in quibus à Iure sola exprimitur, loquendi concomitatur obligatio. Sanè *lex quidam 12, ff. de evictionib.* statuit venditionem omnium prædiorum hereditariorum ab uno herede factam præsentibus aliis cohæredibus, censeri approbatam ab omnibus propter præsentiam, quem scientia & taciturnitas concomitetur. Verba sunt. *Respondi, si cohæredes præsentes affuerant, nec dissenserunt, videri unumquemque partem suam vendidisse.* Rationem legis ad hunc foritem, qui multum nos instruet, reduco.

De venditione hæreditatis ab uno hærede aliis præsentibus facta.

CCI.

An, qui vidit rem suam publicè vendi, & tacet, venditioni consentire dicendus sit?

Vnusquisque scivit partem suam vendi: nam fuisse omnes præsentes tenor legis supponit.

Vnusquisq; potuit reclamare; quia nullo metu aut vi cogebantur tacere.

Vnusquisq; si dissensisset, reclamare debuisset: quia agebatur de securitate tertii (nempè emptoris) quem licitè non poterant fallere.

At tacuerunt omnes. Hoc etiam supponitur.

Ergo unusquisque assensum præbuisse censendus est: Ergo per consequens Vnusquisque etiam censendus est partem suam vendidisse, quia in odiosis, qui potest & debet replicare, & tamen tacet, consentire censetur.

Vt ergo ad rem veniamus, etiam si illa pecuniarum receptio fuerit patri nociva, si tacuit, consensisse dicendus est: potuit enim contradicere, quia scivit; & debuit contradicere, quia aliàs deciperetur creditor, qui bona fide procedit & lex naturalis præcipit, ne decipiamus proximum. Ergo in casu silentium, virtualiter est approbatio; nam, qui tacet, ita se habet, ac si consentiret expresè. Hinc scitè Acursius colligit eum, qui statim non improbat, quod improbare potest (addo & debet) hoc ipso approbare censeri. Ergo hæc objectio dilucidat & affirmat Regulæ correctionem, quam dedimus.

Proximum decipere nulli permittitur.

An, qui respondet in judicio, acceptasse tribunal dicēdus sit?

OPPONITUR SECUNDÒ casus sumptus *ex leg. quod sæpè. 63. S. scientib. de re judicata:* quem sic propono. Pactus fuit Titius; & cum solvere nollet, vocatur in judicium, venit, succumbit, & objicit se non consensisse in tribunal, in quod sanè poterat non consentire. Vnde hoc conformatur argumentum. [Damnatur Titius, & in eum habet locum rei judicatæ exceptio & tamen expresè consentire non debuit: ergo illa limitatio *& tenetur,* malè fuit posita.]

Occurrendum est illis, qui mala fide procedūt

Respondeo Titium mala fide & malitiosè processisse; voluit enim experiri judicium & exspectare exitum; ut, si obtineret, utique consentiret; sin minus, se non consensisse protestaretur. Ajo ipsū in tribunal consensisse censendū esse, quia tacuit & potuit excipere cōtra tribunal: & ex suppositione, quod illud admittere nollet, ne alios deciperet expresè contradicere debuit. Vnde in objectione subest allucinatio: quia licèt Titius non teneretur consentire in judicium, tenebatur nihilominùs protestari & contradicere, si admittere nolebat tribunal: & hoc ex eodem capite, quia aliàs Iudices & partem adversariam deciperet.

CCII.

An quis debeat statim respondere? etsi taceat, consensisse judicandus sit?

OPPONITUR TERTIÒ ex Merenda *lib. 10. Controvers. cap. 14. num. 33.* Quia nimis alienum à Viro prudente est statim expresè non acceptare, quod ipsius utilitatem videtur concernere. Ergo in favorabilibus, qui tacet, dissentire videtur: quia, si consentiret, utique loqueretur & verbis expressis animum suum manifestaret. *Prætereà,* in odiosis, qui tacet, non ideò consentire, aut etiam dissentire videtur. Probatur antecedens; quoniam qui prudens est, non statim deliberat, & quid sentiat, verbis significat & manifestat, sed adhibet maturum consilium; & , si sibi non sufficiat, ad alios recurrit, quorum experientia & doctrina juvetur. Nam apud Aristotelem *lib. 6. cap. 6.* præcipit Prudentia, *quid agendum, aut non agendum sit, videre, seu examinare.* Et posteà *cap. 7.* dicitur prudentis esse maximè proprium *bene deliberare*; & apud Architam Pythagoræum *lib. de viro bono & felice,* Ejus (Prudentiæ) *proprium esse, ut omnia ratione atque consilio agitentur: unde consulta maturè transigantur.*

An prudentis sit subitò deliberare, præcipuè si agatur de re gravi?

Quando prudens rem debeat acceptare?

Respondeo hanc objectionem Regulam nostram confirmare. Nam, si nimis alienum à viro prudente est, statim non acceptare, quod illius utilitatem concernit: si fortè taceat, non erit censendus dissentire; censeretur enim nimis imprudens ex hypothesi sed habere rationes & causas propter quas non debeat, & non velit loqui. Quoniam

Deus Summus Princeps vota tacendo acceptat & interdum tacere ad authoritatem conducit. Ad illud, quod subsumebatur, respondeo, non esse omninò odiosa, de quibus dubitatur, an possint nocumentum, aut utilitatem inferre. Ergo, vel res est certò utilis, vel certò nociva, vel dubia. *Si certò utilis sit*, qui tacet, consentire videtur: voluntas enim, cum ex Prop. IV. in malum non operetur, quæ utilia, semper acceptare censetur; & hic notare volo certitudinem esse denominationem relativam; nam, quæ Iudici videntur certa, reo possunt videri incerta, si fortè ob rationes privatas rem non esse adæquatè utilem intelligat. *Si certò sit nociva*, & Petrus taceat, videndum est, an contradicere possit, aut debeat: non enim consentire dicendus est, si rem fieri nesciat: fortè enim contradiceret, si fieri sciret. Vide Illat. IV. Sed neque consentire dicendus, si juxta Illat. V. rem fieri sciat & tamen ob metum, qui caderet in constantem virum, non audet contradicere; tunc enim contradicere nequit. Et tandem juxta Illat. VI. consentire dicendus non est, qui scit, potest loqui & tamen tacet, si non teneatur loqui: puta, si nulla lex ipsi, ut loquatur præcipiat: nam quotiescumq; in fraudem tertii silentium vergeret, lex ipsa naturalis præcipit, ut loquatur: cui satisfaciet realiter, si loquatur; & satisfaciet virtualiter, si taceat: quia in casu, ipsummet silentium est quædam virtualis loquutio; nam, qui tacet, quando potest, & loqui tenetur, ita se habet, ac si loqueretur expressè. *Si res sit dubia*, sicut non est prudentis statim deliberare & resolvere, sic prudentis est tempus congruum ad rem examinandã postulare, quod negari non potest. Quantum tempus sit congruum in multis casibus leges determinant, in aliis Iudicum arbitrio relinquunt. Quod si illud nolit petere, sibi imputet, nec incriminetur eos, qui dixerint, *Tacuit, ergo consensisse videtur*.

Si res sit manifestè utilis.

Si res sit manifestè nociva, inquirendum est.

An Petrus sciat?

An loqui debeat?

Quando ad loquendum obliget lex Naturalis?

Si res sit dubia?

Peterit tempus petere ad examinandum.

Quid, si non petat?

OPPONITUR QUARTÒ, quia non semper in favorabilibus, & utilibus, qui tacet, consentire videtur: nam fortè donum Petrus acceptare non vult, ne habeat obligationem aliud donum æquale vel majus refundendi. CCIII.

An donum, qui tacet, acceptare censendus sit?

Respondeo hanc obligationem non ingredi difficultatem; quia donum cum gravamine non est omninò utile, sed est onerosum; & quia grave, juxta ea, quæ in odiosis fiunt, Petrus est judicandus. Vide Illat. V. VI. & VII. Ergo, qui tacet & tamen potest & debet loqui, admittere illud donum censebitur.

Donum cum gravamine nõ est purum donum.

OPPONITUR QUINTÒ quædam speculatio à clarissimo D. Florimundo (vocetur sic) in Athenæo publico discipulis ingeniosis dictata; quam, ne fortè mea pinguis Minerva deformet, ad meum stylum reducendo, producam prout jacet in doctissimis prædicti D. Professoris dictatis. Ejus igitur sunt verba formalia. [Hæc ratio non obstat, quia Iuris Regula (*Qui tacet*, &c. non docet tacentem consentire: sed inquit, *Qui tacet, nec in eo est, ut consentire videatur.*) *tit de reg. jur. cap. qui tacet*. Immò e im agitur de utilitate ejus, cui promittitur; magis censetur dissentire, sicuti expressè patet ex *ff de interrogatoriis action. l. de ætate. §. qui tacuit*. Quod apertissimè docuit Aristoteles 4. *Eth.* 1. qui putat potiùs dissentire amicum tacentem, nec velle oblatum acceptare: vel quia non vult se obligare ad recompensationem propter beneficium oblatum: vel quia animum amici ad captandum observavit. Ideò eleganter dicebat Plautus in Aulularia: *Hunc petit, cum pollicetur; inhiat aurum ei devoret*; vel quia non vult amicus expressè renuendo amici animum contristare, sed tacendo modestiùs dissentit. Quæ rationes efficacissimè probant simplicem taciturnitatem non arguere consensum, sed dissensum: quia si quis verè vellet, utique beneficium oblatum acceptaret], ut latiùs discurrit Forcatulus.]

Florimundi contra doctrinam præcedentem instantia.

Vlpianus.

Aristoteles.

Plautus.

Forcatulus.

Ingenium & eruditionem ostentat D. Florimundus: & ut magis eluceat rationum ab illo productarum vis, illas dilucidabo. CCIV.

Prima desumebatur *à l. de ætate* 12. *§. Qui tacuit*, quæ strictiùs urgebit, si omnia verba adducantur, & perpendantur. Litera legis est hæc. *Qui tacuit apud Prætorem, in ea causa est: ut institutia actione in solidum conveniatur, quia quasi negavit se haeredem*. Pandectæ Florentini, omittunt illud *quia*, & addunt, *quasi negaverit se haeredem*. Et quidem tacet apud Prætorem, quia tametsi multa loquatur, ad interrogata non respondet. Constat ex eadem lege, in qua lego. *Quod autem ait Prætor omninò non respondisse, posteriores omnes sic acceperunt. ut omninò non respondisse videatur, & quod ad interrogata non respondit*, id est, πρὸς ἔπος. &c. *Nihil interest, neget quit, an taceat interrogatus, an obscurè respondeat, ut incertum dimittat interrogantem*. Vnde in Summario Bartolus. *Non videtur respondere, qui ad interrogata non respondet*. His ergo positis hoc potest conformari argumentum,

Adducitur citata lex.

Pandectarum Florentinorum lectio.

Quis dicatur tacere?

Argumentum ad formam reducitur.

Res, de qua apud Prætorem agebatur, erat utilis Titio, aut inutilis, favorabilis, aut odiosa. Tacet Titius & negasse censetur. Vnde si illa res erat utilis, & favorabilis, qui in favorabilibus negare censetur; quod & asserit Bartolus *in comment. ad d.§.* dicens, *Tacens quoad sui commodum,habetur pro negante,& in solidum convenitur*. Ergo dissentire censetur. Ergo, si erat inutilis & odiosa, cùm habeat Titius obligationem respondendi Prætori, censendus est negare,qui tacet, & tamen potest & debet respondere. Ergo & dissentire. Ergo & Regula & data Regulæ dilucidatio corruunt: quia Regula dicit, *Qui tacet consentire* (hoc est affirmare) *videtur*: & tacita lex, *Qui tacet, negare* (hoc est,dissentire) *videtur*.

An, & quando Tacens est pro Negante habendus?

CCV.

An,in eum qui tacet,possit processus fieri? an condemnari possit?

Respondeo igitur primò vi hujus legis processum institui & condemnari Titium, quia tacuit; adeoque erravisse Poetam illum Latinum, qui dixit,

Nam nunquam tacuisse nocet, nocet esse loquutum.

Et Hispanum (Dominum Franciscum de Quevedo, *Musa IV. Satyr.5.*) qui accinuit,

Santo silencio profeso.
No quiero amigos hablar,
Pues veemos, que por callar,
A nadie se hizo processo.

Quæ carmina quidam ad hoc Distichum transtulit,

Qui tacet, est insons, ad libram verba vocantur
Cessent Censura, namque tacere volo.

Sunt tempora tacendi & loquendi. Vnde sicut peccat, qui loquitur, cùm tacere deberet; sic etiam, qui tacet, eum adest obligatio loquendi.

Sunt benemeriti de Scienpiis & Literis, qui contra Cõclusiones positas, aut suppositas argumētantur.

Respondeo secundò summas agendo gratias Florimundo & Forcatulo, nam moverunt difficultatem, quæ nostram doctrinam dilucidat, & Regulam generalem à nobis explicatam adfirmat: quoniam à nobis sunt Textus, Authoresque, qui pro opposita parte allegantur. Et quia difficultas videtur digna, ut perpendatur accuratè, hæreamus hic tantisper, ne fortè festinatione allucinemur. Ponamus igitur Resolutionem priùs & illam posteà clarissimis testimoniis firmabimus.

Citata lex dilucidatur.

Vera legis expositio est hæc. Supponebat ut certum Actor Titium esse hæredem, & volebat eum condemnare in solidum, volebat enim probare illum non esse hæredẽ ex parte; unde conformatur Dilemma. *Titius est hæres, Non ex parte. Ergo ex asse.* His positis ad Tribunal veniamus.

Processus causæ exponitur.

Verba Actoris sunt. *Titius non est hæres ex parte.*
Verba Prætoris. *Dicas Titi. Es-ne hæres ex parte?*
Tacet Titius & nihil Prætori juridicè roganti respondet.
Infert Prætor. *Ergo negat se esse hæredem ex parte.*

An benè inferat Prætor?

Et benè infert Prætor. Quia qui tacet, quando potest, & debet respondere, consentire censetur. Sed Titius in Tribunali potuit & debuit respondere & tamen tacuit [vel enim nihil dixit: vel saltem non respondit ad interrogata.] Ergo consentire censetur. Sed cui? Actori dicenti, *Titius non est hæres ex parte*. Ergo censetur negare se esse hæredem ex parte. Vnde textum legis repono. [Quando Actor postulat, ut Titius non sit hæres ex parte, *si tamen tacuit apud Prætorem,in ea causa est, ut instituta actione insolidum conveniatur*: hoc est, declaretur hæres ex asse. Sed cur debet hæres ex asse declarari? *Quia quasi negavit se esse hæredem ex parte*. Vnde sciemus Titium negasse se esse quasi hæredem ex parte? Quia tacendo,ubi debebat loqui,Actori consentire videtur. Et Actor dicebat, *Titius non est hæres ex parte*.

CCVI.

Aliud consentire, & aliud affirmare est.

Hic pro generali doctrina animadvertendum est, Actionem aliàs esse affirmativam: aliàs negativam. Reus tacendo, consentire censetur; nempè Actori: hoc est,affirmare, quæ Actor affirmat, & negare, quæ negat.

Sanè, ut doctrinam præcedentem dilucidem,producam textum ex *leg.pr. §.pœna.ff. de libris cognoscendis*: in cujus expositione Interpretes communiter allucinantur. [Vide los.*in l.qua dotis n.68.*ubi Barbosa *nu.156.ff.de dotali Matrim.*Merenda *10.controv.34.n.4*] Verba legis sunt hæc.

Probatur consentire esse affirmare, quando actio est affirmativa.

Pœna autem mariti ea est, ut nisi aut custode. vermiserit,aut contra denunciaverit non esse ex se pregnantem, cogatur partum agnoscere; &, si non agnoverit, extra ordinem coercetur. Debebit igitur respondere, non esse ex se pregnantem,aut nomine ejus ab alio responderi. Quod si factum fuerit,non aliàs necesse habebit agnoscere,nisi verè filius fuerit. Illud notandum est, quod denunciatio à marito non incipit,sed à muliere.

Disponit lex, quòd denunciatio incipiat à muliere. Dicit illa. *Ego sum gravida à marito meo*. Ecce est affirmativa denunciatio. Tacet ille, qui respondere potest, & debet, & infert Prætor. *Ergo consentire videtur. Ergo & affirmare. Ergo & fateri mulierem à se gravidam esse*.

Si

Si disposuisset lex, ut à marito denunciatio ipsa inciperet, diceret ille. *Hæc mulier non est à me gravida*. Ecce esset denunciatio negativa. Illa respondere deberet: quid si taceret? Inferret Prætor. *Ergo consentire videtur*. *Ergo & negare se esse à marito gravidam*. &c.

Probatur consentire esse negare, quando actio est negativa.

Ecce in utroque casu, tacere est consentire; quia, *qui tacet, consentire censetur*: at in priori consentire est affirmare, & in posteriori est negare. Et cur? quoniam, ut dicebamus, affirmat, qui affirmanti; & negat, qui neganti consentit.

CCVII.

Pœna interdùm sumitur pro obligatione.

Et hic obiter nota vocem *Pœnam* ibi poni pro obligatione, quia maritus reverà respondit, nam tacere, cùm adest loquendi obligatio, respondere est: sicut enim qui rogatus in lingua latina responderet in materna Judici & cæteris omnibus nota, non posset dici non respondere: sic qui interrogatus in lingua reali (per verba realia) respondet in lingua virtuali (nam qui realiter tacet, virtualiter dicit, *Ego Actori consentio*) non debet dici reverà respondere, & Actori consentire: adeòque affirmare si Actor affirmet, & negare, si Actor neget. Et hic etiam Lectorem moneo posse Prætorem jubere reum, ut respondeat in lingua vernacula, & tunc, si ille respondeat Latinè, puniri poterit: non quia non respondit (nam respondit de facto) sed quia non respondit in lingua qua debuit. Ergo similiter poterit reo jubere Prætor, ut verbis expressis respondeat, & tunc reus, si taceat, puniri poterit, non quòd non responderit, nam respondit reverà tacendo: sed quòd non responderit lingua qua debuit, quia jussus in una respondere, respondit in alia: jussus enim fuerat verbis expressis respondere, & respondit virtualibus, hoc est, tacendo, & tunc vox *Pœna* sumi posset in significatione rigorosa & communi. Et hoc radio dilucidantur multæ leges: sæpè enim qui tacet, non quoad substantiam, sed quoad modum est contumax.

Qui jussus in una lingua respondere, si respondeat in alia puniri potest.

Qui tacet, loquitur in lingua virtuali.

CCVIII.

Dissolvitur in forma argumentum.

Respondeamus jam igitur ad argumentum in forma, quod § *Ret. n. 204.* proponebatur. Argumentum erat. *Res de qua apud Prætorem agebatur, erat utilis Titio, aut inutilis*. Concedo Majorem. Tacet Titius & negare censetur. Concedo Minorem. *Ergo in favorabilibus, qui tacet, negare censetur*. Distinguo consequens. Si Actio fit affirmativa, nego; si fit negativa, concedo. *Ergo dissentire censetur*. Nego consequentiam; quia negando Actioni negativæ consentit; cui, si assereret, dissentiret omninò. Et transeundo ad alterum Dilemmatis membrum, *si res, de qua agebatur erat odiosa, censendus est negare, qui tacet*. Eodem modo distinguo. *Si Actio erat negativa*, concedo, si affirmativa, nego. *Ergo est censendus dissentire*. Nego consequentiam, quia negando quæ actio negat, Titius actioni negativæ assentitur. *Ergo Regula & ejus dilucidatio corruunt*. Nego Consequentiam; Dicit Regula, *Qui tacet, consentire* (hoc est affirmare) *videtur*. Nego idem esse *consentire*, & *affirmare*: nam affirmanti consentio affirmando; & neganti consentio negando. Dicit lex, *Qui tacet* (in proposito casu) *negare* (hoc est, dissentire) *videtur*. Nego idem esse, *dissentire*, & *negare*: nam ab affirmante negando; & à negante asserendo dissentio. Cur plura? omnia manent clara, ut opinor.

Aliud negare, & aliud dissentire est.

Ergo allucinantur Forcatulus, & Florimundus, cum putant idem omninò esse *consentire*, & *affirmare*: unde illud principium, *Qui tacet consentire videtur*, putant æquipollere huic, *Qui tacet affirmare videtur*: consentit enim Petro affirmanti, qui affirmat; & neganti, qui negat. Ergo clarissimè allucinantur, cum dicunt. *Censetur negare, Ergo non censetur consentire*: dicere enim debebant, *Censetur negare, quæ actor negat: ergo Actori consentire censetur*. Quia ut monebamus, quando actio est negativa, qui negat, quæ Actor negat, adquiescit & consentit Actori.

Forcatuli, & Florimundi allucinatio.

CCIX.

Propositiones naturales ab hominum placitis non pendent.

Volui à ratione juxta Logicæ præcepta discurrere, quia hoc Protheorema, *Qui tacet consentire videtur*, quo sensu à nobis traditur, est Propositio æternæ veritatis & naturale principium, quod à legibus humanis non dependet. Interim, ut meus videat Lector, responsionem, hanc meam summa authoritate subcollari, hæc quæ rationis ductum sequens dixi, reponam; & legibus & Classicorum Doctorum testimoniis firmabo.

An reus debeat interrogari?

An Actor possit interrogare?

Sanè lex *de ætate. 12. §. Qui tacuit*. Titium interrogatum à Prætore fuisse supponit. Et meritò: licèt enim unusquisque esse debeat certus de jure suo, nec ignarus conditionis ejus, quicum acturus est, *l. qui cum alio. 19. ff. de reg. jur.* tamen, ne plus petat ab eo, quicum agit, ob quod olim cadebat causa, hodie ad expensas condemnatur. *l. 1. & tot. tit. C. de plus petentibus. §. Siquis agens.* in citationibus de actionibus, vel ne incurrat periculum malè electæ actionis, vel ne conveniat eum, qui hæres non est, æquum & justum censuit Prætor, adversarium interrogare, & responsione obstringere, & certiorem facere, ex ipsa responsione actorem *l. voluit. 4. ff. de interrogatoriis Actionibus*. Hæc est causa, ob quam interrogatoria actio fuit instituta, ut disertis verbis notavit

Calli-

Callistratus *in l.1.illo tit.*ibi. *Nedum ignorat actor, qua ex parte adversarius defuncti hæres exstiterit interdum plus petendo, aliquid damni sentiat*, & sic ex sua responsione adversarius, quasi ex contractu remanet obligatus; actoremque incommodis prædictis eximit: *d.leg.de ætate.11.§.Qui interrogatus*; ibi enim lego. *Qui interrogatus responderit, sic tenetur quasi ex contractu obligatus, pro quo pulsabitur, dum ab adversario interrogatur*. Ergo responsio secundum interrogationem esse debet.

CCX.

Interrogatio, vel assertiva, vel negativa est.

Unde hæ denominationes indipiscatur?

Qui, quia tacet, consentire videtur, aliquando censetur affirmare, & aliquando non.

Dixi interrogationem vel esse assertivam, vel negativam. Si objicias nihil asserere, qui interrogat; qui enim dicit, *Es-ne hæres?* nec asserit, nec negat te esse hæredem. Respondebo interrogationem, quam Prætor facit, vocari vel affirmativam aut negativam ab actione ipsa, seu ab Actoris intentione; aliàs enim Actor dicet, *Titium esse hæredem*, ut Titius legata solvat: aliàs *non esse hæredem* ut hæreditatem non adeat. Ingeniosissimus Antonius Faber *in d.l.de ætate §. Qui tacuit*, oculatissimus est, ubi multi cœcutiunt. His verbis me docet, & adjuvat. *Certè Praxis nostra benè induxit hujus dubitationis tollendæ gratia, ut quisque in Iure interrogatur, juberi debet respondere, categoricè ut loquatur; alioquin, si taceat, pro confesso, vel pro negante habeatur, prout interrogator elegerit*. (videlicet pro confesso, si sit Interrogatio asserens, pro negante, si negans) *Quod cùm factum est, nihil vetat, eum qui convenitur tanquam hæres, cum nullo modo sit, perinde haberi pro confesso; atque is, qui ex parte tantum hæres est habetur pro negante*: (qui enim revera est hæres, si dicatur negare se esse hæredem ex parte, per necessariam consequentiam asseritur esse hæres ex toto, hoc est, ex asse (*& tanquam hæres ex asse utroque in casu insolidum conveniri possit, si alius hæres non appareat*. Hæc doctissimus Faber: qui veniendo ad d.§. *Qui tacuit*, nobiscum docet contra institisse Actorem *Titium non esse hæredem pro parte*, & juxta hanc actionem formam fuisse Prætoris interrogationem, *Utrùm hæres ex parte sit?*

CCXI.

Doctrina nostra, & veraiterum diluciadatur, & probatur.

Quonam modo Prætor dialecticetur?

His positis, antequam deponam calamum, quia tracto Logica, sic dialecticor, & totum discursum præcedentem dilucido. [Titius tacuit & negare censetur: erat igitur actio negativa, quia qui tacet, consentire videtur: nec aliter negare censeri potest, nisi quia consentit actori neganti: nam si actor dicat, *Titius non est hæres*, & Titius actori consentire videatur, censendus est dixisse, *Non sum hæres*: hoc est, negasse se esse hæredem. Progredior. Censetur non esse hæres, & ideò jubetur insolidum conveniri: hoc est, ideò censetur ex asse esse hæres, aliàs enim insolidum non conveniretur. Quali igitur Logica utitur Prætor. An-ne hac? *Censetur non esse hæres, Ergo censeatur esse hæres ex asse?* An verò hac. *Non est hæres, ergo est hæres ex asse*) Minimè: quia involveret contradictoria. Qua ergo? Talis negari in antecedente debet hæreditas, ex qua in consequente hæreditas ex asse inferatur legitimè. Negat igitur antecedens hæreditatem ex parte & hæreditatem ex asse infert consequens. Videlicet colligendo hoc modo.

Totus processus & sententia ad Dilemmaticã argumentationem reducuntur.

Titius est hraes. Hoc supponitur.
Ergo est hæres ex parte, vel ex asse.
Atqui non est hæres ex parte.
Ergo est hæres ex asse.
Ergo insolidum convenietur.

Inter membra Dilemmatis non debet inveniri mediũ.

Quomodo Dilemma concludas?

Adhuc hæc Veritas ex alio legis loco confirmatur.

In actione negativa, qui tacet consentire censetur: & qui consentit, non affirmat, sed negat.

Primum antecedens ab Actore supponitur; & quia à nullo negatur, est partium manifesta concordia. Prima consequentia est necessaria, nam inter hæredem ex toto (ex asse) & hæredem ex parte non datur medium. Subsumptum est certum; quia id actor urget & Titius tacet, & tacendo Actori consentire censetur. Consequentia inde illata est legitima, quia in dilemmate, qui unum membrum admittit, alterum negat, & è contra ultima consequentia etiam est bona: qui enim ex asse est hæres insolidũ conveniri debebit. Hucusq; ergo objectio à Forcatulo & Florimundo posita nostrã conclusionem adfirmat. Hæc profectò sufficerent; sed ut clariùs pateat Actorem in lege, quam hucusq; expendimus, negasse *Titiũ esse hæredem ex parte*: alii §§. sunt percurrendi, quoniam similiter dixerunt de hærede ex parte: nam in §. *si cum esset*: præcedente immediatè, de eo loquutus fuerat, qui cum esset ex semisse hæres, dixerat se esse ex quadrante. Ergo ibi dicebat Actor, *Non est hæres ex quadrante*. Ecce actio erat negativa, & quia reus erat hæres, & se esse ex semisse negaverat, & non esse ex quadrante probatum erat, Prætor illum esse hæredem ex asse intulit, & jussit insolidum conveniri, *nisi justam ignorandi rationem retineat*, nam ubi datur ignorantia, Regula *Qui tacet.* &c. locum non habet. Quam ob rem, cum Bartolo colligo hos duos §§. ad eamdem pertinere materiam, & alterum alterum dilucidare, ex Paulo *in l. sed & posteriores: 28. de legib. & in l. Titia. 134. §.Idem resp.de verbor. oblig.* Quibus omnibus addo Clarissimum D. Blasium Cusanum, Regium in Neapolitana Universitate Professorem,

forem, quem nominasse laudasse sit, in literis enim ad me datis, ait. *Probabilior tamen sensus est, quem Dominatio V. Illustrifs. intendit Titium scilicet, interrogatum, an ex quadrante hæres esset, nec ne?* &c. *His & ego subscribo*. &c.

CCXII.

An Aristotelis authoritas à Iuristis sit admittenda?

VEnio ad Aristotelem, quem D. Florimundus adducit, & *Dico primò*, Aristotelem apud Iuristas non accenseri Scriptoribus Classicis. Hoc in ipso legum suarum initio monstrari video, cum certum sit, Ius aliter à Iustiniano & aliter ab Aristotele dividi. Ergo Imperator non voluit adhærere Aristoteli: ergo non præcepit nobis, ut illum sequamur. *Dico secundò*, tres casus propositos ab Aristotele non favere Florimundi sententiæ, sed nostram doctrinam adfirmare: nam in omnibus his tribus casibus munus oblatum est onerosum & grave & non est favorabile, sed odiosum. (1) recipere donum cum onere, aliud donum æquale vel pretiosius retribuendi, ut Objectione IV. nu. . diximus, grave est huic primo casui aptiùs quàm secundo adjungerentur verba Plauti, qui enim offert, ut recipiat; petit cùm pollicetur: (2) si donum recipias, & capiaris, plus damni, quàm utilitatis recepisti. Liber eras & recepto dono libertatem amittis. Nam & pisces, si uterentur ratione, non dicerent escam hamo impactam & sibi oblatam esse donum, sed insidias & fraudem: & tamen hodie plurimi mittunt munera ad Iudices, ut illos inescent & sibi devinciant. Prætereà, cum loqui non tenearis Amico, munera tibi importuna offerenti, si fortè taceas, non debes censeri acceptasse, sed non respondisse. (3) Quod si amicus contristaretur, si expressè renueres: dicam te non solùm non teneri loqui, sed teneri non loqui, Vrbanitas enim jubet, ne sis amico durus & inurbanus. Claudicant ergo exempla adducta: non enim sunt in materia favorabili, & tu respondere non debes. Præter hos tres casus possemus centenos adducere, in quibus dona pertinent ad materiam odiosam & donatariū gravant, solent enim consequentias inferre, propter quas illa sint detestanda. 60 Ponam unum aut alterum casum, quem vidi. Volebat Lovanii Cajus Titium hæredem ex asse nominare, & consideraris circumstantiis omnibus timuit Titius ne diceretur filius Caii, adeoque ex adulterio natus: & carere favore hoc maluit, quàm honorem suum ludibrio exponere. Neapoli Gnejus Claudio duodecim millia aureorum condonat: favorem non acceptat Gnejus, nam si condonationem acceptet: fatetur debitum: & hæc confessio præstabit, ut aliis creditoribus majores summas debeat solvere. Stat igitur non esse semper bona, quæ bona apparent: & multa interdum mala res, quæ videntur optimæ, concomitari; unde scitè dixit Poeta vetus, *Sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis*.

An contra nos militet?

Alii dant, ut majora recipiant.

Alii, ut Iudices devinciāt.

An amico contradicere nequeas?

An hæreditas semper sit utilis?

An semper sit utilis condonatio?

Vt hanc doctrinam firmem, volo addere authoritatem Iachi 8. *controversias Iuris* 64. dicentis. [Is, qui præsens est, & tacet, modestia quadam deliberare videtur, non autem consentire: cum fortasse è re sua id futurum non esse credat, aut beneficium accipiendo libertatem vendere nolit, ut dicebat Duarenus. Neque enim potest, ait Illustrifs. Bolagnettus, qui ingenuo animo præditus sit, quidquam acceptare, quin de referenda gratia statim cogitare incipiat, ad quam rem natura omnes obligamur *l sed etsi lege* §. *consul. ff. de petitione hæreditatis*. Et propterea rectè Regula constitura est, ut tacere sit medium inter affirmare & negare. *l. qui tacet. de reg. Iuris*. quoniam, *Qui tacet*, inquit Paulus, *non utique fatetur, sed tamen verum est eum non negare*:] nempe in casu, in quo respondere non debeat, si de odiosis agatur.

Beneficia non semper carent gravamine: & sæpe secunda intentione conferuntur.

An tacere inter affirmare & negare sit medium?

CCXIII.

An Christus justè damnatus sit?

OPPONITUR SEXTÒ. Passio D. N. IESU CHRISTI: quia tacuit: &, si qui tacet, consentire videtur, se commisisse crimina, de quibus incusabatur, confessus est. Etsi hæc fuit confessus, justè damnatus est.

Porrò Christum coram Iudicibus tacuisse constat ex Propheta Isaia *cap.* 53. dicente *Oblatus est, quia ipse voluit & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente obmutescet & non aperiet os suum*. Constat etiam ex Matth. 26. *Ductus est Iesus ad Principum Sacerdotum Concilium. Et venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es filius Dei. Dicit illi Iesus. Tu dixisti*. &c. Et posteà *cap.* 27 adducitur ad Pontium Pilatum. *Et interrogavit eum Præses dicens, Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus. Tu dicis. Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer*. Constat etiam ex Luc. 22. nam Christū à Pilato ad se transmissum *Interrogabat Herodes*

Accusatoribus fuit Christus noluit respondere.

Non respondet in Sacerdotum consistorio.

Fatetur se esse filium Dei.

Fatetur se etiā Regem Iudæorum esse.

Non respondet accusatoribus coram Pilato.

Non coram Herode.

des multis sermonibus: at ipse nihil respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo & illusit indutum veste alba: & remisit ad Pilatum, Ergo poterant Caiphas, Pilatus, & Herodes sic discurrere.

CCXIV.

Argumentatio contra D. N. Jesum Christū.

[In odiosis, qui potest, & tenetur loqui, consentire censetur. Sed Iesus in nostro tribunali potest & debet respondere. Ergo confiteri sibi objecta crimina censendus est. At leges statuunt, ut reus confessus condemnetur. Iesus igitur damnandus est.]

Christus, nec Caiphæ, nec Herodi, nec Pontio Pilato erat subditus.

Respondeo concedendo absolutè Majorem: ad Minorem dico Christum non habuisse obligationem respondendi: quia non erat humano Tribunali (Pontificio, aut Cæsareo) subjectus: non enim Deus in Tribunali creaturæ: nec Rex in Tribunali subditi respondere tenetur. Et ne Iudices allucinarentur, expressè ipse contra hæc Tribunalia (Sacerdotum Concilium & Romanorum Prætorium) excepit: dixit enim Caiphæ se esse Dei vivi filium, imò minatus est illi pœnam meritam dicens, *Dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem* (judicantem) *à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli*: dixit, & Pilato, se esse Iudæorum Regem: nam ut habetur ex Ioan. 19. Christo Pilatus ait: *Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus. Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus, potestatem adversum me non haberes ullam, nisi tibi datum esset desuper* (cœlitùs) ac si diceret. [Cæsarea illa potestas, qua fungeris in me locum non habet, nam & Cæsar subditur mihi, qui sum Rex Regum & Dominus Dominantium. In me potestatem exerces, quæ data est desuper; factum hæc concernit, non Ius: unde non est potestas, sed potentia; non ad justitiam, sed ad violentiam pertinens.] Ecce Christus, ubi agitur de testimoniis, tacet; ubi autem de Tribunali, loquitur. Sed cur non excepit contra Herodem? Quia jam contra Pilatum exceperat; &, si illum transmittere Pilatus non potuit, non erat, cur iterum contra Herodem exciperet. Stat igitur Christum non potuisse haberi pro confesso, quia causa erat odiosa, & ipse non tenebatur respondere.

Christus excipit contra Sacerdotum consistorium.

Sedere est judicare.

Christus excipit contra Imperatoris tribunal.

Quam & qualem Pilatus in Christum authoritatem exercuerit.

Cur non exceperit Christus contra Herodē?

N O T A.

CCXV.

VT nihil sine examine maneat, volo unam adhuc instantiam addere, quæ fortè posset aliquem adlucinare: nam contra præmissam positæ Regulæ interpretationem, sic aliquis argumentatur.

An sint contractus, qui expressum consensum requirant?

Sunt multi contractus in Iure, qui expressum consensum requirunt, & nisi in ipsis expressus adhibeatur sunt invalidi. Ergo in ipsis falsum est *eum, qui tacet, consentire*. At hi contractus in expositione Regulæ data à nobis non excipiuntur. Illa ergo expositio non est sufficiens; unde quia non omnes possibiles casus comprehendit, dicenda erit periculosa & manca.

Primum assumptum, in quo tota difficultas videretur consistere, probaret Adversarius sic.

Matrimonium consensu initur, & concubitu consumatur.

PRIMÒ, quia *nuptias non concubitus, sed consensus facit*, ut ait Vlpianus *lib. 36. ad Sabinum lex 15. de cond. & dem.* Sed, si Parrochus interroget, & sponsi taceant, validum matrimonium non erit: ergo tacendo non consentiunt: ergo non est verum *consentire eum, qui tacet*. Nec juvat inter favorabilia & odiosa distinguere: nam hi possunt & debent respondere: non ergo in odiosis, qui potest & debet loqui & tamen tacet, consentire censendus est. Nec prodest dicere per nutus posse matrimonium iniri: nam qui per nutus suum consensum exprimit, non tacet, sed loquitur alio idiomate; non quidem per verba, sed per nutus. In matrimonii ergo contractu semper erit falsum dicere, *Qui tacet, consentire videtur*.

An consensus esse possit tacitus?

SECUNDÒ in Arrogatione opus est, ut tam arrogans, quàm Arrogatus expressè loquantur & consentiant, sic enim disponit *lex 5. in adoptionib. D. de eod.* ut ibi exponit Glossa. Et tamen rigorosè requiritur positiva voluntatis expressio, ut *leg. 29. D. de eod.* Imperator statuat, ut qui loqui non possit, & tamen filium in adoptionem dare velit, saltem signis externis suam voluntatem exponat. Ergo non sufficit silentium, ut in Arrogatione aut Adoptione aliquis consentire censeatur.

An Arrogatio & Adoptio verbis expressis debeant fieri? An possint aliquando per nutus?

TERTIÒ, quærenti, an invitus possit denominari procurator? respondet Lex *Filiusfamilias 8. §. invitus. D. de Procuratorib.* his verbis. *Invitus Procurator non solet dari.* Et, ut sciamus, quid nomine *inviti* intelligit, subjungit, *Invitum accipere debemus, non eum tantùm, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur.* Et ibi Glos-

De Procuratore invito.

Quis dicatur invitus?

Glossa exponit cum non probari consensu, qui tacuit. Vlpianus igitur (ejus enim sunt hujus legis verba, ex *lib.8.de Edict.* desumpta) longè affuit, ut diceret, *Qui tacet, consentire videtur*: cùm impræsentiarùm, ut videmus, dicat, *Qui tacet, invitus (hoc est dissentire) videtur*. Immeritò igitur S. *opponitur quintò in hoc Art.* Florimundi expositio, quæ consonat Vlpiano, condemnatur.

An silentium æquivaleat dissensui?

QUARTÒ, idem Vlpianus *lib.17.ad Edict.* subscribens Pomponio, ut habetur *leg. Invitum. D.de servit.urb.præd.* rogabatur, an contra invitos possit constitui servitus? respondebitque. *Invitum autem in servitutib.accipere debemus, non solùm, qui contradicit, sed qui non consentit. Idem Pomponius* lib.40. *infantem & furiosum, invitos, rectè dici, ait, non enim ad factum, sed ad jus servitutis hæc verba referuntur.* Et Glossa in margine, *Dicitur* invitus, *nisi expressè consentiat.* Ergo hinc iterum ex Pomponio & Vlpiano, *Qui tacet, dissentire videtur*.

An qui non consentit, sit invitus?

An infantes, & furiosi judicentur inviti?

QUINTÒ, idem Vlpianus *lib.3.ad leg.Iul.& Pap.*& habetur *leg.in eo jur.S.Deindè.D. de ritu nuptiar.* sic inquit. *Invitum accipere debemus eum, qui non consentit* (addit expressim Glossa) *ad divortium. Idcircò, neque à furioso divertendo solvit se hujus legis necessitate, nec si ab ignorante divertit. Rectiùs enim hic invitus dicitur, quàm qui dissentit.* Sensus legis est, [Liberta nupta Patrono, non potest eum dimittere, ut alium accipiat, eo scilicet invito.] Infert Vivianus, aliæ ergo mulieres possunt dimittere suos maritos, quando volunt. Sed argumentator non vult de Legis justitia aut injustitia disputare, sed tantùm considerat, quo sensu accepit Vlpianus vocem illam *invitus*, si enim invitus dicitur, qui non consentit, expressè in divortio, *Qui tacet, dissentire videtur*.

An ignorantes sint inviti? Quomodo fiat divortium?

An fœmina ex libertis parentibus nata possint ab invitis maritis divertere?

SEXTÒ, præsens & tacens non videtur pignus remisisse, nisi instrumento subscripserit: & hoc constat ex *leg. Sicut re corporali.S.Non videtur. D.quibus mod. pignus, vel hypot.* ibi enim Martianus sic inquit. *Non videtur autem consensisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit, cùm ideò passus est venire, quod sciebat ubique pignus sibi durare. Sed, si subscripserit fortè in tabulis emptionis concessisse videtur: nisi manifestè appareat eum deceptum esse. Quod observari oportet, etsi sine scriptis consenserit.* Ergo, si subscriptio requiritur, *Qui non subscribit, taceat aut loquatur, dissentire censebitur*.

An possit aliquis partim testatus, & partim intestatus mori? 61

An tacitus consensus in testamento ad valorem sufficiat?

SEPTIMÒ ad Testamenti valorem aliquæ conditiones requiruntur: & præcipuè (1) testatoris habilitas, ut verus Dominus & habeat res, de quibus disponere possit; unde Monachi & Sæculares, qui nihil habent, condere testamentum non possunt. (2) integritas mentis: nam deliri & amentes non sunt habiles. (3) designatio hæredis. (4) hæredis habilitas & capacitas. (5) testamenti integritas. &c. cavent enim leges, nequis partim testatus & partim intestatus discedat. *leg.siqui D. qui testam: facere. poss.* Concurrant itaque omnes hæ circumstantiæ, & hic casus ponatur. [Iacebat Petrus moribundus & coram septem vel pluribus testib. interrogatur, An velit testamentum condere? An Ioannem denominare hæredem? Tacuit. Notarius testamentum scribit: an-ne erit validum?] Respondet negativè lex *hæredes. D.de testam.* ex Vlpiano *lib.2.ad Sabin.* cujus verba sunt hæc. *Hæredes palam, ita, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. Licebit ergo testanti hæredes vel nuncupare vel scribere. Sed si nuncupat, palam debet nuncupare. Quid est* palam? *Non utique in publicum; sed, ut exaudiri possit: exaudiri autem non ab omnibus, sed à testibus septem.* &c. Addidissem ego, &, si scribat, palam debet *scribere. Quid autem est* palam? *Non utique in publicum: sed ut videri possit: non quidem ab omnibus, sed saltem à testibus septem*: nam aliàs, cùm character ad similitudinem alius fingi possit & soleat, nulla esset in scripta hæredum institutione securitas.

Solennitates in testamento requisita.

Quomodo sint hæredes nuncupandi?

Quomodo scribendi?

CCXVI.

De contractuũ solennitatibus.

PRO Responsione sciendum aliquos contractus præter partium consensum aliàs adhuc ad valorem requirere solennitates, nam si Respublica declaret contractus omnes, aut aliquos determinatè, esse invalidos, nisi in scriptis fiant, quoties sine scriptura fiant, omni erunt valore & efficacia destituti. Et tamen tunc non debebimus dicere, *Contractus est invalidus, ergo defuit consensus*: sed *Contractus est invalidus. Defuit igitur aut consensus, aut aliqua circumstantia, aut solennitas, quæ essentialiter requirebatur.* Hinc itaque

An necessariò requirantur?

RESPONDEO AD PRIMUM, matrimonium etiam inter Gentiles circumstantias exigere, quibus deficientibus sit invalidum: nam, ut alias omittam, quæ fortè non erunt ita certæ, illud quod vel à patre cum filia, vel à matre cum filio contraheretur, in omnium opinione esset invalidum: & tamen hæc ipsa tunc invaliditas non orietur ex consensus defectu, sed ex impedimento dirimente, quod adest. Hanc ob rem putarem

De matrimonio in primo gradu.

An apud Gentiles possit matrimonium sine verbis iniri?

An apud Christianos? *De Pœnitentia Sacramento.* *An meras Confessarii consensus ad absolutionem pœnitentis sufficiat?*

inter Ethnicos sine verbis posse matrimonium inire, quoniam in casu, quo aliquis deflorasset virginem & illam in uxorem duceret, condemnaretur; tunc profectò, si Princeps, aut Sacrificulus authoritate ad id à Republica præditus, peteret ab sponsis, qui respondere possent deberentque, an vellent matrimonium contrahere, & tamen ipsi tacerent, posset dicere, *Tacent, Ergo consentire videntur*. Et iste tunc consensus virtualis ad valorem matrimonii sufficeret. Id apud Christianos non habet locum; quia matrimonium est Sacramentum; & Sacramenta sic instituente Domino Nostro Iesu-Christo, conficiuntur verbis & rebus, quam ob rem sicut nec verba sine rebus, sic nec res sine verbis sufficiunt. Videtur id clarissimè in Sacramento Pœnitentiæ. Petrus ad pedes Presbyteri provolutus sua peccata legitimè confessus est. Et tandem dicit Confessario, *Vis me absolvere*, & Confessarius tacet. Quid, si Petrus diceret, *Potest & tenetur loqui & tamen tacet. Ergo consentire videtur?* Omnia concederem. Quid, si inferret. *Ergo sum absolutus?* Consequentiam negarem. Nam etsi Confessarius rogatus à Petro, an eum vellet absolvere? expresè responderet, & *Volo* diceret, Petrus non esset absolutus: & id non proveniret à consensus defectu, sed quia præter absolvendi voluntatem requiruntur hæc verba, *Ego te absolvo*.&c. quibus omissis non conficitur hoc Sacramentum. Ergo eodem modo philosophaberis de matrimonio. *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*, ait doctissimè Vlpianus: Sed qualis consensus? Virtualis seu implicitus apud Infideles sufficeret: at is apud Christianos non sufficit, non quia consensus virtualis non censeatur esse verus consensus, sed quia hujus Sacramenti Institutor præter consensum etiam verba aut signa externa (nutus) ut circumstantiam essentialem requirit. Ecclesia etiam ob bonum publicum impedimenta dirimentia constituit: quam ob rem, qui hodie sine Parocho matrimonium inirent, nihil validè facerent, non consensus defectu, sed quia præsentiam Parochi S. Tridentina Synodus ad valorem requirit,

Cur in matrimonio apud Christianos virtualis consensus non sufficiat? *De impedimentis dirimentibus.*

An in Arrogationibus & Adoptionibus consensus expressus requiratur? *Et cur ille requiritur?*

Respondeo ad secundum, non posse constare ex Iustiniani litera in Arrogationibus aut Adoptionibus expressum consensum requiri: unde non puto Glossæ authorē qui consensum verbis, aut signis externis expressum postulat, legem medullitùs intellexisse. Sed esto. Non possit Arrogatio aut Adoptio sine verbis iniri, jusserit id Iustinianus expresè: nihil hinc contra datam Regulæ expositionem infertur. Pono casum. [Rogatur à Prætore Franciscus, an arrogari à Ioanne in filium velit? Tacet. Ego autem inquam. Potest & debet loqui, & tamen tacet, ergo consentire censendus est.] Te opponis & ais. Arrogatio est invalida, ergo defuit consensus. Taciturnitas ergo Francisci non consensum, sed dissensum innuebat. Et ego Arrogationem fuisse invalidam concedo: at ideò fuisse invalidam, quia defuit consensus, nego. Fuit enim invalida, non quia defuit consensus, sed quia defuerunt verba, quæ non ex natura rei, sed ex Iustiniani lege, ut supponebamus, requiruntur.

An quis invitus possit in procuratorem adsumi?

CCXVII. Respondeo ad tertium non esse impræsentiarum nostri studii quærere, An lex in objectione posita, universaliter stet? quando enim ait, *Non solet dari*: dari interdum supponit. Cæterùm, tametsi nemo invitus denominetur procurator, invito interdum procurator datur, ut ex *leg. 3. quæ est contra. D. de liber. caus. & leg. non tantum. D. de appellationibus* colligitur. Quoniam nunc tantum quæritur, quid in lege significet vox illa *invitus*.

De Archimedis Dialectica. *An consensus virtualis & implicitus probari possit?*

Author Glossæ hic. *Nota taciturnitatem consensui non comparari*. Id non eruit ex lege. Nam, ut Archimedem in dialecticandi modo sequamur, discurramus sic. Supponamus Glossam esse falsam. Ergo erit ex hypothesi vera hæc positio. *Taciturnitas consensui comparatur*. Sed hæc non pugnat cum verbis legis, ergo hanc verba legis non destruunt. Demonstratur minor. Eum consensum postulat lex, qui probari possit. Atqui virtualis & implicitus, qui ex taciturnitate præsumitur, seu censetur, probari potest. Ergo quidquid Glossæ Author interpretetur, virtualis consensus sufficit juxtà intentionem legis.

Glossa Author qualis? *Liberum arbitrium, aut reale aut politicū est.*

Respondeo ad quartum, Glossæ marginalis Authorem putare se habere privilegium, ut literam contra suorum Authorum & Iustiniani mentem interpretetur. Consentio Pomponio dicenti, *contra infantes furiososque non posse servitutem adquiri*, quia illorum est nullus consensus: vel enim libero arbitrio reali, vel saltem politico carent. Et carent sanè reali fatui, amentes, furiosi, & regulariter infantes, quousque ad ætatis septimum annum perveniant: carent autem civili & politico pueri, ab anno ætatis septimo, usque ad annum præscriptum à legibus (in diversis regionibus varium) in quo fiunt majorennes & sua negotia per se agere permittuntur. Hos posse & solere tacendo consensum servituti præbere, indubitatum est. Probant id omnia, quæ de præ-

præscriptione à Iuris-peritis dicuntur, ad quam præter titulum, quem habere debet, qui in servitute præscribit; in eo, contra quem præscribitur, scientia & patientia sufficiunt. Est autem patientia, quidam virtualis consensus: nam, si ego armenta Titii in pratis meis pasci scio, & patior, consentire censebor. Et quid est, quæso, *pati*? Non contradicere, non loqui. Hæc doctrina est tam certa, ut passim sententiæ in Regiis Tribunalibus contra eos qui passi, & non contradixerunt, pronuncientur. Quam ob rem, cùm multa Ecclesiastica bona, quæ sine Sedis Apostolicæ licentia transiisse ad alias manus Vrbanus VIII. cum dolore perspiceret: & tamen Possessores suum jus in tacita concessione fundarent, dicendo, *Pontifex scivit, Non contradixit, ergo consensit*, noluit hujus ratiocinii Fundamentum negare; nempe illam Iuris-prudentię Maximam, *Qui tacet, consentire censetur*; sed negavit illam tantùm Minorem, *Pontifex non contradixit*, &, ut omnes id scirent, specialem edidit Constitutionem teste Fagnano *in cap.*Cùm Ecclesia Sutrina *num.22.in fin.de caus.poss.& propr.* Stat igitur illa verba in lege, *qui non consentit*, æquivalere his, *qui nec realiter assensum expressè præbendo, nec virtualiter tacendo, patiendo, permittendo, consentit*.

An tacendo & patiendo consensus servituti præstetur?

Quid in servitutibus patientia sit? & quid præstet?

Vrbanus VIII. ne tacendo consensum præbuisse censeretur, publicè contradixit, & protestatur.

Respondeo ad quintum hanc legem esse injustam, ab Vlpiano Ethnico scriptam, & à Triboniano (Suida asserente) atheo in Pandectas injectam, hodieque tuta conscientia observari non posse; est enim matrimonii insolubile vinculum, quoniam, quos Deus conjunxit, homo non separat. Interim legem hanc à Religione Christiana præscindendo expendamus. Porrò matrimonia ex natura sua esse perpetua negant Ethnici & in Persia erant sub Abbante Rege triennalia: ita Petrus de la Valle in sua Persia. Pone coram Principe Libertam dare libellum supplicem, quo significat se velle à suo marito seu patrono divertere. Rogatur ille, utrùm consentiat? tacet. Quid resultabit? Concedetur divortium, quale petitur; nam *Qui tacet, consentire censetur*. ergo Glossæ Author illud *expressim* de suo addidit, quod nec in textu legitur, nec ex textu necessariò colligitur. Habet tamen locum illud *expressim* in eo casu, quo liberta suo patrono diceret se velle ab eo divertere & alii nubere; tunc enim ille non haberet obligationem respondendi & ideò ex silentio non posset implicitus consensus colligi; quoniam, qui tacet, quando non habet obligationem respondendi, consensum præbere non censetur.

An lex de divortiis sit injusta?

An matrimonium sit solubile?

Persarum mos.

An Glossa à textu ipso dissentiat?

De eo, qui tacet, quando respondere non debet.

Respondeo ad sextum, deceptionis circumstantiam irritare contractus generaliter, quoniam nihil contrarius est consensui, quàm error, ignorantia aut deceptio. Pignus pignoratoris (qui illud dedit) non pignoratarii (qui illud recepit) est: & ideò etsi manus mutet, non mutat dominum, sed semper durat pignoratori: Imperator autem ex Martiano, supponit, quod pignorator sciat jus suum durare; adeoque quod nesciat jus suum deperire; & ideò, ut tollat lites & controversias, quæ possent circa pignora oriri, ut validè pignus vendatur, pignoratoris postulat subscriptionem: unde, nisi pignorator contractui venditionis subscripserit, illa invalida erit. Et quidem defectu consensus; licèt enim possit quis non solum loquendo, sed etiam tacendo consentire, cum possit pignus ex una ad aliam transire [nimirùm uno modo, reduplicativè ut pignus: ita ut in alterutra sit, ad proprietatem & dominium pignoratoris spectet, & ubique pignus sibi duret: alio modo, ut res, à pignoris circumstantia præcisa: ita videlicet, ut transeat ad proprietatem & dominium alterius & pignoratori non duret:] ex sola pignoratoris præsentia & taciturnitate, aut etiam licentia verbis concessa non probatur pignoratorem voluisse, ut pignus modo secundo transiret; sed in omni dubio cum voluisse, ut primo modo transiret, præsumitur. Ergo solum silentium pignoratori non præjudicat.

CCXVIII. *Dirimit contractus universos deceptio.*

De pignore, quod ex una manu ad aliā transit.

Pignus alienari seu vendi potest duobus modis.

An silentium præjudicet pignoratori?

Porrò hi duo casus alienandi pignora, sunt omninò diversi. Primus poterit proponi sic. [Ioannes recepit à Petro mutuos centum aureos, infra annum solvendos: & pro securitate torquem aureum in pignus dedit Petro. At Petrus post mensem indiget numerata pecunia; non est cur eam petat à Ioanne, quia hic nec habet, nec solvere ante annum tenetur: ergo, ut suæ necessitati prospiciat, vendit Francisco pignus, ut pignus, nempe debitum pecuniarum, & ad securitatem pignus tradit] In hoc casu pignus, etsi ad Francisci manus transeat, Ioanni durat, hoc est dominii proprietatis jure ad Ioannem pertinet. Secundus autem casus poterit sic proponi. [Claudius centum aureos mutuos ab Anselmo receperat, & unionem pretiosum tradiderat illi pro pignore. Pecunia ante annum non est restituenda. Interim post paucas hebdomadas pecunia numerata Anselmus indiget, quid faciet? Claudius nec potest, quia non habet: nec debet, quia nondum ex contractu tenetur, illam subministrare. Vult ergo Anselmus, ut contractus mutui transeat in venditionem & quòd Claudius nihil teneatur sibi solvere, sed quod unio sit suus: & ideò illum vendit Friderico.] In hoc ca-

An pignus ut pignus possit vendi?

Tunc non mutat dominum.

An vendi possit ut res libera?

An mutet dominum, si ita vendatur?

casu, si venditio facta Friderico stat, unio non durat Claudio, sed transit in dominium & potestatem Friderici.

CCXIX. *Reponitur in forma objectio.*

His præmissis proponis argumentum in forma & sic ais.

Vendebatur publicè pignus, erat pignorator præsens. Ergo sciebat illud vendi. Poterat contradicere: & , si non consentiret, deberet. Tacuit: adeoque non contradixit. Ergo consensisse est censendus.

An sola rei pretiosa retentio sit pretio æstimabilis?

Nolo, ut respondeam, viam illam ingredi, quæ inquirit, an gemmæ pretiosæ retentio sit pretio æstimabilis? experientia enim docet catenas, annulos aureos & similia aliquando numerata pecunia locari: & quia in his nihil domino deperit (non enim unius, aut alterius diei usu teruntur) solummodò locatur retentio. Nolo, inquam, hanc viam ingredi, quia tametsi certum sit, pignus pignoratore permittente posse locari, mutuari, &c. hic agitur de venditione, & oportet adhærere verbis à Martiano præscriptis.

Pignus formaliter & materialiter potest considerari. Materialiter suam substantiam dicit, & formaliter oppignorationis circumstantiā.

Respondeo itaque in forma, Erat tui argumenti Major. *Vendebatur publicè pignus.* Distinguo. Vendebatur pignus ut pignus, transeat: vendebatur ut res libera & pignoris circumstantia carens: id nec scit, neque præsumit pignorator: nam supponit potiùs ubique (altrubi) pignus sibi durare, & ad se titulo dominii pertinere.

Subsumebas. *Erat pignorator præsens.* Concedo.

Quid præsumit lex pignoratorem credidisse?

Inferebas. *Ergo sciebat illud vendi.* Et distinguo. Sciebat illud vendi, ut pignus reduplicativè, & quoad jus retentionis: transeat: nam hæc venditio in casu pignoratori nullo modo præjudicat. Sciebat illud vendi, ut rem liberam, & ut rem pignoris circumstantia carentem; adeoq; vendi quoad jus dominii & possessionis: nego. Immò præsumebat hoc jus non vendi, adeoque pignus sibi ubique durare.

Vtere si volueris terminis Philosophicis *materiali*, & *formali*: quando enim est pignus ut pign' sumitur formaliter: & quando ut res libera, materialiter.

Subjungebas. *Poterat contradicere: &, si non consentiret, deberet.* Admitto. *Tacuit; adeoque non contradixit.* Etiam admitto, nimirùm sub eadem distinctione.

Et tandem concludis. *Ergo consensisse est censendus.* Distinguo consequens: est censendus consensisse, ut pignus quà pignus, adeoque ut jus retentionis venderetur, concedo: ut verò illud pignus tanquam res libera, & in ipsa jus dominii & possessionis venderetur, nego: & infero, Ergo sciebat ubique pignus sibi durare, ut ait Martianus.

Quis debeat pignus custodire?

Sanè pignoratarius tenetur pignus apud se retinere & conservare, & non potest illud in manus hominis decoctì ponere sine pignoratoris licentia. Vnde, si in secunda manu illud pereat, tenetur pignoratarius indemnem pignoratorem reddere. Cæterū, si transivit ex una manu ad alteram cum pignoratoris licentia; jam primus pignoratarius est liber, & secundus de custodia tenetur.

CCXX. *Omnia, quæ objiciebantur, non urgent.*

Ex tota hac doctrina nihil omninò infertur contra Regulam, *Qui tacet, consentire censetur.* Et hoc ipsum adfirmat Glossa his verbis. [Quid autem, si dubium est, sciat vel nesciat jus suum ubique durare? Resp. Verisimile est, quod sciat, nisi subscribat, ut hic dicit, & infra *eod. leg. Lucius Titius.* §. *fin.* & supra *de inofficioso testam. lit qui.* §. *fin.* Item nota hic præsentiam, vel patientiam non nocere, ut & supra *de pign. act. lege Cajus.*] Sed contra hanc doctrinam Glossæ Author sic ait. [Arguitur contrà infra *de evict.* quidem. Et iofra *de aqua pluvial. arc. leg. Labeo.* Item huic responsioni est contr. C. *de remiss. pign. leg.* 1. *& leg. si hypothecas.* In prima manumisit debitor sciente creditore servum, & dicit quòd præjudicat: in secunda dicit quòd fiscus debitor distraxit pignus creditore sciente, & similiter dicit, quod præjudicat. Et has instantias solvit dicens. [Distinguitur, sciat vel non suum jus durare, ut hic. Vel veriùs speciale in illis duobus casibus etiam, si sciat libertatis favore & fisci.] Dedit Glossæ Author duplicem solutionem. Primam non capio, quia illa disjunctiva *vel* doctrinæ fundamentum perturbat. Et secunda non est ad rem, quia in his duobus casibus nihil statuitur speciale, sed fluit doctrina generalis, & à nobis data Regulæ interpretatio, quod clarissimè ostendo.

De manumissione servi.

Glossa Autor non loquitur ad rem.

Quisnam creditor, & quisnam debitor dicendus sit?

In primo casu debitor sciente creditore manumisit servum. Sed quis in contractibus oppignoratitiis vocatur Creditor? quis Debitor? Respondeo hæc nomina accipi sub diverso respectu: quando enim Petrus dat mutuos Ioanni centum aureos, & pro securitate pignus recipit, si de pecunia agatur, Petrus est creditor, & Ioannes debitor: si autem de pignore, Petrus est debitor, & Ioannes creditor: & ex hac distinctione tolluntur plurimæ difficultates. Profectò in primo casu vox *debitor* sumitur respectu pignoris (seu servi) & ibi servus manet manumissus; quia creditor (dominus servi; pignorator) scivit; potuit & debuit, si non consentiret, contradicere, & tamen tacuit: quoniam sub his circumstantiis, *Qui tacet, consentire videtur.* Nec valet ab

eo,

eo, qui vidit pignus ad alias manus transire, argumentum deducere; quia pignus ad alias manus transire potest duobus modis: videlicet, cum præjudicio, & sine præjudicio pignoratoris; & præsumit lex hunc supponere ubique (hic, vel ibi) pignus sibi durare. At manumissio semper cum præjudicio fit. Ergo is, si tacuit, in suum præjudicium consensit. In hoc casu ergo nihil speciale disponit lex in favorem libertatis, sed resolvit juxta generalem expositionem Regulæ.

Manumissio semper præjudicat servi domino.

Nec in secundo casu aliquid speciale decernitur ad favorem Fisci, nam etiam in illo Regula generalis habet locũ, aliud .n. est quod pignoratarius ad aliũ pignus transferat, hoc.n. aliquando potest fieri sine præjudicio pignoratoris: & aliud toto Cœlo diversũ quod pignorator pignus distrahat; id enim nunquã fit sine pignoratarii præjudicio. Ergo, si fiscus debitor (pignorator) distraxit pignus creditore (pignoratario) sciente & tolerante, is consensisse dicendus est: quoniam in suum præjudicium, qui scit, & non contradicit, consentire censetur. Et similiter, si in casu fiscus non pignorator, sed pignoratarius sit, non vendet pignus sine magno pignoratoris præjudicio: non enim fiscus solet pignus ut pignus vendere, sed propter usuras tempore opportuno non solutas pignora confiscat, & posteà illa ut res liberas & pignoritia qualitate carentes sub hasta vendit. Eum, qui à fisco emit Imperator *in Codice libr. 10. titul. 5.* securissimum reddit: & quia res à fisco solenniter vendita non evincitur, licèt non pertinuerit ad stationem venditoris *lege 1. Gravissimum. C. de his, qui ex publ.* quod optimè dilucidat Baldus. Ergo, cùm venditio pignoris à fisco celebrata, in magnum pignoratoris damnum sit, & nunquam cum utilitate esse soleat, pignorator, quando videt suum vendi à fisco pignus, &, tamen tacet, consentire censendus est.

An pignus pignoratarius possit distrahere?

Eos, qui à Fisco res emunt reddit ab evictione securos Constitutio Imperatoris Alexandri ad Hermiam.

Hæc propter objectionem sextam dicta sunt, quæ omnia non vertunt in dubium, An, qui scit & tacet, consentire dicendus sit? sed tantùm dilucidant, quæ requirantur, ut aliquis rem scivisse dicatur? & ex omnibus quædam doctrina generalis deducitur: videlicet, *Quando unus contractus duobus modis iniri potest, nempe cum præjudicio meo, & sine illo: nisi constet me scivisse illam præjudicialem circumstantiam, si tamen tacuero, præsumendum est, me per taciturnitatem consensisse, ut fieret eo modo, quo mihi præjudicium non inferret.* Et, ut hanc doctrinam generalem dilucidem, hos duos Casus propono.

CCXXI.

Quando unus cõtractus duobus modis potest fieri, utri consentire censendus sit ille, qui tacet?

Sit primus. [Petrus habebat pignus quoddam à Ioanne, & vendidit illud coram Ioanne, nempe sciente (scientia videlicet externa, quæ possit per testes probari) illud non ut pignus, sed ut rem liberam & carentem pignoris aggravante circumstantia vendi. Et dixit expressè *consentio*, sed tamen instrumento venditionis non subscripsit.] Quid juris?

Casus primus de consensu expresso.

Sit secundus. [Petrus in alia occasione vendidit pignus ut rem liberam. Ioannes scivit (ita ut id probari possit) illud vendi ut rem liberam. Venditionis instrumento non subscripsit: non tamen contradixit, sed tacuit.] Quid ex Iure dicendum?

Casus secundus de consensu implicito.

Dico primò, stando nudo Iuri naturæ utramque venditionem esse validam: nam in utroque casu scientia ponitur: & in primo consensus expressus illius, qui poterat contradicere: cum ergo scienti, & permittenti non fiat injuria, nil est in primo casu, quod possit Ioannes opponere contra contractum. In secundo casu virtualis consensus reperitur, nam, *Qui tacet, consentire videtur*, & ideò hic contractus est validus. Habebit locum hæc doctrina in regione, quæ aut non habet legem de pignoribus, aut legem *Sicut re corporea. §. Non videtur. D. quibus mod. pignor. vel hypoth.* non acceptaverit.

Resolutio ex Iure naturali.

Vbinam ex illo pronunciandũ sit?

Dico secundò stando Iuri Cæsareo & legi prædictæ, utramque pignoris venditionem fuisse invalidam. Sed cur? Non quia Ioannes non consenserit: sed quia deest essentialiter requisita solennitas, quæ est scriptura. Et cur scriptura exigitur hic essentialiter? Respondeo. In contractu civili præter contrahentium consensum Reipublicæ consensus necessariò requiritur. Et quoties Respublica impedimenta dirimentia apponit, suum consensum præstat conditionatè. Quam ob rem, cum Imperator in casu pignoris venditionem jubeat fieri in scriptis, & nolit suum consensum præbere nisi pignorator instrumento subscribat, ut Imperator consentire dicatur, debet purificari conditio; adeoque hæc subscriptio erit quædam essentialiter requisita solennitas: & ejusdem subscriptionis omissio erit impedimentum dirimens, quod nullum, & irritum reddet contractum.

Resolutio ex Iure Cæsareo.

Consensus Reipublicæ in contractibus universis requiritur.

An semper sit conditionatus?

Respondeo ad septimum juxtà immediatè præcedentem doctrinam, in testamentis præter testantis consensum, Reipublicæ consensum ad valorem requiri: & hanc ob rem, si deficiant aliquæ solennitates, quas hæc ut necessarias & essentiales postulat, etsi adsit testantis consensus, erit testamentum invalidum. Ergo non valet dicere,

[Mo-

Ad testamenti valorem præter testantis voluntatem alia solennitates requiruntur.

[Moribundus fuit interrogatus,utrùm vellet condere testamentum & in hæredem Ioannem denominare. Moribundus erat sui compos; audivit: tacuit. Notarius testamentum fecipsit, quod tamen invalidum fuit. Ex taciturnitate ergo ægroti non consensus, sed dissensus infertur.] Et ratio est, prima; quia Notario respondere non tenetur ægrotus. Ergo ex silentio non posset inferri consensus. Est ratio secunda,quia adhuc discursus præmissus esset malus; quoniam inter alias solennitates necessarias, quas lex requirit, ponitur hæredis voce aut scripto manifesta denominatio, quam ob rem illud testamentum, in quo tacendo virtualem consensum moribundus præstiterit, non erit invalidum defectu consensus ægroti,sed defectu aliarum solennitatum.

CCXXII.
Silentium in ægroto est suspectum.

Cur moribundus debeat hæredem palam denominare?

Et hic obiter nota, prudentissimè Imperatorem statuisse, ut hæredes testator clarè & palam scribat aut denominet, quia in ægroto omnis est suspecta taciturnitas, utpotè, quæ à multis potest causis principium & originem trahere. Rogatus enim à Notario tacebit primò, si non possit loqui (Hisp. *si ha perdido el habla*) & tunc non poterit contradicere, etsi velit: secundò, si jam non audiat, quod in morbis lethalibus sæpè contingit: tertiò, si sit amens; nam,nisi loquatur, illum habere liberum mentis usum, nemo potest cognoscere: & quartò si sit mortuus. Ergo, ut testes illum esse adhuc vivum & omni delirii suspicione carere, omnia benè audire & intelligere, & posse loqui cognoscant, loquatur. Ergo Imperator hanc solennitatem ad testamenti valorem requirendo obviam ivit fraudibus & erroribus, quæ aliàs possent subrepere.

An in Iure naturæ sint testamenta?

Petis, Quid saltem de testamentis dicendum esset stando Iuri naturæ? An tunc possemus de testante dicere, *Qui tacet, consentire videtur?*

Quis illa primus invenerit & constituerit?

An in testamentis, quæ ex jure naturæ fierent, silentium consensui æquivaleret?

Respondeo communem opinionem esse, quæ asserit testamenta omnia ad Ius Civile pertinere: nam magno terrarum orbis bono sunt à Solone inventa; antequam nihil de voluntatibus ultimis in Europa sciebatur. Vide nostram Theologiam Intentionalem *disp.*18.*art.*1.*pag.*200.*b.*In hanc ego doctrinam Concl.2. inclino; & contraria, quam Concl.1. pono, gravissimas patitur difficultates. Ergo, qui amat doctrinas faciles & expeditas, neget in Iure naturæ posse fieri testamenta, & sic uno verbo, à te propositæ quæstioni satisfaciet. Cæterùm,si in jure naturæ fieri testamenta dicamus, non haberet locum in eis Regula illa, *Qui tacet,consentire videtur*. Interdum enim posse condere testamentum est favor & interdum gravamen: nunquam æger interroganti, An velit condere testamentum, respondere tenetur. Non ergo inferri potest ex silentio consensus.

ARTICVLVS XI.

De Humanis Legibus.

CCXXIII.
An & quomodo obligent humanæ leges?

An obligent moraliter? & cur?

Quo illa obligarent modo, si non esset Decalogus?

D humanatum legum observantiam obligentur subditi, vel moraliter, vel pœnaliter. Moraliter, quia jubet quartum Decalogi præceptum,ut obediamus Superioribus,& ad hanc etiam obedientiam nos voto,aut juramento obstrinximus. Quam ob rem præscindendo à Decalogo nulla obediendi Superioribus remaneret obligatio Theologica, ac per consequens, qui non observaret leges humanas, non peccaret. At posset condemnari pœna, ad quam acceptandam teneretur philosophicè ratione vitæ communis, & humani contractus; ad quam subeundam posset cogi & invitus coercrri. Sit ergo, ut omnia meliùs intelligantur

QVARTA MAXIMA.

Præcipiendi authoritas in Deo est infinita, & absoluta in homine finita, & relativa.

CCXXIV.
Probatur Maxima.
Dei potestas, à qua alis?

PRima Assertionis pars constat ex his, quæ diximus num. 159. nam si Deus est infinitus est, infinitam habet potestatem & authoritatem; si infinitam, habet absolutam: quia omnis respectus ad finem contrahit & limitat authoritatem. Secunda probatur, quia nullus homo infinitus est, nemo infinita potest,nemo infinitè. Omnes

le-

leges à Divina dependent,quoniam omnis poteſtas & authoritas à Deo eſt.

Regum authoritas limitatur à fine: quam ob rem, ſi præter, ſi contra præcipiant, eſt invalida lex. Porrò Reges ad bonum publicum ſunt inſtituti: qui inſtitutionis finis, eſt etiam legum. Hanc ob rem humana lex vires ſubditi non poteſt excedere: nec debet diſſonare Divinæ; nec eſſe contra, aut præter bonum publicum. Si enim non poteſt Deus impoſſibilia iubere, nec homini poterit iubendi impoſſibilia communicare poteſtatem. Et quando Deus, ne mentiaris præcipit, non eſt cenſendus Principi concedere poteſtatem, ut tibi jubeat, quod mentiaris. Et, ſi authoritas Principi ad bonum publicum indulta ſit & ipſe contra,aut præter bonum publicum jubeat,non fert legem ut Princeps, ſed ut homo privatus;& quia terminos ſuæ juriſdictionis prætergreditur, invalidam fert legem & nemo obedire tenetur.

Omnis humana poteſtas relativa eſt.

Impoſſibile juberi non poteſt.

Princeps, nec contra Deum, nec contra bonũ publicum jubere poteſt.

Sic & Pontifex, ſic & Epiſcopus poteſtatem receperunt ad aliquid: non ergo jubere poterunt quidquid velint, ſed in ordine ad finem, quem concernit data à Chriſto poteſtas.

Omnium Principum (Eccleſiaſticorum, & Secularium) poteſtas eſt ad aliquid.

Sic etiam Abbas. Vi Voti Monachi obedire tenemur. Obedientiam promiſimus: non abſolutè & indefinitè, ſed ſecundum Regulam; non quam præſcribat, & eligat Abbas, ſed ſecundum quam nos in profeſſione determinavimus: nempe in noſtris Monaſteriis, non Sanctorum Baſilii, Auguſtini, Franciſci. &c. ſed Sancti Benedicti in ſpecie.

An Religioſi in omnibus debeant obedire?

QVINTA MAXIMA.

Legum aliæ formales, & expreſſæ, aliæ virtuales & implicitæ ſunt. Similiter, & abrogatio legum.

LEX expreſſa eſt,quæ diſertis & claris verbis pronunciatur,ut ſi pronunciet Princeps. *Ad murum exteri adſcendere ne permittantor*. Lex erit implicita, quæ expreſsè nuſquam lata, prudentum tamen judicio & æſtimatione ita ſe habet,ac ſi lata fuiſſet expreſsè. Puta, cum aliquid Princeps facit, quod nullo modo faceret, ſi lex non eſſet; nam, ſi omnes exteros, qui volunt murum adſcendere, arcet, qui ſine licentia adſcenderunt, punit; ita ſe habet, ac ſi legem tuliſſet: ergo datur lex implicita, quæ virtualiter expreſſa eſt. CCXXV.

Lex,vel eſt expreſſa, vel implicita.

Eodem prorſus modo de legis abrogatione philoſophabimur: nam abrogari poteſt expreſsè & formaliter, ac etiam implicitè & virtualiter. Abrogatur expreſsè, cum claris & diſertis verbis, ut ſi Princeps pronunciet *legem N. abrogamus*. Abrogatur implicitè & virtualiter, ut cum Princeps legem formaliter, & expreſsè non abrogat, ita tamen ſe habet, ac ſi illam formaliter, & expreſsè abrogaſſet: puta, cum aliquid Princeps facit, quod nullo modo faceret, ſi perſeveraret illa lex: nam, ſi poſtquam illa lex, *Ad murum exteri adſcendere ne permittantor*, nullus exter, qui adſcendere vellet, arceretur: nullus, qui de facto adſcendiſſet, puniretur, nempe ſciente, & impedire potente Principe; in tali caſu ita ſe haberet Princeps, ac ſi legem expreſsè abrogaviſſet. Ergo eſſet in eodem caſu implicita expreſsè legis abrogatio: ergo lex dicenda eſſet eſſe virtualiter abrogata, hoc eſt,non eſſe abrogata expreſsè & tamen prudentum judicio ita ſe habere, ac ſi expreſsè fuiſſet abrogata. Conſidera attentè illa verba, *ſciente & impedire potente Principe*: quoniam, ſi neſciat Princeps ſuam legem temerari: aut ſciat & impedire nequeat, tunc tolerantia voluntaria non eſt, atque ideò non poteſt dici implicita legis abrogatio.

Abrogatio etiã legis expreſſa, vel implicita eſt.

Quomodo & quando leges expreſsè abrogentur implicitè.

Requiritur in Principe, ſcientia, & imped. Ɛ ai potentia.

SEXTA MAXIMA.

Conſuetudo eſt duplex, paſſiva, activa. Habet vim legis, ſi omnia neceſſaria habeat, quæ lex implicita, & virtualis requirit.

CCXXVI.

MVltiplicatio actuum, ſi nihil aliud accedat,non eſt implicita & virtualis lex. Vocatur autem conſuetudo Ius non ſcriptum *l.de quibus.32. cum ſeqq. ff.de legib.* & paſſiva dicitur, quæ introducta à communitate, quæ non poteſt legem ferre, benè tamen latam à Principe ſuſcipere: tales ſunt communitates imperfectæ, Monaſteria, & præcipuè Sanctimonialium: quæ autem introducta à communitate, quæ poteſt legem ferre, eſt activa. Vtraque habebit vim legis, eritque obligatoria, ſi has circumſtantias habeat.

Sola actuum multiplicatio obligationem inducit.

De lege paſſiva.

De lege activa.

Conditiones, quæ requiruntur, ut lex aut conſuetudo obliget.

Primò, ut non ſit contra Deum. Si enim omnes leges expreſſæ, quæ in Legem Di-

Contra Deum, & pietate nihil humana leges possunt.

Divinam militant, sunt invalidæ, etiam erunt invalidæ leges implicitæ. Et consuetudo quando obligat, implicita quædam lex est. *l.2.C.quæ sit long.consuet.* quæ enim contra pietatem & honestatem fiunt, invalidè, & injustè fieri sciiè docet Papinianus *l. filius.15.D.de cond.just.* facit *l.avus.79.§.1.D.de jur.dot.* & *l.sum.15.11. D.de furt.l.venditor.6.§.ult.vers.Cæterum ff.de serv.export.l.si extraneus.33.ff.de Iur.dotal.*

De legum fine.

Secundò, ut tendat eumdem finem, in quem leges: nam contra, aut præter hunc finem omnes leges sunt nullæ, nec enim operationis improbitas legem facit *l. itaque 12.§.1.de furt.l.si plures.38.§.ult.D.de administ.tut.* Vide Fabrum *Iurispr.Scient.princ.1. illat.1.& princ.4.in fine.*

Consuetudo per errorem introducta non obligat.

Tertiò, ut non sit introducta per errorem; quid enim magis contrarium Iuri, quàm error? debet igitur esse introducta à scientibus se non esse obligatos, potentibus, & volentibus se obligare; nimirum activè, aut passivè: videlicet aut ferendo implicitè legem, si multitudo illa hominum hanc ferre possit: vel acceptando implicitè latam à Principe, si communitas legem ferre non possit.

SEPTIMA MAXIMA.

Quæstio, quæ inquirit, An error publicus, & communis conferat potestatem? *non est de re.*

CCXXVII. *Qui ab omnibus Iudex creditur, licet Iudex non sit, validè judicat.*

SAnè in hac quæstione aliquid certum est, & aliquid in dubium vocatur. Supponunt omnes communem errorem, aut titulum coloratum non impedire, ne à Iudice facta valida censeantur: de quo celeberrima est lex *Barbarius. 3. D.de offic.Præt.* nam superior, qui revera talis non est, sed tamen ex errore communi talis censetur, omnia validè facit. Hoc supposito, quæritur, cur ille validè universa disponat.

Resolutio communis.

Receptissima sententia asserit communem errorem Ius facere. Ita Interpretes *ad d. l.Barbarius.ad l.illud.32.ad leg.Aquil.ad l.3.supell.leg.& ad l.3.in princ.ad SC.Maced.*

Contradicit Faber.

Faber *in Iurisprudent.scient.princ.1.consut.1.* se universis opponit. Et probat, quia Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi; cum ergo nihil volitum, quin præcognitum, & qui errore seducitur, nesciat quid velit, colligitur nullam esse errantis voluntatem.

Textus, qui adduci solent, nihil probant.

Fateor à prima sententia esse plerosque omnes Doctores. Sed textus non urgere, Nam si dicas *in l.3.§.ult.de supell.leg.* expressè legi hæc verba, *Error jus facit*, respondet Faber multos esse, qui putent illa verba non pertinere ad textum, sed ab imperito interprete notata in margine & ab incauto exscriptore corpori adjecta. Si addas Paulum *in d.§.* dicere, *propter usum imperitorum*, duo occurrunt. Nam vel textus est læsus, & legere debemus, *propter usum Imperatorum* quod vult Acursius. Vel si hæc correptio est ridicula, ut censet Faber, motus *ex leg.debitor.59.in fin.in princ.D.ad SC.Trebell.* in qua Paulus utitur simili verborum contextu, respondebo Paulum pro absurdo abjicere, quod error communis jus faciat.

Textus correctio.

Respondeo igitur Politicos ad rigorem scholasticum cogi non posse. Ovid.

CCXXVIII. *Sensus est duplex: nempè vel in rigore, vel in concomitantia.*

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes.
Ad bellum missos abstulit una dies.

An-ne formaliter & rigorosè loquendo, dies misit ad bellum Fabios? an-ne Dies illos interfecit? ergo sensus est per concomitantiam, quasi diceret Naso, una die fuisse causam concomitantem, quæ Fabios ad bellum misit, eademque prorsus die fuisse aliam concomitantem causam, quæ omnes eos interemit. Sed neque hic loquendi modus, est tam absonus, ut exulet à Philosophia. Sanè rigor labii attenditur in Peripatu: & tamen ex Aristotele dicunt Peripatetici, *Generationem unius esse corruptionem alterius.* An-ne generatio formaliter loquendo est corruptio? minimè. Sed quid? Philosophos dico significare illis verbis, quando aliquid generatur, aliud concomitanter corrumpi. Multa adducere similia possem, sed hæc pauca sufficiant. Venio ad Interpretes legis *Barbarius.*

An generatio unius sit corruptio alterius?

Quo sensu loquantur Interpretes?

Dicunt *errorem communem Ius facere*. Non loquuntur formaliter & rigorosè: nam error voluntati opponitur, & sine voluntate Ius non fit, ut Faber evidenter ostendit: & tamen verum dicunt, quia hæc verba in concomitanti sensu debent accipi: nam illa positio. *Error communis jus facit*, æquipollet huic, *Quando adest error communis, adest concomitanter illa causa, quæ facit Ius.*

Faber reprehendit, in quo, & ipse reprehensibilis est.

Sed quæ est ista causa concomitans? Faber. *Neque verò communis error Ius facit, sed publica utilitas.* At hic Faber reprehendit Interpretes, qui loquuntur in sensu concomitanre & tamen ipse etiam loquitur in sensu concomitante, nec enim publica utilitas formaliter loquendo Ius facit, sed Princeps intuitu publicæ utilitatis.

AR-

ARTICVLVS XII.

De altera illius Minoris parte. An Iurisprudentia legitima Logica utatur? An communis Logica tractantibus Moralia sufficiat? an verò necessarium sit novam condere?

Prior hujus Minoris pars probata fuit à num. 153.



CCXXIX. Inor illa, quam n. 152. & 153. dilucidandam, & suadendam adsumpsimus, erat hæc, *Ethica (quo nomine omnes Morales Facultates, adeòque ipsam Iurisprudentiam intelligo) supponit certa, & indubitata Principia: habet propriam Logicam, quæ certa, & infallibilis est; & securas conclusiones deducit.* Priorem demonstravimus partem. Superest, ut de posteriori disputemus. Vt rem igitur examinemus, Assertionibus, quas superiùs dedimus, aliquas subjungamus. Sit igitur

Quid Ethicæ nomine intelligamus?

OCTAVA MAXIMA.

Aristotelis Logica est infallibilis.

CCXXX. MVlta sunt, ob quæ displiceat Aristotelis Physica: *Mirabilis auditio* dicitur, & quidem mirabilia sunt ibi plurima, quæ leguntur. Aliud est Palatium novũ in libero campo delineare, & erigere, aliud inter arcis antiquæ muros Palatii aulas formare. Qui libero horizonte utitur, omnia delineat liberè, & singula ad Regulas Artis conformat. Qui autem arcis antiquæ muros retinet, ut artem loco attemperet, condemnatur, & semper relinquet plurima, quæ docto Architecto displiceant. Talis est Aristotelis Physica. Fuerat ille Platonis discipulus multos annis: &, si viginti suum Præceptorem audivit, benè potuit adsequi, & intelligere Realem Philosophiã, quam tradit Plato. [*Et hic obiter noto multos hodie, qui non habent ingenium, quale Aristoteles, uno aut altero anno ad Doctoralem lauream in Philosophia, Theologia, Iurisprudentia, Medicina, &c. magno Reipublicæ damno promoveri. Sed quia hoc non habet remedium: pergamus.*] Fuerat etiam ille Platoni charus, & quæ sparsim in diversis Dialogis Magister scripserat, ad methodum congruam reduxit. Ergo tunc Aristoteles in horizonte libero, libero calamo Philosophiæ Palatium ad mentem Platonis erexit. Et quidem, si exstaret illibatum illud opus, quale primus calamus dederat, mereretur summam gloriam, & laudem. Obiit Plato. Manserunt discipuli: & inter ipsos duo, Aristoteles, & Xenocrates: ille ingenio tam velox, ut Platone asserente fræno egeret; iste tam tardus, ut calcaribus. Interim, quia tunc populi Atheniensis suffragia non ducebantur ratione, sed affectibus deludebantur, fuit iterum, iterumque neglectus Aristoteles; prælatus Xenocrates: & in Academia Philosophiam Platonicam professus. Quid hic Aristoteles faceret? Eamdem doctrinam docere alibi? Æmulo favebat applausus. Ergo, ut gloriam haberet, se illi opposuit, occœpitque contraria sentire, & docere; &, ne ingratus charissimo Præceptori haberetur, Virtutis specie malevolentiam dissimulabat dicens, *Amicus Plato, sed magis amica Veritas.* Recognovit igitur priora scripta, & ad novitias apprehensiones correxit: & quasi in ædificio antiquo retentis muris (quos magistrales nominant Architecti, quòd alios dirigant) novam Arcem ædificavit: in qua multa adhuc operis antiqui reluceant, & plurima adhæreant coactè; & quid præstitit in nova sua Philosophia? Plato erat Realis, & Aristoteles Scholam Nominalem aperuit, & Platonicæ opposuit. Ad annum Vrbis CDXXV. Genebrardus. *Aristoteles primus Philosophiam à figuris, & numeris vindicavit, quibus eam Platonici, & Pythagorici veriùs velabant, quàm docebant. Metaphysica separavit à Physicis: anteà enim omnia confusè tractabãtur, adeò ut Physica Metaphysicã in se quodã modo contineret. Aristoteles, & ejus discipulus Theodectes sũt ad quos Grãmatica Principia referũtur.* Multa nos docet Chronographus diligẽtissim⁹. In Schola Platonica (Reali) Physica, & Metaphysica coincidũt;

Qualis sit Aristotelis Physica?

Manent in ipsa antiqui ædificii parietina.

Quanto ille tempore fuerit discipulus?

Quam citò hodie discipuli in Magistros evadant?

Scripsit ad mentem Platonis. Prima Physicæ scriptio non exstat.

Aristoteles, & Xenocrates, quales?

CCXXXI. *Cur Aristoteles Platonicam deserere doctrinã non potuit?*

Deformat primum Opus.

Schola Nominalis Author.

Pythagorica Physica, qualis?

An Metaphysicã includat?

N. B. *Quid sit Materia prima?*

quia Ens materiale supremum est Materia prima, & Entis differentiæ sunt Formæ: in Nominali autem Schola debent hæ duæ scientiæ necessariò distingui. Figuras & numeros aliter Pythagoras, & aliter adseruit Plato; illas, & illos adserit, & negat Aristoteles: nam de numeris figurisque sobriè philosophatur. Et, quia recurrebat ad nomina, ut formas à Platone invectas reduceret ad connotata, *Nominalis* audiit, & visus est Grammaticam potiùs tradere, quàm Philosophiam. Sed quia, ut dixi, Aristotelis Philosophia duplici fuit scripta calamo, nimirùm Reali, & Nominali, an Realis ipsa sit, an Nominalis veriùs dubitant Commentatores. D. Thomas, quia contraria testimonia invenit, Realem viam init, & ad doctrinam Realem authoritates Nominales obtorquet. Opposito consilio Scotus; formis præhabet formalitates, & testimonia, quæ Scholæ Reali favent, commoda expositione ad Scholam Nominalem reducit.

CCXXXII. *Vnde Schola Nominalis dicatur?*

Schola Thomistica, qualis? Scotistica, qualis?

An hodie habeamus Physicam Aristotelis?

Quanta sint libris Aristotelis passi?

Attalus maximam Bibliothecam instruxit.

Sylla Aristotelis libros Romã importat.

Quando vixeris Sylla?

Aristotelea Physica parallaxes.

Quàm sint audaces & superbi Grammatici?

His tamen non obstantibus, si extaret Physica, qualem exhibuit secundus Aristotelis calamus, magni adhuc fieret apud doctos, sed post Authoris illa mortem multa fuit passa. Audi quid ad ann. Vrbis DLXXXV. recenseat Geoebrardus. *Neleus Scepsius, Aristotelis Theophrastique in Bibliotheca successor, utriusque Philosophi libros Scepsim cõportavit. Hi denique infossi terra, metu Attali, qui tum undecumque comportatis libris Bibliothecam Pergami instituebat, negligenterque diù habiti, tandem ab Apellicone Teio emuntur, sed carie, situque exesi, ab eoque malè correcti, ad usque Syllam Athenis delituerunt, donec eos à Sylla Romam translatos Tyrannion Grammaticus, & Andronicus Rhodius tabulis etiam editis* (nimirùm, scholiis additis) *evulgarunt.* Plutarchus *in Sylla*. Fuit autem Sylla Consul cum Metello Pio anno Vrbis conditæ DCLXX. Vide quoties fuerit illa misera Aristotelis Physica deformata. Primò illam ad mentem Platonis scripsit: Secondò contra Platonem illam desiguravit: Tertiò illam caries, & humectas partim corrodunt, partim obliterant: Quartò Apellicon Tejus malè lacunas implet, & malè restituit, & corrigit: Quintò emaculari jubentur à Grammatico, & jam scimus quanta superbia, & audacia æstuent Grammatici. D. Franciscus Borgias, Princeps de Esquilache.

Con un poco de Latin
Vn Grammatico atrebido,
De si presume, que ha sido
Punto menos, que Agustin:
Y que es su ignorancia el fin,
Donde toda Ciencia cabe,
Y que el mas docto le alabe,
Por lo que razona, y muestra
Su Latin llave maestra,
Para entrar donde no sabe.

CCXXXIII. *De Aristotelis Logica.*

An ab aliquo damnari potuerit?

De nostra Logica.

An Demonstratio Aristotelea sit possibilis?

Quid requiratur, ut Argumentatio demonstrativa esse dicatur?

Duo principiorum genera.

De Materia existentia.

Quid sit ad hominem argumentari?

Ecce quales Physica Aristotelis correctores habuerit: de Logica non nihil dicamus. Quæ de figuris, & modis Syllogismorum tradidit Aristoteles, sunt feliciter cogitata, & scripta: nec ullus unquam objecit sufficientem rationem, ob quam vel unus ex illis possit syllogismis damnari. Multos Ego novos discurrendi, & argumentandi modos addidi, veteres alteravi tantisper: at hæc ipsa alteratio non fuit adhibita, ut aliquis corrigeretur Aristotelis error, sed ut consultaretur facilitati. Et hic obiter noto Demonstrationem, qualem proponit Aristoteles perfectissimam fore, at subdubito, an talis conformata unquam sit, aut conformari possit: tam multa enim requirit, ut ego exemplum exhibere non audeam. Vnde breviùs concludo omnem Syllogismum legitimè conformatum, cujus præmissæ negari nequeant, esse demonstrativum. Et dupliciter accidit, negari Positionem non posse; videlicet absolutè, & relativè. Prioris generis sunt per se notæ, aut jam priùs demonstratæ Affectiones, ut *Totum est majus sua parte*, quæ est ex terminis nota. *Tres Trianguli anguli simul sumpti, sunt æquales duobus rectis*, quæ licèt ex terminis ipsis non pateat, evidenter ab Euclide probatur. Posterioris generis sunt, quæ sunt ab Adversario admissæ, hæ enim assumi ut certæ possunt, ut in Schola Thomistarum, *Materia existit existentia formæ*: quæ tametsi secundum se, & absolutè considerata sit incerta, conceditur, admittiturque in Angelici Doctoris gymnasiis, & potest ut manifesta assumi; & tunc dicimus *ad hominem* argumentari.



NO-

NONA MAXIMA.

Logica Aristotelica utilis est, quandiù de Iure disputamus: Scientiæ autem Moralem inutilis per accidens est, nam in hac illa includitur.

CCXXXIV.
Disputatio, vel est de Iure, vel de Facto.

DVO sunt genera disputationum in Ethica, seu Scientia Morali: aliàs enim de Iure differimus, aliàs verò de Facto. Vt Iura perpendamus, examinemus, dilucidemus: & etiam ut illa tueamur, aut propugnemus, Aristotelis Logica sufficit: nam Ethica speculativa, sicut & aliæ scientiæ, assumit præmissas verè, & rigorosè universales. Pono exemplum.

De Ethica speculativa.

Omne peccatum est fugiendum.
At omne adulterium est peccatum.
Ergo omne adulterium est fugiendum.

est in *Barbara*, & evidenter concludit. Scienti tamen Moralem Logicam non est necessaria; nam quidquid differit Aristotelica, in Logica Morali clariùs & meliùs reperitur.

Scholastica Logica in Morali ista clauditur.

DECIMA MAXIMA.

Logica Aristotelis, quando agitur de facto est inutilis. Ergo pro quæstionibus facti nova debet Logica conformari.

CCXXXV.
Omnis causa, seu lis clauditur syllogismo.

OMnis lis (sit criminalis, aut civilis) cespitat, nisi syllogismo claudatur. Majorem dare debet Ius: Minorem Factum: & Sententia est conclusio. Verbi gratia.
Capite omnes homicidæ plectuntur.
Petrus est homicida. Nam occidit Ambrosium.
Ergo Petrus capite plectitur.

Antequam Iudex inferat consequentiam, debet videre, an benè citetur illa Major: (nam sæpè (1) leges falsò allegantur: undè debuit Sacra Cardinalium Congregatio Decisiones omnes, quæ Congregationis nomine circumferuntur, interdicere; quia multæ citantur, quæ ab Advocatis fictæ, nunquam sunt à Cardinalibus excogitatæ, ut ipsimet Cardinales pronunciant: (2) quia leges non semper exponuntur legitimè; ipsarum enim rigor à circumstantiis mitigatur: ætas enim, & ignorantia, aut probata, aut præsumpta ita rigorem legum mitigat, & remittit, ut potuerit, aut debuerit Tiraquellus de hoc argumento integrum Tract. scribere.) debet etiam accuratè perpendere. An benè probetur illa Minor? (nam sæpè Actor & Accusator in facti probatione deficiunt.) Sed quomodo Minor illa probabitur? *Hic labor, hoc opus est.*

Cur Cardinalium Decisiones à Cardinalibus sint interdictæ?

De legum expositione.
De probatione facti.

Sanè Aristotelis Logica, tametsi perfectissima, nec Actori, nec Accusatori, ut Minor illa (Factum) probetur: nec Iudici, ut consequentiam inferat, prodesse poterit. Et hoc evidenter persuadeo. Sic inquam. [*Ars tota syllogistica, quam Aristoteli debemus, & Iuniores novis inventis illustravimus, Vniversales, & Particulares Positiones assumit. Sed ut Moralia tractamus, & in Tribunalibus præcipuè, id non possumus facere. Ergo Aristotelis Logica in Moralibus, & Practicis, & præcipuè in Foro contentioso, uti non possumus.*] Major est manifesta: nam Aristotelis syllogismi sunt hi.

Dialectica Aristotelis in tribunalibus non prodest.

Quibus illa Propositionibus utatur.

CCXXXVI.
Figura, & modi syllogismorum, qui à Peripatu admissi.

(1) *Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Fifesomorum.
(2) Cesare, Camestres, Festino, Baroco (3) *Darapti,*
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

quorum omnium præmissæ continent literas A, E, I, O. universales, seu particulares. Minor ostenditur: quoniam in rebus Practicis raræ, vel nullæ Vniversales Positiones sunt veræ: nil enim ab omnibus fit: & quod à viginti fit, ex. gr. non ab illis omnibus fit eodem fine; non eodem modo. Falsæ sunt omnes istæ Propositiones.

Numeri interpolati figuras distinguunt.

In praxi pleraque omnes universales falsæ sunt.

Omnes homines sunt boni. Omnes mali.
Omnes veridici. Omnes mendaces.
Omnes Iudices sunt integri. Omnes se corrumpi permittunt.
Omni testi est adhibenda fides. Nulli est adhibenda.
Omnia indicia sunt vehementia. Nullum est vehemens.
Omnes scripturæ sunt veræ. Omnes sunt falsæ.
Diana semper Authores benè citat. Nunquam illos benè citat.
Caramuel semper allucinatur. Nunquam allucinatur.

Sine Vniversalibus non conformantur in Peripatu Syllogismi.

Falsæ, aut incertæ sunt pleræque omnes his similes. Ergo, si semel Ethica destitui Vniversalibus Afferris dicatur, Aristotelicos Syllogismos conformare non poterit: nullos enim est in assignatis Modus, qui Vniversalem non assumat. Sed utamur, inquies, Particularibus. Sed quo fructu? Primò enim Syllogismi, qui duas purè Particulares assumunt, non sunt Aristotelici. Secundò non sunt boni: nihil enim necessariò inferunt Præmissæ purè Particulares. Stat igitur Dialecticam Aristotelicam, quæ est infallibilis in Physicis, & Metaphysicis, non habere locum in Practicis.]

Ex puris Particularibus nihil concluditur

An detur Logica Moralis?

Hac doctrina præmissa, quid dicemus? An-ne esse Alogicos omnes Ethicos, omnes Iuristas (Advocatos, Iudices, Consiliarios) omnes Principes, quorum est Rempublicam administrare? Minimè. Essent enim alogi (irrationales) si alogicos (si sine Logica) Ius pronunciarent. Ergo, præter Aristotelicam, quæ in Scholis Philosophicis traditur, est alia quædam Logica, quæ, quia Moralibus, & Practicis præsidet, poterit, & debebit *Moralis* seu *Virtualis* vocari. Sed qua methodo, aut via ad ejus cognitionem veniemus? Attende.

Perpendendū Trilemma.

In Practicis Resolutionibus, vel quæcumque Propositio sequitur ex qualibet: vel nulla ex aliquibus; vel aliquæ inferuntur ex aliquibus, quæ ex aliis inferri non possunt.

CCXXXVII. *Omnia inferri ex quocumque falsum est.*

Si primum: omnia prudenter fiunt, & poterunt condemnari innocentes, & nocentes præmiis condecorari: omnia erunt licita: nullæ erunt leges: & æquè prudenter discurret, qui dixerit, *Petrus est latro, ergo laqueo suspenditor*, quàm qui reponat, *Petrus est latro, Ergo tali dignitate honorator*.

Nihil inferri falsum est.

Si secundum: nihil prudenter fit: non debent honorari, & defendi innocentes; non puniri nocentes: & tota invertetur Respublica.

Si omnia inferuntur, nihil infertur.

Præterea; si primum est verum, etiam secundum erit verum, & habebimus contradictiones simul veras. Sanè ex vero sequi falsum non potest. Et, si ex omni Propositione sequitur quælibet, ut asserit primum membrum Trilemmatis, ex hac, *Triangulus habet tres lineas*, sequetur hæc, *Nulla Propositio ex aliis infertur*; nam, si hæc nō infertur, quodlibet ex quolibet sequi falsum est. Ergo, si primum illud verum est, etiā hoc secundum erit verum. Atqui *Omne* & *Nihil* contrarietatem dicunt, & contradictionem includunt, [nam *Omne* includit *Aliquid*: & *Nihil* includit *Aliquid non*: & *Omne* cum *Aliquo non*, & *Nihil* cum *Aliquo* ob terminorum repugnantiam componi non possunt.] Ergo habebimus duo Contraria, & duo Contradictoria simul vera.

De oppositione inter Omnem & Nullum.

Stat dari Logicam: sed ad quid?

An sit necessaria?

Rejectis igitur duobus prioribus positi Trilemmatis membris, debebit tertium necessariò concedi. Erat illud, *In Practicis Resolutionibus aliqua inferuntur ex aliquibus, quæ ex aliis inferri non possint*. Ergo indiget directione Intellectus, ne fortè aliquam Practicam Resolutionem inferat, unde inferri non possit. Ergo indiget Præceptis, & Arte, qua dirigatur in Practicis. Et hæc Ars illa est, quam *Logicam Moralem* appellamus.

Quales sint Moralis Syllogismi Præmissæ?

Sed ex quibus Propositionibus Practicæ Resolutiones inferuntur? Non ex purè Particularibus, nam ex his nihil doctè colligitur: non ex realiter Vniversalibus, quia hæ rarò, vel nunquam repetiuntur in Practicis. Ergò, cùm omni momento occasio occurrat, in qua debeat Prudentia elicere Resolutiones Practicas, confidenter inferimus præter Vniversales, & Particulares, esse adhuc alias Propositiones, quibus possint Syllogismi formari, & in Humanis Resolutionibus (hæ consequentiæ quædam sunt) loco Præmissarum assumi.

Non Vniversales: non Particulares: ergo quæ?

CCXXXVIII *Moralium Propositionum quantitas.*

Sed quæ erunt illæ? Post longam considerationem illas, quas dudum timabar, inveni opportunè, & feliciter, & ad sequens Paradigma reduxi.

I. *Omnes matres suos filios diligunt*; est universalis realiter.

II. *Ferè omnes matres suos filios diligunt*. Est universalis moraliter, & potest vocari *vehementissima*.

III. *Plures (Pleraque) matres suos filios diligunt*. Est communior activè, & potest vocari *vehementior*.

IV. *Media pars matrum suos filios diligit*. Est æquè communis activè, & potest vocari *vehemens*.

V. *Pauciores matres suos filios diligunt*. Est minùs communis activè, & potest vocari *minùs vehemens*, vel *remissa*.

VI. *Ferè nulla matres suos filios diligunt*. Est negativa, & universalis moraliter, & vocari poterit *nullo modo vehemens*, vel *remississima*.

VII. *Nulla matres suos filios diligunt*. Est negativa, & realiter universalis. Et hic obiter nota, Propositionem bifariam posse considerari, intrinsecè secundum id, quod dicit,

dicit, & extrinsecè secundum eos à quibus dicitur, [si priorem considerationem velis *activam*, & posteriorem *passivam* nominare, de vocibus non disputabo .] Est enim Vniversalis activè, quæ significat rem universalem, sive ab uno, sive à pluribus asseratur, ut *Omnis forma materialis realiter identificatur materiæ substantiali*; quæ activè est universalis, nam loquitur de omnibus materialibus formis; & tamen passivè est particularis, aut etiam singularis, nam asseritur à Renato Cartesio, & fortè à nullo alio cum tanta, quantam ipse ponit, universalitate. Est autem Particularis activè, quæ agit de aliquo particulari, sive ab uno sive à multis dicatur; ut *Hic circulus constat unica linea*; est enim activè singularis, & tamen passivè est universalis, quoniam asseritur ab universis. His possim uti terminis, qui, si bene intelligantur, sunt boni. Sed, quia ubi sunt diversæ vocum acceptiones, imminet allucinatio, relinquamus hos terminos, & Propositionum denominationes à vehementia sumamus; nam, & sic loqui solent Iurisperiti, quando de iudiciis tractant: illud enim vehementius censetur, quod à pluribus sumitur; & quod à paucioribus, est minùs vehemens.

Propositiones dupliciter considerantur.

Videlicet activè, & passivè.

Positis his septem classibus Propositionum, quæ non excludunt Singulares, Particulares, & Indefinitas, erunt decem Propositionum genera consideranda. Ergo examinandum erit, quo Intellectus modo circa illas versetur. CCXXXIX.

Classes Propositionum.

Prima igitur Intellectus Operatio considerabit novos Terminos Morales [quoniam hæc Syncategoremata, *Ferè omnes*, *Plerique*, *Plures*, *Media pars*, *Pauciores*, *Ferè nullus*, & etiam hæc, *Multi*, *Pauci*, *Rari*, &c. non sunt à Peripateticis examinata.] & aget concomitanter de Syncategorematibus, *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, & *Aliquis non*, ne quid deficiat, quod possit Lectori ingenioso prodesse. Eorumdem etiam passiones; & proprietates contemplabitur: agetque de nominibus, quæ moraliter sunt Vnivoca, Æquivoca, Multivoca, Synonyma, & Analoga.

Quæ ad primã mentis operationem pertineant?

Secunda meditabitur voces, quæ sunt Propositiones virtualiter: Et ulteriùs promota de Habitu Primorum Principiorum, de Moralibus Regulis, de Definitione, de Divisione, de Propositionum quantitate, Æquipollentia, Oppositione, & aliis earumdem passionibus, & attributis disputabit.

Quæ ad secundam?

Tertia perpendet, & examinabit præjudicia, seu Præmissas Syllogismorum Moralium: de modo argumentandi in Ethica, & in Iure Pontificio, & Cæsareo, immò etiã in Iure Regulari discurret. Morales, Politicosque Discursus illustrabit. De Formali, Expositorio, Probabili, Demonstrativo, Syllogismo differet accuratè. Quæ omnia dilucidabit ponendo ob oculos novos syllogismorum modos, videlicet,

Quæ ad tertiã?

FALLITIS *ponti* PLACIDI MAGISTRI:
Concha MUGIVIT PARIDIS PUDICI,
Rauca dum classem RAPIDI CAMILLI
NOBILIS *armet*.

Syllogismi Morales.

Quos omnes per varias figuras transformatos aliter, & aliter denominabit. Sed quia in Moralium Consequentiarum æstimatione Authores doctissimi variant, multæ examinabuntur accuratè, & tandem exponentur Indicia, & Præsumptiones; explicabiturque quo ex illis modo Consequentiæ Iudiciales nascantur.

De Syllogismorum Figuris.

Hæc tria præstabit Nova hæc Logica, & singula summa brevitate tractabit: illis enim scribimus, qui ingenio pollent, & ideò licebit nobis esse brevibus, concisisque. Erunt (opinor) qui uberiori omnia Commentario illustrabunt: nam nobis satis fuerit aperuisse, & straviffe viam ulterioribus speculationibus. CCXL.

Cur omnia breviter simus daturi?

Dices importunum, & molestum videri cogere adolescentes, ut duplicem addiscant Logicam, Aristotelicam, & Caramuelæam, cum illi vix illam priorem dignentur addiscere: tanto enim fervore in Iurisprudentiam feruntur, ut immediatè plurimi ex Prisciano ad Iustinianum transvolent.

An inutilis sit hæc nostra Logica?

Respondeo non esse cur duplici Logica Iuvenes onerentur; nam Aristoteleam esse inutilem practicis demonstravi superiùs, & nostra est Practicis & Speculativis sufficiens: & nihil in Peripatetica invenitur, quod non in nostra clariùs & utiliùs tradatur.

An duas addiscere Logicas Philomusi cogantur?



AR-

ARTICVLVS XIII.

Iterum de illa Regula, jam in Principium æternæ Veritatis versa; nimirùm, Qui tacet consentire videtur. *Adduntur aliqua, quæ illud luce adhuc ulteriori perfundant.*

CCXLI. *An ex Negativis Præmissis Consequentia inferantur?*



X *puris negativis nihil sequi*, itemque, *ex præmissis, quarum altera sit affirmativa, altera negativa, asserentem inferri conclusionem non posse*, asserit Aristoteles; & bene, si de Syllogismis, quos ipse descripsit, agatur. At multæ formæ sunt illi ignotæ, in Logica Reali & Morali, quæ his legibus subesse nolunt. Reales alibi sum prosequutus, volo nunc unicam, qua utitur S. Gregorius Papa, examinare.

S. Ioannes *cap. 8. f. 46. suæ Evangelicæ Historiæ.* [& Dominica Passionis legitur in Divinis Officiis] agit de dissertatione, quam habuit cum Iudæis Dominus noster Iesus-Christus. Et me juvat, eamdem discutere & examinare.

Quo modo Dominus noster Iesus Christus dialecticetur?

Dicebat Iudæis Dominus. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Conclusio est efficax: at Dialecticus rigor non statim allucet. Illum igitur dilucidemus.

De Catonis Dialectica.

Florebat Christi tempore Catoniana Dialectica; quæ, ut observavit Cicero per interrogationes procedit. Et hanc in hac periodo Christus honorare videtur. Et quidem verba Domini possunt ad Soritam subsequentem reduci.

DIMAGNI DARII.

Ego nullum peccatum committo.

Omnis, qui mendacium pronunciat, peccatum committit.

Ergo ego nullum mendacium pronuncio.

Sed omnis qui nullum mendacium pronunciat, talis est, cui omnes teneantur credere.

Ergo ego sum talis, cui omnes teneantur credere.

Ergo & vos.

Cur igitur non creditis mihi?

Quanta sit inter Virtutem & Veracitatem connexio?

Laurentius Vives *libr. 2. de Anima* pronunciat [nullas res tam esse inter se amicas & concordes, quàm Virtutem & Veritatem (veracitatem) nempe germanas à Deo genitas, & humanis mentibus sicut utilissimas, ita etiam integris jucundissimas.] At quia Christus est Veritas, nos manuducit ut profundiùs Veritatis (aut potiùs Veracitatis) essentiam penetrare possimus. Primò enim Virtus & Veritas inter se convertuntur: nam Virtus falsa non est Virtus, sed Virtutis simulachrum & umbra: Et Veritas sine Virtute, est quoddam Veritatis cadaver. Secundò Virtus cum Veracitate comparata est genus cum specie collatum. Præcepta & Consilia observare, Virtus est. Tale autem præceptum aut consilium observare, est talis Virtus. At Veracitas consistit in octavi observantia. Veracitas ergo specialis est virtus. Bene igitur Dominus noster Iesus-Christus ab universali ad particularem positionem procedit: Qui enim nullum admittit peccatum, nec mentitur: nam ille qui mentitur, ipso mentiendi actu reus est, & potest de peccato accusari.

N. B. Sicut Falsum à Mendacio, sic similiter Veritas distinguitur à Veracitate.

CCXLII. *An, qui ex Deo sunt, audiant Dei verba?*

Progreditur Christus, & Peripateticorum Dialecticam honorans, subdit. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ac si diceret,

Om-

BAROCO.
Omnis, qui ex Deo eſt, verba Dei audit.
Sed vos verba Dei non auditis.
Ergo vos ex Deo non eſtis.

Sed dices illatam fuiſſe vim Chriſti verbis; non enim, ut nos poſuimus, ſed aliter Dominus dialecticatur. Ejus enim Syllogiſmus eſt hic.

A. *Omnis, qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*
O. *Vos ex Deo non eſtis.*
O. *Ergo verba Dei non auditis.*

Modus AOO. in prima Figura eſt illegitimus.

Qui ſecundum Medii diſtributionem pertinet ad Primam Figuram: ſed conformatus eſt in Modo AOO, qui ab univerſis reprobatur.

Reſpondeo Majorem illam ſimpliciter debere converti. Vbi enim æquè patet ſubjectum ac prædicatum, A. (univerſalis aſſerens) ſimpliciter poteſt converti; ut ſi dixeris.

Quænam Propoſitiones Vniverſales ſimpliciter converſi poſſint?

Omnis homo eſt rationalis.
Ergo omne rationale eſt homo.

Igitur verba Chriſti ad formulam ſequentem reducamus.

BAROCO.
Omnis, qui ex Deo eſt, verba Dei audit.
Ergo omnis, qui verba Dei audit, ex Deo eſt.
Sed vos ex Deo non eſtis.
Ergo vel verba Dei non audietis,
vel. *Ergo, quid mirum, ſi audire nolitis verba Dei.* 68

CCXLIII.

Cur ad ſcommata & injurias Argumentatores aliquãdo recurrant?

ET quid ad tam fortem ſyllogiſmum Iudæi? Hiſpanicum Axioma reſpondebit,
Quien mal pleito tiene,
A voxes le mete.
nam & tunc obtinuerat in mundo Paralogica; quæ jubet, ut qui in diſputatione convincitur, ad injurias appellet, ut perturbata argumentationis forma, qua pateat porta erumpat, & evadat. Vociferantur igitur Iudæi, & in primam Veritatem, quæ Deus eſt, contumelioſi, ſic ocelamant. *Non-ne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes.* Et illis ſuaviſſimè Dominus. *Ego Dæmonium non habeo: ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Quibus Ego verbis Moralem Dialecticam promoveo. Attendite.

Qui, quando duo objiciuntur ad unum tacet & ad alterum reſpondet, qua parte tacet, conſentire cenſetur.

S. Gregorius Papa *homil.* 18. *in Evang.* (& habetur in tertii Nocturni lectione ult.) Evangelicam literam dilucidat ſcitiſſima ponderatione: inquit enim. [*Accepta tanta contumelia, quid Dominus reſpondeat, audiamus.* Ego dœmonium non habeo; ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. *Quia enim* Samaritanus *interpretatur* Cuſtos, *& ipſe veraciter Cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait*, Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. *Et cui per Iſaiam dicitur*, Cuſtos, quid de nocte? *reſpondere noluit Dominus*, Samaritanus non ſum: *ſed*, Ego dœmonium non habeo. *Duo quippe illata fuerunt: unum negavit*, (in) *aliud tacendo conſenſit*.]

Quid ſignificet Samaritanus?

Vt autem conſtet S. Gregorium ſcitè vocem interpretatum fuiſſe, proderit ſequentes lineas ex Onomaſtico Sacro Iohannis Leuſden exſcribere. [Samaria שמרון σαμάρεια *Cuſtodia*, vel *adamas*, aut *vepres*, vel *ſpina*, ſeu *fæx*. Nomen montis, 1. *Reg.* 16.24. Vrbs item Syriæ inter Iudæam & Galilæam media, anthore Ioſepho *lib.* 3. *cap.* 2. ab Amri Iſraelitici populi Rege condita. Iſte enim Simeron, ſive Samaron, vel (ut tranſtulit Interpres noſter) Samariam montem à quodam Semer emit: civitatemque quam in montis vertice extruxerat, à vendentis nomine Simeron, ſive (ut tranſtulit noſter Interpres 1. *Reg.* 16.24.) *Samariam* appellavit. Hac deinde Reges Iſraelitarũ pro Regia uſi ſunt. Aliàs, ut Euſebius teſtatur, *Ecthenias* eſt dicta. Mox poſt Hircani Iudæorum Pontificis expugnationem, ab Herode Rege iterum ædificata, atque in honorem Auguſti, Græco vocabulo *Sebaſte* nominata eſt. Stephano *Neapolis* quoque nominatur, *Ioſ.* 11. 1. 2. *Reg.* 6.24. *Iſa.* 7.9. & 10.9. *Luc.* 17.11.] Hæc omnia Leuſden: ex quibus manifeſtè colligitur, quid ſignificet nomen *Samaritanus*? Sanè ex præmiſſis S. Gregorii verbis duo deduco, quæ noſtram Logicam Moralem promoveant.

Samaria Iudæa Civitas: à quo erecta? à quo deſtructa? & à quo reedificata?

Infero

CCXLIV.

An Christus admiserit Restrictiones Mentales?

De acceptione æquivocæ significationis.

Infero enim primò, Christum Dominum non admisisse Restrictiones mentales. Et hoc clarissimè demonstraturus sum. Sic discurro. *Samaria* est nomen Vrbis & provinciæ, & significat etiam *Custodiam*. Ergo *Samaritanus* est nomen æquivocum, significat enim *Samariæ civem*, & *Custodem*. Iudæorum mens non erat Dominum vocare Custodem; sed incolam aut civem Samariæ. Ergo vox hæc *Samaritanus* mentaliter erat contracta. Ergo, si admittantur Restrictiones mentales, non erat æquivoca, nec habebat duplicem significationem. Et hoc probatur clarè: quoniam, si, ut S. Gregorius observat, duo Domino nostro Iesu-Christo fuerunt illata, quorum unum absolutè negavit; & in aliud tacendo consensit: cùm se habere dœmonium negaverit, se esse Samariæ incolam seu civem tacendo asseruit. Ergo corruit illa significationum producta à Gregorio distinctio. Ergo Christus Dominus, qui est infinita Veritas (quod horret dicere) mentitus est. Cæterùm, negando restrictiones mentales, totus ille Gregorii discursus stat; nomen *Samaritanus* est æquivocum: illud Christus usurpat in altera significatione; & ab omni mendacii suspicione salvatur. Ergo Mentales Restrictiones non admisit Dominus noster Iesus-Christus. Ergo nec à nobis illæ possunt admitti.

Quid debeat ille facere, cui verba gravida & æquivoca, quæ bono, & malo sensu possint usurpari dicuntur?

Hinc eruo secundò Motale & Politicum Monitum; nam interdum accidit, ut Viro ingenuo verba gravida & obscura dicantur: & quo debeat modo passus contumeliã se gerere, à Pagina Sacra docemur. Sanè, si tibi dicatur aliquid quod stantibus externis circumstantiis duos sensus habeat; alterum honorificum, & alterum ignominiosum; Politica Prudentia postulat, ut quidquid sit de intentione dicentis, verba in sensu honorifico accipias, nec sine legitima occasione causeris. Pono exemplum. In conflictu N. Dominus Cavallero fugit, malens ignominiam subire, quàm cædi vel periclitari. Postridie Alfonso, Viro strenuo, quidam dubiæ fidei amicus, *Peleastis ayer*, inquit, *como Cavallero*. Verba hæc duos habere sensus poterunt: alterum, *Pugnasti heri, ut decet nobilem*; alterum, *Pugnasti heri, ut ille, qui Cavallero (Nobilis) nominatur*. Primus sensus gloriosus, secundus contumeliosus est. Alfonsus igitur, quia prudens est, non debet suspicari verba illa in secundo sensu (igoominioso) sibi dici: sed eadem in ptimo (laudatorio) accipiendo, gratias urbanissimas agere.

CCXLV.

De Regula, Qui tacet, &c.

Moneor tertiò illam Regulam, *Qui tacet, consentire videtur*, hic à Christo, & à S. Gregorio dilucidari, hoc videlicet Lemmate. *Quando objiciuntur duo, & ille, qui cõtumeliam patitur, ad unum tantummodò respondet, alterum admittere & fateri censetur.*

De eo, qui duplicis criminis accusatur.

Quid, si Reus ad unum tantùm respondeat?

Ex hoc Lemmate pro praxi & tribunali duplex Corollarium diducitur: *Primum*. Si Actor in agro tuo duas diversas servitures (puta, viæ, & aquæ) prætendat: & litem prosequatur probando sibi utramque deberi: & tamen tu alteram (servitutem aquæ) in tribunali neges, & agrum tuum ab illa esse liberum probare coneris, & nihil omninò dicas de altera (nimirùm, servitute viæ) assero in tali casu te videri fateri in agro illo tuo esse viæ servitutem, & tantùm de servitute aquæ litigare. *Secundum*. Si Actor postulet duo, & tamen posteà eò probationes omnes dirigat, ut alterum tantummodò probet, quoad alterum actionem defecisse censendus est.







INDEX
RERVM NOTABILIVM.
Quæ differuntur in Synopsi.

A

B

C

Hæ-

Pro-

Q

R

S

T

Tel-

V





NOTA POLITICA.

An nomen Tzar, *significet idem ac* CÆSAR.

H*Ærebam Romæ propter negotia nostræ Ecclesiæ anno* MDCLXXIII, *& supervenit magni Moschovi Ducis ad Sanctissimum D.N. Clementem X. Extraordinarius Legatus. Qui, quoniam Moschi sunt Schismatici, & Patriarchæ Constantinopolitano, non autem Romano Pontifici obediunt, magnâ instantiâ petebat, non ut Moschis, sed ut Polonis contra Turcam communem Christianorum hostem numerosas suppetias dignaretur concedere. At turbata fuerunt statim sub initium negotia propter Titulum* Tzaris, *quo Orator volebat insigniri suum Dominum, contradicentibus & asseverantibus cæteris præter Leopoldum Austriacum, hujus nominis Primum, non esse in Europâ alium* Cæsarem.

Supponebant, ut vidi, universi, tam Orator, qui à Magno Moschoviæ Duce mittebatur, quàm ipsi Pontificii Ministri, quàm etiam Regum & Principum Oratores, quotquot Romæ aderant, Tzar *Moschovitici significare* Cæsarem, *& ideò invidiâ plenum Titulum attribuere illi Principi dedignabantur. Et, quia errori & adlucinationi occasionem præbebat vocum similitudo: & superficie tenus rem explorant Politici, undè novæ Amicitiæ fœdera exspectabantur, simultates prodierunt, quæ auctæ singulis horis brevi in odia, & apertas inimicitias tempore fuerunt desiguratæ.*

Urgebam voces Tzar. *&* Cæsar *materialiter similes, esse significatione toto Cælo diversas: & Magnum Moschovitarum Ducem* Tzarem *vocari jure, ipsumque nec esse* Cæsarem, *nec velle hoc cognomento, sibi indebito, condecorari.*

Sanè re benè consideratâ Tzar *nomen est ab Arabicâ Linguâ desumptum, in quâ* שאר, *&* שור Superesse significant *unde* שר, SÇAR, *vel ut scribunt Moschi*, Tzar. Superior. *Et quis dubitet Magnum Ducem esse in suis Provinciis* Superiorem, *aut etiam Hispanicè*, Quien duda, que es Señor Soberano. *Vide Joannem Henricum Alstedium* in Encyclopædiæ tom. 1. lib. 5. *inquit enim*. [שרר *Principem esse*. שרה *idem*, ut & שרו & שר est *Princeps*: inde *Serenus*. &c.] 72

Sic tunc intelligebam: sed quia nunc habeo majorem & clariorem notitiam, lineas subsequentes subscribo.

Prodiit nuper Liber Eruditus, cui ἐπιγραφή. ITER IN MOSCHOVIAM, Augustini, Liberi Baronis de Mayerberg. &c. & Horatii Gulielmi. &c. ab Augustissimo Romanorum Imperatore Leopoldo. &c. ad Tzarem & Magnum Ducem Alexium Mihalowicz, anno 1661. ablegatorum. Descriptum ab ipso Augustino, Libero, Barone de Mayerberg.

In hoc libro Montes, Fluvii, Civitates, Hominum Ecclesiastici, & Politici mores eruditâ & copiosâ eruditione describuntur, & Tzaris *, tunc regnantis*, pag. 62. *exhibetur hic Titulus.*

Dominus Tzar, & Magnus Dux Alexius Mihalowicz totius Magnæ, Parvæ, & Albæ Russiæ autocrator, Moschoviæ, Kyoviæ, Volodimiriæ, Novogardiæ, Tzar Casani, Tzar Astracani, Tzar Sibiriæ, Dominus Plescoviæ, & Magnus Dux Lituaniæ, Smolensciæ, Tuveriæ, Voliniæ, Podoliæ, Jugoriæ, Permiæ, Viatkæ, Bolgariæ, &c. Dominus, & Magnus Dux Novogardiæ inferioris, Tzernichoviæ, Rezaniæ, Polociæ, Rosthoviæ, Jaroslaviæ, Bieloseræ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, Vitepsciæ, Mitislaviæ, omnium que Septentrionalium Regionum Dominator. Dominus Jueriæ, & Tzarum Cartaliniæ, ac Grusiniæ, & Cabardiniæ regionis, nec non & Principum Circassorum, & Montanorum, ac quam plurimorum aliorum Orientalium, Occidentalium, & Aquilonarium Dominiorum, & Regionum per longam atavorum seriem legitimus hæres, Dominus, & Dominator.

Titulus est in quo continentur & comprehenduntur alii multi, quos à pag. 52. examinat, & dilucidat Dominus Augustinus; sed quia cætera mea non referunt impræsentiarum, dabo tantummodò, quæ ad Tzaris *cognomentum concernunt. Autor itaque citatus, sic ibi.*

Tzaris titulum Basilius Joannis filius, & alterius parens primus, uti scribit Herbersteinius, assumpsit. Cui adstipulatus est ejusdem Basilii filius Juanus, dum anno 1552. Sigismundi Augusti Regi. Poloniæ legatis dixit, à Summo Pontifice Clemente, Romanoque Imperatore Maximiliano parenti suo tributum fuisse. Cumque supremus Sacrorum in Moschoviâ Antistes aliis ejusdem Regis legatis biennio post literas ejusdem Maximiliani, & Solymanni Turcorum Tyranni, quibus Basilium Basilides hoc titulo dignati fuerant, ostendisse dicatur, errare videntur ii, qui postquam hæc omnia sine contradictione narrarunt, asserunt, hunc titulum ab Juano post debellatos Casanenses primùm usurpari cœptum.

De hoc vocabulo monuerunt jamdiu tam ipse Herbersteinius, quàm Gaguinus, nuperque Olearius linguarum interpretes, ut ab errore consuetæ translationis resipiscerent, perspicuè demonstrantes, quòd Russico idiomate Tzar non *Imperatorem*, ut ipsi vertere solent; sed *Regem* significet dum ipsi Moschovitæ à Sacrâ Paginâ Sclavonicâ Linguâ loquente, Regibusque, semper Tzaris nomen tribuente edocti, cùm de Romanorũ Imperatore, & Domino suo unico orationis contextu loquuntur, hunc Tzarem, illum *Cæsarẽ*, ut ego pluries audivi, notabili differentiâ appellent. Ipseq; Magnus Dux se non Russorum, non Moschorũ Tzarem: sed vel indistinctè Tzarem vel distinctè Tzarem Casani, Tzarem Astracani, Tzarem Sibiriæ vocet, quæ certè nullo modo Imperia, nec Regna (Sibiriâ exceptâ) vocari merentur, cùm præter urbes, unde denominantur, vix aliquot in jurisdictione suâ oppidula numerent. Interpretum tamen aliquot amicâ monitione posthabitâ vocabulorum voluntariè falsi inversores puniendâ Imperatorii nominis dejectione in incœpto

per-

pervicaciter pergunt. Si in exteras gentes tanto studio feruntur, ut eas ornare ampullosis titulis velint, & nomen **Tzareum** propter affinitatem soni cum *Cæsareo* aliquid supra Regium augustius spirare credunt, Principes earum **Tzares** dicant, non *Imperatores*. Sic in falsi crimen non impingent & adulationi suæ facient satis. Optarem tamen, ut semel Cartaliniæ, & Grussiniæ Regulorum, quos noster **Tzar** in suis titulis **Tzares** appellat, personas & ditiones oculis usurparent, persuasus etenim vivo, quòd videntibus intra montuosos Georgiæ fines tot **Tzares** Moschis, vel Persis, vel Turcis tributarios longè ab omni principali splendore vitam multorum rerum indigam vivere, **Tzarsa** nomen vilesceret adeò, ut illud in *Imperatorium* vertere imposterum erubescerent.

Magni Ducis titulum Volodimirus Suatoslai filius nothus prior usurpavit, & ad posteros transmisit.

Alexius nomen est inter mihi compertos à Ruricho descendentes in Russiâ Dominos inusitatum, ac planè peregrinum. Adorant Moschovitæ Alexium Metropolitam Kyoviensem Joannis Danilowicz Moschorum Principis tempore natum, circa annum 1364. consecratum, & quarto decimo post anno regnante in Russiâ Joanne Juanowicz vitâ functum, cujus anniversarium diem III. Kal. Octobris, corporis verò Moschuam translationem XIII. Idus Maii, perquam solenniter celebrant. Consuluit iste popularibus suis, ut posthabito contra Tartaros Crimenses bello pacem potiùs ab iis certâ aliquâ annuâ pensione redimerent. Consiliique sui executor ab horum Chamo Berdegereio pacem Russis suis emit.

Mihalowicz est nomen paternum juxtà superiùs indicatum Moschovitarum morem proprio additum.



LOGICAE MORALIS LIBER PRIMUS

De Morali Significatione.

CAPUT I.

De Signis, illorumque Suppositione.

Dionyſius Areopagita de Divinis Nominibus.



Ignis [ait ille in Athenienſi Areopago Senator, quem, [a] corporis ſolaris eclipſi (adeoque denſiſſimis tenebris)

Splendor Paterna Gloria;
De Luce Lucem proferens;
Lux Lucis, & fons luminis;
Diem Dies illuminans,

Quando hoc ſcribebat Teraſtichum, habebat præ oculis S. Ambroſius verba illa Symboli, Deum de Deo, lumen de lumine, &c.

dignatus fuit illuminare.] *congruemimur in hac vitâ, ut ex his ad ſimplicem & unitam intelligibilium ſpectaculorum varietatem modo quodam propoſitionis (proportionis & analogiæ) adſurgamus: & poſt noſtram* (rerum materialium) *omnem intelligentiam, ſiſtamus intellectuales actiones noſtras in contemplatione Divinorum, ad Sublimioris eſſentia radium, quantum fas fuerit* (fragilitas humana permittat) *contendamus.* Conſonat D. Paulo, qui ad Rom. 1. 20. ſic ſcribit. Ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. *Invisibilia ipsius* (Dei) *à creaturâ Mundi, factis intellecta conſpiciuntur.* Tota hæc igitur Orbium Cæleſtium machina Signum eſt, quod tacitâ vociferatione Deum eſſe prædicat, ut hæc ipſa Veritas ad omnium Gentium cognitionem perveniat.

Totus Mundus eſt ſignum.

Me juvat Marſilius Ficinus, cujus verba ſunt hæc. *Signis & figuris melioribus apud Platonem meliora rectè ſignificantur.* Ergo Numinis Supremi Majeſtatem, quâ nihil, aut glorioſius aut melius, nobiliſſima totius Mundi Signa, modulentur & celebrent. Et, quia Mundus in Magnum & Parvum dividitur, in Μακροκόσμῳ (hac materiali rerum machinâ) *Cœli* (quibus nihil nobilius) *enarrent gloriam Dei; & opera manuum ejus adnunciet Firmamentum.* Et in Μικροκόσμῳ (in Homine) ſiquidem verbis corporeis & ſpiritualibus utitur, & hæc ſunt præſtantiora; ut cum Deo & Angelis agat, Mentis verba reſervet, & cum hominibus agat humanitùs: per ſigna ſenſibilia videlicet; quæ, aut proferuntur linguâ, aut in aliâ re extrinſecâ collocantur. Acturus ergo impræſentiarùm de colloquio hominum inter ſe, omiſſis Mentis actibus, qui concernunt Angelicas colloquutiones [b] de externis, qui cadunt ſub ſenſum, diſputabimus.

Ficinus in libr. Platonis de Republ. dial. 8. cap. 16.

De Macrocoſmo, & Microcoſmo.

Cum Deo & Angelis mentaliter agere poſſumus, cum hominibus ſenſibiliter agendū eſt.

a] Canit Propheta Rex, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, ut ſciamus omnipotentem eſſe Deum, & ſicut in fornace Babylonica igne refrigeravit, & Lunæ radiis [*] aliquando comburit: ſic ſplendoribus, aut etiam poſſe homines caligine & tenebris obcœcare aut illuminare. Quos illuminavit lucis coruſcantibus radiis, multi ſunt: & inter alios Petrum, Ioannem, & Iacobum in monte Thaborio ſuſpicio; Petrum in carcere; Paulū in via, & alios alibi: verùm enim verò Dionyſii & Centurionis mentes, ingruentes in Solem præter naturæ leges tenebræ clarificarunt: unde alter Athenis exclamavit dicens, *Aut Deus Naturæ patitur, aut machina Mundi diſſolvitur.* Et alter Hieroſolymis ait, *Verè Filius Dei erat iſte!* Hanc Eclipſim ex Ethnicis notavit Phlegon *Olympiadis* CCII. *anno* IV. Vide Voſſium *Harmon. Evang. libr. 2. cap.* 10. Et meam Theolog. Fundam. editam Lugduni ann. 1675. *libr. 2. pag. 558. a. num. 1616.*

b] Inter ſe Angelos, & nobiſcum dum ipſis à ſua Divina Majeſtate præcipitur, colloqui, certū eſt. Quo autem modo loquantur, incertū, & Diſputationibus Theologorum obnoxium. De Dæmonum colloquutione, agemus inferiùs, ubi de Chirologia diſſeramus.

Poteſt uno Deus calefacere, & igne refrigerare: immo etiam obſcurare ſplendore, & tenebris illuminare.

*] Pſalm. 120. 6. *Per diem Sol non uret te; neque Luna per noctem.*

De Eclipſi, quæ in Domini paſſione præter Naturæ leges accidit.

De Angelorum & Dæmonum colloquutione.

NO-

NOTA I.

An Dissertatio, quæ de Signis excitatur, sit tenuis? An Theologicâ contemplatione sit indigna, Grammaticisque relinquenda?

Gravitas est duplex alia interna, & alia externa.

GRavitatem in intrinsecam & extrinsecam dividunt Universi; & ostendunt rem posse secundum entitatem suam tenuem, grandium effectuum esse causam. Cognovit hanc olim gravitatem extrinsecam Ovidius, qui cecinit Fast. 6.

Est ubi non parva parva columna nota.

Apud columnam parvam Roma bellum hostibus indicebatur.

Ecce illa columna apud quam bellum hostibus indicebatur, cui provocatio, & admonitio adfigebatur, bifariam debet considerari: materialiter, nimirùm & formaliter: videlicet, ut Columna erat, & ut Signum aut Nota erat. Et quidem sub priorem considerationem erat parva, nam ad paucos illa cubitos subrigebatur: sub posteriorem verò erat magna, quia indicere bellum, aut gerere, est res valde notabilis.

Hannibalem, à quo alii fuerant victi pugnando Consules, Fabius Maximus cunctando superavit.

Imitatus est Ovidium Owenus, celeber Poëta inter Anglos, quoniā morosam Fabii Maximi [De quo dixerat Ennius,

Unus homo nobis cunctando restituit rem,

Non ponebat enim rumores ante salutem.]

Roma ἀνάγραμμα. Mora.

providentiam considerans; quia MORA & ROMA anagrammata sunt, ludit vocabulo, & festivus exclamat

Defensa est parvâ Maxima Roma morâ.

Illam hac propugnavit.

Illa ergo Cunctatio, illa Mora, quam Fabius Hannibalis præcipiti festinationi opposuit, secundum se considerata parva fuit: verùm eadem denominatione ab effectu (à Roma propugnatâ) desumptâ, fuit magna.

Tribunalia etiam omnia (Criminalia & Civilia) hanc doctrinam confirmant: nil enim dici aut cogitari levius potest his voculis *Est*, *Non est.* & tamen illæ prolatæ à Testibus, aut Reum libertati restituūt, aut laqueo strangulant. [*]

[*] Hic mecum mireris Lector optime Linguā Latinam, cujus Nomenclatores fuerunt industrii & liberales, adverbio affirmandi carere: nullum enim habent, quo exprimatur Hispanorū aut Italorum *si*, nam *ita*, *sic*, *etiam*, *utique*, *maximè*, & similia, non purè affirmant, sed qualitatem affirmationi superaddunt.

Paucorum assium furtum, si nil aliud accesserit, est peccatum veniale: cæterùm, si Petrus his privatus assibus, non potest panem emere, & deficientibus cibis inediā perit, illa assium ablatio erit bifariam mala: in genere furti & homicidii: in illo levis, nam parvæ materiæ ablatio est: in hoc gravis, homicidium enim est peccatum mortale.

Res levis potest ob circumstantiam esse gravis.

Ergo redeundo ad signa: levia esse & gravia affirmo: levia, prout rem aliquam, quæ signum est, materialiter dicunt; gravia, prout magnarum rerum significatione investiuntur formaliter. De illis igitur, si primo considerarentur modo, otiosi possent homines, qui nullis curis detinentur, differere: de iisdē autem consideratis posteriori, agere possunt & debēt Viri Eximii, Theologi, Iuris-consulti, Politici, &c. prout magni illi effectus, provenientes à Signis, conscientiæ puritatem, Canones Pontificios, Civiles Imperatorum leges, aut Publicæ Rei fundamenta concernant.

Disputatio de vocibus, aut etiā literis, ut ut de re tenui sit, ob magnos effectus, quos consequitur, debet censeri valde gravis.

NOTA II.

An per Signa in Sacrâ Paginâ loquatur Dominus.

IN ipsomet initio Epistolæ ad Hebræos ait Apostolus, πολυμέρως καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς Προφήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων. *Multifariā & multimodè olim Deus loquutus Patribus in Prophetis, in ultimis diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem posuit hæredem universorum.* Loquutus est intellectualiter, mentes revelationibus variis illuminans; & sensibiliter, signis externis decreta suæ Divinæ Providentiæ & Prædestinationis exponens.

Loquitur Deus, & multis modis: videlicet supernaturaliter, intellectualiter, & sensibiliter. Et quidem sensibiliter; quando per sensibilia signa: & tunc more Humano: intellectualiter verò, quando per revelationes, & illuminationes insensibiles, quæ non sensu percipiuntur, sed mente: & tunc more Angelico: & denique supernaturaliter, hoc est, patrando miracula, & eliciendo opera, quæ vires Naturæ superant, & tunc tantummodò loquitur lingua Divina; solus enim Deus sine alius concursu patrat vera miracula

Arcum enim Cælestem, qui

Mille trahit radios adverso Sole colores.

posuit in Cœli nubibus, in testimoniū fœderis cum hominibus pacti. *Genes.* 9. 12. 13.] Per fumantem clibanum & ignis lampadem Abrahæ multa significavit. *Genes.* 15. 17.] Circumcisio signum fuit, quod Abrahamum, ejusq; posteros ab omnibus aliis discerneret. *Genes.* 17. 9. 10.] Per Moyseos & Aaronis virgam multa signa & miracula exhibuit. *Exod.* 4. 2.] Per virgæ frondes floresque Aaroni respondit,

Num.

Num. 17. 8.] Per Serpentem Israëlitas Æneum [a] & curavit, & minuit, *Num.* 21. 6. 7.] Gedeoni loquutus est per vellus. *Iud.* 6. 17. *&* 6. 36.] Per commodam rerum copiam sine culturâ provenientem prospexit Ezechiæ, 2. *Reg.* 19. 29.] & per Sciatericum 2. *Reg.* 20. 9. & *Esaiæ* 38. 7.] Messias Regi Achazio promittitur, *Esai.* 38. 11.] Domum Israëlis per lateres & ferream sartaginem admonet, *Ezech.* 4. 1.] Literam Thau [b] Prædestinatorum frontibus inscribit, *Ezech.* 6. 6.] Ionæ Prophetæ signum (Domini nostri Iesu-Christi resurrectionem) ut Scribæ, Pharisæi, & alii increduli oculos aperiant, pollicetur, *Matth.* 12. 35. *&* 16. 4. *Marc.* 8. 11. *Luca* 11. 29.] Cælestia signa exhibuit, *Matth.* 16. 1.] Solem & Lunam stare jussit, & hominis voci obedire, *Iosua* 10. 13.] & majori prodigio umbram regredi in Regis Solario. 2. *Reg.* 20. 11.] Egit cum Samuele per tonitru, 1. *Samuel.* 12. 17.] Et tandem tam multa sunt à Christo signa edita, ut nulli libri sufficerent, ut singula describerentur. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ, ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἓν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. ἀμήν. *Sunt autem & alia multa, quacumque fecit Iesus; quæ si scriberentur ad unum, nec ipsum arbitror Mundum capere scriptos libros.* [c] Amen.

Ioann. 21. 25. *Innumerabilia sunt miracula, quæ fecit Christus.*

An exstet hodie Serpens ille Mosaicus?

a] Serpens hic Æneus Mediolani hodie in S. Ambrosii Templo visitur. An hic ille ipse, qui *Num.* 21. 6. jussu Dei à Moyse conformatur; & 4. *Reg.* 18. 4. ab Ezechia Rege fractus, aut ut Vulgatus habet, comminutus? Asserunt multi Scriptores, docti & celebres; quorum testimonia colligens, & ordine opportuno digerens Perill. D. Petrus Paulus Bosca exaravit eruditum de hoc Serpente Syntagma, quod Mediolani ann. 1676. in lucem edidit. Applaudunt Viri docti libello; &, siqui Versiones cæteras contemnentes, Vulgatam ooline ab iis dilucidari, monet Author, illam esse necessariò advertendam; nec tolerandum, ut ullo illa casu rejiciatur: verùm enim verò eamdem, si sensum obscurum & minùs pervium præbeat, non solùm ab aliis Versionibus, sed & à Patrú Scholiis, & aliorum Authorum Interpretationibus dilucidari. Addit Plautum, cujus est perpolita Latinitas, dixisse, *Si unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.* At fuste caput: frangitur, non verò in pulveres minutissimos redigi solet. Et confirmat Divina Christi Historia, ait enim Ioannes. *Iudæi, ut non remanerent in Cruce corpora in Sabbato (quoniam Parasceve erat: erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur: Venerunt ergo milites, & quidem primi fregerunt crura & alterius crucifixi ei: ad autem Iesum venientes, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura [d] lancea ejus latus fodit: & continuò exivit sanguis & aqua.* &c. Et subjungit. *Facta sunt hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Ex his verbis hoc potest argumentum deduci. Non fregerunt Christi crura, ut illa Prophetia, *Os non comminuetis*, impleretur. Ergo ubi *comminuere* est *frangere*, & non *in pulveres redigere*. Patet consequentia, quia, si esset *in pulveres redigere*, etsi Christi Domini frangerentur crura, Prophetia adimpleretur: quia, etsi frangerentur, in pulveres non redigerentur.

D. Bosca laudatus.

Vulgata Lectio præferri debet omnibus: at ipsa in locis obscuris à cæteris juvatur & dilucidatur.

Quid verbum comminuo significet?

Ioann. 19. 31.

An diebus solemnibus in furcis sint relinquenda cadavera?

Varii sunt apud Christianos mores.

Ioann. 19. 36. *Exponitur ille locus, Os non comminuetis ex eo.*

Exstant de hoc argumento D. Boscæ Viri doctissimi ad me, & meæ ad illum Epistolæ, quæ cum aliis in lucem aliquando mittentur.

D. Bosca, & D. Caramuelis Epistola.

b] De hoc sanctissimo signo agitur in Apocalypsi; Angelus enim ille, qui adscendebat ab ortu Solis, & Signo Dei Vivi decorabatur, Angelis, quibus indicta terræ & maris punitio, clamabat dicens, *Nolite nocere terræ, mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Et quod, quæso, erat hoc inscribendum frontibus fidelium Signum? Erat Thau. [*] Hoc est Dei vivi Signum, quo notati sunt Angeli, qui noluerunt assentiri Lucifero; quo universi homines, qui per Dei gratiam sunt à massa perditionis erepti: quo ipsamet Empyrei Globi machina, quæ propter Electos conservatur; nisi enim Sancti, indigerent hoc loco, in nihilum redigeretur. Et hoc innuit Ecclesia, cùm canit, *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit.*

Apocal. 7. 3. *De Signo* Thau, *quod frontibus Electorum inscribitur.*

*] *Cur dicitur* Signum Dei vivi?

An, ut distinguatur à Signo Dei mortui? *Quæstio alibi dilucidata.*

An hoc Signum non solùm Angelis & hominibus, sed etiā Cælo inscriptū sit?

Sed unde sciemus Signum *Thau*, & Signum Crucis coincidere, siquidem sic ת illud pingitur, & istud sic ✠?

Respondeo Ταῦ apud Græcos etiamnum Crucis formam præ se ferre: & Thau apud Hebræos Antiquos (nam quadrati characteres, quibus nunc utuntur, Chaldæi sunt) duabus se rectà secantibus lineis, & Crucis figuram exprimentibus, ut constat ex siclis antiquis, delineari. Hoc asseverant plurimi, qui de rebus antiquis scripserunt, è quibus mihi in præsentiarum satis sit Pradum & Villalpandum proferre; tertio enim tomo de Apparatu Vrbis & Templi (*libr.* 2. *disp.* 4. *cap.* 31. *pag.* 377. *b.*) sic inquiunt. [Alterum vero, quod notandum maximè est, cujusque causa hic omnis oostet in examinandis Characteribus labor meritò suscipi potuisset, illud est literarum ת thau, quæ salvandorum frontibus imprimi præcipitur à Domino apud Ezechielem, formam habuisse olim Crucis, ut Sanctus Hieronymus confirmat, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, & Isidorus cum aliis, quos retulit Pradus. Sed cum in Vaticano Alphabeto [*] nihil ejusmodi conspiciatur, dubium tenere potuisset, num ea fuerit vera antiquarum literarum forma. Sed, cùm non semel, sed sæpiùs in ipsis nummismatis Crucis habeatur signum expressum, Rabbinus ille Azarias, quem paulò superiùs retuli, nihil minùs agens, aut cogitans, hanc sustulit dubitationem; nam duplicem formam eidem literæ ת, thau assignavit. Alteram Vaticanæ similem, alteram verò salutiferæ Crucis simillimam.

An hoc Signum sit ✠ Crux? Illa litera, quæ à Græcis nominatur Ταῦ, *& à Latinis* Te *habeat figuram hanc* T?

An Hebræorum THAV *Crucis formam exhibeat?*

*] Omnium Latinarum literarum Systema *Abecedarium* dicitur: *Alphabetum*, illud, quod Græcas continet. Ergo illud, in quo Hebraicæ continentur, vocari debebit *Alephbethum*. &c.

c] Moveo novam & vix auditam controversiam, & Criticos peritiores interrogo, *An ille verborum Modus, qui* Infinitivus *dicitur, Indicativus tantùm sit, an etiam ad Optativum & subjunctivum extendatur?*

Quæstio Critica: de Modo Infinitivo.

Ego autem ante Responsionem moneo ingeniosum Lectorem, in hoc loquendi Modo, multa tradi à Magistris Grammaticæ, quæ sunt omninò falsa: dicunt enim ex. gr. verbum *Amo* in Modo Infinitivo pro temp. præs. & præt. imperf. habere *Amare*, & pro præt. perfect. & plusquam perfect. *Amavisse*. Et omnes errare persuadeo: *Amare* enim temporis præsentis est; *Amavisse* autem præteriti imp. perf. & plusq. perf. Et, ut id persuadeam, has duas Orationes

An ejus significatio bene à Grammaticis intelligatur?

Cujus temporis Amare; *& cujus* Amavisse *sit? An in resolutione adinveniantur omnes, qui Grammaticas Institutiones adiderunt?*

CCXLIV.

An Christus admiserit Restrictiones Mentales?

De acceptione æquivocæ significationis.

Infero enim primò, Christum Dominum non admisisse Restrictiones mentales. Et hoc clarissimè demonstraturus sum. Sic discurro. *Samaria* est nomen Vrbis & provinciæ, & significat etiam *Custodiam*. Ergo *Samaritanus* est nomen æquivocum, significat enim *Samariæ civem*, & *Custodem*. Iudæorum mens non erat Dominum vocare Custodem; sed incolam aut civem Samariæ. Ergo vox hæc *Samaritanus* mentaliter erat contracta. Ergo, si admittantur Restrictiones mentales,non erat æquivoca, nec habebat duplicem significationem. Et hoc probatur claiè: quoniam, si, ut S. Gregorius observat, duo Domino nostro Iesu-Christo fuerunt illata,quorum unum absoluiè negavit; & in aliud tacendo consensit: cùm se habere dœmonium negaverit, se esse Samatiæ incolam seu eiyem tacendo asseruit. Ergo corruit illa significationum producta à Gregorio distinctio. Ergo Christus Dominus,qui est infinita Veritas (quod horret dicere) mentitus est. Cæterùm, negando restrictiones mentales, totus ille Gregorii discursus stat; nomen *Samaritanus* est æquivocum: illud Christus usurpat in altera significatione; & ab omni mendacii suspicione salvatur. Ergo Mentales Restrictiones non admisit Dominus noster Iesus-Christus. Ergo nec à nobis illæ possunt admitti.

Quid debeat ille facere, cui verba gravida & æquivoca, quæ bono, & malo sensu possint usurpari dicuntur?

Hinc eruo secundò Morale & Politicum Monitum; nam interdum accidit, ut Viro ingeouo verba gravida & obscura dicantur: & quo debeat modo passus contumeliã se gerere, à Pagina Sacra docemur. Sanè, si tibi dicatur aliquid quod stantibus externis circumstantiis duos sensus habeat; alterum honorificum, & alterum ignominiosum; Politica Prudentia postulat, ut quidquid sit de intentione dicentis, verba in sensu honorifico accipias, nec sine legitima occasione causeris. Pono exemplum. In conflictu N. Dominus Cavallero fugit, malens ignominiam subire, quàm cædi vel periclitari. Postridie Alfonso, Viro strenuo, quidam dubiæ fidei amicus, *Peleastis ayer*, inquit, *como Cavallero*. Verba hæc duos habere sensus poterunt: alterum, *Pugnasti heri, ut decet nobilem*; alterum, *Pugnasti heri, ut ille,qui Cavallero* (Nobilis) *nominatur*. Primus sensus gloriosus, secundus contumeliosus est. Alfonsus igitur, quia prudens est, non debet suspicari verba illa in secundo sensu (igoominioso) sibi dici: sed eadem in primo (laudatorio) accipiendo, gratias urbanissimas agere.

CCXLV.

De Regula, Qui tacet,*&c.*

De eo, qui duplicis criminis accusatur.

Quid, si Reus ad unum tantùm respondeat?

Moneor tertiò illam Regulam, *Qui tacet, consentire videtur*, hic à Christo, & à S. Gregorio dilucidari, hoc videlicet Lemmate. *Quando objiciuntur duo, & ille, qui cõtumeliam patitur, ad unum tantummodò respondet,alterum admittere & fateri censetur.*

Ex hoc Lemmate pro praxi & tribunali duplex Corollarium dideciiur: *Primum*. Si Actor in agro tuo duas diversas servitutes (puta,viæ,& aquæ) prætendat; & litem prosequatur probando sibi utramque deberi: & tamen tu alteram (servitutem aquæ) in tribunali neges, & agrum tuum ab illa esse liberum probare coneris, & nihil omninò dicas de altera (nimirùm, servitute viæ) assero in tali casu te videri fateri in agro illo tuo esse viæ servitutem, & tantùm de servitute aquæ litigare. *Secundum*. Si Actor postulet duo, & tamen posteà eò probationes omnes dirigat, ut alterum tantummodò probet, quoad alterum actionem deseruisse censendus est.



INDEX RERUM NOTABILIUM

Quæ differuntur in Synopsi.

A

69

B

C

D

E

F

G

Hæ-

H

I

L

M

N

O

P

Pro-

Tel-

V





NOTA POLITICA.

An nomen Tzar, *significet idem ac* CÆSAR.

H*Ærebam Romæ propter negotia nostræ Ecclesiæ anno* MDCLXXIII, *& supervenit magni Moschovi Ducis ad Sanctissimum D.N. Clementem X. Extraordinarius Legatus. Qui, quoniam Moschi sunt Schismatici, & Patriarchæ Constantinopolitano, non autem Romano Pontifici obediunt, magnâ instantiâ petebat, non ut Moschis, sed ut Polonis contra Turcam communem Christianorum hostem numerosas suppetias dignaretur concedere. At turbata fuerunt statim sub initium negotia propter Titulum* Tzaris, *quo Orator volebat insigniri suum Dominum, contradicentibus & asseverantibus cæteris præter Leopoldum Austriacum, hujus nominis Primum, non esse in Europâ alium* Cæsarem.

Supponebant, ut vidi, universi, tam Orator, qui à Magno Moschoviæ Duce mittebatur, quàm ipsi Pontificii Ministri, quàm etiam Regum & Principum Oratores, quotquot Romæ aderant, Tzar *Moschoviticè significare* Cæsarem, *& ideò invidiâ plenum Titulum adtribuere illi Principi dedignabantur. Et, quia errori & adlucinationi occasionem præbebat vocum similitudo: & superficie tenus rem explorant Politici, undè nova Amicitiæ fœdera exspectabantur, simultates prodierunt, quæ auctæ singulis horis brevi in odia, & apertas inimicitias tempore fuerunt desiguratæ.*

Urgebam voces Tzar. *&* Cæsar *materialiter similes, esse significatione toto Cœlo diversas: & Magnum Moschovitarum Ducem* Tzarem *vocari jure, ipsumque nec esse* Cæsarem, *nec velle hoc cognomento, sibi indebito, condecorari.*

Sanè rebenè consideratâ Tzar *nomen est ab Arabicâ Linguâ desumptum, in quâ* שאר, *&* שיר Superesse significant *unde* שר, SCAR, *vel ut scribunt Moschi*, Tzar. Superior. *Et quis dubitet Magnum Ducem esse in suis Provinciis* Superiorem, *aut etiam Hispanicè*, Quien duda, que es Señor Soberano. *Vide Joannem Henricum Alstedium* in Encyclopædiæ tom. 1. lib. 5. *inquit enim.* [שרר *Principem esse.* שרה *idem*, ut & שור *&* שר est *Princeps*: inde *Serenus*. &c.] 72

Sic tunc intelligebam: sed quia nunc habeo majorem & clariorem notitiam, lineas subsequentes subscribo.

Prodiit nuper Liber Eruditus, cui ἐπιγραφή. ITER IN MOSCHOVIAM, Augustini, Liberi Baronis de Mayerberg. &c. & Horatii Gulielmi. &c. ab Augustissimo Romanorum Imperatore Leopoldo. &c. ad Tzarem & Magnum Ducem Alexium Mihalowicz, anno 1661. ablegatorum. Descriptum ab ipso Augustino, Libero, Barone de Mayerberg.

In hoc libro Montes, Fluvii, Civitates, Hominum Ecclesiastici, & Politici mores eruditâ & copiosâ eruditione describuntur, & Tzaris *tunc regnantis, pag. 62. exhibetur hic Titulus.*

Dominus Tzar, & Magnus Dux Alexius Mihalowicz totius Magnæ, Parvæ, & Albæ Russiæ autocrator, Moschoviæ, Kyoviæ, Volodimiriæ, Novogardiæ, Tzar Casani, Tzar Astracani, Tzar Sibiriæ, Dominus Plescoviæ, & Magnus Dux Lituaniæ, Smolensciæ, Tuveriæ, Voliniæ, Podoliæ, Jugoriæ, Permiæ, Viatkæ, Bolgariæ, &c. Dominus, & Magnus Dux Novogardiæ inferioris, Tzernichoviæ, Rezaniæ, Polociæ, Rosthoviæ, Jaroslaviæ, Bieloseræ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, Vitepsciæ, Mitislaviæ, omnium que Septentrionalium Regionum Dominator. Dominus Iueriæ, & Tzarum Cartaliniæ, ac Grusiniæ, & Cabardiniæ regionis, nec non & Principum Circassorum, & Montanorum, ac quam plurimorum aliorum Orientalium, Occidentalium, & Aquilonarium Dominiorum, & Regionum per longam atavorum seriem legitimus hæres, Dominus, & Dominator.

Titulus est in quo continentur & comprehenduntur alii multi, quos à pag. 52. *examinat, & dilucidat Dominus Augustinus; sed quia cætera mea non referunt impræsentiarum, dabo tantummodò, quæ ad* Tzaris *cognomentum concernunt. Autor itaque citatus, sic ibi.*

Tzaris titulum Basilius Joannis filius, & alterius parens primus, uti scribit Herbersteinius, assumpsit. Cui adstipulatus est ejusdem Basilii filius Juanus, dum anno 1552. Sigismundi Augusti Regi Poloniæ legatis dixit, à Summo Pontifice Clemente, Romanoque Imperatore Maximiliano parenti suo tributum fuisse. Cumque supremus Sacrorum in Moschoviâ Antistes aliis ejusdem Regis legatis biennio post literas ejusdem Maximiliani, & Solymanni Turcorum Tyranni, quibus Basilium Basilides hoc titulo dignati fuerant, ostendisse dicatur, errare videntur ii, qui postquam hæc omnia sine contradictione narrarunt, asserunt, hunc titulum ab Juano post debellatos Casanenses primùm usurpari cœptum.

De hoc vocabulo monuerunt jamdiu tam ipse Herbersteinius, quàm Gaguinus, nuperque Olearius linguarum interpretes, ut ab errore consuetæ translationis resipiscerent, perspicuè demonstrantes, quòd Rustico idiomate Tzar non *Imperatorem*, ut ipsi vertere solent; sed *Regem* significet dum ipsi Moschovitæ à Sacrâ Pagina Sclavonicâ Linguâ loquente, Regibusque, semper Tzaris nomen tribuente edocti, cùm de Romanorũ Imperatore, & Domino suo unico orationis contextu loquuntur, hunc Tzarem, illum *Cæsarẽ*, ut ego plories audivi, notabili differentiâ appellent. Ipseq; Magnus Dux se non Russorum, non Moschorũ Tzarem: sed vel indistinctè Tzarem vel distinctè Tzarem Casani, Tzarem Astracani, Tzarem Sibiriæ vocet, quæ certè nullo modo Imperia, nec Regna (Sibiriâ exceptâ) vocari merentur, cùm præter urbes, unde denominantur, vix aliquot in jurisdictione suâ oppidula numerent. Interpretum tamen aliquot amicâ monitione posthabitâ vocabulorum voluntariè falsi inversores puniendâ Imperatorii nominis dejectione in incœpto

,per-

LOGICAE MORALIS LIBER PRIMUS

De Morali Significatione.

CAPUT I.

De Signis, illorumque Suppositione.

Dionysius Areopagita de Divinis Nominibus.

Signis [ait ille in Atheniensi Areopago Senator, quem, [a] corporis solaris eclipsi (adeoque densissimis tenebris)

Splendor Paternæ Gloriæ;
De Luce Lucem proferens;
Lux Lucis, & fons luminis;
Diem Dies illuminans,

Quando hæc scribebat Tetrastichum, habebat præ oculis S. Ambrosius verba illa Symboli, Deum de Deo, lumen de lumine, &c.

dignatus fuit illuminare.] *congruemimur in hac vitâ, ut ex his ad simplicem & unitam intelligibilium spectaculorum varietatem modo quodam propositionis* (*proportionis & analogiæ*) *adsurgamus: & post nostram* (rerum materialium) *omnem intelligentiam, sistamus intellectuales actiones nostras in contemplatione Divinorum, ad Sublimioris essentiæ radium, quantum fas fuerit* (fragilitas humana permittat) *contendamus.* Consonat D. Paulo, qui ad Rom. 1. 20. sic scribit. Ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. *Invisibilia ipsius* (Dei) *à creaturâ Mundi, factis intellecta conspiciuntur.* Tota hæc igitur Orbium Cælestium machina Signum est, quod tacitâ vociferatione Deum esse prædicat, ut hæc ipsa Veritas ad omnium Gentium cognitionem perveniat.

Totus Mundus est signum.

Me juvat Marsilius Ficinus, cujus verba sunt hæc. *Signis & figuris melioribus apud Platonem meliora rectè significantur.* Ergo Numinis Supremi Majestatem, quâ nihil, aut gloriosius aut melius, nobilissima totius Mundi Signa, modulentur & celebrent. Et, quia Mundus in Magnum & Parvum dividitur, in Μακροκόσμῳ (hac materiali rerum machinâ) *Cæli* (quibus nihil nobilius) *enarrent gloriam Dei; & opera manuum ejus adnunciet Firmamentum.* Et in Μικροκόσμῳ (in Homine) siquidem verbis corporeis & spiritualibus utitur, & hæc sunt præstantiora; ut cum Deo & Angelis agat, Mentis verba reservet, & cum hominibus agat humanitùs: per signa sensibilia videlicet; quæ, aut proferuntur linguâ, aut in aliâ re extrinsecâ collocantur. Acturus ergo impræsentiarùm de colloquio hominum inter se, omissis Mentis actibus, qui concernunt Angelicas colloquutiones [b] de externis, qui cadunt sub sensum, disputabimus.

Ficinus in libr. Platonis de Republ. dial. 8. cap. 16.

De Macrocosmo, & Microcosmo.

Cum Deo & Angelis mentaliter agere possumus, cum hominibus sensibiliter agendū est.

a] Canit Propheta Rex, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, ut sciamus omnipotentem esse Deum, & sicut in fornace Babylonica igne refrigeravit, & Lunæ radiis [*] aliquando comburit: sic splendoribus, aut etiam posse homines caligine & tenebris obcœcare aut illuminare. Quos illuminavit lucis coruscantibus radiis, multi sunt: & inter alios Petrum, Ioannem, & Iacobum in monte Thaborio suspicio; Petrum in carcere; Paulū in via, & alios alibi: verùm enimvero Dionysii & Centurionis mentes, ingruentes in Solem præter naturæ leges tenebræ clarificarunt: unde alter Athenis exclamavit dicens, *Aut Deus Naturæ patitur, aut machina Mundi dissolvitur.* Et alter Hierosolymis ait, *Verè Filius Dei erat iste!* Hanc Eclipsim ex Ethnicis notavit Phlegon *Olympiadis* CCII. *anno* IV. Vide Vossium *Harmon. Evang. libr. 2. cap. 10.* Et meam Theolog. Fundam. editam Lugduni ann. 1675. *libr. 2. pag. 558. a. num. 1616.*

Potest unus Deus calefacere, & igne refrigerare: immo etiam obscurare splendore, & tenebris illuminare.

*] Psalm. 120, 6. *Per diem Sol non uret te; neque, Luna per noctem.*

De Eclipsi, quæ in Domini passione præter Naturæ leges accidit.

b] Inter se Angelos, & nobiscum dum ipsis à sua Divina Majestate præcipitur, colloqui, certū est. Quo autem modo loquantur, incertū, & Disputationibus Theologorum obnoxium. De Dæmonum colloquutione, agemus inferiùs, ubi de Chirologia disseramus.

De Angelorum & Dæmonum colloquutione.

NO-

NOTA I.

An Dissertatio, quæ de Signis excitatur, sit tenuis? An Theologicâ contemplatione sit indigna, Grammaticisque relinquenda?

Gravitas est duplex alia interna, & alia externa.

GRavitatem in intrinsecam & extrinsecam dividunt Vniversi; & ostendunt rem posse secundum entitatem suam tenuem, grandium effectuum esse causam. Cognovit hanc olim gravitatem extrinsecam Ovidius, qui cecinit Fast. 6.

Est ubi non parva parva columna nota.

Apud columnam parvam Roma bellum hostibus indicebatur.

Ecce illa columna apud quam bellum hostibus indicebatur, cui provocatio, & admonitio adfigebatur, bifariam debet considerari: materialiter, nimirùm & formaliter: videlicet, ut Columna erat, & ut Signum aut Nota erat. Et quidem sub priorem considerationem erat parva, nam ad paucos illa cubitos subrigebatur: sub posteriorem verò erat magna, quia indicere bellum, aut gerere, est res valde notabilis.

Hannibalem, à quo alii fuerant victi pugnando Consules, Fabius Maximus cunctando superavit.

Imitatus est Ovidium Owenus, celeber Poëta inter Anglos, quoniã morosam Fabii Maximi (De quo dixerat Ennius,

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,

Non ponebat enim rumores ante salutem.]

Roma ἀνάγραμμα. Mora.

providentiam considerans; quia MORA & ROMA anagrammata sunt, ludit vocabulo, & festivus exclamat

Defensa est parvâ Maxima Roma morâ.

Illam hæc propugnavit.

Illa ergo Cunctatio, illa Mora, quam Fabius Hannibalis præcipiti festinationi opposuit, secundum se considerata parva fuit: verùm eadem denominatione ab effectu (à Roma propugnatâ) desumptâ, fuit magna.

Tribunalia etiam omnia (Criminalia & Civilia) hanc doctrinam confirmant: nil enim dici aut cogitari levius potest his voculis *Est, Non est.* & tamen illæ prolatæ à Testibus, aut Reum liberati restituũt, aut laqueo strangulant. [*]

[*] Hic mecum mireris Lector optime Linguã Latinam, cujus Nomenclatores fuerunt industrii & liberales, adverbio affirmandi carere: nullum enim habent, quo exprimatur Hispanorũ aut Italorum *si*, nam *ita*, *sic*, *etiam*, *utique*, *maximè*, & similia, non purè affirmant, sed qualitatem affirmationi superaddunt.

Paucorum assium furtum, si nil aliud accesserit, est peccatum veniale: cæterùm, si Petrus his privatus assibus, non potest panem emere, & deficientibus cibis inediâ perit, illa assium ablatio erit bifariam mala: in genere furti & homicidii: in illo levis, nam parvæ materiæ ablatio est: in hoc gravis, homicidium enim est peccatum mortale.

Res levis potest ob circumstantium esse gravis.

Ergo redeundo ad signa: levia esse & gravia affirmo: levia, prout rem aliquam, quæ signum est, materialiter dicunt; gravia, prout magnarum rerum significatione investiuntur formaliter. De illis igitur, si primo considerarentur modo, otiosi possent homines, qui nullis curis detinentur, differere: de iisdẽ autem consideratis posteriori, agere possunt & debẽt Viri Eximii, Theologi, Iuris-consulti, Politici, &c. prout magni illi effectus, provenientes à Signis, conscientiæ puritatem, Canones Pontificios, Civiles Imperatorum leges, aut Publicæ Rei fundamenta concernant.

Disputatio de vocibus, aut etiã literis, ut ut de re tenui sit, ob magnos effectus, quos consequitur, debet censeri valde gravis.

NOTA II.

An per Signa in Sacrâ Paginâ loquatur Dominus.

IN ipsomet initio Epistolæ ad Hebræos ait Apostolus, πολυμέρως καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς Προφήταις, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ· ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων. *Multifariã & multimode olim Deus loquutus Patribus in Prophetiis, in ultimis diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem posuit haeredem universorum.* Loquutus est intellectualiter, mentes revelationibus variis illuminans; & sensibiliter, signis externis decreta suæ Divinæ Providentiæ & Prædestinationis exponens.

Loquitur Deus, & multis modis: videlicet supernaturaliter, intellectualiter, & sẽsibiliter. Et quidem sensibiliter; quando per sensibilia signa: & tunc more Humano: intellectualiter verò, quando per revelationes, & illuminationes insensibiles, quæ non sensu percipiuntur, sed mente: & tunc more Angelico: & denique supernaturaliter, hoc est, patrando miracula, & eliciendo opera, quæ vires Naturæ superant, & tunc tantũmodò loquitur lingua Divina; solus enim Deus sine alieno concursu patrat vera miracula.

Arcum enim Cælestem, qui

Mille trahit radios adverso Sole colores.

posuit in Cœli nubibus, in testimoniũ fœderis cum hominibus pacti. *Genes.* 9. 12. 13.] Per fumantem clibanum & ignis lampadem Abrahæ multa significavit. *Genes.* 15. 17.] Circumcisio signum fuit, quod Abrahamum, ejusq; posteros ab omnibus aliis discerneret. *Genes.* 17. 9. 10.] Per Moyseos & Aaronis virgam multa signa & miracula exhibuit. *Exod.* 4. 2.] Per virgæ frondes floresque Aaroni respondit,

Num.

Num. 17. 8.] Per Serpentem Israëlitas Æneum [a] & curavit, & munuit, *Num.* 21. 6. 7.] Gedeoni loquutus est per vellus. *Iud.* 6. 17. *&* 6. 36.] Per commodam rerum copiam sine culturâ provenientem prospexit Ezechiæ, 2. *Reg.* 19. 29.] & per Sciatericum 2. *Reg.* 20. 9. & *Esaiæ* 38. 7.] Messias Regi Achazio promittitur, *Esai.* 38. 21.] Domum Israëlis per lateres & ferream sartaginem admonet, *Ezech.* 4. 1.] Literam Thau [b] Prædestinatorum frontibus inscribit, *Ezech.* 6. 6.] Ionæ Prophetæ signum (Domini nostri Iesu-Christi resurrectionem) ut Scribæ, Pharisæi, & alii increduli oculos aperiant, pollicetur, *Matth.* 12. 35. *&* 16. 4. *Marc.* 8. 11. *Luca* 11. 29.] Cælestia signa exhibuit, *Matth.* 16. 1.] Solem & Lunam stare jussit, & hominis voci obedire, *Iosue* 10. 13.] & majori prodigio umbram regredi in Regis Solario. 2. *Reg.* 20. 11.] Egit cum Samuele per tonitru, 1. *Samuel.* 12. 17.] Et tandem tam multa sunt à Christo signa edita, ut nulli libri sufficerent, ut singula describerentur. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ, ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς · ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἓν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. ἀμήν. *Sunt autem & alia multa, quæcumque fecit Iesus; quæ si scriberentur ad unum, nec ipsum arbitror Mundum capere scriptos libros.* [c] Amen.

Ioann. 21. 25. *Innumerabilia sunt miracula, quæ fecit Christus.*

a] Serpens hic Æneus Mediolani hodiè in S. Ambrosii Templo visitur. An hic ille ipse, qui *Num.* 21. 6. jussu Dei à Moyse conformatur; & 4. *Reg.* 18. 4. ab Ezechia Rege fractus, aut ut Vulgatus habet, comminutus? Asserunt multi Scriptores, docti & celebres; quorum testimonia colligens, & ordine opportuno digerens Perill. D. Petrus Paulus Bosca exaravit eruditum de hoc Serpente Syntagma, quod Mediolani ann. 1676. in lucem edidit. Applaudunt Viri docti libello; & siqui Versiones cæteras contemnentes, Vulgatam nolint ab iis dilucidari, monet Author, illam esse necessariò admittendam; nec tolerandum, ut ullo illa casu rejiciatur: verùm cum verò eamdem, si sensum obscurum & minùs pervium præbeat, non solùm ab aliis Versionibus, sed & à Patrũ Scholiis, & aliorum Authorum Interpretationibus dilucidari. Addit Plautum, cujus est perpolita Latinitas, dixisse, *Si unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput*. At fuste caput frangitur, non verò in pulveres minutissimos redigi solet. Et confirmat Divina Christi Historia, ait enim Ioannes. *Iudæi, ut non remanerent in Cruce corpora in Sabbato (quoniam Parasceve erat: erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur; Venerunt ergo milites, & quidem primi fregerunt crura & alterius crucifixi ei: ad autem Iesum venientes, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura [d] lancea ejus latus fodit: & continuò exivit sanguis & aqua.* &c. Et subjungit. *Facta sunt hæc ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Ex his verbis hoc potest argumentum deduci. Non fregerunt Christi crura, ut illa Prophetia, *Os non comminuetis*, impleretur. Ergo ibi *comminuere* est *frangere*, & non *in pulveres redigere*. Patet consequentia, quia, si esset *in pulveres redigere*, etsi Christi Domini frangerentur crura, Prophetia adimpleretur: quia, etsi frangerentur, in pulveres non redigerentur.

An exstet hodie Serpes ille Mosaicus?

D. Bosca laudatus.

Vulgata Lectio præferri debet omnibus: at ipsa in locis obscuris à cæteris juvatur & dilucidatur.

Quid verbum comminuo *significet?*

Ioann. 19. 31.

An diebus solennibus in furca sint relinquenda cadavera?

Varii sunt apud Christianos mores.

Ioann. 19. 36. *Exponitur ille locus*, Os non comminuetis ex eo.

Exstant de hoc argumento D. Boscæ Viri doctissimi ad me, & meæ ad illum Epistolæ, quæ cum aliis in lucem aliquando mittentur.

D. Bosca, & D. Caramuelis Epistola.

b] De hoc sanctissimo signo agitur in Apocalypsi; Angelus enim ille, qui adscendebat ab ortu Solis, & Signo Dei Vivi decorabatur, Angelis, quibus indicta terræ & maris punitio, clamabat dicens, *Nolite nocere terræ, mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Et quod, quæso, erat hoc inscribendum frontibus fidelium Signum? Erat Thau. [*] Hoc est Dei vivi Signum, quo notati sunt Angeli, qui noluerunt assentiri Lucifero: quo universi homines, qui per Dei gratiam sunt à massa perditionis erepti: quo ipsamet Empyrei Globi machina, quæ propter Electos conservatur; nisi enim Sancti, indigerent hoc loco, in nihilum redigeretur. Et hoc innuit Ecclesia, cùm canit, *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit.*

Apocal. 7. 3. *De Signo* Thau, *quod frontibus Electorum inscribitur.*

*] *Cur dicitur* Signum Dei vivi?

An, ut distinguatur à Signo Dei mortui? *Quæstio alibi dilucidata.*

An hoc Signum non solùm Angelis & hominibus, sed etiã Cælo inscriptũ sit?

Sed unde sciemus Signum *Thau*, & Signum Crucis coincidere, siquidem sic ת illud pingitur, & istud sic ✠?

An hoc Signum sit ✠ *Crux?*

Respondeo Ταῦ apud Græcos etiamnum Crucis formam præ se ferre: & Thau apud Hebræos Antiquos (nam quadrati characteres, quibus nunc utuntur, Chaldæi sunt) duabus se rectâ secantibus lineis, & Crucis figuram exprimentibus, ut constat ex siclis antiquis, delineari. Hoc asseverant plurimi, qui de rebus antiquis scripserunt, è quibus mihi impræsentiarùm satis sit Pradum & Villalpandum proferre; tertio enim tomo de Apparatu Vrbis & Templi (*libr.* 2. *disp.* 4. *cap.* 31. *pag.* 377. *b.*) sic inquiunt. [Alterum verò, quod notandum maximè est, cujusque caussa hic omnis noster in examinandis Characteribus labor meritò suscipi potuisset, illud est literarum ת thau, quæ salvandorum frontibus imprimi præcipitur à Domino apud Ezechielem, formam habuisse olim Crucis, ut Sanctus Hieronymus confirmat, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, & Isidorus cum aliis, quos retulit Pradus. Sed cum in Vaticano Alphabeto [*] nihil ejusmodi conspiciatur, dubium tenere potuisset, num ea fuerit vera antiquarum literarum forma. Sed, cùm non semel, sed sæpiùs in ipsis numismatis Crucis habeatur signum expressum, Rabbinus ille Azarias, quem paulò superiùs retuli, nihil minùs agens, aut cogitans, hanc sustulit dubitationem; nam duplicem formam eidem literæ ת, thau assignavit. Alteram Vaticanæ similem, alteram verò salutiferæ Crucis simillimam.

Illa litera, quæ à Græcis nominatur Ταῦ, *& à Latinis* Te *habeat figuram hanc* T?

An Hebræorum THAV *Crucis formam exhibeat?*

*] Omnium Latinarum literarum Systema *Abecedarium* dicitur: *Alphabetum*, illud, quod Græcas continet. Ergo illud, in quo Hebraicæ continentur, vocari debebit *Alephbethum*, &c.

e] Moveo novam & vix auditam controversiam, & Criticos peritiores interrogo, *An ille verborum Modus, qui* Infinitivus *dicitur, Indicativus tantùm sit, an etiam ad Optativum & subjunctivum extendatur?*

Quæstio Critica: de Modo Infinitivo.

Ego autem ante Responsionem moneo ingeniosum Lectorem, in hoc loquendi Modo, multa tradi à Magistris Grammaticæ, quæ sunt omninò falsa: dicunt enim ex. gr. verbum *Amo* in Modo Infinitivo pro temp. præs. & præt. imperf. habere *Amare*, & pro præt. perfect. & plusquam perfect. *Amavisse*. Et omnes errare persuadeo: *Amare* enim temporis præsentis est; *Amavisse* autem præteriti imp. perf. & plusq. perf. Et, ut id persuadeam, has duas Orationes

An ejus significatio bene à Grammaticis intelligatur?

Cujus temporis Amare; *& cujus* Amavisse *sit? An in resolutione alluctentur omnes, qui Grammaticas Institutiones ediderunt?*

propono. *Dic Petro, quod ego amo ipſum*, & *Dic Paulo, quod ego amabam ipſum, ſed jam non amo*. Prima, ſi per Infinitivum exprimenda fit, tranſibit in hanc, *Dic Petro me ipſum amare*. In quam autem ſecunda? An-ne in hanc. *Dic Paulo me amare ipſum, ſed jam non amare?* Minimè. Nam hic componuntur termini contradictorii. Ergo dicendum eſt, *Dic Paulo, me quidem amaviſſe ipſum, ſed jam non amare*. Infinitivus ergo Verbi *Amo*, in præterito imperf. habet *Amaviſſe*, & non *Amare*. Et hoc dixerim, ut demonſtrem, non omnia eſſe certa, quæ docemur à Magiſtris Grammaticæ. Vt, videlicet, nemini mirum ſit, Quæſtionem, quam proponimus, à nullo fuiſſe deciſam, aut etiam tactam.

An in Infinitivo Modus ſubjunctivus inveniatur?

His ergo præmiſſis reſpondeo, Infinitivum in Græca Lingua Modum, quidquid de Latina, & aliis ſit, exprimere etiam tempora Subjunctivi: quoniá illa Ioannis verba Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ· ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς· ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ᾽ ἕν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. *Sunt autem & alia multa, quacumque fecit Ieſus, qua ſi ſcriberentur ad unum, nec ipſum arbitror Mundum capere ſcriptos libros*, ſi Infinitivus & Participium, quæ in ipſis ſunt per adverbium *quòd* reſolvantur, debent in hæc tranſire, *Sunt autem & alia multa, qua fecit Ieſus, qua ſi recenſerentur ſingulatim, arbitror, quod nec ipſe Mundus caperet libros, qui ſcriberentur*. Infinitivus igitur (adde & Participium) aliquando habet vim ſubjunctivi, non enim benè Latinè Ioannes diceret, *Sunt autem & alia &c. qua, ſi ſcribantur ſingulatim, nec ipſe Mundus, arbitror, capit (a ut ſupiebat) libros, qui ſcripti ſunt*.

Oſtende alibi, Puto, quid &c ſatis Latinè dici.

d] Et hinc quæſtio illa, quæ interrogat, *An deficiente fine adaquato legis in caſu particulari, ceſſet & lex in illa caſu particulari?* manifeſtè reſolvitur: erat enim illo ævo conſtans & indubitata Aſſertiua Sententia: quod ſic perſuadeo.

De fine adaquato legis.

An ceſſante legis obligatio etiam ceſſet?

Non poterant deponi è Cruce condemnatorum corpora, niſi mortis ſententia impleta fuiſſet, qua poſtulat, ut anima ſeparetur è corpore.

Vt deponerentur illorum, qui crucibus affixi, frangi crura pracipiebat Pilatus.

Ergo pracepti finis erat, ut crurium fractione tandem occiderentur.

Venerunt ad primum, & ad alterum latronem milites, & quia adhuc vivebant, eorum fregerunt crura; nam obſtringebat illos lex, cujus finis non ceſſaverat.

Ad Ieſum autem cum veniſſent, & vidiſſent eum jam mortuum, quia finis legis ceſſaverat, non fregerunt ejus crura.

Sciebant ergo deficiente legis fine, illam non obligare.

Eſt Reſolutio aſſerens omninò certa: & Chriſti tempore tam nota, ut & milites, qui erant ſcientiarũ imperiti, illam ſciverint.



ARTICVLVS I.

De Signis Naturalibus & Artificialibus. *An-ne à Naturâ, an ab hominum placito Voces & alia fuerint ſigna ſuam ſignificationem ſortita? Diverſa expenduntur ſententia, & Vera ponitur & dilucidatur.*



Quid Signum univerſim ſit?

Signum, ut paſſim in Grammaticâ & Logicâ Scholaſticâ definitur à Criticis, eſt, *quod prater ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, nos in alius rei facit cognitionem venire*. Nec ab illis longè abeſt D. Thomas, qui ſic ſcribit. *Signum, quantum eſt in ſe, importat aliquid manifeſtum, quo nos quaſi manuducimur in cognitionem alicujus occulti*.

De diviſione Signorum.

Et circa ſigni diviſionem variæ ſunt Philoſophorum Opiniones. Ariſtoteles *Rhetor*. 1. dicit. *Signum unum ita ſe habet ut ſingulare ad univerſale; alterum ut univerſale aliquod ad particulare: & horum quod neceſſarium eſt, terminus appellatur; quod non neceſſarium* [*] *caret nomine*. Et poſteà *cap*. 12. ſubjungit. *Signum eſt alterius aliud, non quodvis cujusvis, ne quis omnis omne; ſed quod, aut antè fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt fieri conſuevit*. Et poſteà, *Signorum nobis copia erit ex ſingulis, qua dicuntur, qua geruntur & videntur, & ex teſtimoniis, teſtificatis, ex noſtris, ex Adverſariorum fautoribus, ex ipſis illis, ex provocationibus, ex temporibus, & ex aliis multis*. Et quidem poſſem ex hujuſmodi Teſtimoniis ſigna per varias claſſes diſtribuere; ſed quia brevitatem amo, aſſero communem eſſe hodie in Scholis ſententiam, quæ ſignum in Naturale & Artificiale diſpeſcit: traditur enim ab Ariſtotele 1. *de interpret. cap*. 1. Auguſtino *libr*. 2. *de doctrin. Chriſtiana cap*. 2. ſententiarum Magiſtro *in* 4. *diſt*. 1. & poſt eos à Philoſophis & Theologis univerſis. At ego exiſtimo omnia ſigna eſſe Naturalia, & omnibus uti homines poſſe ut pro arbitrio per illa ſuos conceptus exponant. Et ideò ſignum Naturale

Quid ſit Terminus?

*] Sunt res, quæ carent nomine.


De Signis Naturalibus & Artificialibus.

D. Thomas in 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1.

in

Traditur Vera Signi Divisio.

in Animale & Inanimale distribuo. Voco Animale illud, quo Animal id, quod sentit, significat: Inanimale id quod significat quidem, sed non ex intentione significantis. Animale in Irrationale & Rationale subdividitur. Et tandem assevero omni Naturali signo posse accidere significationem arbitrariam, & ad placitum. Considera Categoriam.


Signum Naturale. Omnia enim Signa primariò habent significationem naturalem. [*]
Inanimale. Multa enim nobis significant res, quæ carent sensu.
Animale.
Irrationale. Et huc illa omnia pertinét quibus utuntur Bruta.
Rationale. Et huc spectant illa, quibus utimur Homines.

*] Si omnis effectus propriam causam significat, & omnis creatura causam habet omnis creatura habet significationem naturalem.

An naturalibus signis addi queat significatio artificialis?

Omnibus signis Naturalibus illæsa naturali sua significatione possunt & solent homines accensere significationem arbitrariam. Sic per ignem & fumum, qui realia signa sunt, & se mutuò significant, supervenientia discrimina commilitonibus, etiam distantibus, in exercitu significamus. Cæsar *lib.6.belli Gallici*, monet, ut ignes fieri in castris prohibeatur, neque ejus adventus procul significatio fiat. Per ignem ergo aliquis proditor hostes monere poterat, ut Cæsari venienti occurrerent.

Et hanc ob causam Chinensis Archius intercepta urbe, captivis civibus omnem ignem nocturnũ anno 1648. interdixit.

Effectus significat suam causam. An causa effectum?

Inanimale.] Causa non solet universim effectum suum significare, quia interdum sine illo reperitur: at effectus, quia causâ carêre non potest, cum illâ necessariò conectitur, & ideò illam dicitur significare. Et hanc ob rem, Ignis non significat fumum, non enim semper illum excitat, immò sunt ligna, quæ ideò ἀκάπνα dicuntur, quod, etsi ardeant, & comburantur, fumum non excitent. Erasmus *lib.8.apophth.* at Fumus, quia sine igne esse nequit, nos visus in ignis cognitionem perducit.

De lignis ἀκάπνοις.

De Figura & Imagine.

Huc pertinet Similitudo. Cæsaris enim, aut Pictura aut Statua, Cæsarem repræsentat.

De Connexione.

Huc concomitantia aut connexio: quoniam, si non nisi in vere horti exornantur floribus, non nisi in æstate metuntur segetes, non nisi in autumno leguntur fructus, & non nisi in hyeme obruimur nivibus; flores, messis, vindemia, & nives anni tempestates distinguent. Præterea, si semper Canis A. Petrum concomitetur, & ego videam Canem A. Petrum adesse sciam. Et huc respiciebat Ovidius quando cecinit.

Phœbus adest; sonuêre tubæ, sonuêre pharetræ.
Signa Deum nosco per sua: Phœbus adest.

Consignificant etiam res & circumstantia comitantes.

Non enim tubarum clangor, & pharetrarum strepitus ex naturâ rei, aut instituto significabant Phœbum; sed eum comitabantur. Et connexio est in causa, ut si in tali loco atrocem injuriam passi simus, quoties per eũ transimus, injuriæ illius, velimus, nolimus recordemur.

Animale Irrationale.] Passiones internas signis externis Animalia significant. Nam Taurus æstuans libidine; se in hostem irritans, & securi percussus, aliter, & aliter mugit, & aliter pede terram percutit. Ovidius Transformationum lib.13.

Etiam bruta signis externis passiones internas exponunt.

Surgit & ut Taurus Vacca furibundus adempta.

De Tauro.

Et 4. Trist. — *Spargit tamen acer arenam.*
Taurus.

Et Pontanus. *Mugitu terrificat Celum.*

De Gallo.

Gallus, invento cibo, voce gallinas advocat; & illæ audito signo accurrunt. Atque sub noctis medium sentiscit aliquid, vi cujus excitatur & canit: & ex ejus cantu nos vigilias nocturnas distinguimus. In Moreto Virgilius

Medium noctis adnunciat.

Excubitorque diem cantu prædixerat ales.

& Mantuanus
Iam cecinit mediam volucris Titania noctem.

& Strozius Pater
Semuiaque excussit nuncia lucis avis.

De Turture, & Columbo.

Voce Columbus, voce Turtur consorti suæ suum amorem significat. Virgilius Ecl.1.

Nec tamen interea raucæ tua cura Palumbes,
Nec gemere aëreâ cessabis Turtur ab ulmo.

& tom.5.homil.Chrisostomus. *Turtur amatrix eremi, quando in desertis degit locis, delectabilibus blandimentis accersit comparem vocis suæ, convallia penetrans, & suum masculum in amœna, & nemorosa pascentem convocat, & hinc avolare provocans, hortatur adscensionem sui celerem.* Hisque similia apud S. Augustinum *libr.2.de doctr.Christian.cap.2.* leguntur.

De Serpente? An & quomodo Muranam advocet?

tur. Etiam sibilo serpens creditur adlicere & advocare Murænã: quam historiam pulchris Oppianus repræsentat carminibus, quæ Alciatus apud Ioannem Henricũ Alstedium *tom.2.Encycl.lib.12.part.6.cap.4.* expressit sequentibus numeris.

Cùm furit in Venerem pelagi se in littore sistit
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit [b]
Muranamque ciens ingentia sibila tollit;
At subitò amplexus appetit illa [c] *viri.*

Floruit Oppianus Poeta ann. Christi 150. Eutropius lib. 10. Cassio Suid. Dion. Genebr.

Et eadem Oppiani carmina aliter à Laurentio Lippio latinè reddita, apud Hippolitum Salvianum *hist. 2. de aquatilib.* & P. Richardum Lynceum *in Philosophia scholast. tom.1. libr.6.tract.2.cap.2.num.28.pag.212. a.* leguntur. Ea propono.

Ardet amans Serpens, & multo exastuat igne,
Concitus in rabiem furibundus quarit Amores [a]
Et currum subitò saxum speculatur, & omne
Lethiferum ponit virus, quod gestat in atris
Dentibus [b] *& bilem saxo deponit amaram,*
Vt tadas capiat tranquillo pectore mites.
Littore consistens horrendum sibilat ore,
Concubitusque petit, subitò Murana profundo
Excita voce furens [c] *ruit ocior illa sagitta.*
Ex terra serpens ponti descendit in astum.
In Venerem & prompti gaudent amplexibus ambo.

An Amica Amores & Oculi in plur. dicantur?

a] *Amorum* nomine Murænam vocatam intelligit; nec mirum, si numero utatur pluralinam & Amasiam Hispanus, *sus ojos*, aut etiam *sus Amores* appellat.

Vipera dentes perforati.

b] Viperam habere venenum certum est. Illud exponere, ne Murenæ noceat, à Viris eruditis asseritur. Sed quà? A Lippin Alciatus dissentire videntur: illam interim dentes habere perforatos, & per canales venenum in rem morsam immittere, D.Hodierna, & P.Kircherus scribunt.

An pisces auditus sensu carentes?

c] Est communis Peripateticorum Opinio, quæ pisces sensu auditus spoliat: at Oppianus adhærebat contrariæ, quam experimenta quotidiana confirmant.

De Cane.

Porrò aliter adlatrat, cùm blanditur hero Canis, aliter cùm furem adnunciat, & aliter, cum se in pugnam concitat, & Canem alterum terrere gliscit. Sed & caudæ ipsæ motu affectus interiores significat: illam enim vibrat lætabundus & hilaris, mœstusque intra crura demitit. Sed & Felis, & toni, & vocis utitur varietate, ubi suas accersit aut fugat feliculas. Et hoc vocum discrimen in Avibus etiam mutatis circumstantiis observo. Aliter enim Passer garrit, quando in grana incidit, & alios advocat: & aliter quando laqueo interceptus cæteros, ne accedant, admonet. Aliter & Gallina, quando pullos suos docet alimenta interquilinio reperire; aliterque quando visa in solo Milui aut accipitris supervolantis umbrâ, illos advocat; &, ne periclitentur, expandit alas, & sub illas eos recipit.

De Fele.

De Passere.

De Gallina.

An colloquantur Animãtes?

Hinc orta quæstio, quæ interrogat, *An animalia loquantur? An, qua de aliquibus narrantur, qui Aves inter se colloquentes intelligerent, aliquam pra se ferant Veritatis speciem?* Si invidia absit Resolutioni, & Zoilus nolit de vocum significatione disputare, dicendum est, Animalia inter se naturaliter loqui, sed eorum idioma esse pauperrimum; quoniam, si Grammaticam spectes, non habet nisi Interjectiones; si Lexicum, signis paucissimis contentum est. Hæc Animalium, & præcipuè domesticorum signa, plerique omnes cognoscimus, nec ob illorum intelligentiã, si ametur Veritas, aliqui præ cæteris sunt celebrandi. Interim apud Poëtas reperimus Philosophos, & Sacerdotes, Idiomatum, quibus in pratis pecudes, feræ in montibus, & volucres in aëre colloquuntur, peritos. Virgilius libr. 10.

Qualis sit eorum lingua?

Asylus avium linguas intelligere fingitur à Virgilio.

Tertius ille hominum Divûmq; Interpres Asylas,
Cui pecudum fibra, Cali cui sydera parent,
Et lingua volucrum, & prasagi fulminis ignes.

Et tu Asylæ adsocia quotquot scire linguas Animalium dicuntur.

An Leo rugiendo loquatur?

Interim, ut dicebamus, voces passionum indices, quæ Interjectionibus nostris sint similes, animalibus denegare non possumus. Et hanc ob rem in Comœdiã, *Zelos son bien y ventura*, quam Doct. Philippus de Godinez composuit, Albanus, qui invasus fuerat à Leone, sic inquit.

Alban. *Saqué la espada arrestado*
Opposeme a la defensa,

Y como mirò el Leon
En mi colera resuelta
Y en mi espada yerro y fuego,
Erizando la tez crespa,
Dixo, No he de menester
Quien me rize la guedexa.
Fer. *Y con hablarte entre dientes*
Entendiste bien su lengua?
Alb. *Huyò el bruto: mas ya noto,*
Que es superfluidad grossera,
Lo que las obras explican,
Referirlo con la lengua.

An, & cur bruta denominentur ἄλογα?

Dices animalia ratione carentia à Græco Nomenclatore dici ἄλογα, à voce λόγος, quæ *sermonem* significat. Ergo, siquidem illud α est privativum, dicendus ille est animalibus negavisse sermonem. Respondeo & nos sermonem (hoc est, orationem concinnam) brutis negare, nam tantùm interjectiones concedimus, quæ solæ sermonem non sufficiunt componere. Et quidquid de re sit, nihil ex etymo deduci assero, nam λόγος & *rationem* & *sermonem* significat; & Nomenclator ad primam significationem respiciebat, quando bruta denominavit ἄλογα.

Animale Rationale.] Idioma naturale inest homini; nam & muti, & exteri, qui patriæ, in quâ peregrinantur, linguam nesciunt, conceptus suos signis & nutibus sufficienter exponunt. Quo respiciens Plato ait in Cratylo. *Si voce & lingua caruissemus, voluissemusque res invicem declarare, perinde ac nunc muti, manibus capiteque, ac cæteris membris significare tentavissemus. Ergo supernum quidpiam ac leve significaturi, Cælum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes: inferiora verò & gravia dejectione quadam humi innuissemus. Quin etiam currentem equum, vel aliud quidquam animalium indicaturi, corporum nostrorum gestus, figurasque ad illorum similitudinem, quam proximè quisque finxisset.*

Homines etiam uti possunt & solent naturalibus signis.

Lingua Naturalis est unica.

Et quidem, si naturali linguâ uteremur tantummodo, esset terra labii unius & sermonum eorumdem; nam eodem omnes modo superiora loca manu, eodem omnes inferiora significant.

& tamen pauper.
De Artificiali Lingua.
Cur fuerit, & à quibus inventa?

Significatio arbitraria.] Hoc Naturale Idioma erat pauper, & non sufficiebat, ut de omni re discurreremus; & ideò necessarium fuit invenire signa, quibus significatio ad placitum accenseretur. Hæc præcipuè, nam erant sensibilia, ad visum auditumque referebantur. Fuerunt prioris generis lapides: quoniam in viis positi, distinguebant milliaria, unde *ad tertium*, & *ad quartum lapidem* legimus. Ovidius 2. Fastor.

De Signis Visibilibus.
Maximè facilia & communia erant lapides.

Sacra videt fieri sextus ab urbe lapis.

Lapis in via.

In triviis veram viam à diverticulo lapides discernebant. Unde illud

Saxa tacent: dubium me tamen ipsa regunt.

Lapis in trivio.

Etiam in campis terminos lapidibus significamus. Id olim etiam fiebat; Turnus enim.

Virgilius Æn. 12.

Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui fortè jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis. &c.

Lapis in campo.
Lapis projectus manu.

& manu acceptum lapidem projicere, erat ceremonia jurantis, qui tacitè aut expressè dicebat, *Si sciens fallo, tam me Diespiter, salvâ Urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Festus.

De Signis audibilibus, seu vocalibus.

Est ingenium festinum, & communicatio inter homines amat facilitatem. Ergo præter visibilia signa, debuerunt homines cogitare audibilia, ut conceptus suos mutuò significarent. Uti igitur vocibus decreverunt. Hæ sunt duplicis generis; articulatæ & non articulatæ: illæ sunt, quæ literis constant; hæ, quæ scribi non possunt, non enim constant elementis positis in Abecedario. Ad illas pertinent universæ dictiones, quæ inveniuntur in Lexicis, ad has Risus, Tussis, & Sibili. Sanè de Colloquutione per Risum, Tussimque plura opportuno loco sum dicturus, nonnihil hîc volo subnotare de sibilo. Possunt enim sibilis homines loqui: immò dicitur apud promontorium Bonæ Spei esse populum integrum, qui colloquatur sibilando. Et quidquid de illo sit, in triremibus hodie Magister remigum sibilando, eis facienda imperat; & sibilando in castris olim Magister militum, Ostiariis, & Vigilibus imperia sua significabat. Livius lib. 5. de bell. Punic. *Ubi jam ea consuetudinis adducta res est, ut quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur.* Interim, quia hic per sibilos loquendi modus, videbatur difficilis, voces articulatas homines

Voces vel sunt articulatæ, vel non articulatæ.

De Risu, Tussi & Sibilo.

An sint, qui sibilando colloquantur?

Quomodo remigum Magister (Hisp. el comitre) loquatur?

Quomodo Magistri militum?

mines elegerunt, ut per eas cogitationes suas significarent. Sed qui, ubi, & quando singulis vocibus significationem indiderunt?

Prima Sententia.

Erant Platonis tempore, qui asserent Deos hominibus indidisse primitiva vocabula, primos nominum & verborum decursus, & postea homines, prout necessitas tulit, cætera conformasse. Hanc sententiam in Dialogo, quem statim citabo, videtur non omnino rejicere Divinus Plato, scribit enim. *Decens, consentaneumq; maximè reperire nos, quæ in rebus sempiternis, & Naturæ ordine constitutis rectè sunt posita: nam circa ista in condendis nominibus studuisse, maximè decet. Fortè verò* [N.B.] *ipsorum nonnulla Diviniore quadam potentia, quam humana sunt constituta.* Nota illud *fortè*, quod non posuisset Plato, si hanc Opinionem crederet probabili fundamento destitui.

An lingua usu homines divinitùs edocti sint?

Quid importet vox fortè?

Secunda Sententia.

Erant contrà, qui dicerent, syllabas singulas habere significationem naturalem, hominesque rerum naturas & proprietates perpendentes, singulis nomina convenientia imposuisse; unde addebant rerum definitiones in etymologiâ, si bene perpendatur, includi. Ita Pythagoræi asserente Dexippo *in libr.* 1. *Periherm. cap.* 6. nec non apud Ammonium *ibid.* Cratylus & Heraclitus. Illius nomine integrum Dialogum inscripsit Plato, & in ipso sic infit. *Cratylus rebus singulis ait natura inesse rectam nominis rationem: neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione vocant, dum vocis suæ particulam quamdam pronunciant; sed rectam rationem aliquam nominum & Græcis & Barbaris eamdem esse, & innatam.*

An syllabæ partiales significationes, & voces habeant integras?

De Platonis mente.

Vtramque Opinionem Plato tam variè edisserit, ut jam uni, jam alteri assentiri crediderit: at tandem re melius considerata utramque contemnit, & rejicit, dicens; *Ridiculum visum iri (ô Hermogenes) arbitror, quod res ipsa* (quod docebant Authores posterioris Sententiæ) *imitatione per literas syllabasque facta, manifesta fiant: necessarium tamen: neque enim melius hoc habemus quidquam: nisi fortè* (& hic ingreditur Sententia prior) *quemadmodū Tragici, quoties ambigunt, commentitiis quibusdam machinamentis ad Deos confugiunt* [a] *ita & nos otiùs rem expediamus dicentes, Deos prima nomina posuisse, & idcirco rectè instituta fuisse. &c. Verum tergiversationes hæ sunt, & bellissima quidem illorum, quicumque nolint de recta impositione primorum Nominū reddere rationem.*

An Græci olim, ubi rem ignorabant recurrebant ad Deos?

a] Et hinc patet Veterum Græcorum Tragœdias fuisse similes antiquis Hispanorum fabulis, quæ leguntur in libris, quos vocant *de caballerias*; & differre cùm à nostris Comœdiis, tum ab historiis cogitatis, quas vocamus *novelas*. Sæpe ita implicuit Poeta negotia, quæ tractantur in fabula, ut censeantur humanitùs non posse dissolvi: & tunc in Græcia Tragici recurrebant ad Deos, intermittebantq; aliquā miraculosā μεταμόρφωσιν: & in Hispania nudiustertius Scriptores, qui fictorum Equitum recensent cogitata facinora, ad incantamenta appellabant: & hodie nihil prorsus in Comœdiis & Novellis admittitur, quod Vires superet aut Naturæ, aut Ingenii.

Quæ, & qualis differentia sit apud Hispanos inter fabulas, quas hodie Novelas dicunt, & illas quas olim vocabāt libros de caballeria?

Et aliquid simile in Philosophia aliquando invenitur; quoniam nonnulli Authores, ubi nesciunt causam naturalem ostendere, Deo, aut Angelis effectus, quos percipiunt, accensent. Nam, si interroges, *Quodnam sit principium individuationis in formis?* hoc est, *Cur in hac charta sit albedo A, & non albedo B?* &, si rescire velis, *Quis moveat Sydera?* ad primum respondebunt non pauci, Deum esse causam unicam, quæ albedinem (& cætera omnia accidentia) quoad individuationem & singularitatem determinet: & ad secundum Orbium Cælestium Motores esse Angelos, sub *Intelligentiarum* vocabulo à Peripatu assertos. At hoc est, ut Hispanus loquitur, *retraherse à sagrado*; &, ne id faciamus, & hos & similes effectus veris suis causis accensere possimus, nos manuducit D. Thomas, qui primum principiū Individuationis esse asserit Materiam Primam: Angelosque esse Stellarum Præsides & Protectores, non verò Vectores & Motores, statuit.

De Individuationis Principio.

De Causa Stellarum Motrice.

De Cælestibus Intelligentiis.

Nomina ad placitum & non naturaliter significare contra primam Sententiam, & vires humanas, ut illa congruè ponerentur, suffecisse, nec esse eur ad Deos recurreretur apud Muretum *libr.* 1. *variar. cap.* 5. tradebat Socrates; & modum exposuit Horatius. Considera sequentes numeros

Tertia Sententia.

De Grammatica initio.

Cùm prorepserunt primis Animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem cubilia propter. &c.
Vnguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ post fabricaverit usus. &c.
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent;
Nominaque invenêre: dehinc absistere bello,
Oppida cæperunt munire, & ponere leges. &c.

Nimis concisi & breves sunt, & commentario indigere videntur. Architectonicam, Militarem, & Artem loquendi componit. Omnes pro-

Componitur cū Architectura & Arte Bellica.

profectò Scientiæ & Facultates ex parvis principiis ad illam summam perfectionem, in quâ nunc consistunt, devenêre. Quoniam primà hominibus tecta & cubicula (ut antra præteream) dederunt arbores, aut trunco homines cavo recipiens, aut ramis frondosis cooperiens. Postcà ex tabulis, lapidibus, & luto sunt concinnatæ casæ; & tandem postes in columnas sunt versi; &, quæ priùs erant naturæ imperfectiones, in ornamenta transiverunt. Eodem modo fuit Ars Militaris promota. Et quidem semper inter homines fuerunt dissensiones & rixæ. At illæ sub initium pugnis & unguibus expediebantur. Deinde homines se armarunt fustibus. Tandem gladiis & lanceis. Posteà duella transiverunt in bella, domus in oppida, oppida in municipia & arces, quæ post pulveris nitrati inventionem magnâ animorum contentione & ingenio oppugnantur, & propugnantur. Et eodem prorsus modo primi in mundo homines, ut inquit Socrates, fuerunt muti. Muti, inquam, non quod loqui nequiverint, sed quod vocabulis caruerint, quibus conceptus suos significarent. Et sub initium aliqui, qui erant ingeniosiores, nomina invenerunt, & illa singulis rebus adaptarunt. Et posteà percipientes, non sufficere nomina, verba addidere, & paulatim subjunxere cæteras partes Orationis Grammaticæ. Nec mirum, si Grammatica, quæ erat sub initium balbutiens, cum tempore adolevisse dicatur; nam, etsi tēpora & modos habeat sufficientia, ut agantur Politica, caret etiam num multis, sine quibus exactè nequeunt explicari Scholastica, ut in nostro Pentaglotto [*] persuadeo.

Artis Architectonicæ incrementa.

Progressus Artis Militaris.

Initium & promotio Grammaticæ.

*] Pentaglotton quinque voces dilucidat, *Sam, Sim, Sym, Som, Sum.* quæ explicantur hoc versu *Res est, existit, æternum, semper & unquam.*

Hæc est Sententia Socratis; hæc Horatii; hæc aliorum plurium, qui à Sacris Literis non sunt instructi. Nec ab eâ se subducit Plato, qui postquam vacillans, & huc aut illuc pulsus varia dixerat, hanc ipsam Socratis doctrinam approbat, illamq; hoc Scholio dilucidat. *Nondum persuaderi mihi potest aliam esse Nominis rectitudinem, quàm conventionem ipsam, consensionemque. Mihi quidem videtur rectum quodcumque nomen quis cuique imponet. Nihilominus primum etiam quod illi succedit nomen, rectum existere; quemadmodum servis nomina commutare solemus; nulli quippe rei natura nomen inesse* (credimus) *sed lege & usu illorum, qui sic vocare consueverunt.*

Plato nil certi asseruit.

Nos interim primas in Linguâ Sanctâ literarum significationes divinitùs fuisse attributas, & ex illis velut in specimen aliqua fuisse à Deo rebus nomina imposita, ex primo capite Geneseos didicimus. Ibi enim lego. *Appellavitque* (Deus) *lucem* Diem, *& tenebras* Noctem. *Vocavitque Deus Firmamentum* Cœlum. *&c. Et vocavit Deus aridam* Terram, *& congregationes aquarum appellavit* Maria. *&c.* Adamo posteà his primis lineamentis & exemplis instructo capite secundo jussit Deus, ut nomina rebus universis imponeret. Ibi enim lego. *Formatis igitur Dominus Deus ex humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Consideravit ille singulorum naturas & nomina singulis consentanea & opportuna imposuit, unde inquit Moyses, *Omne quod vocavit Adā Animæ viventis ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.* Quibus verbis hanc Notam D. Isidorus Clarius adscribit. [Opinor ex hoc loco Platonem venisse in eam opinionem ut diceret *in libr. de rect. nomin. ration.* sibi videri eam Naturam, quæ rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hac humanâ.]

Vera Sententia.

Prima nomina imposuit Deus: cætera conformavit Adamus.

An Libros Moysis legerit Plato?

Sed interrogas, *Quando id acciderit? An in ipsomet Paradiso prima die: an verò longo post tempore hominibus jam multiplicatis?*

Illud primum asserit citatus Clarius: inquit enim. [Cùm indidit Adam Animantibus nomina, nondum legitur fuisse à sua præstantia lapsus. Impositio autem nominum significat, & quod Adam naturas animantium perfectè calluerit; nam id demum, aut potiùs id solum proprium cujusque rei nomen est, quod illius naturam exprimit; & quod ipsa animalia hominis imperio subjecta essent: etenim imponere solemus nomina iis, qui juris sunt nostri.]

An imponere nomina actu dominii sit?

Hoc autem secundum asserere videtur P. Richardus Lynceus, qui *Philosophia Scholast. tom. 1. lib. 6. tract.*

Quando rebus & animalibus nomina imposuit Adam?

2. cap.

2.*cap.*2.*num.*34 *pag.*213.4. sic scribit. [Sanè dici potest Adamum iis, quos ad communionem, & societatem ejusdem linguæ erudierat voluntatem, quâ nomina instituebat, non manifestasse per ipsam, aut per singula aliqua ad placitum, quæ eam expressè, & infallibiliter denotarent, sed per ambiguos nutus, & obscura indicia, conjecturalem quandam ejus cognitionem in audientibus excitasse, posteàque eo vocum institutarum usu auditoribus certissimè innotuisse. Vbi autem ità cum difficultate aliqua signa ad placitum instituerat Adamus, iis ad aliorum institutionem usum fuisse, & aliis ad alia instituenda, atque hoc demum pacto integrum idioma omnibus suis numeris absolvisse. Quod si verum fuit, ut certè esse potuit, haud ita intelligendum est, quasi Adamus solus fuerit primarum vocum Author potissimus fuerit: atqui incredibile nullas in eatum inuentione partes habuisse Evam eiusque ex Adamo liberos, & nepotes. Et quidem institutionem idiomatũ, & impositionem vocum haud esse adscribendam soli Numini, & ab Hominibus ipsis inchoare potuisse, ut hac secundâ responsione nostrâ volumus, antiquorum plerisque placuit.]

An ipse solus? an verè ab Eva & suis filiis adjutus.

Opinationes Vitruvii.

Hinc patet erravisse Vitruvium, qui *lib.*2. *cap.*1. casu veriùs, quàm consilio nomina fuisse imposita affirmare videtur, scribit enim. *Homines vetere more, ut ferę in sylvis & speluncis & nemoribus nascebantur ciboq; agresti vescendo vitam exigebant. Intereà quodam in loco ab tempestatibus & ventis densa crebritatis arbores agitatæ & inter se terentes ramos ignem excitarunt; & eò flammâ vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati. Posteà re quieta propiùs accedentes, cùm animadvertissent commoditatem esse magnam corporibus, ad ignis tepòrem ligna adjicientes, & eum conservantes, alios adducebant, & nutu monstrantes, ostendebant, quas haberent ex eo utilitates. In eo hominum congressu, cùm profundebantur aliter è spiritu voces, quotidiana cõsuetudine vocabula, ut obtigerant, constituerunt: deinde significando res sæpius in usu ex eventu fari fortuito cœperunt, ita sermones inter se procrearunt.* Et in his Ego verbis tria valde incredibilia reperio: videlicet, Ignis inventionem, Hominum compositionem, & Vocabulorum institutionem.

De primo Igne. De prima hominum congregatione. Cur fuerit instituta?

De prima hominum lingua. Quomodo sit inventa?

Attritu sanè lignorum ignem excitari, certum est: hoc enim modo, ut Petrus Martyr scribit, etiamnum Americani barbari ignem in plurimis locis concipiunt: verùm enimverò arbores agitatas incendi nunquam vidimus, nusquam audivimus.

An ignis excitetur ex lignorum attritu?

In Historiæ Indicæ editæ Venetiis anno 1556. libr. 6. præ se fert Caput V. hunc Titulum. *Del modo che gli Indiani tengono in cavare fuoco & accendere lume senza pietra & focile, ma con un legno solamente torcendolo sopra un' altro.* Sola ergo agitatione potuêre succendi ligna.

Propter ignis commoditatem coïvisse in unum locum homines, qui priùs per montes & sylvas dispersi ferino more decurrebant, non videtur possibile: nam & carère igne poterant, & qui illo frui vellent, ad suas cavernas transportare. De hoc ipso argumento verisimilius somniat *libr.* 8. Virgilius.

Quando & cur Latini convenerint in Civitates?

Primus ab Ethereo venit Saturnus Olympo
Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis,
Composuit, legesque dedit, Latiumque *vocari*
Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.

De Latio. Vnde id nomen habuerit?

At Veritas docet Civitates cum ipsismet hominibus incepisse, primamque ædificatam à Caino, de ejus filii nomine Enochiam appellatam fuisse: quoniam in Sacro Textu lego, *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch: & ædificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Enoch.* Et post diluvium Babylonem & alias Civitates magnas & numerosas homines sunt fabricati.

Genes. 4.

Prima in mundo Civitas quæ fuerit?

Et veniendo ad Humanam loquelam, esto nesciverit Vitruvius, quæ Plato, ut nuper vidimus, non ignoravit. Esto non legerit librum Geneseos: debuit tamen, ut minimum, modum aliquem cogitare possibilem, & qui ἄπιςος non esset. Nullibi eò vênit barbaries, ut homines agant vitam singuli: quoniam parentibus adhærent filii, nepotesque, & simul degunt, qui pertinent ad eamdem familiam. Et congregatio hominum (parva aut magna) sine loquelâ stare nequit. Ergo ante illud à Vitruvio cogitatum incendiũ, antequam ob commoditatem ignis homines congregarentur, erant familiæ & cœtus hominum, qui inter se loquebantur AR-

Primę ab Adamo lingua cõponitur Genes. 2. & hæc ipsa in multas & diversas Genes. 11. dividitur.

Nunquam fuerunt homines sine aliquo idiomate.

ARTICULUS II.

De Artificialium Signorum Significatione: *Quid ipsa sit secundum suam quiditatem intrinsecam considerata?*

An, & cur addi debuerit hic Articulus?



Niversim de Signis, & unde ipsa sortiantur significationem, & per quot & quales distribuantur species, Articulus præcedens exposuit: superest, ut in hoc Artificialis significationes perscrutemur essentiã, & exesse jussis Opinionibus falsis, veram demus, & rationibus stabiliamus. Nec erit, eur aliquis dicendi ordinem incriminetur, quasi Definitioni Divisio præmittatur: jam enim Signi Definitionem Articulo præcedenti tradidimus, ipsamque in isto non destruimus, sed firmamus veriùs, & rem profundiùs meditando, novis conceptibus dilucidamus.

SECTIO I.

An Significatio in reali, rationis-ve, (simplici, an compositâ) relatione consistat?

De significatione.

An, & quotuplex relatio ipsa sit?

Plerique omnes Authores ad Relationem significationem revocant: quod etsi de Naturali dici possit, non video cur de Artificiali, quæ ad placitum est, possit verificari.

Hurtadus *disp. 8. Logic.* Significationem accidentariam & arbitrariam asserit ex triplici respectu cõponi: dictio enim significativa respicit primò intellectum, à quo imponitur, secundò personam cui significat, tertiò rem cui imponitur. Infert brutorum voces (sunt aves, & quadrupedes, quæ vocem humanam imitantur) non esse dictiones significativas ad placitum, quia Psittacus, exempli gratiâ, non utitur illis ut signis defectu cognitionis. Infert etiam verba dicta Surdo non esse signa defectu secundæ relationis; tunc enim illa verba nihil significarent, quia nemini significarent. Addit verba Idiomatis peregrini puta Hebræa dicta à Belgâ alicui Hebræo, vel ab Hebræo alicui Belgæ, vel Belgæ à Germano, modò alter, vel uterque significationem non intelligat, non esse signa artificialia. [Hîc examinet, si voluerit Theologus, an doctrinæ consequentia postulet, ut Hurtadus affirmet, Hæreses, Blasphemias, Injurias, &c. dictas Surdo, aut muris (ex impatientiâ multi loquuntur portis, mensis, lapidibus) carentes significatione voces esse; &c. qui eas proferat, non verbo, sed tantummodò cogitatione, peccare: cogitationi enim delinquenti, si verba absint, & opera, nulla censura adnexa est. Hoc breviter adnotasse sufficiat: ego enim hîc, non Theologica, sed Grammatica tracto.] Interim inter Hæreticum occultum, externum, & manifestum distingue. Et occultum dic, qui solo intellectu decredit, infidelitatem verò suam nullo signo externo propalat: externum, qui errorem externo signo aut voce profert, etsi nemo illum audiat aut intelligat: manifestum, qui coram aliis infidelitatem profitetur. Omnes hi Hæretici coram Deo gravissimè peccant: at externus & manifestus tantùm Ecclesiæ Censuras incurrunt.

An Psittacorũ & aliorũ animalium voces, quæ humanis similes, significationem habeant?

De hæresi nemine audiente pronunciata.

An habeat adnexam Censuram?

De Hæresi interna, externa, & manifesta: & Ecclesiæ Cẽsura.

Sanè, si dicerem significationem esse relationem, non quidem triplicem, sed simplicem ponerem ad salvandam essentiam significationis in actu primo. Quod, ut meliùs intelligas adverte, signum habere binos terminos; nimirùm terminum *quem*, & terminum *cui?* Terminus *quem*, est res illa, quam dictio significat; & terminus *cui*, est persona, cui vox illa objectum repræsentat. Si agamus de termino *quem* dicendum est, sicut materia prima Aristotelica est pura potentia ad omnem formã, & quando unâ informatur, aliarum quarumcumque est capax, ita vocem, secundum

De termino quem, & termino cui.

De indifferentia Materiæ primæ.

An voces sint indifferentes, ut quidquid velimus, significent?

dum se consideratam, esse indifferentem ad quamcumque significationem recipiendam; & quando unâ significatione afficitur, etiam tunc posse illam perdere, & recipere quamcumque aliam. Cæterùm, si agamus de termino *cui*, sciendum est accidere significanti voci, quod alicui significet; & posse considerari, primò, ut potentem significare alicui; secundò, ut significantem alicui; tertiò, ut loquutionem. Signum primo modo dicit relationem ad rem significatam, & hoc sufficit, ut significet aliquid, non tamen ut alicui. Signum modo secundo, nempè illud, quod significat aliquid alicui, dicit relationem vocis ad rem significatam non in ea permanentem, sed transeuntem ad personam *cui* res significatur. Nam sicut Amor medii est amor non manens in medio, sed ad finem transiens, sic significatio de quâ loquimur, est relatio, non manens in re significata, sed ad personam, cui significatur, pertransiens. Hinc est, quod vox ἄνθρωπος, quæ est signum *hominis*, significabit eum licèt à nemine intelligatur, licèt à nullo audiatur, seù dicatur ab homine, seu à Psittaco [*] non tamen significabit hominē eam non audientibus, imò nec omnibus eam audientibus, sed illis dumtaxat qui eam intelligunt. Psittacorum voces significativæ sunt, & cùm intelliguntur, etiam ipsis, qui eas intelligunt, significantes; vel dicat mihi Hurtadus; si illæ nihil significant, cur Hollandi, qui has volucres ex Indiis in Europam important, tanto studio eas docent suas hæreses? cur nos tantâ illas curâ sordes, & blasphemias dedocemus? Quæ Virgo ingenua & nobilis auderet habere Psittacum verba impudica proferentem? Ergo dicendum est, verba, positâ semel concordiâ, & hominum communi consensu, habere in se, quòd res significent, sivè ab homine, sivè à pica, vel psittaco, aut alio quocumq; agente proferatur. Verba tandem, ut ad collocutioneem pertineant, debent habere relationem ad res significatas, hancque cognitam audienti, & proferenti; colloquium enim conceptuum communicatio est, & hæc per incognita signa fieri non potest.

*] Qui psittacorum voces significatione exspoliant, deberet consequenter dicere, voces in libris scriptas nihil prorsus significare: quia minùs illas intelligit charta quam psittacus. Ergo, si omnes dicunt papyro inscriptas, aut saxo insculptas voces habere significationē, nemo illam poterit vocibus à psittaco prolatis negare.

Hæc dicta sint ex hypothesi, quòd significatio sit relatio; sed hoc non benè intelligam, quia oppositæ sententiæ Authores non exponunt.

Quid sit Relatio realis?

Primo enim relatio realis, præcipuè in Thomistarum sententia, entitas aut modus intrinsecus est, inhærens, aut existens in fundamento & realiter respiciens terminum; ad quam vel datur per se motus, vel non datur. Si dicatur hoc ultimum, asserendum est relationes non produci, sed comproduci; quia, ut paries niger albo fiat similis, non debes, nec poteris similitudinem producere, hæc enim improducibilis asseritur, sed debebis eum dealbare, & resultabit per accidens similitudo. Ergo, si hic modus philosophandi placeat, debebis dicere consensum hominem aliquid phyicum (puta substantiam, quantitatem, aut qualitatem) in voce produxisse, quo posito illa relatio significativa resultaret. Sed quis crederet consensum Græcorum à millenis annis habitum, producere etiam nunc aliquid reale in vocibus, ex quo resulter per accidens significatio?

An detur ad illam per se motus?

An consensus Veterum aliquid reale hodie producat in vocibus?

Dices illum consensum non periisse, sed etiam nunc perseverare apud illos, qui hoc idioma percallent. Benè; sed consensus, aut saltem ejus permanentia, moralis est, & effectus physicos producere non potest.

An res physica possit à moralitate procedere?

Præterea inexplicabile est, quid sit illa forma, quæ in voce à consensu communi producitur: inexplicabilis, cur vox ἄνθρωπος *hominem*, & vox λέων *Leonem* significet. Scribit *lib. 1. Rhet. ad Alexandrum* Aristoteles. *Signum est alterius ad aliud: non ad quodvis cujusvis; nec omnis ad omne: sed quod aut antè fuerit, seu quod fieri consuevit.* Ergo significatio non est una & eadem in omnibus vocibus. Ergo, quæ est in una voce, non est in aliâ. Et hæc supponens, sic discurro. Forma illa realis quæ à consensu producitur in voce ἄνθρωπος, & altera, quæ in voce λέων, vel sunt ejusdem speciei, vel diversæ. Si primum, cur λέων non significat *hominem*, & *leonem* ἄνθρωπος? nulla est assignabilis ratio: Si secundum; additur integer ordo specierum realium vocalium fine causâ. Sed adhuc hoc ordine numerosissimo admisso esto ἄνθρωπος *hominem* significet, qui homines potuerunt eam afficere tali specie? qui potuerunt eam expoliare? Non est intelligibile.

An, & cur significatio unius vocis ab alterius significatione distinguatur?

An voces sint signa naturalia?

Oportet in Signo existentiam à significatione distinguere; illa .n. & non hæc in signis naturalibus dependet ab arbitrio: utraque autem in artificialibus.

SECUNDO si asseratur ad relationem dari motum per se, dicetur aliquid, quod philosophicè defendi non poterit; sed nihilominùs adhuc eo admisso corruet opinio, quam impugno. Dico igitur ex relatione realiter significativâ (sivè ad eam detur per se motus, sive non) sequi omnes voces esse signa rerum naturalia. Fumus est signum naturale ignis, & pictura Cæsaris: quia ille habet à priori realem connexionem cum igne, & hæc à proportione. Nihilominùs pictura fit, quando placet artifici, & fumus excitatur etiam ad placitum, quapropter ille potest non fieri, hæc non delineari, sed ex hypothesi, quod dentur, debet alter ignem, altera Cæsarem significare. Ergo philosophemur analogicè: vox *ἄνθρωπος* habet relationem realem, & physicam, quâ significet *hominem*? cum igitur naturaliter & physicè significat: ergo sicut pendet ab arbitrio rustici, quod fumum excitet aut non excitet, non autem quòd fumus semel excitatus non indicet ignem; & sicut pendet à voluntate artificis, quod Cæsarem pingat, aut non pingat, non autem quod pictura semel facta illum exprimat; sic etiam pendebit à consensu humano, quod in voce *ἄνθρωπος* detur, aut non detur relatio realis, non verò quòd potiùs *hominem*, quàm *leonem* significet. Igitur, qui significationem asserit in reali relatione consistere, debet subscribere Chrysippo asserenti dictiones non quidem ad placitum, sed naturaliter significare.

SECTIO II.

An significatio sit ens rationis?

Quid & quotuplex sit Ens rationis?

INcipiamus à definitione. Ens rationis est ens cogitatum, cujus existentia intellectui debetur. Et est duplex: Alterum, quod præter existentiam objectivam, adhuc realem & subjectivam habere potest. Et tale est secundus Sol, cujus esse est merè objectivum, non enim in mundo est alter Sol, sed esse potest; & reverà esset, si produceretur divinitus. Alterum, quod præter existentiam objectivam, nullam prorsus realem & subjectivam habere potest. Et talia sunt Totum quinque quadrantes habens; major suo Toto

An in ficta & non ficta dividatur?

Pars: Vivens carens Animâ; & *ἀγώνιος* Triangulus. Rationis entia primi generis *non ficta*; secundi autem *ficta* cognominantur.

An possibilia sint Entia rationis ficta?

Porrò si agamus de ente rationis ficto, certum est vocabulorum significationem non esse ens rationis. Primò, quia talia entia non dantur: intellectus enim non nisi entia realia (actualia, vel possibilia) percipit; ut fusè & efficaciter in Paralogicâ fuit demonstratum: secundò quia licet darentur & fingerentur, non possent dictionem constituere, quia hæc non chimericè objectum significat, sed verè.

An significatio sit Ens rationis non fictum?

Si agamus de ente rationis non ficto, non philosopharetur omninò improbabiliter, qui diceret significationem esse relationem rationis, hoc est, relationem realem non quidem realiter repertam, sed conceptam intellectualiter & cogitatam inter vocem, & rem significatam. Talem conceptum esse possibilem patet; quia potest concipi homo purpureus, canis viridis, & in talibus casibus color esset non quidem realis existens, sed realis conceptus, & ab his authoribus vocaretur *Ens rationis non fictum*, quia totum suum esse, hoc est, existere haberet à rationis hypothesi: in hoc enim Ens rationis fictum à non ficto distinguitur, quòd illud, si daretur, esset forma realis concepta, ubi realiter esse non posset; hoc verò est forma realis concepta, ubi quidem non est, esse autem potest. Ideò distinctio Realis concepta inter naturam, & relationes in Divinis, & albedo concepta in Angelo, dicunt esse ficta entia rationis, quia nec Divina est capax distinctionis; nec albedinis Natura Angelica, saltem in communi opinione.

Omnes Creaturæ possibiles possent dici Entia rationis non ficta, actu enim præter esse cogitatum nihil habent.

De distinctione quæ in Divinis concipitur.

An significatio relatio realis esse possit?

Explicatur ampliùs hæc sententia. Significatio naturalis est relatio à natura rebus ipsis indita, & respiciens rem significatam. Sic fumus significat ignem, sic dies præsentiã Solis. Artificialis igitur erit relatio, & connexio concepta in signo artificiali ad rem significatam terminata. Posset Deus relationem Physicam, & realem, si ipsa realiter à fundamẽto seu relativo distingueretur, ponere in voce *ἄνθρωπος*, quã vox hæc naturaliter *hominem* significaret; homo eandem physicè ponere non potest, intellectualiter potest concipiendo

An de facto sit Relatio mutalis?

piendo infallibilem & perpetuam connexionem inter vocem ἄνθρωπος & hominem significatum. Et hæc in gratiam communis doctrinæ dicta sint; sub his enim terminis illa satis probabiliter defendi poterit.

SECTIO III.

Significationem esse transsubstantiationem moralem.

Quid sit Significatio Artificialis?

SEmper asserui significationem ad placitum esse moralem transsubstantiationem (seu potiùs transessentiationem) rei significantis in significatam manentibus dumtaxat nonnullis accidentibus.

De Transsubstantiatione physica. Quid sit, & ubi reperiatur?

Transsubstantiatio Physica accidit in Eucharistiæ Sacramento, cùm ad præsentiam Christi Domini desinit tota panis substantia, manentibus panis accidentibus. Si analogicè philosophari volueris, habebis transsubstantiationem moralem. Sed quomodò hæc instituetur Analogia. Entis Virtualis seu Moralis definitionem præmittendo. Sic inquã. *Ens Virtuale aut Morale est, quod non est re vera (seu realiter) quale dicitur, prudentum tamen decreto & suppositione ita se habet, ac si quale dicitur, esset.* Ergo stando huic doctrinæ, *Transsubstantiatio Moralis erit aliquid, quod non est realis Transsubstantiatio, etsi Transsubstantiatio dicatur; prudentum tamen decreto & suppositione ita se habet, ac si qualis dicitur, esset.* Sic Prorex, verbi gratia, moraliter transsubstantiatur in Personam Regis delegantis, quia ex vi delegationis jam moraliter, & virtualiter loquendo est Rex; hoc est licèt verè non sit Rex, ita se habet ac si verè Rex esset. Eodem protsus modo de legatis & substitutis omnibus philosophare.

De Transsubstantiatione morali.

Cur vocibus utantur homines?

Hinc infers, qui voces artificialiter, & moraliter fiant significativæ. ἄνθρωπος vox est, pro materiali dicit substantiam aëris, & pro formali sonum: *Homo* animal rationale est. Non indigerent vocibus homines, si res ipsas possent ad Scholas adducere: & quia, has adducere non possunt, illas loco istarum substituunt. Conveniunt igitur Nomenclatores Græci in hoc quod vox ἄνθρωπος ita se habeat in communi colloquio ac si esset verè homo; Ergo concedunt illi, quod virtualiter transsubstantiarunt illam in hominem. Ergo sub speciebus soni audibilis non intelligitur aër fractus, qui physicè subest: sed homo, qui subest virtualiter, hoc est, ita se habet, ac si realiter subesset.

In Efficientem, Formalemque dividitur Transsubstantiatio.

Transsubstantiatio duplex est, efficiens, & formalis. Efficiens est causæ transsubstantiantis actio; formalis motus totalis conversionis, quo prior substantia desinit esse, & in posteriorem convertitur. Et transeundo ad vocum significationem, voluntas & hominum consensus est, qui vocem ἄνθρωπος transsubstantiavit moraliter: sed transsubstantiatio formalis (hæc est significatio) non est ipsa voluntas, ut vult Hurtadus *disp. log.* 8. §. 16. Sed est conversio, & motus virtualis compositus ex desitione, & productione, nempè ille virtualis motus, quo aër, qui suberat soni speciebus, transit virtualiter ab *esse* ad *non esse*; & homo, qui ibi ne moraliter quidem erat, transit virtualiter ex *non esse* ad *esse*.

Membra dividentia exponuntur.

Quo Transsubstantiatio modo fiat?

Hæc transsubstantiatio significativa fit sub aliquibus determinatis accidentibus, quia sicut transsubstantiatio physica non postulat omnium accidentium persistentiam sed characteristicorum, sic nec transsubstantiatio moralis. Consecrata hostia mutat ubicationem, situm, tempus, relationes, & qualitatum gradus (modò enim intenditur, modò remittitur) fortè & recipit aliquas qualitates manente eâdem transsubstantiatione: quæ non maneret, si vel mutaretur quantitas, aut qualitates characteristicæ panis. Sic similiter in signo vocali requiritur sonus articulatus, (ut patet in eâdem voce ἄνθρωπος, quam sæpè resumpsimus) quo manente possunt alia accidentia mutari (verbi gratiâ, si vox fieret enarmonica, suavis, aspera; fortis debilis, remissa, intensa; &c.) sine transsubstantiationis corruptione. Non aliter in signo scriptotales linearum ductus sunt requisiti: quod isti sint pulchri, aut malè formati, modò legibiles, quod sint nigri, aut purpurei, non refert.

Quenam essentialiter, & quenam accidentaliter requirantur?

An transsubstantientur accidentia?

Dices, Benè intelligitur, quòd vox ἄνθρωπος transsubstantietur, moraliter in hominem, quia & ipsa erat substantia, & homo etiam: sed quid dicemus de vocibus, quæ accidentia significant, quales sint φῶς *lux*, λευκότης *albedo*, tunc enim substan-

tia

tia tota aëris converteretur moraliter in unum accidens ac propterea non erit transsubstantiatio?

An aliquando Essentia Substantiæ nomine intelligatur?

Respondeo primò, nomine substantiæ non intelligi impræsentiarùm physicam, sed metaphysicam; hoc est, rei quiditatem, ac propterea me in ipso meæ Resolutionis principio Transsubstantiationem, & Transessentiationem conjunxisse, ne hæc replica moveri posset. Addo substantiæ nomine me non abuti, cum essentiæ id approprio; eodem enim illud accipitur sensu in his vulgatissimis definitionibus. ÆQUIVOCA *dicuntur, quorum solum nomen commune est, & ratio substantiæ secundum illud nomen diversa*. UNIVOCA *dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem*. ANALOGA *dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ secundum illud nomen, partim est eadem, & partim diversa*. Sic loquitur Aristoteles; sic & ejus discipulis sic P. Philippus de Sanctissimâ Trinitate *in summ. Philosophiæ part. 1. qu. 10. art. 1. 2. & 3. pag. 84. & 85.* Hurtadus *disp. 10. Met. §. 6.* Complutenses *disp. 12. log. qu. 1.* & cæteri passim Authores. Ex quibus infero, significationem hujus vocis φῶς esse transsubstantiationem, quâ substantia aëris sub illa articulatione latentis moraliter convertitur in substantiam, hoc est, in quiditatem lucis.

De Aequivocis, Univocis, & Analogis. Quo modo ab Aristotele, & ejus discipulis definiantur?

Respondeo secundò, dari etiam transsubstantiationem, licèt nomen *substantia* physicè, & rigorosè sumatur; quia ille motus est à substantiâ in accidens, ac propterea poterit dici substantialis, nam, & ipsa conversio Eucharistica, cujus terminum ad quem, qui in opinione multorum est substantia (nimirùm Christus, qui sub speciebus reproducitur) in opinione aliorum est modus (nimirum præsentia Christi positi sub speciebus, non actione reproductivâ, sed adductivâ) semper dicitur *Transsubstantiatio*; sufficit enim terminum à quo esse substantiam, ut conversio illa taliter denominetur. Ita habet Bellarminus apud Vasquez *3. part. disp. 181. num. 18.*

An à termino à quo possit motus denominari?

Actione-ne reproductiva, an adductiva Christus sub species Eucharistiæ ponatur?

Addo tertiò, me non esse solicitum de voce ipsâ, modò de re nulla sit disceptatio; Si non placeat moralem istam conversionem, per quam tota substantia vocis φῶς in entitatem lucis, quæ est accidens, virtualiter & politicè transit, *Moralem Transsubstantiationem* dicere, eam *Transessentiationē*, aut fortè *Transquiditationem* novo vocabulo appellemus; sed eùm non urgeamur nova invenire, suaderem *Trasubstantiationis* retinere vocabulum.

De vocibus non est disputandū

OBIICIES. Tunc philosophamur benè, quando de moralibus agimus moraliter, ut de physicis physicè: Atqui nunquam substantia physica convertitur in physicum accidens physicè: Ergo neque moraliter. Consequentia est legitima; Major est certa, quia aliàs moralitates omnes essent fictiones, & chimæræ: Minorem probas: Quia non habemus aliam transsubstantiationem physicam, quàm Eucharisticam, in hac autem non substantia in accidens, sed substantia in substantiam convertitur.

Fundamentale Philosophiæ & Theologiæ Moralis Protheorema. *Oportet sicut de Physicis physicè, sic etiam de Moralibus, Virtualibus, & Civilibus, moraliter, virtualiter, & civiliter philosophari.*

Respondeo primò, non videri ignotam in Philosophiâ conversionem substantiæ in Accidens: quotquot enim cum Scoto admittunt Corporeitatis formam, & Cadaveritatem (formam Cadaveris) meram esse Animæ, quæ præexistebat, absentiam, tenentur necessariò dicere in Animalis morte præcedentem ejusdem Animam in Privationem (quæ vilius quid est Accidenti) aut etiam in accidentia, quæ hanc ipsam Privationem comitantur, converti. 38

An detur forma Corporeitatis?

An Cadaverina sit mera privatio?

Respondeo secundò esse de conversione Eucharisticâ plures sententias: Fortè enim non producitur Christus in Eucharistiæ Sacramento, sed adducitur: &, si adducitur, in præsentiam potiùs, quàm in substantiam dirigi conversionem.

Respondeo tertiò positâ Christi Eucharisticâ reproductione; & assero res morales esse Analogas & similes rebus Physicis, non solùm existentibus, sed etiam possibilibus. Quis autem ostendet Deum non posse totam substantiam panis convertere physicè in albedinem Christi, manentibus panis speciebus, sub quibus fieret hæc mutatio?

An posse Deus Substantiam convertere in Accidens.

Hinc patet, dictionis in actu signato sumptæ Significationem esse transsubstantiationem moralem cognitā ab institutoribus: debereque illi innotescere, cui dictio significat aliquid in actu exercito: & tandem non posse dici *loquutionem*, nisi à collo-

Quid denique sit significatio?

An Sacramenta omnia sint Signa?

loquentibus intelligatur.

Dictio igitur Sacramenta esse signa instituta à Domino nostro Iesu-Christo, & signa artificialia, seu ad placitum, esse similia Eucharistiæ: Quia sicut sensibilia accidentia, quæ in Hostia cõsecrata percipiuntur, sũt signum; & præter speciẽ, quam oculis, aut aliis sensibus, ingerũt, faciunt nos in Christi substantiis notitiã devenire; ita etiã servatâ analogiâ vox

Quid Signum sit?

φῶς signum erit, quia præter speciẽ, quam auditui ingerit, conducit nos ad cognitionem lucis, moraliter sub eâ substantis.

De Significatione, Adloquutione, & Colloquutione.

Hinc constat in dictione, seu quolibet signo arbitrario, aliud esse vocem significare talem rem, aliud significare rem tali personæ, aliud significare talem rem tali personæ per modum loquutionis: Primum pendet à Nomenclatoris instituto: Secundum ab audientis notitiâ: Tertium à notitiâ dicentis, & audientis simul.

SECTIO IV.

An dictiones possint significare rem perfectiùs, quàm ab imponente intelligitur?

Proponitur duplex sententia, & citantur Authores, qui hanc vel illam propugnant.

NEgavit D. Thomas 1. part. qu. 13. art. 1. & cum eo ejusdem Discipuli, Cajetanus, Bañez, Zumel, Nazarius, & alii ibid. Habuerat hanc etiam opinionem Sanctus Doctor 1. *contr. Gent. cap.* 30. & Ferrariensis *ibid.* Quibus Henricus *in summ. art.* 73. *quæst.* 9. Alensis 1. *part. quæst.* 48. *membr.* 1. Altrisiodorensis *libr.* 1. *summ. ca.* 3. Suarez *disp.* 30. *Metaphys. sect.* 13. & *in* 1. *part. tract.* 1. *libr.* 2. *cap.* 31. Fonseca 2. *Metaph. cap.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 4. Valentia *punct.* 1. *qu.* 13. Hurtadus *disp.* 8. *Logica sect.* 2. §. 11. Franciscus de Oviedo *contr.* 8. *log. punct.* 3. *num.* 5. nec non Durandus, Argentinus, Capreolus, Bonaventura, Richardus de Mediâ Villâ, Basolis, Marsilius, & alii *in Magistrum libr.* 1. *sentent. dist.* 22. Fasolus & alii multi Recentiores subscribunt. Oppositam sententiam (asserentem videlicet) tuetur Scotus *in* 1. *dist.* 22. cui adhærent Gabriel, Ochamus, & multi alii: Itemq; Vasquez *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 57. Molina *in* 1. *part. quæst.* 13. *art.* 1. *disp.* 2. Tannerus *tom.* 1. *disp.* 2 *qu.* 7. *dub.* 6. *num* 5. Et ex Thomistis Sylvester apud Fasolum, & alii. Hurtadus *disp.* 8. *Log.* §. 24. vult omnes ad concordiam reducere, sed videtur subscribere potiùs D. Thomæ.

Rem per vocem significatam potest Auditor cognoscere clariùs & meliùs, quã Nomenclator.

Pro intelligentiâ hujus difficultatis demus casum. Imponit Lælius avem aliquam thecæ: supervenis, ex motu cognoscis in eã esse aliquod captivum animal; non tamen, an sit quadrupes, aut avis, distinguis. Accersitur Nomenclator Cicero, & solùm percipit ibi esse singulare aliquod corpus, quod denominat *Clusum*. Hoc nomen supponetur pro illo individuo corpore, quod in arcâ clauditur, & significabit Nomenclatori rem quà corpoream, tibi quà viventem, Lælio quà volucrem: Significabit igitur rem perfectiùs quã à Nomenclatore cognoscitur.

Probatur uno & altero exemplo,

Hinc constat nomina *Deus*, *Angelus*, *Anima*, & alia his similia, significare illas substantias, qualescumque ipsæ sint, licet à Nomenclatore non sint perfectè cognitæ; nec olim hæc nomina mutari necessariò debere, licèt illæ perfectiùs cognoscantur. Invenit brutum ignotæ speciei rusticus, & vocavit *Armillion*, hoc examinatur à Medicis, & viris peritioribus; meliùs ab his cognoscitur, sed eodem nomine indigitatur; quia inventor id, cujuscumque naturæ esset, *Armillion* nominavit.

Alio adhuc exemplo eadem Conclusio persuadetur à Lyceo,

Exemplum simile, ut hanc ipsam conclusionem persuadeat P. Richardus Lyncæus *in Philos. tom.* 1. *libr.* 6. *cap.* 3. *num.* 49. *pag.* 216. *a.* proponit. Asseritque nostram in aliquo casu sententiam, veram esse posse per accidens: & ideò ait, [Voces per accidens rem significare posse perfectiùs audienti, quàm imponenti vel proferenti. Siquidem significare est ducere in alterius cognitionem: atqui voces per accidens ducere possunt in perfectiorem rei cognitionem, quàm sit illa, quàm institutor in se præhabet: Vt si Rex Philippus imponat nomen (*Isabellea*) regioni alicui de novo detectæ, quam nunquam lustravit, aut vidit; sanè nomen illud prolatum coram novæ telluris accola perfectiorem in eo cognitionem excitabit, quàm ea est, qua Rex est præditus, aliquam enim in eo excitat: non aliam, quàm perfectiorem, cùm in eo duplicem cognitionem ejus provinciæ nec utile, nec necesse sit excitari: Quod autem ea cognitio non beneficio ejus solius nomi-

nominis à Rege prolati, & impositi, sed insuper vi specierum, & cognitionis habitualis in novi orbis accola prius existentis excitetur, non obest quominus nomen in ordine ad perfectionē illam cognitionē significet, aliàs nulla vox quicquam significaret, cùm nulla se sola significet, nulla non? in consortio habituum, & specierum, quæ simul cum illa ad cognitionem concurrunt.]

An alia species cum auditione vocis ad objecti cognitionem concurrant?

Est verum, quod per accidens, & non per se, clariùs rem intelligat interdum audiens, quàm, qui nomen imposuit. Vt autem id persuadeat Lynceus, hypotheses sine causa multiplicat, & aliqua supponit, quæ falsa. Adsumit præcipuè quatuor Afferta, aut Præjudicia veriùs, quæ proderit considerare. Nam dicit *Primò*, voces, quà significativas, ex vi suæ impositionis, non tantum respicere certum & determinatū objectum, * sed etiam certam quamdam claritatem, ac destinatum modum cognoscendi. *Secundò*, voces significare per se in ordine ad solam illam cognitionem, quam merito suæ impositionis spectant: * si quando verò, aliam perfectiorem excitant, in ordine ad illam per accidens tantum esse significativas. *Tertiò*, voces munere suæ impositionis respicere solùm illum cognoscendi modum, quem imponens exteriùs manifestarit, quem-ve audita voce excitari voluerit, & ita se velle docuerit. *Quartò*, neminem posse exteriùs velle & docere, ut alius audita voce aliqua certam & determinatam cognitionem rei concipiat, quæ sit perfectior ea, quam ipse vocis institutor præhabet: * esto id occultè & mentaliter intendere possit, *&c.* At in omnibus adsumit, quod quæritur; & supponit, quod deberet probare.

Afferta, quæ supponuntur à Lynceo, & tamen deberent probari.

In his Affertis Stellula primā partem à secunda distinguit.

Dictum primum est falsum: & ejus loco hoc substituo. *Voces, quà significativa, ex vi sua impositionis tantum modò objectum respiciunt, & cognitionis modum, aut claritatem non includunt.* Est mihi manifesta: & si est vera, omnia quatuor Lyncei Afferta magna ex parte sunt falsa. Illam autem sic probo.

Vera doctrina contra Lynceū.

Sicut nos res intellectas verbis, sic campanæ sono dicendas esse Vesperas Sacrista; aut tubæ clangore in turri Vigil se videre advenientes ad civitatem homines potest significare. Sed campanę sonus per horā & diem ralem restrictum, vi antiquæ institutionis & præsentis pulsationis rantummodò significar esse dicendas Vesperas, non autem claritatem qua vel institutor, vel pulsator cognoscit easdem Vesperas. Sed & tubæ clangor, ad equos, aut pedites per tale vexillum [*] restrictus, vi antiquæ institutionis & præsentis inflationis, tantummodò significat ad civitatem peregrinos accedere, non autem visionis claritatem, qua Gubernator, qui jubet, aut Vigil, qui in specula manet eosdem peregrinos prospectat. Ergo vox περιστερά, ex sua institutione & loquentis intentione columbam significabit tantùm; non autem claritatem, qua vel qui olim vocem instituit, vel nunc eam profert, cognoscit naturam & passiones columbæ.

De sono campanæ vel tubæ.

An, & quomodo sonis campana significatio restringatur?

*] Francandalia anno 1643. vexillo albo pedites, & rubro equites, eorumque numerum inflationum numero in turri Vigil significabat.

Περιστερά, Columba.

Præterea: possum ego si Rubricas & Canones directionem Divini Officii concernentes percalleam, meliùs cognoscere potero, de quo Sancto, & qua solennitate sint hodiè celebrandæ Vesperæ, quàm Patriarcha, qui hunc ritum instituit, quàm Prælatus, qui præcipit, quàm Sacrista, qui campanas pulsat. Et possum ego, si fortiorem & acutiorem visum habeam, Vigilis clangore monitus, murum adscendere, & advenientes illos exteros clariùs, quàm ipse Vigil, prospectare & distinguere. Ergo si Philosophus sim, audita voce περιστερά, potero meliùs, & distinctiùs Columbę naturam & ejus proprietates cognoscere, quàm Nomenclator olim, aut nunc ille, qui colloquitur mecum.

N. B.
Audita voce *columba* & columbam cognosco, & illam tanta aut tanta claritate & perfectione cognosco: ab auditione vocis ex significationis notitia provenit illud prius, ab speciebus & Philosophicis notitiis, quas meus intellectus habet, hoc posterius.

Ergo, quia ex vi suæ institutionis aut etiam pronunciationis res ipsas, non autem cognitionis modum aut claritatem quā res illas aut cognoscebat Nomenclator, aut cognoscit, qui loquitur, voces prolatæ, aut scriptæ, significant, poterit contingere, ut Nomenclator, & qui loquitur, clariùs rem dictam cognoscant, quàm auditor poterit contingere, ut obscuriùs. Ergo neutrum institutionem, neutrum prolationem, neutrum vocis significationem concernet. Ergo alterutrum, si fortè contingat, erit contingens & per accidens.



SEC-

SECTIO V.

An voces significent immediatè res ipsas, an mediatè?

Proponitur Quæstio.

Conceptus *Homo* hominē significat propriè, & immediatè. Peritur *An vox* Homo *significet immediatè ipsum hominem, & æquivaleat conceptui* Homo; *an verò significet immediatè conceptum, & medio conceptu ipsum hominem?*

Quid sentiat, & doceat Aristoteles?

Consentiunt illi Patres Veteres.

D. Thomas & multi Recentiores adhærent.

Putavit Aristoteles conceptibus significari res, vocibus conceptus, & scripturis voces. Ita etiam Peripatetici. Subscripsit illi S. Augustinus *libr.15.de Trinit.cap.*11.inquit enim expressè. *Verbum; quod foris sonat, signum est verbi, quod latet intus.* Adhærent Damascenus *libr.1.Fidei Orthod. cap.*17. Gregorius Nyssenus *de homin.creat.cap.*9. Basilius *homil.in* 1. *Ioann.* Ambrosius *in Hexam. cap.* 9. Philo Iudæus, Plotinus, Alexander Aprodisiensis, Albertus Magnus, Averroës &c. Consonat S. Thomas 1.*part.qu.*13.*art.*1. & rursus *ibid.qu.* 84. *art.*2. ubi ad mentem Aristotelis ait; *Philos. dicit* in 1. Periher. *quod voces sunt notæ earum, quæ sunt in animâ passionum. Sed voces significant res intellectas; Id enim voce significamus, quod intelligimus. Ergo ipsæ passiones animæ, scilicet species intelligibiles, sunt ea, quæ intelliguntur in actu.* Et posteà *part.*1.*qu.*85. *art.* 5. subjungit. *Voces significant conceptiones intellectus, ut dicit Philos.* in 1.Periher. *sed in vocibus est compositio, & divisio, ut patet in Propositionibus affirmativis, & negativis. Ergo intellectus componit, & dividit.* Similia habet *qu.*8.*de post.art.*1. Adhærent Angelico Doctori Petrus de Bruxellis *lib.*1.*de Interpr. qu.*1.*art.*1. Bonaventura *in* 1. *dist.*22.*art.*1. Durandus, Ægidius, Richardus de Media-Villa *ibid.qu.*1. Vallius *libr.*1. *peribern.qu.*1. Fassolus *in* 1.*par.qu.*13. *art.*1. *dub.*1. Albertus *tract.* 2. *cap.*1. Dominicus de Flandriâ 4. *Metaph. qu.*7.*art.*4. & alii. Et denique Boëtius *libr.*1.*peribern.* tam crudè Aristotelis sententiam tuetur, ut asserat nullo vocibus modo res ipsas, sed intellectuales conceptus tantummodò significari.

Voces prolatæ res ipsas, & non conceptus intellectus significant.

Sentio nihilominùs res ipsas immediatè vocibus significari: & Petro Hurtado *disp.*9.*Logicæ sect.*3. Roderico de Arriaga *disp.*15. *Logic.sect.* 2. Francisco Alphonso *in summul. libr.*1.*cap.*6.*num.*14. Francisco Oviedo *contr.*8.*Logic.punct.*3.*nu.*7. Ochamo *in* 1. *dist.* 22. *qu. unic.* Smiglerio *disp.*12.*qu.*1. Soario *in* 1.*part.tract.*1. *libr.*2.*cap.*31.*num.*6. Fonsecæ 2.*Metaph.cap.qu.*2.*sect.*4. Vasquezio *in* 1. *part.disp.*57.*num.*8. & *disp.*55. *cap.*3. & aliis Doctoribus, qui asseverant solas res primariò & directè vocibus significari adhæreo.

Rem hanc accuratiùs Recentiores, quàm Veteres examinarunt.

Richardus Lynceus *tom.*1. *libr.*6. *tract.*1.*cap.*3.*n.*40.*pag.*214.*b.* utramq; sententiam involvit, jubetque vocibus, ut primariò & directè res ipsas, & conceptus significent; Bassolio *in* 2.*dist.*22.*quæst.*1. *art.*1. Soto *libr.*1. *Summul.cap.*2. Ianduno *libr.*1.*de Interpr. quæst.*1. Henrico *in summ. art.* 37.*qu.*6. Conimbricensibus *libr.*1.*de Interpr.cap.*1.*qu.*3. & aliis viris doctis subscribens.

Quænam vera sententia sit?

Tu autem, si veritatem amas, secundæ sententiæ, quam ego propugno, subscribe: qui enim aliter statuunt, aut laborant æquivoco, aut nimium Aristoteli deferunt. Pronuncio enim, tam conceptus; quàm voces, & scripturas esse æquipollentia signa, res ipsas immediatè significantia. In vocibus synonymis non dicemus vocem *Gladius* significare vocem *Ensis*, hanc ipsum instrumentum ferreum, quod est *Ensis*; sed dicemus hoc immediatè à vocibus *Ensis*, & *Gladius* significari; has autem esse synonymas, hoc est, æquipollentes. Sic similiter; vox *Homo*, conceptus *Homo*, scriptura *Homo* latinè, ἄνθρωπος Græcè, אדם *Adam* Hebraicè, ipsammet hominis quidditatem significant propriè, & immediatè, & inter se non habent ordinem, sed sunt æquivalentes; sicut enim verba Latina non significant verba Græca, sed æquivalent verbis Græcis; sic etiam nec vox conceptum, nec scriptura vocem significat, sed æquivalent omnes sibi ipsis. Et hoc, me judice, tam verum, & tam clarum est, ut qui contrarium dicunt, videantur aut ad mentem Aristotelis loqui, aut non velle, (vel fortè non posse) intelligere difficultatem. Assentior Scoto *in* 1. *dist.*27.*qu.*3. Gabrieli *ibid. dist.*22. *qu. unic. art.*3. & aliis docentibus per voces non mentis conceptus, sed res conceptas tantùm significari.

Synonyma sunt voces æquivalentes, remque immediatè significant: non autem altera significat alteram.

Cur aliqui contrariam Opinionem propugnent?

Dices. Hæ voces *Cognitio*, *&c*

An, & quando voces conceptus possint significare?

prehensio, *Verbum Mentis, Iudicium, Discursus, Ratiocinatio*, & similes significant directè conceptus, Ergo fallitur Scotus, & nos cum ipso, asserentes, res tantùm vocibus, & conceptus non exprimi.

De peccandi generibus. Peccant homines, cogitatione, verbo, & opere.

Et ego ante Responsionem etia esse peccandi genera cum sententiâ communi receptâ à Theologis universis suppono. Et peccare homines assero cogitatione, verbo & opere. Peccat cogitatione, qui consensu; qui decrevit peccare: verbo, qui vocali aut reali persuasione proximum in peccatum inducit: (nam omnia hominis opera vocem habent: bona enim sunt exemplo, mala scandalo) opere, qui rem ipsam perpetrat, quam leges inhibent. Et hac doctrinâ præmissa interrogo; *Quo peccet modo Titius, qui articulos Fidei decredit? quo Sempronius, qui sciens & volens mentitur?* Videretur enim peccare cogitatione Titius, verbo Semphronius. At ego dico, utrumque opere peccavisse: nam uterque rem interdictam perpetravit: hæresis enim est opus, quod mente perficitur; & mendacium, quod linguâ.

Horum peccatorum differentia explicatur.

Et similem æquivocationem impræsentiarum inveniemus: rerum enim nomine objecta intellecta, & conceptuum nomine intellectiones, quibus illa concipimus, significamus. Quando ego autem linguâ vocem *Discursus* profero, habeo in mente unum actum, cujus objectum (hoc est, res significata) est Discursus, actus autem, quo concipio Discursum, non est Discursus, sed simplex apprehensio; & hanc vox *Discursus* non significat, sed illi æquivalet. Majoris igitur claritatis gratiâ nostram sententiam ad verba sequentia reducamus.

Quid rerum & conceptuum nomine intelligaque?

Cognitio discursus simplex apprehensio est.

Συνόψις, totâ hujus Articuli doctrinâ ad Compendiû reducente.

I. *Voces æquivalent conceptibus; habent enim idem objectum; & quod naturaliter conceptus exprimunt, id ipsum ad placitum voces exponunt.*

II. *Voces non significant actus mentis intelligentes, sed res conceptas & intellectas; quæ etiam possunt esse mentis actus; nam operationes Intellectus possunt & solent ab ipsomet Intellectu cognosci.*

NOTA.

Quid sit Sonus?

Sonus, *Vox*, *Dictio*, ut jam diximus, differunt inter se: omnis Vox Sonus; non autem omnis Sonus est Vox, nec omnis Vox est Dictio: quoniam Sonus est aër fractus ex collisione duorum corporum: nam & venti & inanima instrumenta sonos edunt. Voces emittunt animantes: nempe, canes, cùm latrant; boves, cum mugiunt; equi, cùm hinniunt; & homines etiam, cùm gemunt. Dictio est vox aliquam rem significans. Vnde pro materiali dicit vocem, & significationem pro formali. Cùm autem Significatio sit attributum omnibus partibus Orationis commune, de illâ hoc primo Articulo debui accuratiùs, aut etiam occulatiùs differere.

Quid Vox?

Quid Dictio?

An, & cur Catholici doctiores sint Hæreticis & Infidelibus?

Ethnicis & Hæreticis sumus Orthodoxi doctiores, non in Divinis tantùm, sed etiam in rebus Humanis; nam ad multarum rerum naturalium cognitionem ex mysteriis revelatis per necessariam consequentiam venimus. Suspiciam ergo & adorabo venerabile Eucharistiæ Sacramentum, in quo panis & vini substantia per realem transsubstantiationem in 12
Corpus & Sanguinem Domini Nostri Iesu-Christi convertitur: & per analogiam discurrâ de transsubstantiatione morali, seu vistuali: insistendo Protheorematî illi universalissimo, *Sicut de Realibus realiter, sic etiam de Moralibus moraliter, & de Virtualibus virtualiter est philosophandum*. Ergo ne festinemus, sed per singulas circumstantias discurramus, examinabit.

Transsubstantiatio Eucharistica nos manuducat, ut Significationem vocum radicitùs intelligamus.

SECTIO VI.

An hæc virtualis transsubstantiatio, quâ substantia vocis significantis in rem significatam transit, sit conversio totalis?

An in Eucharistia fiat conversio totalis?

IN Sacramento Eucharistiæ tota substantia panis, & tota substantia vini in Corpus & Sanguinem Domini Nostri Iesu-Christi convertitur manentibus duntaxat speciebus: non enim post Consecrationem manet realiter panis & vinû & cum eis Christus penetratur, ut multi Lutherani delirant: nec manet panis & vini materia, ut accidentia successe, quod videtur asseruisse Durandus: sed panis & vini substantiæ desinunt, illisque sub eisdem speciebus Corpus & Sanguis Domini Nostri Iesu-Christi succedunt: quam ob

An post consecrationem maneat panis & vinum? An materia prima?

ob rem ista realis conversio dici debet totalis.

An significatio sit conversio totalis?

Sic similiter. In dictione *Leo*, cùm profertur tota vocis (aëris fracti) substantia virtualiter convertitur in leonem manentibus dumtaxat sensibilibus (audibilibus) speciebus: non enim in dictione *Leo* manet virtualiter substantia vocis (aër fractus) cum quâ virtualiter leo significatus penetretur: nec manet vocis (aëris fracti) materia, quæ virtualiter accidentia audibilia succollet: sed tota substantia vocis (aëris fracti) virtualiter desinit; illique sub eisdem speciebus virtualiter succedit leo: quam ob rem hæc virtualis conversio debet *totalis* nominari.

SECTIO VII.

De Quantitate continuâ. *An sub quâcumque parvâ dictione, aut ejus parte, res significata, virtualiter contineatur? An sit tota in tota dictione, & tota in qualibet dictionis parte?*

An substantiæ habeant terminos magnitudinis & parvitatis?

EST communis Peripateticorum Resolutio substantiales formas habere terminum magnitudinis & parvitatis: quæ doctrina, tametsi in substantiâ inanima impugnari possit; in eâ, quæ animata est, videtur manifesta & clara. Nam, si agamus de parvitatis termino, Materia, quæ informetur ab animâ, esse debet organica, & habere tubos, per quos se insinuet alimenta. Hæc habent determinatam crassitudinem. Ergo illi, si tam subtiles sint, ut alimenta non possint transire, non erunt apti. Ergo subtilissimâ aquâ, quâ nullum alimentum subtilius, non possunt esse subtiliores. Si de magnitudinis termino disseramus, Anima finitas vires habet, ergo esse non debent tam ponderosa membra, ut ab illa moveri non possint. Ergo, cùm formæ panis & vini ad gradum vegetativum spectent, dicendæ sunt habere terminos magnitudinis & parvitatis. Si hos habeant, ultra & citra has determinatas quantitates, nec panis, nec vinum esse poterunt: nec id, quod nec panis, nec vinum est, poterit consecrari. Quam ob rem, aliud est quærere, *An sub quacumque magna quantitate possit, aut panis coqui, aut vinum fieri?* & aliud, *An, si reverà panis & vinum esset, in quacumque magnitudine consecraretur?*

An in quacumque quantumvis magna quantitate valeat consecratio?

Illa enim Quæstio prior ad Philosophiam Naturalem & Artificialem spectat; nec enim panis, quantus his mons est, pinsi aut coqui posset; nec calix, qui vinum, stagni aquæ æqualem, contineret, posset elaborari. Interim, si talis panis, aut talis calix vino plenus daretur, validè consecraretur. Ita D.Thomas *opusc.* 59. & 3. *part. qu.* 74. *art.* 2. [*] ejus sententiam certissimam esse ait Leander *part.* 2. *disp.* 8. *qu.* 80. *pag.* 141. & pro illa Durandum, Sotum, Henriquez, Scotum, Ledesmam, Gabrielem, Cajetanum, Suarium, Vasquezium, Valentiam, Bonacinam, Hurtadum, Granadum, Lugonem, Ochagaviam, & Cornejum adlegat. Et ratio fundamentalis eorum est; Nam Dominus noster Iesus-Christus, quando Sacerdotibus consecrandi potestatē concessit, non limitavit eam ad tantam, aut tantam quantitatem. Ergo validè consecrare poterunt, quātam velint. Et consultò illud *validè* pono, nam ut consecrent *licitè*, debent obedire legibus præscriptis ab Ecclesia. Et hæc de Magnitudine adnotasse sufficiat.

[*] Interim cōtrariam partē Alexander, Bonaventura, Major, Angelus, & Paludanus apud Henriquez, Hurtadum & Leādrum tuentur, & ad præsentiam recurrūt; nam, si in vinū verteretur Oceanus, illud quod in freto Magallanico flueret hic existenti Præsbytero præsens non esset.

An post divisionem sub minutissimis partibus Christus maneat?

Dicamus aliquid de Parvitate. Si Hostia consecrata, in tam minutas partes, aut pulveres attereretur, ut panis accidentia desinerent, sub illis pulveribus, sub quibus panis substantia esse non posset, Corpus Christi non esset.

Materia consecrabilis, & sensibilis, & præsens esse debent

Accedit, quod materia consecrabilis esse debeat sensibilis & præsens: videlicet per se, vel per aliam. Unde, si tam sit parva, ut non sit sensibilis; aut tam distans, ut non censeatur præsens, non poterit demonstrari pro nomine *Hoc*, ac propterea nec poterit consecrari. Asserit illud prius Leander *part.* 2. *disp.* 8. *qu.* 81. & apud ipsum Suarez, Vasquez, Hurtadus, Lugo, Granadus, Cornejus, & etiam Dicastillus *dub.* 13. *nu.* 236. Hoc autem posterius idem Leander, qui *ibid. disp. cit. quæst.* 54. & S.Thomam, Durandum, Paludanum, Sotum, Victoriam, Suarium, Vasquezium, Granadum, Ægidium, Ochagaviam, & Dicastillum adlegat.

Panis & Vinum habent tria genera partium

De communibus & civilibus partibus,

Partes panis, & vini sunt Civiles, Reales, sensibiles, Ecclesiasticæ, ac Chymicæ. Sub omnibus ante separationem substat Dominus Noster Iesus-Christus. Post divisionem verò? *Partes Civiles*, sunt communes,

nes, & quæ possunt industria humana fieri: Si sint tam parvæ ut sub illis forma panis, aut vini remanere non possit, facta separatione desinet sub illis esse Christus: nam species in casu per solam divisionē corrumpuntur. Si tantæ sint, ut sub illis panis, aut vini forma possit perseverare, erunt toti homogeneæ, & sub illis post separationē manebit Corpus Christi, vel Sanguis. Partes Civiles & Reales eædem sunt, & à sensibilibus distingui debent: quoniam, si Hostia consecrata in tam minutas partes tereretur, ut singulæ sensum effugerent, si tamen sub singulis, si non esset Hostia consecrata, forma panis maneret, manebit sub illis Corpus Domini. Ita post Concilium Florentinum *in Decret. Eug.* & Tridentinum *sess. 13. can. 3.* docent omnes Doctores, ut scitè Cornejus *in 3. part. qu. 74. disp. 2. dub. 2.* Dicastillus *disp. 2. dubit. 13. num. 229.* & alii affirmant. Nec contrarium Major *in 4. dist. 11. qu. 3.* scripsisse videtur, quoniam doctrina, pro qua solet citari, in aliquibus ejus Codicibus non reperitur. Vide Suarium *disp. 43. sect. 8. in fin. Partes Ecclesiasticæ* in solo Calice inveniuntur: nam ex præcepto Ecclesiæ vino immiscetur aqua. Non examino hîc, an aqua in vinum converti possit, nam hoc videntur negare plurimi, à quibus sunt experimenta: at illorum propono sententiam, qui affirmant, si aqua nondum in vinum sit conversa, quando verba consecrationis dicuntur, in Christi sanguinem immediatè converti: nam ad vinum lymphatum (*Hisp.* vino aguado) quod usuale est, non requiritur ista conversio. Ergo in casu erit sanguis sub speciebus vini lymphati. Ergo Angelus illam particulam separet, quæ erat aquæ: separata non erit vinum, sed pura aqua, & ideò non continebit Christi Sanguinem. Partes *Chymicæ* sunt, quæ separantur arte Chymicâ. Est autem χυμὸς, *succus.* Vnde χυμεία, scientia, quæ succos separat. Et addito articulo Arabico, אל, *al*, hodiè vulgò nominatur *Alchimia* [quam Mersennus vocem, & alii viri docti nobiscum per *y* scribunt: Passeratius *in Calep.* & alii per *i.*] Porrò hujusmodi partes sunt heterogeneæ: & *Sal, Sulphur,* & *Mercurius* dicuntur. Cùm autem nulla ex illis, si à vino extractæ, vinum sit, sub nullâ ex ipsius post separationem manebit Sanguis Domini Nostri Iesu-Christi. Cæterùm, quia ante separationem constituunt vinum, ante separationem totus Christus est sub illis partibus. Et eodem modo de panis Chymicis partibus philosophabimur. [Sed hîc obiter nota, Ioannem Helmontium, Medicum Seniorem Bruxellensem, asserere, istas Chymicas partes non præexistere in corporibus Physicis, sed ignis vehementiâ produci: hoc est, omnia physica corpora, sicut in cineres & calcem, sic similiter in eas converti.]

An per solam specierum in minutissimas partes divisionem esse sub illis Christus desinat?

De Ecclesiasticis partibus.

An aqua convertatur in vinum?

An immediatè aqua in sanguinem convertatur?

De partibus Chymicis.

Chymica, ne, an Chimica sit scribendum?

An partes Chymicæ in corporibus physicis ante dissolutionē præexistant?

Nec aliter de dictione *Leo* philosophabor. Habet terminos magnitudinis & parvitatis: imò consistit in indivisibili: quoniam, si vel literam addas, vel demas (puta, si *leor*, vel *le* dicas) tollitur significatio.

An dictio habeat terminos magnitudinis & parvitatis?

Sed objicis. Nulli sunt, inquis, in dictionibus termini magnitudinis, aut parvitatis. Non parvitatis: nam multæ sunt dictiones monosyllabæ, multæ etiam monogrammatæ. Nomina sunt *As, Æs, Sol, Sal,* &c. Pronomina, *Hic Is,* &c. Verba *Sum, Do, Sto,* &c. Participia, *Ens, Dans, Stans,* &c. Propositiones, *A, Ab, Ad,* E, Ex, *Ob, Sub,* &c. Adverbia *Clam, Cras, Hic* &c. Interjectiones *Ah, Proh,* &c. & tandem Conjunctiones *Et, Nec, Vel,* &c. Dictio igitur in unicâ syllabâ, aut literâ potest salvari. Sed neque habet terminos magnitudinis; nemo enim leges dictioni posuit, ut tot literas habeat, & non plures. Esse aliquas dictiones longissimas percipimus; & ne multis te onerem, sumam unam ex Plauto. Introducit, nescio quem, dicentem, *Tam longum est nomen meum, ut ab aurorâ usque ad conticubiam noctem, si ambules, vix ad finem pervenies.* Vnde concludit senex, *Opus est face, & Viatico ad tuum nomen, ut praedicas.*

An dentur dictiones monosyllabæ.

An habeant magnitudinis terminos?

Nomen longissimum.

Respondeo duas in Objectione Quæstiones toto cœlo differentes confundi. Aliud enim est quærere, *Vtrùm forma substantialis habeat determinatos terminos?* Et aliud, *Vtrùm terminos habeat talis forma?* Plura enim organa nobilior, quàm forma imperfecta requirit. Esto, nulli sint termini, quibus aut minores, aut majores aliqua alia forma non requirat, hæc autem forma determinata istos sibi, & non alios præscribet. Sic etiam de dictionibus philosophabimur. Nam licèt dictio, ut sic terminos

Aliud est quærere de forma ut sic, aliud de tali forma.

minos nullos habeat; dictio talis (quæ rem talem significat) habet terminos à Nomenclatore præscriptos; si enim, aut syllabam addas, aut demas, auferetur, aut mutabitur significatio, ut patet in dictione *Musca*, quæ additione est *Muscatum*, diminutione *Mus*; & significationem mutat, numerum syllabarum mutando.

Aliud est etiam quærere de dictione ut sic, aliud de tali forma.

De Synonymis.

Accedit, quòd vox, ut significet, debeat esse sensibilis: & quæ ne quidem à proferente audiri potest, non est vox, nec ullam significationem habet: unde communiter Theologi jubent, ut taliter Divina Officia recites, ut te audias, aut saltem, ita, ut te audire queas; vel aliàs, te non satisfacere præcepto legendi pronunciant.

Quomodo Officium Divinum debeat legi?

Partes Hominis (caput, brachia, manus, pedes, &c.) heterogeneæ sunt: & quamdiù manent unitæ inter se, tota Hominis Anima est in toto Hominis corpore, & in singulis ejusdem partibus. Si tamen separentur, in nullâ corporis parte manet Anima. Sic similiter de voce *Homo* philosophandum est: nam totus Homo virtualiter intelligitur sub voce *Homo*, & non pars sub unâ parte, & pars sub aliâ, sed totus in toto, & ante separationem sub quâlibet nominis parte: at verò post partium separationem, nec in syllabâ *ho*, nec in *mo*, Homo virtualiter manet; neutra enim *Hominem* ab alterâ separata significat. Quam ob rem dicemus, scitè Dictionem definivisse Aristotelem, quando scripsit, eam esse, cujus partes significant in compositione, & tamen aut nihil omninò, aut saltèm non id, quod in compositione, sonant discretæ & separatæ. Quoniam in voce *Canis* syllabæ simul sumptæ Animal latrabile indigitant, & separatæ (*ca*, & *nis*) significationis sunt expertes: & in voce *Muscatum*, syllabæ simul sumptæ liquorem notum universis significant: & seorsìm, tametsi *Mus*, & *catum*, nec non *Musca*, & *tum*, significationem habeant, non tamen illam ipsam, quam habebant ante separationem.

De hominis partibus.

An, & quando maneat in illis Anima?

De dictionibus. An in ipsis syllaba separata significent? Et, si significent, an illud, quod ante separationem significabant?



SECTIO VIII.

De Quantitate discreta. *An synonyma sint plures dictiones; an verò sint unica dictio?*

Quæstionem explico. Quæritur, An duæ voces, quæ in eâdem linguâ, ut apud Latinos *Indumentum* & *Vestimentum*, apud Hispanos *Globo* & *Bola*. &c. aut in diversis, ut Ἐπιςήμη, & *Scientia*, significant unam & eamdem rem, sint duæ dictiones; an sint unica dictio?

An sint unica dictio?

Pono ob oculos Hostiam, & Vinum consecrata. Sunt-ne duo Sacramenta? Si procul absint λογομαχίαι, res est facilis. Totus Christus est sub speciebus panis, totus sub speciebus vini; & tota differentia in solis speciebus & consecratione consistit: non autem in Christi substantiâ. Ergo, si agatur de substantiâ, panis & vinum consecrata non differunt: si agatur de accidentibus, seu speciebus differunt. In ipsâ autem substantiâ reperitur prætereà distinctio notabilis quoad consecrationem: nam licèt in hostia æquè, ac in calice sit totus Christus; in Hostiâ consecratâ ex vi verborum est Corpus Christi formaliter, & sanguis concomitanter: in calice autem consecrato, est sanguis ex vi verborum formaliter, corpus autem concomitanter. Ergo, si agamus de re significante, panis & vinum consecrata, sunt duo Sacramenta materialiter: si verò de significatione, & re significatâ (nam Christus per verba, & gratia per totum Sacramentum significatur) sunt unum Sacramentum formaliter: ita nihilominùs unum, ut adhuc formaliter aliquam modalem differentiam retineant.

An hostia & calix consecrati, sint duo Sacramenta?

Quomodo differant?

Nec aliter de synonymis philosophabor. Pono ob oculos voces *Senatus*, & *Consilium*; aut etiam *Senator*, & *Consiliarius*. Peto; an differant? Quod *Senator*, idem ipsum *Consiliarius* significat: & ideò istæ duæ voces pro eadem re indifferenter usurpantur. Formaliter ergò coincidunt, nam dictio dicit significationem pro formali. Sed materialiter? Differunt omninò inter se; aliis enim syllabis vox *Senator*, aliis verò vox *Consiliarius* concinnatur; dictio enim pro materiali dicit syllabas,

An synonyma distinguantur formaliter?

An materialiter?

Differentia modalis quoad significationem.

Vnde Consiliarius & Senator dicantur?

bas, quibus componitur. In ipsa nihilominùs significatione reperitur notabilis differentia quoad modum. Nam licè in alterâ, æquè ac alterâ una, ac eadem significatio reperiatur, ex vi verborum aliter est res significata in unâ voce, quàm in aliâ: nam *Senator* dicitur à Senectute, & à Consulendo *Consiliarius*: unde illa vox ab ætate, quam talis Minister habere debet; hæc autem à munere quod tenetur exercere, desumitur. Ergo, si agamus de re significante, voces *Senator*, & *Consiliarius* sunt duæ dictiones materialiter: si verò de significatione & re significatâ, sunt una dictio formaliter: ita nihilominùs una, ut adhuc formaliter aliquã modalem differentiam retineant.

SECTIO IX.

De Qualitatibus Dictionis. *An in dictione maneant sine virtuali subjecto qualitates?*

An significatio sit accidens?

NOLO ingredi quæstionem, quæ inquirit, An significatio sit accidens? nam sicut nigredo, quæ est accidens hominis, est Æthiopis essentia, & proceritas, quæ est accidens hominis, est gigantis essentia: sic etiam significatio, quæ est vocis accidens, pertinet ad dictionis essentiam. Vnde differentiæ, quæ sunt de essentiâ specierum, quas constituunt; sunt qualitates generis, quod contrahunt & dividunt: quò respexit Porphyrius, cùm *in Isagoges sua cap.3.* hominem ab equo differre τῆ λογικῆ ποιοτητι, *qualitate ea, quod sit rationalis*, quem loquendi modum apud Aristotelem *in Categor. libr. cap.5.* nec non *Topic. libr.6.cap.6.* observo.

An in Eucharistia careant subjecto qualitates?

An Individuatio à quantitate desumatur?

Multiplicant miracula nonnulli in Eucharistiæ Sacramento; & quia docuerant singula accidentia immediatè inhærere substantiæ; cùm hæc ibidem desinat, asserunt carere subjecto universa. In hac Doctrina D. Thomas invenit repugnantiam: nam impossibile est, ut sint, aut concipiantur duæ albedines separatæ: individuatio enim sumitur à quantitate: ergo sine quantitate qualitas non poterit numero multiplicari. Iubet igitur Doctor Angelicus, ut substantiæ quantitas, & quantitati qualitates inhæreant. Ergo in Sacramento Venerabili quãtitas sine subjecto miraculosè conservatur: at quantitati miraculosè conservatæ connaturaliter inhærent qualitates. Vtraque opinio probabiliter defendi solet: & est liberum Theologo juxta alterutram philosophari: nos autem majoris claritatis gratiâ D. Thomam sequamur.

An quantitati qualitates inhæreant?

An in dictione careant accidentia subjecto?

Eodem prorsus modo de dictione discurro. Quoniam in voce *Leo* accidentia virtualiter carent subjecto: quod sic ostendo. Accidentia quantitas, qualitates, &c. realiter inhærent aëri fracto. At positâ conversione, seu transsubstantiatione totali, hujus vocis substantia desinit esse virtualiter, & tamen accidentia remanent, carent ergo subjecto virtualiter. Nam, sicut accidentia panis non inhærent realiter Corpori Domini Nostri Iesu-Christi, in quod panis convertitur: sic accidentia vocis *Leo* non inhærent leoni, in quem vox illa *Leo* virtualiter transsubstantiatur.

Inter vocis *Leo* accidentia, præcipua sunt quantitas, & qualitates. Cũ igitur possit hæc vox numero multiplicari, & tamen sine subjecto multiplicari nequeat Qualitas, dicendæ Qualitates Quantitati inhærere, & in sola Quantitatis conservatione consistere hoc prodigium Grammaticum.

SECTIO X.

Iterum de Vocum significantium Qualitate. *An, & quæ accidant significationi?*

An Dictio habeat Proprietates & Qualitates?

TAmetsi uberiùs suo sum loco de Significationibus Qualitatibus & Proprietatibus disputaturus, placet hîc eadem breviter insinuare, ut meliùs singula intelligantur.

Sanè Dictionis (significantis Vocis) Qualitates & Proprietates multæ & diversæ sunt, sed inter eas quinque à Philosophis recensentur præcipuè: videlicet, *Terminatio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, & *Appellatio*, de quibus, quâ brevitate potero, impræsentiarum disputabo.

De ratione Termini.

DIversas & adversas Opiniones reperio. In Introductionis, quas vulgò dicunt *Summulas*, disp.

I.

Quid sit in Oratione Terminus?

1. P. Arriaga proponit tres Definitiones: videlicet, *Terminus est signum ponibile in propositione*. Nec non, *Terminus est id, in quod resolvitur Propositio, tanquam in subjectum & prædicatum*. Et tandem *Terminus signum Propositionis Categoricæ constitutivum*. Et omittit communem, quam Compluti Villalpandus tradebat, & Ioannes Martinius Commentario illustrabat; videlicet, *Terminus est extremum Propositionis.* Prima est incerti Authoris; secunda est Aristotelis *libr. 1. Prior. cap. 1.* tertia Scoti: & ipse secundam amplectitur. Rejicit primam; quia Verba, & Adverbia non sunt termini, & tamen sunt signa ponibilia in Propositione. At est falsum omninò, quod ut certum supponit; & omnes enim partes Orationis sunt Termini: & hoc demonstrabo clarissimè, quia cùm aliquis obscurè loquitur, & terminos explicare jubetur, non solùm debet Nomina, sed & Adverbia, & cæteras voces à se positas dilucidare, & quidem, quas Euclides & Geometræ *Definitiones* vocant, nihil aliud sunt, quàm vocabulorum, seu Terminorum expositiones, quæ tametsi magnâ ex parte sint nomina, interdum sunt Verba & Adverbia. Tertii enim secunda Definitio est, *Linea recta circulum contingere dicitur* &c. Tertia, *Circuli contingere sese dicuntur* &c. Quarta *In circulo æqualiter distare à centro lineæ dicuntur* &c. Quinta. *Magis distare à centro dicuntur ea*, &c. Vbi, ut conspicis, verba *contingere* & *distare*; nec non adverbia *æqualiter* & *magis* sunt termini, quorum significationem Euclides præcognosci desiderat, ut λογομαχίαις nulla detur occasio. Primam igitur Nos definitionem adsumemus, dicemusque illam Terminos universos comprehendere. Quia autem Termini alii sunt Categorematici, & alii Syncategorematici, (videlicet alii Significativi, & alii Consignificativi) dicendum est non omnium Terminorum, sed Categorici tantùm naturam in secundâ aut etiam tertia, immò etiam in quartâ definitione à Villalpando traditâ repræsentari. Ergo, si de Categorematico Termino disputetur, Aristotelea, Scotica, & Villalpandæa admitti poterunt Termini Definitiones. [Et hîc obiter nota, has Propositiones, quiquid Arriaga, aut alii dicant, *Petrus est albus, est propositio*, nec non *Petrum esse album, est possibile*, non esse Hypotheticas, sed Categoricas.]

An omnes partes Orationis sint Termini?

De Terminis Geometria.

De Categorematico, & Syncategorematico.

De Categorica & Hypothetica Propositione.

Nulla est vox quæ non possit significare.

Porrò Quæstio, quæ inquirit, *An voces significationis expertes debeant vocari Termini?* quam num. 5. Arriaga ponit, est similis illi, quæ interrogat, *An aqua possit calefacere*? Dicimus enim aquam ex se nec petere, nec habere calorem, at posse illum, si ab agente inducatur, recipere, &, si reddatur calida, posse calefacere. Et addimus, voces ex se nec petere, nec habere significationem Logicam, seu Artificialem; posse tamen illam, si volueris, recipere; &, si receperint, & sint significativæ esse Terminos; poterunt enim in Propositione collocari; &, si collocentur erunt ejus extrema, si categorematicæ (significativæ) sint; aut cohærebunt extremis, si syncategorematicæ (consignificativæ) ipsæ fuerint: & alterutrum sint, in eas, velut in analyscos terminos, dissolvetur Oratio.

De Significatione, & Suppositione. Quomodo distinguantur?

Significationi accidit Suppositio; de quâ *loc.cit.sect.6.* Arriaga disputat; miraturque Lynceum *libr. 3. tract.4.* aliosque tam fusè de hac materiâ tractasse. Ego autem, ne multis hîc te onerem, adhæreo Lynceo, & non adhæreo; ille enim ait nomen Æquivocum (*Canis* ex. gr.) multa actu significare: & Ego ejus verba ita intelligo, ut multa quidem dictio *Canis* significet; non tamen actu copulativè, non actu disjunctivè, sed potentiâ tantummodò, quæ potentia per consignificantes circumstantias reducetur ad actum.

Hinc patet Significationem & Acceptionem Vocum, (si à λογομαχία abstinere velimus) non omnino coincidere: nam Significatio latè patet, & Acceptio est determinata.

De Ampliatione.

Ampliatio extendit Terminum à minori ad majorem significationem. Illam inter sua Schemata numerat & recenset Rhetorica: & de ipsâ Caussinus *de Eloquutione lib. 7. cap. 17. pag. 399. b.* sic scribit [Αεπλοτῆ, *malim* λιτότης, *cùm minus dicitur, & plus intelligitur, ut Georgic. 2.* Nec mihi displiceat, *id est*, valde placeat. *Notatur à Servio.*

Αεπλοτῆ. Λιτότης. Μείωσις.

Eadem

Eadem ferè cum μεϊώσε.]

Quo sensu Propositiones necessaria habere dicantur æternã Veritatem?

Et quidem multis modis contingit. Primò enim extendit Verbum præsens ad præteritum, futurumq; Et hoc ipsum dupliciter; negative videlicet & positivè. Et quidem Negativa temporis Ampliatio in necessariis Positionibus, quæ *Aeterna Veritates* vocantur, invenitur; in hac enim, *Triangulus est figura habens tres lineas*, illud *est*, non significat aliquam existentiam positivam, esset enim hæc Propositio vera, etsi nullus esset in rerum naturâ Triangulus. Sed ampliatur per omnia tempora negativè, ita ut sensus sit, *Nec fuit, nec est, nec erit tempus, in quo dari possit Triangulus, qui non habeat tres lineas*. Positiva Ampliatio reperitur in his, *Omnis homo est mortalis, Omnis rationalis Anima est immortalis*. &c. Quoniam omnes qui nati fuerunt homines, qui nascuntur, nascenturque erunt mortales: & omnes rationales Animæ, quæ à Deo creatæ fuerunt, creantur, creabunturque, erunt procul dubio immortales.

De Aeternitate seu duratione Divina.

Deus non durat tempore, interim, quia caremus opportunis vocabulis illud Æternitatis *nunc* quod omni tempori præterito, præsenti, & futuro præsens est, aliquo determinato tempore significamus, & tamen significare nolumus, illud non ampliari, & per cætera extendi. Audi Davidem Psalm. 2. 7. concinentem: *Dominus dixit ad me; Filius meus tu. Ego hodie genui te*.

Hunc Psalmi versum Mahometus, & ejus discipuli sacrilege interpretantur. Eos incriminor, impugnoque in Notis ad Epist. inscriptã Illustriss. D. Hyacintho Libellio, olim Sacri Apostolici Palatii Magistro, nunc Archiepiscopo Avenionensi.

Illud *hodie*, & illud *genui* considera. Nam *hodie* præsentis temporis adverbium est, & *genui* est præteriti verbum, & ita alterum alterũ ampliat, ut *Aeternitatis nunc* ab æterno sit, & omnia præterita tempora percurrat, & quæ nobis sunt præterita (quæ videlicet *heri* acciderunt) respectu Dei sint præsentia (& stent *hodie*.) Hoc Regis Prophetæ testimonio usus est Actor. 13. 33. S. Lucas: nec non ad Hebr. 1. 5. & 5. 5. S. Paulus.

De Dei nomine.

Scitè P. Valerianus Magnus in Opusc. Deũ *Præexistentem* nominabat: licèt enim priora & priora sæcula annorum in infinitum cogites, semper præextitit illis omnibus Deus.

Similem Ampliationem Exodi cap. 3. 14. reperio. Ibi enim dixit ad Moysen, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. ὁ ὤν ἀπέςαλκέ με πρὸς ὑμᾶς. *Ego sum Existens, Existens misit me ad vos*. Et Hispanicè, quia Articulis caret Latinus. *Yo soy el Existiente. El Existiente es el que me embiò a vosotros*.

Ecce Deus oratus, ut suum nomen revelet [instabat enim Moyses, *Si dixerint mihi, Quod est nomen ejus? quid dicam eis?*] respondit, *Ego vocor* ERO. hoc est, [Omnia, quæ sunt, possunt non esse: & loquendo de homine in particulari, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, quasi flos egreditur, & conteritur, effugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet*. At Ego sum Æternus; & non mutor. Sum, qui *Ero* necessariò, cætera enim, si voluero, erunt, si noluero non erunt.] Et in verbis sequentibus *Ero misit me ad vos*. Observa præteriti & futuri ineffabilem compositionem. Illud enim *Ero* est unum futurum, quod illi *misit*, præterito nobis, est præsens. Et ille, *qui misit* est *Ero*. hoc enim *Aeternitatis nunc* præteritis & futuris est præsens. Et hîc obiter nota Sacrosanctum nomen יהוה à Radice היה esse *Erit*. Deus enim quia essentialiter existit, sicut semper fuit, semper erit.

De nomine אהיה *Eheie. Ero. An sit proprium Dei?*

De nomine tetragrammato.

An significet Erit?

De Ampliatione Aritmetica.

Ampliatio etiam reperitur in numero, cum determinatus accipitur pro indeterminato; ut in Christi verbis conspicitur: quoniam dicenti Petro, Κύριε, ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἑπτάκις; *Domine; quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?* respondit Clementissimus Sacramentalis Pœnitentiæ Institutor, Οὐ λέγω σοι, ἕως ἑπτάκις, ἀλλ᾽ ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. *Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septem*. Quibus verbis se nullum Misericordiæ præscribere numerum significavit. Ergo illud *septuagies septem* (vel *septuagies septies*, ut vertit communis Interpres) tametsi determinatũ numerum videatur comprehendere, per Dei infinitam Clementiam sic Ecclesia definiente ampliatur, ut significet, *quotiescumque pœnitens petat absolutionem* [illegible]

Matth. 18. 22.

Interdum determinatus numerus ponitur pro indeterminato.

Quoties possit Confessarius Pœnitentem absolvere?

Simile Ampliationis schema in Calicis Consecratione observatur, hæc enim verba sunt, quibus usus est Dominus Noster Iesus-Christus. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, ὁ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hic enim est sanguis meus, qui novi testamenti, qui pro multis effusus in remissionem peccatorum.*

Matth. 26. 28. Vide etiam Marc. 1. 4. Luc. 1. 77. & 3. 3. & 24. 47. nec non Act. 2. 38. & 5. 31. & 10. 43. & 26. 18.

rum. In quibus verbis illa περὶ πολλῶν *pro multis* Grammaticè ocipiunt Hæretici, & inferunt Christum Dominum suum purissimum Sanguinem non fudisse pro omnibus, sed pro prædestinatis tantummodò. Ita Ioannes Calvinus *in* 1. *Ioann.cap.*2.2.& *cap.*17.Beza *in Thesibus de Sacrificio* apud Malderum *in Antisynodicis cap.*7.Chamierus Bezæ discipulus, *tom.*3.*lib.*9. *cap.*13. *in titul.* Boquinus, Pineerius, & Clebitius apud Coceium *in Thesaur. Catholic.tom.*1.*libr.*2.*art.*7.Hieronymus Sanchus *in miscell.doctr. in* 1. *Ioann.* 4. Simon Simonius contra Shegkiū *in libr.*2. *fol.*24. Benedictus Aretius *part.*2. *Problem. fol.*868. Consonant Fidei Genevanæ Clypeus *in dialog.* 4. apud Fevardentinm *in Theomachiâ Calvinisticâ libr.*5.*cap.*15. Contra-remonstrantes *in specimine Amsterlod.art.*43.& *in Synodo cap.*2. *art.* 6. Et hanc opinationem amplexus est Iansenius, nam *tom.*3. *libr.*3. *cap.* 30.*columm.*387.sic infit. *Proderit illi necessariò Christi Sanguis & mors, pro quo Sanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit; & cui nullo modo prodest, pro illo* (Christus) *nec Sanguinem fudit, nec mortuus est*. Idemq; *tom.*1.*libr.*8. *cap.*26.*col.*546. dixerat, *Christus non pro totius mundi redemptione crucifixus, & mortuus est; sed tantùm pro iis, qui salvantur*. Et hæc ultima verba ob oculos habeamus, videamusque quid doceamus & teneamus Catholici. Est Conclusio. *Dominus Noster Iesus-Christus pro omnibus hominibus nemine dempto* (adeoq; *pro ipsomet Iudâ, qui illum vendidit; pro Scribis, Pharisæis, & Principibus Sacerdotum, qui illum temerè accusaverunt; pro Pontio Pilato, qui illum injustè condemnavit; pro Satellitibus, qui illum crucifixerunt, &c.*) *suum Sacratissimum Sanguinem fudit & mortuus est*. Corollarium. *Non ergo mortuus est pro illis tantummodò, qui salvantur*. Et hoc ipsum Corollarium esse à Tridentino definitum clarissimè demonstraturus sum; quoniam *sess.* 6. *cap.* 3. sic inquit:

Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficiū recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

Quæ possunt scholasticè ad formā [illegible] reduci.

An Christus sit mortuus pro omnibus?

Heterodoxorum Opinatio.

Iis subscripsit Cornelius Iansenius.

Orthodoxa Conclusio.

Et definita à Tridentino.

BA | Omnes, *qui salvantur, mortis Christi beneficium recipiunt.*

RO | *Atqui* Aliqui, *pro quibus Christus mortuus est, mortis ejus beneficium non recipiunt.*

CO | *Ergo aliqui, pro quibus Christus mortuus est, non salvantur.*

Est ergo hæreticum, & contra Tridentinum, asserere, mortuum esse Dominum nostrum Iesum-Christum tantummodò pro prædestinatis.

Etiam demonstrativus est ille Syllogismus, quem *in Anti-synodicis ca.* 7.*num.*8. conformavit Malderus; jubet enim considerari verba Pauli. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Et ex illis ratiocinatur sic.

FES | *Nullus Electus perit.*

TI | *Aliquis, propter quem Christus est mortuus, perit.*

NO | *Ergo aliquis, propter quem Christus mortuus est, non est electus.*

Sed quomodò perire possunt illi, pro quibus Christus mortuus est? olim Prosper *in resp.ad object.*1.*Vincentianam* Dubio huic satisfecit his verbis. *Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam causam attinet Generis Humani, Sanguis Christi redemptio est totius Mundi*. Et posteà. *Poculum autem Immortalitatis* (sanguis pro nobis fusus) *habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed, si non bibitur, non medetur*. Et hinc intelligi possunt illa Domini verba. *Potestis bibere calicem, quem ego biberurus sum*. Hoc est [Firmâ vultis-ne voluntate non ponere impedimentum gratiæ, quam ego bibendo passionis Calicem vobis impetraturus sum?] Et hanc esse veram illius loci sententiam constat ex D.Thoma, qui *in* 1.*Epist. ad Timoth. cap.*2. *vers.*4. *lect.*1. *in fin.* hoc Scholiū proponit. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter: quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium; sed non habet efficaciam, nisi in Electis, propter impedimentum*. Hoc autem illi ponunt, non Deus. Et verba illa. *Pro omnibus gustaret mortem*; quæ *in epist.ad Hebræos cap.*2. *vers.* 9. leguntur. *Pro omnibus*, ait, *dupliciter intel-*

Consideretur benè hic Syllogismus.

1.Corinth.8. 11.

Etiam iste studiosè, & attentè legatur.

An, & quomodò perire possit ille, pro quo suum sanctissimum Sanguinem Christus profudit.

S.Prosper.

S.Thomas.

Pro omnibus quoad sufficientiam, non autem quoad efficaciam mortuus est Dominus.

intelligi potest &c. vel absolutè pro omnibus quantum ad sufficientiam, &c. in cujus probationem producit verba Apostoli 1. ad Timoth. 4. videlicet, *Qui est Salvator omnium; maximè Fidelium*. Et Chrysostomi, *Pro omnibus hominibus generaliter mortuus, quia omnibus pretium sufficit, etsi omnes non credunt; ipse tamen quod suum est implevit*. Et quia in particulari Christum, dixi, sanguinem fudisse pro Iuda, dabo adhuc unam, aut alteram lineam ex S. Leone, qui solo Xisto mediante Pontificibus illis successit, qui & Pelagium & Semi-pelagianos condemnarunt, adeoque censendus est ad mentem illorum scripsisse. Iste igitur *ferm. 12. de Pass. Dom.* exclamat, *Pro omnibus impiis mortuo Domino, potuisset etiam hic* (Iudas) *consequi remedium, si non festinasset ad laqueum*.

S. Ioannes Chrysostomus.

An Christus pro Iuda mortuus fuerit?

Et transeundo ad Politica & Practica, hoc ampliationis Schema asfero observari in Pontificiis & Cæsareis Pandectis: ibi enim Casus particulares recensentur & dicidunturs qui postea per identitatem doctrinæ in Leges Vniversales transeunt, & ad omnes casus similes extenduntur, & propagantur.

Canones & Leges non per rationis paritatem, sed per identitatem amplIantur.

De Restrictione.

Opponitur Ampliationi Restrictio, & est latiùs patentis significationis ad minorem contractio. Sic genera, quæ latissimè patent per differentias, & æquivoca per epitheta, & circumstantias restringuntur &c. Sic *Animal*, quod de Equo, Leone, Cane, &c. poterat dici, per *Rationale* contractum, ad Hominem tantùm spectat: & *Aries*, si *Cælestis* dicatur, erit primum signum Zodiaci. Dixi per circumstantias (nimirùm, sensibiles) latè patentia verba contrahi: nam Religiosus, qui cognovit ex. gr. fœminam, sacrilegium commisit; &, si ad confessionem veniat, & dicat, *Cognovi fœminam*, integrè confitebitur: quoniam, tametsi hæc verba ex se non significent sacrilegium; in Religiosi ore, per habitum & vestes restricta, illud significabunt. Iussi circumstantias esse sensibiles, ut Mentales Restrictiones excluderem, quas esse impossibiles & inutiles inferiùs clarissimè demonstraturus sum.

Quid sit Restrictio?

Circumstantia configurantes esse debent sensibiles.

Apparatus Philosoph.

Huc reduci debet Hyperbolesnam, cùm Hyperbolica assertio vera sit, & stando vocum rigori esse vera non possit, illæ enim significant rem impossibilem, debet ad sensum possibilem limitari, & restringi, & in hoc supponi, vel accipi.

Quomodo restringantur & intelligantur Hyperbolica Propositiones?

Sicut Ampliationem nolunt ponere Hæretici, ubi illam circumstantiæ requirunt, sic & Restrictionem audent ponere, ubi Fidei Catholicæ opponitur sensus restrictus. Etquidem illa Apostoli verba, ὅς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. *Qui* (Deus) *omnes homines vult servari* (salvos fieri) *& ad agnitionem veritatis venire*, quæ clarissima & universalissima sunt, Ioannes Calvinus *libr. 3. Institut. cap. 24.* § 16. & *libr. 2. cap. 2* § 4. & *cap. 3.* §. 10. Chamierus *tom. 3. libr. 7. cap. 6.* §. 6. Contra-remonstrantes *in Specimine Amsterlodam art. 56.* & alii exponentes locum citatum Pauli iterumque ipse Calvinus, & cum eo Pomeranus, Gaspar Megander, & alii, temerè crudeliterque ad solos Prædestinatos restringunt.

1. ad Timoth. 2. 4.

An omnes Deus homines, nemine dempto, salvari velit?

Iansenius amplectitur hanc Hæreticorum expositionem: oppositamque quam tuetur Ecclesia notâ erroris urit; inquit enim [a] *erronea est sententia Recentiorum, qui exponunt locum Apostoli 1. Timoth. 2.* Vult omnes homines salvos fieri, *de voluntate salvandi omnes, quantum in ipso est* [b] *Expositio enim ea ab errantibus introducta, à veris gratiæ defensoribus graviter improbata est.* [c] *& totius erroris Massiliensium est basis.* Et quia prævidebat dicturos esse universos hanc Ianssenii doctrinam communi sententiæ Sanctorum Patrum & Veterum Doctorum opponi; (id enim non audet negare) illos despicit dicens, *Nil juvat, quod Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, aliique Græci sensum istum Recentiorum verum esse dicant, quia Chrysostomus ante exortas de Gratia difficultates sua exaravit: & nulli imperfectiùs de Gratiâ, quàm Græci, loquuti sunt.* Ita *tom. 3. lib. 3. cap. 20. colum. 378.* Ergo, ut videat, non erravisse Græcos, dignetur audire Augustinum.

Cornelii Iansenii error.

Quanti ipsi Græci Doctores fuerint?

Disputans contra Manichæos *lib. 2. de Gen. cap. 3.* sic scribit. *Illud autem lumen, non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum*

Augustini sententia.

eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium, se ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc Mundum. Et quia putare posset aliquis, illud *possunt*, & illud *velint*, vires purè naturales concernere, in *Retract.cap.* 10. recognovit hunc locum, & hoc illustravit Scholio. *Non existiment Novi Hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omninò omnes homines, hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere Charitatis, ut possint.*

De inefficaci auxilio & gratia.

Considera illud *omninò omnes*, cur enim illud *omninò* adjungeret, si *omnium* nomine intelligere vellet *non omnes*. Omnes se possunt convertere, si velint, asserit Augustinus: & omnium præparatur voluntas ut velint, & tamen non omnes volunt. Ergo concedit peccatoribus Deus inefficaces præparationes (quas gratias & auxilia Scholastici nominant) quibus uti possunt; &, si uterentur, vellent se ad Deum convertere; &, si id vellent, siquidem Deus nemini deest, de facto etiam converterentur.

Omnes possent ad Cælum pervenire si vellent.

De Alienatione.

EST quædam vocis transsignificatio: & contingit, cùm vox ex propriâ significatione in alienam transfertur; & duas habet celebriores species; Metaphoram & Ironiam.

Quid Alienatio sit?

Sanè Μεταφορὰ, à Cicerone *Translatio* dicitur, nam ex similitudine, aut causâ nomen transfert: ut cùm, ex. gr. dicimus, *Leo marmoreus prostat in foro. Pallas Phidiæ Thebis suspiciebatur. Prata rident.* In primâ enim Propositione vox *Leo*, quæ aliàs rugibile animal significaret, ita per epithetum *marmoreus* alienatur, ut non jam animal, sed lapidem leoniformem significet. In secundâ autem vox *Pallas*, quæ aliàs sonaret Deam, affecta genitivo illo *Phidiæ* (fuit enim Phydias celeber statuarius) pro Palladis Statuâ à Phidiâ dedolatâ supponitur. Et denique in tertiâ verbum *rideo*, quod notæ significationis est, quando de homine dicitur, vi subjecti alienatur, ut non jam risum formaliter, sed causativè importet; dicuntur enim *lætæ segetes*, quod suâ nos pulchritudine hilares reddant: & *prata ridentia* propter similem causam vocantur.

De Metaphora.

Unde soleat desumi?

Εἰρωνία Figura est vehementior & potentior Metaphorâ; non enim nomina in similia, sed in contraria transfert. *Dissimulatio* à Rhetoribus Latinis dicitur, & in Irrisionem & Subrisionem solet dividi. Vix exprimitur calamo, tota enim ejus vis in pronunciatione, & modo ridendi consistit.

De Ironia.

Irrisoria Ironia petit vocis asperitatem, & amaritudinem risus, quo tono & gestu apud Virgilium Æneid. 10. Iuno soror & conjux Iovis obloquebatur

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter &c.

nisi enim vultûs, oculorum, & irrisionis modus alienationem induceret, videretur asserere, quod negabat.

Est Irrisoria interdum.

Arrisoria humanitatis plena à vultûs & vocis suavitate consequitur, ut voces in oppositum transferat. Et ut illam dilucidem Petrum della Valle producam, qui tom. 3. Epist. VII. data 31. Ianuar. 1624. pag. 276. ad Amicum scribit. Agit de Rege Calecutio, & ait. *Ci disse più volte, che ci cuoprissimo la testa: mà'l nostro Capitano, il cui essempio, com' era di ragione, tutti noi altri ancora seguivamo, risoluto di non darsi à conoscere, non solo non volle mai farlo, mà lo ricusaba con gesti, e parole; ch' io me ne pigliava molto gusto; perche scuotendo la testa, e sorridendo, rispondeva, che quello nò, che non gli haurian già* [*] *fatto fare quel falso Latino: che ogni altra cosa, mò che in quello non s'haveva da burlare, e simili altri frasi galanti; parendogli com' io credo, che in quello consistesse tutta la puntualità dalla sua parte di quella audienza. Si che di noi altri ancora nissuno mai si cuoprì. E non saria stato mal fatto, se però si fosse negato il cuoprirsi con migliori risposte; e non come frà le altre, che il Capitano ne diede con dire due, ò trè volte per più cortegianería, secondo à lui pareva, che faceva caldo, che però non voleva cuoprirsi; con dirlo però sorridendo in modo; che si conoscesse ch' era scusa, nel che à lui pareva dimostrarsi eccellente Cortegiano.*

Et etiam aliquando Arrisoria.

[*] *Fare un falso Latino*, inquit Italus, Hispanus verò *Hazer un mal Latin*, hoc est, *aliquem solæcismum committere*, ut significent, *Facere aliquam actionem indecentem & malam.*

Subrisus mutat verborum significationem.

Ecce jubebat Capitaneo humanissimus Rex, ut caput tegeret. Ille

autem

Figura Rhetorica, quæ in verbis, etiam in aliis signis reperiuntur.

autem (nesciebat enim linguam Indicam) dexterâ quatiendo caput,& subridendo, se coram Rege non debere caput tegere significabat. Demum excusationem à calore sumendo, hanc ipsam excusationem esse quæsitam, & detecto capite ob solam reverentiam adstare, innuebat subridendo,quo gestu verba in aliam significationem alienabat, immò in prorsus contrariam transferebat.

De Appellatione.

De Appellatione.

Nomen est Scholasticum à Petro Hispano, ut putamus in thesaurum terminorum Logicalium admissum, & jam ab universis usurpatum. Et tametsi fateamur, potuisse illum voces alias aptiores reperire, negamus reprehendi posse hodie Dialecticum, qui illâ utatur, est enim jam donata Scholâ, & passim à Viris eruditis recepta. Et quidem ubi dicunt Grammatici, *Hac vox afficit illam. Hoc adjectivum substantivo illi adhæret*, &c. suo genio indulgens Petrus Hispanus, ut diceremus, jussit, *Hac vox appellat super illam. Hoc adjectivum super illud substantivum appellat*. Et non est disputandum de voce: nam hæc recepta fuit à Logicis; &, ut doceatur novam linguam, est jam Aristoteles Latinus [a] nimis senex. [b]

a] Latinum Aristotelem illum dico, qui egitur in Latinorum Peripatu.
b] Exclamabat aliquando Hieronymus, Quis mutabit labium annosi senis?

Quid Appellatio sit?

Erit ergo Appellatio, unsus cum altera dictione connexio. Et qui dicit, *Qua appellas ista vox?* censendus est dicere, *Cum quâ connectitur? quam afficit? cuinam adhæret?* Quam ob rem, si mihi diceretur, *Famulus Petri suffuratus est clamydem*, dubitarem statim, quo vox *Petri* appellaret? an videlicet esset fur ille Petri famulus; an verò clamys, quæ furto ablata fuit, esset Petri.

Similia frequenter occurrunt. Lucæ 12. 42. [*] Discipulis dicebat Dominus. *Fidelis Dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram*. Considera, attentè vocem *tritici*. Supra utrum illa nomen, supra *tempus*, an supra *mensuram* appellat. *Tempus tritici* est unicum; nimirùm messis tempus, quod *el Agosto* Hispanus nominat: *Mensura* autè *tritici* est varia, ejusq; quantitas ab adjacentibus circumstantiis dependet. Assero hanc Quæstionem ex Textu Latino non decidi, Græcum igitur recognoscamus. Et quidem Græcè Historiographus Sacer sic scribit. Ὁ πιςὸς οἰκόνομος, καὶ φρόνιμος, ὃν καταςήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον. *Fidelis Œconomus, & prudens, quem constituit Dominus super famulitio suo, ad dandum in opportuno [a] tempore mensuram tritici*. Ille ergo Genitivus *tritici* cum mensurâ, & non cum tempore construitur; non enim σιτόκαιρον, sed σιτομέτριον dicit Evangelista. [a]

[*] Et canitur, cum aliàs, tum in S. Dominici solemnitate die 4. Augusti ad Offertor. Et in communi Abbatum ad Communion.

a] Differunt καιρὸς & χρόνος: nam χρόνος, tempus reale est: unde χρονολογία, est historia, quæ omnia quæ successerunt per annos,& menses distribuit. At verò καιρὸς tempus opportunum significat.

An, & quo modo καιρὸς, & χρόνος distinguantur.

SECTIO XI.

De Relationibus virtualibus rei per dictionem significatæ. *An cùm profertur vox Leo, ipse Leo realiter immutetur? An novas saltem relationes adquirat?*

Post verba cōsecrationis,Christus qui est realiter in cælo, realiter subest speciebus sacramentalibus. Porrò Ens in substantiam, Accidens, & Modum dividitur: & ad substantiam gradus pertinent essendi, vegetandi, sentiendi, ratiocinandi: &c. ad Accidens Quantitas, & universæ Qualitates: ad Modum Relationes, quarum censui Prædicamenta cætera adnumerantur. Hac doctrinâ præmissâ dicendum est, quòd Dominus Noster Iesus-Christus nullam vi hujus conversionis patitur mutationem substantialem, aut accidentalem: non enim mutatur corpore, animo, non quantitate, aut aliquâ qualitate: nam sub minimâ panis consecrati particulâ, aut vini consecrati guttâ non est minor, quàm in totâ hostiâ,aut toto latice;sed quantus in cælo, tantus ibi est. Sed neq; qualitates mutantur, aut alterantur hujus conversionis virtute. Interim negari non potest novas aliquas Relationes in Corpore & Sanguine in Sacramento resultare, quæ prius non erant. Nam (1) sunt termini transsubstantiationis: (2) sunt in multis locis (3) quæ sunt in Cælo circumscriptivè, sunt sub accidentibus definitivè: (4) sunt per modum cibi,

Entis in Substantiam, Accidens, & Modum divisio.

In Eucharistia nec substantia, nec Christi accidentia mutantur.

Mutantur tamen relationes & extrinseca denominationes.

cibi & potus: (5) uniuntur extrinſecè accidentibus; ita, ut ad illorum motum circumferantur: (6) qui in cælis immortalis eſt, ſub ſpeciebus non moritur, ſed eſſe deſinit, quando accidentia corrumpuntur: (7) ſi per impoſſibile in Cælo eſſe deſineret, maneret adhuc ſub ſpeciebus, quamdiù illæ incorruptæ perſiſterent. &c.

Res ſignificata per ſignificationem, nec ſubſtantialiter, nec accidentaliter mutatur realiter.

Sic etiam, cùm profertur vox *Leo*; leo qui realiter fatigat ſylvas, virtualiter ſubeſt accidentibus hujuſce vocis; nam vocis ſubſtantia in leonem virtualiter tranſmutatur. Hujus converſionis virtute leo, qui in ſylvis eſt, nullam patitur mutationem ſubſtantialem, aut accidentalem: nam totum leonis corpus, tota anima ſenſibilis, tota quantitas, omnes qualitates, & univerſa accidentia, quæ realiter ſunt in ipſo; omnia, omnia ſunt virtualiter in voce *Leo*. Interim negari non poteſt, novas aliquas relationes in leone ſignificato reſultare, quæ priùs non erant: nam (1) eſt terminus tranſſubſtantiationis virtualis: (2) eſt in multis locis ſignificativè; hoc eſt, in multis locis, numero diverſis vocibus ſignificatur: quoniam leo A, qui realiter in ſylvâ rugit, in diverſis virtualiter erit gymnaſiis, ſi in diverſis proferatur vox *Leo*: (3) animal illud materiale, quod eſt in ſylvâ circumſcriptivè, ita ut pars parti correſpondeat ſpacii, non erit in voce *Leo* circumſcriptivè: non enim pars vocis ſignificat partē leonis, ſed tota vox *Leo*, totum Leonē. (4) eſt alio modo in dictione, ac in ſylvâ: in ſylvâ enim eſt modo irrationali, & in dictione rationali & intellectuali: (5) in ſylvâ currit, quo innatus appetitus propellit; ſed in dictione ſcriptâ circonfertur, quà & quò confertur ſcriptura: (6) qui in ſylvâ eſt longioris vitæ, in dictione prolatâ quaſi inſtantaneâ exiſtentiâ fruiſcitur: nam voce definente deſinit: (7) &, qui in ſylvâ mortalis & moriturus eſt, in dictione ſcriptâ perennat æternitate ſcripturæ &c. Sed de his inferiùs iterum diſputabimus.

An leo in voce ſignificante ſit circumſcriptive?

Quantum durat ſub ſpeciebus vocis?

Quamdiu ſub ſpeciebus ſcripturæ?



SECTIO XII.

De tempore. *Quando incipit objectum eſſe virtualiter ſub dictione ſignificante? Quando incipit non eſſe? Quamdiu eſt?*

Quando incipit Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus?

SI quæras, Quando-nam incipiat Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus eſſe realiter ſub ſpeciebus? inſtans prolationē immediatè ſequens deſignabit Valentia. Non adquieſcimus. Quoniam verba ſunt cauſa Conſecrationis; & cauſa, non quando non eſt, ſed quando eſt operatur: & hac ob rem nos ultimam literam Conſecrationis adſignamus. Quando igitur in Conſecratione panis ſonat *um*, & quando in Conſecratione vini ſonat ultimum *i*, tunc eſſe incipit ſub illis ſpeciebus Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus. Nec debes dicere cæteras dictiones & ſyllabas ad Conſecrationem non concurrere, quia non ſunt, nam ſunt conditiones, ſine quibus illæ ſyllabæ ultimæ nihil operarentur. Conditionum autem aliquæ realiter, & aliæ moraliter perſeverant, quod breviter & clarè explicabo. Pono duas dignitates A, & B. Ad A promovendi ſint ſenes, ad B docti. Adſpirat ad utramque Petrus, quia ſenex & doctus eſt. Si nec ſenex, nec doctus eſſet, ad neutram promoveri poſſet. Ergo ſenectus & doctrina ſunt conditiones, quæ reddunt Petrum capacem, ut illas dignitates obtineat. At illa conſiſtit in annis, qui fluxerunt, & dicuntur moraliter perſeverare & Petrum denominare: hæc autem in notitiis, quæ actualiter Petri mentem exornant. Ergo, ſicut Petrus ab annis, qui fluxerunt, redditur capax, ut obtineat dignitatem A, ſic ſimiliter ultima verborum ſyllaba à ſyllabis, quæ præceſſerunt, redditur capax, ut virtutem converſivam recipiat, & panem vinumque in Chriſti Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiet.

An, & quomodo conditiones eſſe debeant præſentes?

De forma, quæ hominem ſenem conſtituit.

Sed quamdiu remanet? Quamdiù manent ſpecies incorruptæ. Corruptionem ab alteratione diſtinguo: non enim per quamcumque ſpecierum mutationem eſſe deſinit ſub illis Chriſtus, ſed per corruptivam. Terminos explico. Mutationem alterativam modò appello, quam panis, & vinum non conſecrata ſine ſubſtantiali

De alteratione, & corruptione ſpecierum.

tiali

tiali corruptione subirent; corrupivam verò, quâ positâ, panis, vinumque, si non essent consecratæ, corrumperentur. Supervenientibus igitur qualitatibus, sub quibus panis & vinum, si non essent consecrata, corrumperentur, desinit esse sub illis accidentibus Christus. Ergo ab instanti, in quo ultima syllaba Consecrationis profertur, usque ad primum, in quo qualitates corruptivæ species ipsas inficiunt, sub accidentibus Sacramentalibus permanet Dominus Noster Iesus-Christus.

Quamdiu Christus sub speciebus maneat?

Nunc analogicè de aliqua dictione discurramus: & ne exempli mutatio perspicuitati obsit, vocem *Leo* iterum considertmus.

Si quæras, Quando-nam incipiat ipse leo esse virtualiter sub ista dictione? primum instans post prolationem, aut scriptionem adsignabit Valentia, cui non subscribo. Nam vox *Leo* non significat, quando non est, sed quando est. Sed in primo, post prolationem instanti ipsa non est. Ergo tunc non significat. Ergo incipit significare, quando sonare ultima litera. Literam à syllaba distinguo, non enim est dictio completa, cum incipit ultima syllaba, sed cum ultima litera. Pono exemplum. In voce *Genus*, ultima syllaba incipit cùm sonat *u*: at *Genu* non significat idem ac *Genus*: vox ergo *Genus*, nisi circumstantiæ consignificantes concurrant, & vocem determinent, suam significationem habere non poterit, quousque ultima litera (nempe *s*) auribus percipiatur. Consultò illa verba, *nisi circumstantia*, &c. interposui: quoniam verborum, aut syllabarum, aut fortè literarum defectus, supplentur à circumstantiis adjacêtibus & consignificantibus. Nam in Iure Canonico decernitur baptismum *in nomine Patria, & filia*, &c. esse validum, quod etiam docet S. Thomas *part. 3. qu. 3. art. 3. ad 3.* Vnde inferunt Iuniores validè consecrare eos, qui ex ignorantiâ, aut ex malâ proferendi consuetudine dicunt, *Hoke es corpus meon*, aut etiam *Hike es calis*. &c. quia æquivocatio, si qua est, tollitur à circumstantiis. Ita Pitigianus *in 4. dist. 3. quæst. 2. art. 14.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 14. §. quoad secundum*. Antonius Coronius *in summ. verb. Eucharistia nu. 14*.

Quando incipiat dictio significare?

De ultima litera.

An mala verborum pronunciatio irritet Sacramenta?

Sed quamdiu remanet res significata sub speciebus sensibilibus dictionis significantis? Porrò, si de dictione prolatâ sermo fit, brevissima est, & instantaneæ simillima hæc persistentia: nam vox desinit, & ipsâ pereunte desinit significatio. Cæterùm, si de dictione scripta agamus, est hæc persistentia perpetuæ & æternæ simillima: nam, ut est in diverbio,

Quamdiu maneat res significata sub voce?

Litera dicta volat, litera scripta manet.

Scriptæ tabulæ subeunt alterationē & corruptionem: illa significationem non tollit, tollit hæc: quoniā, si obliteretur, (alteretur) aliquis character, ita ut subintelligi possit ex contextu, alteratio est, & permanet significatio: si autem ita fatiscunt (corrumpuntur) literæ, ut legi non possint, cessat significatio.

Quamdiu sub scriptura?

SECTIO XIII.

De actione. *Quis-nam agat, ut voces significent, aut non significent? ut hoc, aut illud significent?*

OMnis res finita causam habere debet, & per actionem produci: solus enim Deus, quia est Ens necessarium & infinitè perfectum, causâ caret: est enim à se negativè, hoc est, à nullâ causâ effectrice productus. Cùm igitur voces, sint res finitæ, & illas habere significationem sit res contingens, oportet ut causa aliqua sit, quæ voces significatione donaverit, & actio per quā hanc potiùs, quàm illam, voces fuerint significationem sortitæ.

Omnia finita causam habēt.

Sacramenta res sunt simul infinitæ & finitæ: quoniam infinitum est Verbum Æternum, cujus personalitate Humanitas in Christo subsistit: & quia omnia Sacramenta instituit Christus, omnia nobilitat infinitate extrinsecè dominante: & quia in Eucharistia continetur intrinsecè, hæc ipsâ Christi infinitate intrinsecè denominatur. At cætera omnia, quæ in Sacramentis sunt aut considerantur, sunt res quædam finitæ, & ideò habuerunt suum principium & causam. Instituta sunt Sacramenta, quæ in lege gratiæ, à Christo; & habent effectus tales & tantos, quales & quantos sua Divina Majestas disposuit. Sacerdos, verbi gra-

Sacramentorū Institutor quis?

Quo ipsa sensu intrinsecè, aut extrinsecè infinitam habere perfectionem dicantur.

An essentiæ ab existentiis distinguantur?

gratiâ cùm consecrat, non instituit Sacramentum Eucharistiæ, sed facit Sacramentum existere: unde scitè Thomistæ (immò etiam Scotistæ) essentias ab existentiis distinguunt, & diversas illis causas adsignant: nā existentię à Divino intellectu, existētiæ à Divinâ voluntate dependent.

De dictionum essentia & existentia.

Hinc discimus, quî debeamus de Dictionibus philosophari. Oportet enim in eis essentias ab existentiis distinguere, & diversam illarum, diversamque harum causam investigare, & designare.

Quid Vsus sit & quam in verbis, & proscribendis potens?

Porrò, si de dictionum essentia disseramus, cur hæc vox *Leo*, verbi gratiâ, non equum, aut canem, sed Iconem significet, inquiremus. Respondebiturque, sic Nomenclatori placuisse. Et, si quisnam iste fuerit Nomenclator, interroges. Horatius populi consensum producet, quem Vsum nominat, ejusque in verbis constituendis & abolendis potestatem his numeris ingeniosè describit.

Horatii de ortu & interitu Vocum sententia.

Vt sylva foliis primos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita Verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentq;
Debemur Morti nos, nostraque: sive receptus [a]
Terrâ Neptunus classes Aquilonius arcet,
Regis opus [b] *sterilisque diu palus* [c] *aptaque remis*
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum,
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis
Doctus iter melius: Mortalia facta peribunt.
Nedum sermonū stat honos, & gratia vivax,
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet [c] *usus,*
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Cur multa in Veterum libris non intelligamus.

a] Multa hodie in Martiale, & aliis libris legimus, quæ iogeniosè sunt dicta, & tamen frigidiuscula apparent, quia circumstantias, qoas concernunt, & adludunt nescimus: & idem Lectori impræsentiarum accidet, si Historiarum notitias opportunas non habeat.

De lacu Lucrino.

Sciendum igitur est hic Horatium *recepti Neptuni* nomine lacum Lucrinum intelligere, quem magnis aggerum molibus Iulius Cæsar inclusit.

Opus Regis quid sit?

b Esse inqoit *Regis opus*, ut insinuet, tam fuisse exorbitātes expensas in illo agere factas, ut non nisi Regiæ divitiæ, ut perficeretur, sufficerent.

De Palude Pomptina.

c] Duo hic: alterum circa historiam, & alterum circa syllabarum quantitatem observo. Et agendo de re; assero paludem, cujus Horatius meminit, Pomptinam esse, quæ Cethegi labore & industria exsiccata, & à rusticis arata, magnam granorum copiam præbuit.

Ratiocinium Horatii.

Vnde argumentum Horatii est hoc, Si ipsamet tellus mutat faciem, & jam Mare in Valles recipitur, & jam arcetur; &, si regio, quam heri percurrebant phaseli, hodie sentit aratrum; quid mirum, immutentur vocabula, quæ pendent ab arbitrio loquentium.

Et agendo de metro; moneo Generalem Regulam postulare, ut finita in *us*, si crescant in obliquis penultima longa, in longam desinant, ut *Virtus*, *utis*. & *Palus*, *udis*. Quia autem nemo vocem *Virtus* voluit alio metiri modulo, mansit illa sub lege: *Palus* autem, de qua Horatius secundum legem cecinit

Limosaque palus obducat pascua junco

& libr.4. Georg. Virgilius

Cocyti tardaque palus [*] *innabilis unda.*

& Operis Heroici libr 6.

Dicitur & tenebrosa palus Acheronte refuso &c.

Fata obstant, tristique palus innabilis unda,

& Transformationum libr.11. Ovidius,

Juncta palus huic est densis obsessa salictis.

*] Sed quò refertur illud *tarda*? An-ne est *tarda palus*, an *tarda unda*. Vocem *tarda* esse in ablativo prodit ultimæ quantitas, non ergo afficit paludē, sed undam.

De voce palus, An habeat ultimam syllabam communem?

Ecce Poetæ ultimam in voce *Palus* ex Regula communi consilio producunt: solusque & tantùm hic Horatius, nam alibi aliis adhæret, illam corripit. At quid dicemus? Propter hunc unicum Horatii locum à P. Ioanne Baptista Ricciolio in Prosodiæ Reformatæ Indice Generali illa syllaba dicitur esse communis, cùm satius fuerit notare negligentiam Horatii, quam syllabam, cui ratio præscribit quantitatem, à Regula generali subducere.

Prima omnium lingua, quæ?

Sic & benè discurrebat Horatius. Ego illi adhæreo, & ut breviter veritatem exponam, *Dico primò*. Omnium antiquissima lingua, quâ in paradiso sunt usi Protoplasti, Hebrea fuit. Est conclusio communis, quam frustra impugnant Amira, & Gotopius Becanus, illæ Chaldææ, hic Celticæ (Belgicæ antiquæ) principatum deferens antiquitatis.

Linguarum Author, quis?

Dico secundò. Hebræam linguam conformavit Deus. Est certissimum, si de primis agamus vocabulis, quoniam *Genes.*1. dicitur vers.5. *Appellavitq; lucem* יום, *lom*, diem: *& tenebras appellavit* לילה, *laila*, noctem *&c.* & vers.8. *Vocavitque firmamentum* שמים, *Samáim*, Cœlum *&c.* & vers. 8. *Et vocavit Deus aridam* ארץ, *arets*, terrā: *congregationesque aquarum appellavit* ימים *Iamim*, maria *&c.*

An-ne linguā Hebræam composuerit Adamus?

Cæteras Deus voces imposuit rebus per Adamum, quoniam, ut habetur capit.2. vers.19. & 20. *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia,*

lia; & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ. &c. Statui Deum per Adamum animantibus nomina imposuisse, ut responderem Mersenno *Problem.* 3. interroganti, An forte Deus ipsa nomina ei (Adæ) revelabat, dum ea pronunciaret; vel paulò antè? *Dico tertiò*, Linguas multiplicavit Deus; nam, ut *Genes.* 11. habetur, erigebant homines molis immensæ turrim, *Descendit autem Dominus, ut videret Civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit, Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus: cæperuntq; hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare Civitatem. Et ideò vocatum est nomine ejus* Babel, *quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Ergo singulis hominibus Deus diversi Idiomatis notitiam & usum infudit. At hæc idiomata ante turrim non erant: illa igitur composuit Deus. Quamobrem *Dico quartò*, linguæ illæ, si incorruptæ mansissent, essent perfectissimæ & elegantissimæ, quoniam Dei perfecta sunt opera: jam autem in ætate decrepitâ balbutiunt, quoniam hominum barbarie & tempore ab antiquo nitore desecerunt, & in varias fuerunt species subdivisæ & defiguratæ; nam, ut alias præteream, quid aliud sunt Italica, Gallica, Hispanica, Lusitana, Galleca, &c. quàm linguæ latinæ parallaxes, aut clariùs loquendo corruptelæ? Stat igitur linguas Deum conformasse, & hominibus infudisse. Dictionum ergo essentiæ gloriantur, quod Authorem cognoscant ipsum Deum.

Unde hodie tanta sit linguarū varietas?

Cur linguæ ab antiquo nitore defecerint?

Si verò de dictionum existentia sit sermo, dictio *Leo*, quæ non à me, sed à Nomenclatore habet, quod leonem significet, quod ad essentiā pertinet; à me habebit, quod existat, si vel ipsam protulero, vel scripsero. Ego igitur sum, non, qui essentiam, sed qui existentiam vocibus, & dictionibus indo.

De existentia Vocum, quā causā habent?

SECTIO XIV.

An actio, quæ dictionem in rem significatam convertit sit productiva, aut adductiva?

PER consecrationis verba Dominum Nostrum Iesum-Christum sub accidentia panis & vini poni, certum est: incertum verò, an hæc actio sit productiva, an adductiva? hoc est, an sub speciebus illa producat Christum Dominum: an illum sub species adducat? Nonquærit hæc sententia, an adducatur Christus, ita ut esse desinat in termino *à quo*, transeat per medium, & esse incipiat in termino *ad quem*: nam philosophatur subtiliùs, relinquit enim Christum in termino *à quo*, non perducit per medium, & tamen sub terminum *ad quem* constituit. Vtraque est sententia plausibilis, & potest à doctis admitti: verum enim verò alias ab unâ, alias autem ab alterâ consequentias educam.

An consecrationis verba Christum producant, an adducant?

Si esse productivam dicamus, existentia Christi Sacramentalis, non ab illâ, quam realiter habet, sed ab Institutione dependet. Quam ob rem producet Sacerdos missam celebrans totum Christum: nempe Christi corpus ex vi verborum, & sanguinem per concomitantiam sub speciebus panis: nec non sanguinem Christi ex vi verborum, & corpus per concomitantiam sub speciebus vini. Producet, inquam, Christum qualis erat, cùm hoc Sacramentum instituit: eo ipso modo, quo Christus produxit, quando Sacrum Convivium celebravit, & discipulis suis Eucharistiam distribuit. Si quis in triduo celebrasset, produxisset sub speciebus Christum vivum: quoniam de Christo vivo est institutio, & existentia Sacramentalis à reali nullo modo dependet. Si per impossibile Deus in cælis humanitatem Christi adnihilaret, per locum intrinsecum non tolleretur Sacramenti institutio: ergo adhuc possent missas celebrare Presbyteri; & Christus, qui in cœlis non esset, produceretur sub speciebus panis & vini.

Prima hypothesis. Verba esse productiva.

Quænam ex ipsa consequentia inferantur?

De triduo?

Quid si in cælis adnihilaretur Christi humanitas?

Si autem esse adductivam dicamus, aliter debebimus philosophari: nullus enim adduci aliquo potest, qui non existit. Christi igitur Sacramentalis existentia dependebit ab

Secunda hypothesis. Verba esse adductiva.

Quænam ex ipsa consequentia inferantur?

ab exiſtentiâ reali, quam habet extra Sacramentum. Quam ob rem Sacerdos miſſam celebrans totum Chriſtum; nimirùm Chriſti corpus ex vi verborum, & ſanguinem per concomitantiam ſub ſpecies panis: nec non ſanguinem Chriſti ex vi verborum, & corpus per concomitantiam ſub vini ſpecies adducet. Vnde, ſi quis celebraſſet in triduo, corpus mortuum ſine ſanguine, & ſanguinem mortuum ſine corpore, ſub ſpecies panis & vini addnxiſſet: ſiſteret enim ſub ſpecies corpus & ſanguinem, qualia erant extra Sacramentum. Adeoque, ſi per impoſſibile Chriſti humanitatem adnihilaret Deus, Verabile ceſſaret Sacramentum: nec poſſent miſſas celebrare Presbyteri: non enim ſub ſpecies adduci poſſet, qui extra Sacramentum non eſſet.

An ſignificatio ſit cōverſio adductiva, an productiva?

Sic etiam poſſent Critici de vocum ſignificatione diſcurrere; qui enim dictionis *Leo* literas pronunciat, aut ſcribit, poſſet dici ſub ſpeciebus earumdem ſenſibilibus virtualiter leonem producere, vel etiam ſub eaſdem ſpecies virtualiter leonem adducere. Et fortè hic ultimus modus dicendi magis placeret Ariſtoteli, qui ideò voces pro rebus ſumptas aſſerit, quia res non poteramus ad ſcholas adducere. Hoc tamen non obſtante alteri modo opinioni inſiſtamus, quam judico inſtituto noſtro convenientiorem eſſe.

De Ariſtotelis mente.

Quid ex vi verborum, & quid per concomitantiam ſignificetur?

Porrò exiſtentia virtualis, quam ſub ſpeciebus dictionis habet res ſignificata, ab exiſtentia reali, quam habet realiter extra dictionem non dependet. A Nomenclatore habet eſſentiam, à proferente verò, aut à ſcribente exiſtentiam. Qui vocem profert, ex prolationis vi ſolam eſſentiam leonis profert, at per concomitantiam ea omnia dicit, ſine quibus non poſſet leo virtualiter exiſtere ſub ſpecibus. Hinc lux illi Regulæ juris, *Acceſſoria ſequuntur principale*. Vnde noſtra Sancta Mater Eccleſia, cùm miſſam audiri percipit, ex vi verborum, ut miſſam audias, ſolum præcipit; concomitanter autem cenſetur compræcipere omnia illa, quæ ſi non facias, non poteris miſſam audire: nam, ſi illa celebranda ſit in Eccleſiâ, & tu jaceas in lecto, concomitanter ſedes Apoſtolica præcipit, ut è lecto ſurgas, te veſtias, domo egrediaris, ingrediaris in Eccleſiam, &c. Hinc quoties aliquem favorem, aut licentiam concedit, tametſi ex vi verborum ſolus ille favor, aut ſola illa licentia concedatur, tamen concomitanter illa omnia conceduntur, ſine quibus ille favor, aut illa licentia ad praxim reduci non poteſt. Hinc tandem, ſi res ſignificata fuerit, & jam non ſit, ut Troja: vel nondum ſit, ut Antichriſtus: vel in nullâ differentiâ temporis fuerit, aut futura ſit, ut alius Mundus per actionem virtualem adductivam poni virtualiter ſub ſenſibiles ſpecies non poſſet: quod enim non eſt, nequit adduci: at verò, quia actio eſt productiva, ut ſupponitur, etſi in rebus, id quod ſignificatur, non ſit, ponitur virtualiter ſub dictionis ſpecies; dicimus enim *Troja fuit, Antichriſtus erit, Alius Mundus nunquam futurus eſt*. &c.

Quanam in lege compræcipiātur?

Quanam in licentia concomitanter conceduntur?

Res ſignificata ab exiſtentia reali non dependet.

SECTIO XV.

De Paſſione, & Fieri. *An omnia, & ſingula, quæ in mundo ſunt, poſſint verbis ſignificari?*

An cum cæcis poſſimus de coloribus loqui?

RAtio dubitandi eſt, quia ſi omnes homines fuiſſent cœci, nihil de coloribus ſcirent, nec illos in claſſes dividerent, & ſubdividerent, nec nominibus variis notarent. Pone in caſu (nimirū, qui omnes homines cęcos eſse ſupponit) Claudiomirum donari viſu. Colores univerſos videret: an-ne poſset verbis ſignificare? publicis & politicis, minimè: tunc enim commune hominum idioma non haberet à populo recepta vocabula, quibus colores ſignarentur. At vult narrare cæteris, quæ in coloribus obſervavit. Quo id ipſe modo præſtare poterit? Nullo prorſus: & hoc evidenter oſtendo: nam vel utetur vocibus antiquis à vulgo receptis, per novas formabit. Si primum: ergo nominibus verbi gratia ſaporum colores notabit & diſtinguet. Quo ergo modo Auditores per ſaporum notorum nomina ad colorum ignotorum cognitionem perveniet? Si ſecundum: finget nomina authoritate privatâ, quæ nihil ſignificent publicè, quæ ſolus Claudiomirus intelliget; quæ cæteris nihil omninò proſint. [Et quidem Claudiomirus in

Cæcus colorum nomina non intelligit.

De odorum coloribus.

Caſu

Casu esset Titii (nominis non recordor, sed est historia vera) similis, qui olfactu perfectissimo præditus res aut occultas, aut distantes, cum admiratione cæterorum ex odore noscebat. Hinc sanè, nam erat eruditus, odores distinguebat per genera, & subdividebat per species, & quia vocabulis destituebatur, ut aliquo nobis modo odores, quos solus ipse sentiscebat posset significare, colorum utebatur nominibus, & alios aureos, argenteos, plumbeos, &c. alios candidos, pallidos, cinericeos, &c. alios nigros puniceos, luridos, &c. vocitabat. At ille se his nominibus intelligebat, & à cæteris non intelligebatur.]

1. Corinth. 12. — Hinc D. Paulo lux, qui alloquitur Corinthios his verbis. *Veniam autem ad visiones & revelationes Domini. Scio hominem in Christo,*

De extasi D. Pauli.

ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit) raptum hujus modi usque ad tertium cælum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

An raptus fuerit ad Empyreum?

Idem Paulo est tertium Cœlum, ac Paradisus: quoniam juxta communem Patrum interpretationem Cœli sunt tres; Aëreum, Æthereum, & Empyreum. Paulus igitur raptus est in Empyreum. At ibi

Cur ea, quæ viderat & audierat, non potuerit dicere?

multa vidit, multa audivit, quæ non licet homini loqui. Et cur non licet? An-ne habuit tacendi præceptum, quale habuerunt Petrus, Iacobus, & Ioannes frater ejus, qui-

Matth. 17.

bus (fuerant enim Transfigurationis testes) indixit Christus, *Nemini dixeritis visionem. &c.*? Non ex hoc capite prodierat impotentia, sed ex defectu verborum: nam erat similis Claudiomiro, qui, cum cœcis vole-

Quantum à naturalibus differant supernaturalia?

bat de coloribus loqui. Quæ in Empyreo suspexerat, non jam specie, aut genere, sed systemate distinguebantur: ergo si vellet illa exponere, deberet uti nominibus apud nos receptis, vel nova fingere. Si hoc secundum, sibi soli loqueretur, non nobis. Si illud primum, esset similis Claudiomiro, qui frustra saporum nominibus colorum differentias & proprietates coram cœcis volebat explicare. Recogitabat ergo Paulus, quæ viderat, quæ audierat: videlicet, secretas res, ab omni humana cognitione remotas: arcana verba, toto cœlo à linguis humanis distantia: & quia Græca lingua, tametsi opulentissima, carebat verbis, quibus illa posset exprimere, ad Corinthios scribit se audivisse verba arcana, quæ non licet homini loqui.

1. Corinth. cap. 1. vers. 14. & 9.

Quoniam Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus: neque enim oculus vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Consonat suo Magistro Dionysius, *de Divinis nominib. ca. 1. §. 1.* dicens.

An homo verè materialium speciebus, aut res materiales significantibus vocibus exprimere possit, quid sit Deus?

Sicut enim ea, quæ sub intelligentiam cadunt, per ea, quæ sub sensum cadunt, comprehendere & contemplari non possumus, neque per ea, quæ typis & signis informantur, ea quæ simplicia sunt & typis non signantur, neq; per figuras corporum incorporea, quæ neque sensum tactus subire, neque figuram & formam capere possunt: eadem planè ratione veritatis supra substantias est illa suprasubstantialis Infinitas; & supra mentes illa supra mentem Unitas; & omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem Unum: omnique verbo ineffabile est illud supra verbum Bonum; Unitas effectrix universæ unitatis, & substantia suprasubstantiam, & Mens non cadens sub intelligentiam, Ratio non effabilis ratione, Intelligentia, nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens: quæ quidem causa est, ut omnia sint, ipsa verò non est, ut quæ quiescit extra omnia, quæ sunt, quemadmodum etiam ipsa de se propriè striteque hæc effari potest.

An solum panis & vinum in Christi corpus & sanguinem solummodò converti possint?

His positis, ut pergamus securiùs ad Eucharistiã oculos convertamus. Panis ibi & vinum in corpus & sanguinem Domini Nostri Iesu-Christi convertitur. Sunt duo termini: *à quo, ad quem.* An-ne alia in Corpus & Sanguinem Domini transubstantiari possunt? An-ne hæc (panis, & vinum) in alia: puta in Deiparæ, aut alicujus Apostoli corpus?

An quodlibet in quodlibet posse converti?

Hic oportet Sacramenti institutionem ab institutoris omnipotentia distinguere. Omnia hæc Deus potuit facere: quis de hoc dubitet? Potuit aliam quamcumque rem (aurum, argentum, lapidem, lignum, &c.) in suum corpus convertere; potuit panem & vinum in corpus cujuscumq; Sancti transsubstantiare; voluit tamen ob rationes altissimas transsub-

stantiationem Sacramentalem ita instituere; ut panem & vinum, & non alias materias, in Corpus, & Sanguinem, & non in alias res converteret. *Notandum tamen est*, esse aliqua, quæ natura sua sunt incapacia, ut hanc transubstantiationem terminent; puta Relationes & Modos, non enim potest lapidem Deus convertere in Paternitatem, neque arborem in diem Dominicam.

An substantia in modum?

Sic similiter, cùm quæritur, cur vox *Leo*, non taurum, sed leonem significet? an posset Angelum? an alia quæcumque vox possit leonem signare? oportet Institutionē à Nomenclatoris potestate distinguere. Omnia hæc potuit Nomenclator facere: quis de hoc dubitet? Potuit aliam quamcumque vocem (monosyllabam, dissyllabam, &c.) assumere, ut leonem significaret: potuit hac voce *Leo* notare Angelum, sydus, elementum, &c. & cur instituit, ut hæc vox *Leo*, non aliam rem, sed leonem tantummodò indiceret? Quia voluit: stat pro ratione voluntas; unde voces dicuntur ad placitum significare. *Notandum tamen est*, esse res aliquas, tam remotas ab humana notitia, ut vocibus non possint exprimi: sicut enim frustra & ineptè Claudiomitus coram cæcis de coloribus disputaret, & frustra, etiam & importunè colores saporum nominibus conaretur exprimere, sic etiam frustra Paulus rerum corporearum vocabulis exponere morralibus vellet, vel minimi Angeli dotes & prerogativas (naturales, & supernaturales) quibus condecoratur. Multæ sunt, variæ sunt, perfectissimæ sunt: ignotæ hominibus; & nullius idiomatis vocibus in specie explicabiles.

An quæcumque vox possit quodlibet significare? An quodlibet voce qualibet significari?

An sint aliqua ineffabilia, quæ vocibus nō possint exprimi?

SECTIO XVI.

De Vbicatione & loco. *An res per dictionem significata esse possit connaturaliter in duobus locis; in alio realiter, & in alio virtualiter, & significativè. An etiam in pluribus virtualiter & significativè?*

Dominus Noster Iesus-Christus habet unicam ubicationem realem connaturalem, & plurimas Sacramentales. Per realem sedet ad dexteram Patris in Empyreo, & per Sacramentales est in plurimis diversarum provinciarum Ecclesiis, sub panis & vini accidentibus.

An Christus plures ubicationes habeat?

Non aliter Roma: realiter habet locum determinatum in Italiâ, sub altitudine Poli gr. 42. min. 2. ut Lansbergius, & alii communiter statuunt. At quoniam est virtualiter in voce *Roma*, quàm multos ipsa locos virtuales habet? Vbivis dicitur, aut scribitur, ibi est: & quia vix est liber, in quo non nominetur; innumerabiles habet ubicationes virtuales.

An, & quomodo Roma sit in multis locis?

SECTIO XVII.

De loco circumscriptivo & definitivo. *Quomodo sit res significata in dictione significante?*

Dicitur esse corpus circumscriptivè, quia totum corpus toti spacio, & pars corporis parti spacii respondet: dicitur Angelus esse definitivè, quoniam totus est in toto, & totus in qualibet spacii parte.

Loci definitivi & circumscriptivi differētia.

Sed quomodò est sub speciebus Dominus Noster Iesus-Christus? *Respondeo primò*. Christus non est circumscriptivè, ita ut totus Christus totis speciebus, & singulæ Chrsti partes singulis partibus specierum respondeant. *Dico secundò*. Si species dividantur civiliter, hoc est, in partes homogeneas, est definitivè, hoc est, totus in toto, & totus in qualibet parte: & hoc etiam post separationem debet intelligi. At præter partes homogeneas sunt heterogeneæ in pane & vino. Sed de his jam egimus sect. 7. de continuâ Quantitate tractantes.

An Christus Dominus sit sub speciebus Sacramentalibus circūscriptivè? An definitivè?

Eodem prorsus modo de significativis vocibus philosophamur, juxta ea, quæ uberiùs diximus *loc cit.* Sanè leo sub speciebus vocis *Leo* non est circumscriptivè, non enim caput literæ *l*, pectus literæ *e*, & pedes literæ *o* correspondent: sed ante divisionem totus est in toto, & totus in qualibet parte. At post divisionem, quia partes heterogeneæ sunt sub nulla remanent, quia tollitur significatio.

Quid de re significata dicendum sit?



SEC-

SECTIO XVIII.

De Situ: *An-ne partium ordo situsve in Significatione inveniatur?*

De ordine partium. Duplicem sensum habet quæstio, (1) an specierum partes postulent ordinem inter se? (2) An conservent ordinem rei significatæ partes.

De specierum Sacramentalium situ. In Eucharistiæ Sacramento sunt specierum & Christi partes. Sanè partes specierum, vel sunt homogeneæ, vel heterogeneæ; hæ ordinem & situm habere debent, nullum illæ ordinem, aut situm observant. Nam vini consecrati partes, etsi ordinem mutent, non ideò Sacramentum mutatur. In heterogeneis autem partibus ordinem Chymici doctiores statuunt. *De situ partium Dominici corporis.* Christi autem partes in ordine ad se habent ordinem; nam oculi uniuntur capiti, caput collo, collum pectori, &c.& hic partium ordo reperiri potest in indivisibili spacio. Hinc, ut clariùs procedant Theologi asserunt situm esse *Situs est duplex.* duplicem: in ordine ad se, & in ordine ad locum. Porrò in ordine ad se, quando partes inter se, ordinan- *In ordine ad se.* tur, tametsi omnes sint in eodem loco penetratæ; nam in uno indivisibili Eucharistico est corpus Christi, & in ipso caput collo, non autem manui, aut pedi unitur immediatè; tametsi verum sit dicere, in hoc spacio indivisibili, est caput, est collum, est pectus, est brachium, est manus &c. Prætereà in eodem spacio indivisibili corpori inest anima, animæ potentiæ, potentiis species, & actus; & tamen actus mentis nec inest immediatè corpori, nec unitur calcaneo. *In ordine ad locum.* In ordine ad locum dicitur res habere situm, quando partes singulæ sunt in diversis spacii partibus: ego enim ubi habeo caput, nec manus, nec digitos habeo: sed mea membra eo ordine, quem habent inter se, sunt etiam in diversis spaciis. Et hinc veniendo ad Eucharistiam concludunt, in Sacramento Corpus Domini Nostri Iesu-Christi habere situm in ordine ad se, non autem in ordine ad locum; licèt enim habeat ordinem partium, omnes ipsæ in eodem loco penetrantur.

Heterogeneæ sunt dictionum partes. *Analogia* nos ducet, ut de dictionum significatione legitimè discurramus. Non habent partes homogeneas, sed heterogeneas, & ideò situm habent. Si situm literarum mutes, significationem mutes; nam significatio debetur, non literis qualitercumque dispositis, sed talem situm & ordinem observantibus: quoniam *Debent habere determinatum ordinem inter se.* in his vocibus, ROMA, AMOR, MORA, MARO, &c. eædem sunt literæ, sed quia aliter & aliter ordinatur, diversissima significatio. Interim in hac voce *Roma* tota clauditur urbs, *Etiam distincta inter se.* cujus montes, plateæ, fora, palatia, horti, &c. habent situm in ordine ad se, quem sub his paucis literis in ordine ad locum non habent.

Etiam significationem mutat vocum ordo: nam *Bona-vallis*, & *Vallis-Bona*, ut alia nomina prætiream, sunt Cisterciensis Ordinis apud Hispanos Monasteria diversa.

SECTIO XIX.

De Habere. *An, & quomodo significatio sensibiles species habeat?*

Ut respondeant interrogantibus, Cur ad Sacramentalium *An, & quomodo corpus Christi cum speciebus Sacramentalibus unatur?* specierum motum moveatur etiam Christus Dominus. Recentiores nonnulli, quibus Ludovicus Mæratius *tom. 3. tract. de Eucharist. disp. 16.* à me in Philosophia impressa Lovanii *num.* 4097. citatus, subscribit, posuerunt reale vinculum; & quia nolebant dicere species inhærere & informare Corpus Christi, statuerunt hoc vinculum, unionem-ve, ad Prædicamentum *Habere* spectare. Aliter igitur Christi Corpus habet Animam, aliter accidentia intrinseca, & aliter species has Sacramentales.

Postulat consequentia ratio, ut inter vocis species sensibiles, & rem *An, & quomodo vox significans & res significata uniantur?* significatam vinculum & unionem ponamus, qui non sit informatio, aut inhæsio, sed quædam virtualis conjunctio pertinens ad *Habere* virtuale. Hujus vi leo significatus, qui sensibilibus speciebus vocis *leo* virtualiter substat, in recto concipitur, & illas virtualiter sustentare censetur.



SECTIO XX.

De Nomine universim.

Unde-nam derivetur nomen Nomen?

OMnes sciunt, quid sit *Nomen* non autem omnes, unde illud dicatur, aut. ducatur. Vocantur enim *Nomina* voces illæ, quibus res singulæ significantur. At originem vocis alii è Græciâ, alii è Latio deducunt. Illi existimant Græcorum ὄνομα, prima litera abjecta, transiisse in *Nomen*: quoniam hæ voces (Ὄνομα, & *Nomen*) idem prorsus significant. Hi *Nomen* existimant dici, quasi *Novimen*, à verbo *nosco*, quod rebus solummodò notis nomina in Scholâ imponantur.

Nominum, alia sunt honorifica,

Nominum alia gloriosa sunt, & alia cum infamiâ conjuncta. De prioribus Æneid.libr.2.Maro,

— *Et nos aliquod nomenque decusque*
Gessimus:

Et 10. Met. Naso,

— *Magnum & memorabile nomen.*

Et libr.2.Trist.Eleg.1.

— *Moles Romani nominis urget.*

Et libr.5.Eleg.1.

Nec mihi jus Civis, nec mihi nomen abest.

Iterumq; Ovidius alibi.

Et plures quorum nomina magna vigent.

De posterioribus idem Naso libr. 2. Trist. Eleg. 1. loquebatur, cum cecinit.

Rebus inest nomen, nominibusque pudor.

Alia dedecus & infamiam important.

Et talia sunt Patriæ, familiæ, aut conditionis, quam quis cum pudore fatebitur. Hinc Hispanus, quando sordida nomina vocat, præoccupat incriminationem dicens, *hablando con perdon*, ut, vel sic notam incivilitatis effugiat. Et huc spectare videntur ignominiosa omnia Infamiũ & sceleratorum hominum nomina, qualia sunt Rebellium, & Hæreticorum; ex quibus, ne te gravem pluribus, *Lutheri* nomen propudiossum produco. De illo P. Andreas Frusius S.I. aliquando sic scripsit.

De Lutheri ignominioso nomine.

Depinget dignis te nemo coloribus unquam:
Nomen ego, ut potero sic celebrabo tuum.

Qualis fuerit Martinus Lutherus hoc Acrostichi P. Andreas Frusius, S. I. eruditè dilucidat.

Magnicrepus, Mendax, Morosus, Morio, Monstrum;
Ambitiosus Atrox, Astutus, Apostata, Agaso,
Ridiculus, Rhetor, Rabiosus, Rabula, Rapter,
Tabificus, Tumidus, Tenebrosus, Transfuga, Turpis,
Impius, Inconstans, Impostor, Iniquus, Ineptus,
Nycticorax, Nebulo, Nugator, Noxa, Nefandus,
Ventosus, Vanus, Vilis, Vulpecula, Vecors,
Schismaticus, Stolidus, Seductor, Simia, Scurra,
Lascivus, Leno, Larvatus, Latro, Lanista,
Ventripotens, Vultur, Vinosus, Vappa, Voluptas,
Tartareus, Torris, Tempestas, Turbo, Tyrannus,
Hæresiarcha, Horrendus, Hypocrita, Hydra, Hermaphroditus,
Erro, Execrandus, Effrons, Effrenis, Erinnis,
Retrogradus, Reprobus, Resupinus, Rana, Rebellis,
Vesanus, Varius, Veterator, Vipera, Virus,
Sacrilegus, Sathanas, Sentina, Sophista, Scelestus.

Alii alia proponant & exponant; sufficiat mihi hoc unicum in exemplum æternæ ignominiæ posuisse.

Hæc universim dicta sint; pergamus ergo ulterius; & tam de gloriosis, quàm de ignominiosis nominibus nonnihil in particulari subscribamus.

SECTIO XXI.

De honore, qui, debetur Nominibus. *Qualis, & quotuplex ille sit?* & *An, & cur* Iesus, Maria, *nec non Sanctorum, qui triumphant in Empyreo; & cur etiam Principium, adhuc viventium nomina, speciali reverentia colantur?*

Quid Adoratio sumpta universim sit?

ADoratio est eadem, ac Veneratio & in actu humilis Reverentiæ, exhibito Personæ intellectuali consistit: non enim insensibiles substantias propter se, sed propter intellectuales adoramus.

In interiorem & exteriorem dividitur.

Quia autem homo ex Corpore & Anima componitur, ita ut *lib.4.* nos docet Damascenus, & interiori motu Animæ, & exteriori Corporis, &

utroq;

utroque simul fieri potest & solet veneratio. Personæ enim, quam colimus, nos submittimus mente, & detegendo caput, osculando manum, genua flectendo, corpusque prosternendo, &c. nos ejusdem servitio mancipamus.

An gradus habeat?

Duos gradus habet: nam Personam, quam colimus, adoramus ut Deum, aut veneramur ut sanctam. Adoratio illa Græcè Λατρεία dicitur. illamque Deo exhibemus propter se ipsum: hæc nominatur Δουλεία, & propter Deum Viris Sanctis, & Angelis, velut Dei amicis conceditur. Sed & addi poterit Cultus tertius, qui fit Δουλεία πολιτική, *Veneratio civilis*, quâ Reges, Principes, & alios homines, etiamnum viventes, honoramus. Augustinus libr. 10. de Civit. Dei. *Λατρείαν nostri ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur Hominibus, secundum quam præcipit Apostolus* servos dominis suis subditos esse debere *alio nomine Græcè* (nempè Δουλεία) *nuncupari solet. Λατρεία verò secundum consuetudinem, quâ loquuti sunt, qui nobis Divinam Eloquentiam* (Θεολογίαν, nimirùm) *condiderunt, aut semper, aut frequenter, aut penè semper* (jam hodiè apud Christianos semper) *ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum*. Et Latria duplex est Absoluta & Relativa; illa debetur soli Deo, nam exhibetur ipsi propter se; hæc censetur extrinseca convenit rebus quæ coluntur & adorantur propter Deum. Quod adoratur absolutè dicitur adorari *ut quod*: quod verò relativè, & transitivè, adoratur *ut quo*.

Quæ sit Latria? Quæ verò Dulia?

Quid Divinæ Eloquentiæ nomine intelligatur?

Interim, quia

— *Fulget Æterni Genitrix Monarcha*
Cælites inter, velut inter Astra
Luna minora,

illc cultus Δουλείας, qui ei exhibetur, esse debet eminentior, & major, & ideò ὑπερδουλεία meritò vocari solet.

De Hyperdulia, quæ est reverentia debita Angelorum Reginæ.

Hac doctrinâ præmissâ ingreditur Quæstio, quæ intertogat, *An, & qualis veneratio Nominibus prolatis debeatur?*

De nominibus יְהוָֹה Ieova, Ἰησοῦς, Iesus. *An adoranda?*

Respondeo primò, *Nomini Hebraico* יהוה, Ieova, *quod substantiam per essentiam existentem significat: nec-non nomini* ישוע, Iesvah, *quod à salvando dicitur, unde prodiit nomen Græcum* Ἰησοῦς, *quo Latini & cæteri impræsentiarùm utimur, Latria cultum exhiberi debere*. Et patet, quia quando proferuntur hæc nomina, sub speciebus illis audibilibus intelligitur ipsemet Deus.

Secundò, *Nomini* Maria *Hyperdulia cultum exhiberi debere*. Et patet propter eamdem rationem, quia sub illo vocis sono virtualiter & moraliter substat Angelorum Regina, quam Hyperduliæ obsequio veneramur.

De nomine Maria.

Tertiò, *Nominibus Sanctorum, qui in Cælis triumphant, Dulia veneratio exhibetur*. Et quidem non coluntur ipsæmet voces, quæ audiuntur; sed personæ, quæ illis vocibus significantur: ipsæ enim (voces) secundum entitatem, quam habent, & realiter loquendo, non sunt rationales substantiæ, sed merus aër sub tali articulatione fractus: at loquendo moraliter, seu virtualiter, quia in rem significatam moraliter transsubstantiantur, prudentum hominũ suppositione, & judicio ita se habent, ac si essent illæ ipsæmet Personæ, quæ significantur. Et hanc ob rem audito *Iesu* nomine, latriæ actum elicio, quo Iesum ipsum, non autem aërem, qui frangitur, ut sonet, colo: & audito nomine *Mariæ*, actum formo hyperduliæ, quo ipsammet Dei Parentem veneror, non syllabas, quas auris percipit: & audito nomine *S. Petri*, facio actum duliæ, quo ipsummet S. Petrum, Apostolorum Principem, & Christi Vicarium, non autem literas, in aëre resonantes, suspicio.

De Sanctorum nominibus.

Nomina bifariam debent cõsiderari: realiter, nimirùm & virtualiter

Et hinc constat, cur audito Summi Pontificis, Regis, Prælati, aut etiam alicujus Amici nostri nomine, pileum deponimus, caput inclinamus, & reverentiam exhibemus. Sub audibilibus enim illorum nominum speciebus, Pontifex, Rex, Prælatus, & Amicus, censentur substare virtualiter. Hoc est, prudentum suppositione & judicio ita se habere, ac si substarent verè & realiter. Illa igitur reverentiæ signa, esse solent Politica, nam in illis hominibus humana authoritas ab hominum electione dependens, solet considerari: interim si illa consideretur, ut proveniens à Deo, & ut est quædam Divinitas participata, Theologicum cultum merebitur, nam & juramentum

De Principum, etiamnum viventium nominibus. An, & quomodo sint veneranda?

In publico Germanicæ Pacis Instrumento *per Majestatem suam Cæsaream* juravit Imperator, *per Majestatem Regiam* Reges, *per Dignitatem Electoralem* Principes Electores. &c. Et quæritur, *An hæc juramenta sint merè Politica an verò sint Theologica, & conscientias obstringant?*

tum

tum Regis, quod sub unâ consideratione est merè humanum, & civile, sub altera Theologicum est: aliud enim esset dicere, *Iuro per Regiam Majestatem, quam recepi à Populo*: quod Ius jurandum posset emittere Gentilis, qui non benè cognosceret, in quo consistat Superiorum authoritas; & aliud toto Cælo diversum, *Iuro per Regiam Majestatem, quam à Divinâ Providentiâ participo*. Quoniam in hac verborum formulâ Divinitatem, quæ extrinsecè participatur, Iusjurandum afficeret.

SECTIO XXII.

De Blasphemiâ, & contumeliâ, qua affici solent Nomina.

Cur de hoc argumento disseratur?

QVIA opposita juxta se posita magis elucescunt, postquam de Nominum Veneratione disseruimus, de eorumdem Contumeliâ & Vilipendio disputemus.

Quo modo possit Contumelia committi?

Personæ in se ipsis, si præsentes sint; &, si absentes, in suis Nominibus vilipenduntur. Et hic vilipendendi actus non solùm fit verbis, sed etiam gestu, & facto.

Quid Blasphemia sit?

Contumelia, quæ verbis fit, vulgò nominatur *Blasphemia*. Græcè enim etiam βλασφημία dicitur. Et, quia contumeliosa sæpè verba, contra Deum, contra Deiparam, & contra Sanctos effunduntur, quæritur à Theologis, *An blasphemiæ distinguantur specie?* Et quidem in hac Controversiâ Scriptores, qui videntur oppositas sententias tueri, reducerentur ad concordiam, si fundamenta præcedentia accuratè perspicerent. Blasphemias contra Deum effusas ab iis, quæ evomuntur in Sanctis *in 2.2. disp. 91. sect. 12. §. 54.* specie Mendoza distinguit: vultq; ut, quæ contra Reginã Angelorũ militant, (nam sunt contra Hyperduliam) in confessione secernantur, & explicentur. Æquè tamen probabilem oppositam sententiam vocat Diana *1. part. tract. 7. resol. 50. & part. 5. tract. 13. resol. 21.* Cotonius *in summ. verb. Blasphemia nu. 3.* qui citat Faustum *de Sacram. Pænit. lib. 4. qu. 137.* Cælestinũ *in Compend. tract. 1. cap. 9. diff. 4.* & Duvallium *in 2. 2. tract. de Fide qu. 9. art. 2.* Ego autem in Sancto Petro ex. gr. tria considero: nempe (1) gratiam quam habet, & gloriam ipsi correspondentem: (2) supernaturales Virtutes, quas exercuit: (3) Morales & Politicas, quibus fuit exornatus. At vilipendi video à Titio D. Petrum, & interrogo, Quid Titius in Petro vilipendat? Si enim gratiam, aut gloriam, Deum Titius vilipendit, nam gratia est Divinitatis quædam participatio; & gloria cælestis in præmio consistit, quod est Deus. Ergo hujusmodi blasphemia Latriæ opponitur, & non distinguitur specie ab illa, quæ emittitur contra ipsummet Deum. Si in Petro vilipendit Titius Virtutes supernaturales, quas gratiæ cooperans S. Petrus suo labore adquisivit, contra Duliam (quæ est reverentia D. Petro debita) insanit Titius, & committit peccatum distinctum specie. Et sub hac consideratione quia Hyperdulia non specie, sed excellentia à Duliâ distinguitur, erit in blasphemiâ circumstantia notabiliter aggravans, debebitque in Confessione explicari in illorum sententia, qui notabiliter aggravantes circumstantias explicari præcipiunt. Si verò Virtutes Morales, & qualitates, quæ Supernaturalẽ rerum Ordinem non concernunt, contemnant in D. Petro Titius, videndum est, an & quantam injuriam inferat S. Petro: nam, sit hæc fuerit gravis, peccabit graviter, quia tamen peccati hujus materia erit Civilis & Politica, adhuc hæc blasphemia (gravis, aut levis culpa sit) à prioribus distinguetur specie.

An quæ in Deũ, ab iis, quæ in Sanctos dicta, distinguantur specie?

An etiam, quæ in Sanctissimâ Virgine effusa, ab utrisque specie distinguantur?

Cultus Sanctis exhibiti triplex consideratio.

Ergo & contumelia debent in tres diversas classes dividi.

Opposita sententia concinabantur.

Probabile est circumstantias maximè aggravantes esse in Sacramentale Confessione exponendas.

His præmissis proderit audire Cotonium, qui *ubi supr. num. 5.* sic inquit. [Cæterùm admittimus parvitatem materiæ in blasphemiis in Sanctos; non ut Sancti sunt, sed ex alio respectu: ut, si quis per jocum diceret Sanctos Ioannem, & Paulum fuisse Eunuchos. Ita Duvallius *in 2.2. qu. 9. art. 2.* Et quamvis id non admittat Lorca *in 2.2. qu. 13. art. 2. num. 9.* cùm in rebus tanti momenti jocus ipse sit illicitus & injuriosus; puto tamen utramque sententiam esse probabilem. Immò Villalobos *tom. 2. tract. 1. diff. 15. num. 5.* docet, universaliter dari posse parvitatem materiæ in blasphemiis, unde fiant peccata solùm venialia: quia non est major ratio, cur in aliis peccatis, quæ etiam sunt offensa Dei, detur, & in hoc non: atque solùm esse veniale rebus ridiculis adhibere verba Sacræ Scrip-

An in Blasphemia detur materiæ parvitas?

An contemnere in Sanctis naturales aut civiles defectus sit mortale?

An abuti verbis Sacræ Paginæ in jocis?

Scripturæ absq; debitâ reverentiâ.] Et citat Dianam *part. 5. tract. 5. resol. 3.*

An esse eunuchum ignominiosum sit?

At duæ Quæstiones ab his confunduntur Authoribus. 1. aliud est enim quærere, An hæ duæ exprobrationes, *Vos estis scelerati*, & *Vos estis eunuchi*. Distinguantur specie: & aliud, An in hac secunda malitia solius venialis peccati reperiatur? Ego autem dico has duas contumelias, esse in diversis generibus, ac propterea esse specie distinctas. Et ad secundam veniens interrogo, An esse eunuchum in civili judicio inferat ignominiam notabilem? sæpè enim ipsæ imperfectiones naturales tali modo dici, & objici possunt, ut audiantur cum dedecore gravi. Demonstrat id Historia Sacra 4. *Reg.* 2. 24. ibi enim lego. *Adscendit autem inde Elisæus in Bethel: cumque adscenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de Civitate, & illudebant ei, dicentes*, Adscende Calve; adscende Calve. *Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Et ego ex hac Historiâ infero, pueros illos, qui occisi sunt, peccavisse mortaliter: habuisseque ætatem sufficientem, & rationis usû: aliàs enim non fuissent morti sententiâ per maledictionem condemnati. Et quia tantummodò *Adscende Calve*, dicebant, quia non videtur verosimile Calvos in illo populo fuisse ludibrio habitos, modum vociferandi in illis pueris incriminabor: hunc enim verba illa *illudebant ei* importare videntur, sunt enim interjectiones contemnentis, ut *vah*, quæ solæ, ut cui dicuntur, graviter contemnatur, sufficiunt: & propter illas exprobatio, quæ secundum voces significantes non nisi levis esset, in intolerabilem transeunt. Porrò ubi Latinus habet *illudebant ei*, & Græcus κατέπαιζον αὐτοῦ, dicit Hebræus ויתקלסו־בו ITH QALLESV-BVO. Radix est קלס, QALAS, quæ apud Ioannem Henricum Alstedium non reperitur, apud Georgium Crucigerum est *subsannare, & illudere*. Porrò in benoni est קולס: unde v versa in *b.* oritur *sibilus*. & hanc ob rem illud ויתלסו־בו erit *exsibilantes eum*. Populus enim, quæ contemnit, & vilipendit, sibilat. Cicero pro Rosc. Com. *Qui postaquam è*

An etiam esse calvum?

Cur pueri, qui Elisæum vocabant calvum, maledicti, & ab ursis dilaniati fuerint?

Sæpe irrisio consistit in modo dicendi.

Dantur Interjectiones contemnendi.

קלס. QALAS. subsannavit, irrisit.

Vnde dicatur Sibilus?

scena, non modo sibilis, sed etiam convitiis explodebatur. Idem in Pison. *Date Populo: committe laudi: sibilum metuis?* Vnde & indocili plebi applicari poterit illud Ovidii,

Sibila dat, saniemque vomit.

Vnde in Metamorph. libr. 4. concinuit.

—— Quotiesque aliquot parat edere questus Sibilat.

Et serm. 1. Satyr. 1. Horatius.

—— Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contempler in arca.

Plus est, quam irridere, exsibilare.

Et eò venit degeneratio & propagatio scandali, ut sibila, quæ edi ab infimâ plebe solebant, jam à Patritiis & Nobilibus sine notâ ederentur. Ad Atticum libr. 2. Cicero. *Populares isti, jam etiam modestos homines sibilare docuerunt.* 93

An sibilare liceat viro gravi?

Sic Personæ, cùm præsentes sunt: dictis & factis solent dedecorari: Cùm autem absunt, in suis nominibus vilipenduntur: latronis enim famosi, qui non potuit intercipi, nomen, authoritate civili furcæ affigitur, & Apostolicâ Hæreticorum, qui à Sanctæ Inquisitionis Tribunali puniuntur, nomina, appenduntur Ecclesiarum parietibus. Et tunc non contemnuntur illa materialia vocabula: sive enim aut scripta, aut pronunciata sint, nec gloriam, nec indignationẽ promerentur, sed ignominiâ publicâ condedecorantur eæ personæ, quæ in scriptis tabulis sub speciebus visibilibus, & in prolatis vocibus, sub audibilibus, exstare moraliter & virtualiter intelliguntur.

Quo absentes modo contumelia afficiantur?

Cur nomina affigantur patibulo?

Cur muris templorum affigantur?

SECTIO XXIII.

De Visibilibus Signis. *Qualibus utantur Europei? Qualibus Sinenses in Orientali Mundo, & qualibus in Occidentali Americani?*

De his, quæ auribus percipiuntur jam dixi, de illis, qui prospectantur oculis, nonnihil summâ brevitate dicamus.

Characterum divisio.

Orthologiæ Orthographia respondet: & de utraque fusè diversis in locis disputavi. Res ipsas alii Characteres significant, alii æquivalent vocibus, & nos manuducunt, ut verba etiam significatione destituta exprimamus. Res

Quo modo significent Arithmetici, Astronomici &c.?

Res ipsas significant Characteres Arithmetici & Astronomici, quales sunt 1, 2, 3, &c. ♈, ♉, ♊, &c. Et ad hanc signorum Classem reducendi Sinenses, de quibus variis in locis disputavi.

Quo modo Grammatici?

Æquivalent linguæ articulationibus Europæi, & Asiatici, quales sunt, qui leguntur in Abecedario, Alphabeto, Alephbetho, & aliis literarum Systematis.

Sed, quia de Occidentalis Indiæ Characteribus nunquã scripsi, operæ pretium erit, quales nunc sint, & olim fuerint impræsentiarùm explicare.

Quales sint hodie Mexicani?

Secundi generis nunc sunt, & correspondent linguæ motibus, & quia illos didicere ab Hispanis, suas voces exprimunt figuras retinentes Hispanicas. Sed non indigent omnibus, quia Nos habemus literas, quas non proferunt Americani. Pater Augustinus Vetancurtius in suâ Linguę Mexicanę Grammaticâ pag. 1. scribit. *Carece la Lengua Mexicana, conforme a la mejor pronunciacion de siete letras, que son B, D, F, G, R, S, I.* &c.

Quos non habeant?

Americani Veteres, & etiamnum, qui imperio Hispanorum non subsunt, pingendo veriùs, quam scribendo, sensa mentis, & historias exponunt. In secundâ [*] Relatione Ferdinandi Cortesii Imperatori Carolo V. exhibitâ harum picturarum notitiam generalem reperio: agens enim de Mexicanis, sic scribit. *Hanno certi caratteri & figure in carta, che fanno: li quali essi intendono.* &c. Et in Historia Indiæ libr. 20. cap. ult. pag. 221. d. narratur litem inter duos Proceres Mexicanos agitatam tandem ad Licentiati Zuazo tribunal devenisse. Et additur, *Il processo non era altro, che una pittura, fatta per così fatte cifere, ò caratteri, & figure, che dichiarava così bene il fatto, come si sarebbe potuto far con qualsivoglia scrittura: perche per confini & termini pongono certi vestigii figurati, & fatti co' piedi assai piccioli, & per la terra del frumento pongono certi fiori di una particulare figura. Per l'acqua pongono un' altra figura, con la quale si conosce, quando è fiume, ò fonte, ò ruscello, ò lacuna. Et così consequentemente hanno di tutte le altre cose le loro proprie figure distinte, che assai bene s'intendono da chi hà di loro qualche prattica, & esperienza.*

[*] Hæc Relatio. & aliæ, quæ posteà citabuntur, prostant in libro impresso Venetiis anno 1556. sub hoc titulo. *Terzo Volume, delle navigationi, &c. Nel quale si contengono le Navigationi al Mondo Nuovo alli antichi incognito &c.*

Americani olim non scribebant, sed pingebant, quæ volebant narrare.

Similia sunt quæ in tertia Cortesii Relatione pag. 262. E. reperio. *Il Sabbato Santo*, ait, *gli habitatori di Calco, & i lor confederati, & amici hebbero cura di avisarmi, che quelli di Messico si movevano contro di loro, & in un certo panno bianco mi mostrarono dipinte tutte le terre, che andavano contro di loro, & le vie, per le quali dovevano andare, & mi supplicavano, che ad ogni modo io dovessi mandar loro soccorso. Risposi, che dè lì à sei giorni lo manderei, & se trà questo mezzo fossero astretti da bisogno alcuno, me lo facessero sapere, che gli aiutarei.*

Habebant Chorographica notitiam.

In Discursu, qui tertio Volumini præfigitur, pag. 4. hæc digna notatu reperio. *Si leggeva anche in detta historia la forma & modo, come essi notano le memorie de i loro Rè del Mexico con figure di animali, & huomini fatti in diversi modi, si come si è veduto in quel libro, ch'el detto Signor Gonzalo mandò à donare à Vostra Eccellenza pieno di dette cose. Oltra di questo si nota, che nella Provincia del Perù, per haver memoria de i loro Rè, & delli anni, che hanno regnato, fanno in questo modo, che hanno case grandi con alcune persone deputate, le quali tengono il conto delle cose segnalate, con alcune corde fatte di bambagio, che gl'Indiani chiamano Quippos, dinotando i numeri con groppi fatti in diversi modi, & cominciano sopra una corda da uno fino, à dieci, e d'indi in sù, mettendovi la corda del color della cosa, che essi vogliono mostrare, e significare: & come è detto, in ciascuna provincia vi sono questi tali, che hanno carico di metter sopra quelle corde le cose generali, & chiamano Quippos Camaios, & se ne trovano case publiche piene di dette corde, con le quali facilmente dà ad intendere colui, che n'hà il carico, le cose passate, benche elle siano di molta età avanti di lui: si come noi facciamo con le nostre letere.*

Quo modo suas historias scribant Mexicani?

Peruviani filis & nodis loco characterum utuntur.

Erant ergo illorum libri filorum glomera, & eorum Bibliothecæ ἐνειλημα-τοθῆκαι possent cognominari,

Cætera, quæ huc pertinere viderentur, aliis in locis sunt exposita, nec est, cur pluries repetantur.

Verùm enim verò, quia inter Visibilia Signum Crucis nobilissimum est, nonnulla de illo breviter subscribamus.

SEC-

SECTIO XXIV.

De Cruce, & Domini Nostri Iesu Christi Imaginibus. *An, & quo sint cultu veneranda?*

NEgant illis adorationem Calvinistæ, qui in Persiâ, quia non adorant Cruces, *Pseudo-Christiani*, ut narrat Petrus della Valle, vocantur. Subscribunt Iconomachis, quorum Opinatio mera fulcitur ignorantiâ Grammaticæ. Hunc errorem affingit D. Thomæ Author illiùs Libelli, contra quem doctissimè scripsit P. Ioannes de S. Thoma Tractatum, qui habetur *in ipsius curso Theologico tom. 1. tract. de Approb. doctrinæ D. Thomæ disp. 2. art. 3. Propos. 10. pag. 169. b.* Verum enim verò Crucem, & Christi, quidquid ille deliret, Crucem & Christi Imagines cum S. Thomâ Catholici universi adoramus. Sed, quia aliter Regem ipsum, & aliter ejusdem vestes colimus, quæri posset, An cultus Cruci exhiberi debeat, qui ipsimet Christo, an ille qui ejus tunicæ, quæ in Ecclesiâ Treverensi conservatur?

Qua fuerit Angelici Doctoris Opinio?

Varius est verò ...

Respondeo Crucem & Christi Imagines, diversimodè posse considerari: & hanc ob rem erit

Adoratio latria soli Deo exhiberi potest.

CONCLUSIO I. *Solus Deus adoratur adoratione latria.* Et hoc sensu dicitur, *Soli Deo honor & gloria.* Est omnium: qui enim creaturam adorari jusserunt, illam Deum esse persuadere curabant.

CONCLUSIO II. *Crux considerata ut lignum est (aut, si alius materia sit, prout eam importat) nullam postulat adorationem. Et idem prorsus de Christi Imaginibus dicendum est.* Est certa, & à Christianis universis admissa. Probat Angelus *in summ. verb. adoratio. num. 6.* quia adoratio non debetur nisi intellectuali substantiæ.

Qua culta sint Sacramēta veneranda?

CONCLUSIO III. *Crux considerata ut instrumentum nostra salutis est, cultum postulat, quem Christi vestes, & catera instrumenta passionis.* S. Bonaventura *in 3. distinct. 9.* apud Angelum, proponit primam, & probat. Conclusionem secundam; ait enim, quod Crux, ut est res quædam non debet adorari adoratione latriæ, nec duliæ, sed adoratione cujusdam honoris & reverentiæ tanquam instrumentum nostræ salutis, sicut etiam reveremur Sacramenta, quia sunt nostræ salutis instrumenta.

Quomodo Crux adoretur absolutè & ut quod: & quo considerata relativè, & ut quo?

CONCLUSIO IV. *Crux considerata ut Christum sustinens, ut Christum tangens, ut Christi sanguine tincta absolutè &, ut quod, non adoratur adoratione latria.* Demonstratur clarissimè: Quoniam hæc adoratio soli Deo debetur, & tametsi Christus, qui à Cruce sustinetur, & tangitur, Deus sit, & licèt sanguis si vivus sit Divinus sit, lignum verò quòd Deum sustinet, quod Deum tangit, quod Sacratissimo Christi Sanguine tingitur, creatura est. Et hanc ob rem S. Thomas *in 3. qu. 25.* meritò docet, quòd Crux Christi, in qua pependit, non adoratur eadem adoratione, scilicet Latriæ, cum Verbo Divino, cùm non pertineat ad personā ejus, sed ratione Hyperduliæ, in qua est quædam res Christi, ratione cujus vestis similiter, & alia, quæ ad Humanitatem ejus referuntur, Hyperdulia adorantur.

An S. Bonaventura & S. Thomas in Crucis cultu dissentiant?

Angelus *loc. cit.* adduxerat has D. Thomæ, & D. Bonaventuræ doctrinas, & ait, *Qualibet harum potest teneri.* Quæ verba non ita intelligas, ut putes hos Sanctos Doctores dissentire inter se, agunt enim de Cruce sub diversâ significatione, & quod uterque nos docebat, est verum.

Quo sensu Crux Latria postulet adorationem?

At hucusque Ecclesiæ praxi & devotioni Fidelium, nondum est satisfactum: adoramus enim Crucem adoratione Latriæ, illam invocamus, & tamen scimus soli Deo hunc honorem deberi, & solum Deum, ut Causam primam invocari. Ergo, ut hæc difficultas diluciderur, sit

Sumitur ut quod, & ut quo.

CONCLUSIO V. *Crux prout signū visibile est, quod significat Dominum Nostrum Iesum Christum*, ut quod, *& ut quo, potest considerari. Primo illa sensu honoratur, & secundo adoratur.*

Hi termini dilucidantur.

Consideratur *ut quod*, quando reverentia ad rem significatam non progreditur: & consideratur, *ut quo*, quando progreditur, & est Crux, ut quadam venerationis transitus.

Semper in Signo ad objectum transit significatio, non semper adoratio.

Sed dicis. Repugnat ut Signum consideretur *ut quod*. Et probas, quia consideratum *ut quod* postulat, ut ad objectum non transeat: & signū ad objectum debet necessariò tran-

sire; non enim esset signum, si nihil prorsus significaret.

Respondeo significationem cum veneratione non debere confundi; & addo non posse dari actuale signum, quin ad rem significatam transeat significatio, at dari potest actuale signum, quod æstimetur, quin ad rem significatam transeat æstimatio. Sicut enim tabulam, in qua uvarum racemum Zeusis [*] perfectissimè expressit, maximi fecit antiquitas, racemum parvi; sic & poterimus effigiem Neronis, ex. gr. si vivis sit obumbrata coloribus, æstimare, & suspicere, quin honos ad Neronem transeat.

*] Tam felici penicillo uvas depinxit Zeusis, ut ad eas volucres advolarent. Plinius lib. 35. cap. 10.

Quo sensu honoretur, & quo adoretur Christi imago?

Et hanc Conclusionem videntur habuisse præ oculis omnes illi per Germaniam Antistites, qui apud Christi Imagines hoc Distichum curarunt scribi:

Effigiem Christi, dum transis, semper honora;

Non tamen effigiem, sed quod designat, adora.

Prior enim Versus considerat Imaginem *ut quod*, & posterior, *ut quo*.

Crux virtualiter & moraliter est ipse Christus.


CONCLUSIO VI. *Crux moraliter & virtualiter considerata, prout sub visibilibus duarum linearum se rectè secantium speciebus intelligitur esse & adesse Christus, oratur, imploratur, & latria summo cultu adoratur.* Et meritò: nam hoc illa sensu est ipse Christus. Et hoc ipsum probatur. Quoniam, ut in Sacramento Eucharistiæ realiter substat Dominus Noster Iesus-Christus, & ideò in Hostia, & Calice, ipsemet, & non panis, & vini accidentia latriæ cultu adorantur; sic sub harum duarum linearum (✠) rectâ incidentium speciebus, moraliter & virtualiter substat etiam idem Dominus noster, & ideò ipse sub illis lineis, non autem illæ lineæ adorantur.

Quo modo adorandus sit Christus in Sacramento Venerabili?

Vt autem rem meliùs intelligas, ex Primâ, Quartâ, Quintâque Conclusione deducemus hanc Tabulam.



Præcedentium doctrinarum synopsis.



Et, ut dilucidentur hæ doctrinæ, illas cum Conciliis, Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ componamus.

Omnes hæ Conclusiones, & præcipuè Quinta, & Sexta à D. Bernardo traduntur & dilucidantur. Pulchra sunt, & ad rem hanc appositissima, quæ *in Epist. CCCXL.* ad Archidiaconum Henricum (& non CXL. ut apud P. Mendum in Appendice *pag.* 748. §. 3. ex errore Typothetæ citatur) eruditè & devotè scribuntur ibi enim Melleus Doctor *Crucis* nomine Christum intelligit, & se benè sic intelligere ostendit, duos Pauli locos componendo. Sic inquit. [*] *In eo ipso, quod addidit, Sanctæ, & Veræ Crucis manifestè commendavit Dominicam Passionem. Nisi fortè putemus, Apostolum, contra id, quod quidem alio loco dixeras,* Qui gloriatur in Domino glorietur, *in ipsa ligni substantia, & non magis in Crucifixi gratia, gloriari, cum diceret,* Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu-Christi. *&c. Porrò autem confessio Sanctæ Crucis, nonnisi Crucifixi confessio est.* Ecce Bernardus audito *Crucis* nomine Christum intelligit: & ecce Paulus, cùm in Cruce gloriari dicit, non Crucis materiâ, sed in re per Crucem significata, quæ Christus est, sanctè & rutè gloriatur.

*] In hoc loco S. Bernardus duo asserit: alterum Baptisma *in nomine Dei, & Sanctæ Crucis* esse validum: alterũ, nomine *Crucis* cũ invocatur, intelligi Dominum Nostrũ Iesum-Christum. Quidquid sit de priori, quod tempore S. Patris erat probabile; hoc posterius certum & indubitatũ est.

1. Corinth. 10.

Galat. 6. d.

Quo sensu in Cruce Domini glorietur Paulus?

Sed & Romana Ecclesia, quæ sæpè Crucem invocat, quoties ad illius patrocinium recurrit *Crucis* nomine Christum intelligit. In Inventione, & iterum in Exaltatione Sanctæ Crucis [*] Crucem adorat, & implorat his verbis. *O Crux splendidior cunctis astris &c. salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* Et, ne fortè aliquis Calvinista, sumat occasionem dicendi, Crucis invocari substantiã,

Ecclesia adorat Crucem.

*] Antiph. ad Magnificat.

postcà

[::] Antiph. secunda ad Laud. An, & quo sensu Imagines & statuæ invocentur?

posteà exclamat, [::] *Salva nos Christe Salvator per virtutem Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis*. Fideles igitur, cùm invocamus Crucem, *Crucis* nomine intelligimus Christum. Et hæc doctrina Imaginibus Christi, & Sanctorum potest accommodari: Orthodoxi enim cum coram Imaginibus erant, & eas implorant, non intelligunt ligna, vel lapides, sed ipsosmet Divos per eas repræsentatos.

Quid præstent ob oculos positæ Imagines?

Firmant hæc omnia verba Synodi VII. quæ *action.* 7. sic inquit. *Qui* (Sanctorum) *Imagines contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitivã eorum memoriam, & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam iis adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum Fidem est, quæque solam Divinam Naturam decet impartiendam.* Vltimam lineam benè Theologi intelligunt, at Grammatici, qui in Psalterio legerunt, *Te decet hymnus Deus in Sion*, putant debere legi sic, *quæque solam Divinam Naturam decet impertienda*.

De mente Synodi. An Christi imagini neget adorationem?

Hac authoritate abutuntur nonnulli, & inferunt. Ergo Imagini Christi non debetur latria. Ergo, qui latriæ adoratione colendã illam asserunt, Concilii Definitioni contradicunt. Et pro sua sententia Damascenum *libr. de hæresib. propè fin.* & alios Sanctos Patres adlegant. Sed adlucinantur omninò; nam ibi Concilium de Imaginibus Sanctorũ agit; aut etiam de Imagine Christi consideratâ absolutè, & *ut quod*, & propter eamdem rationem, propter quam illis latriam negat, illam concedere debemus Christi Imagini, si consideretur respectivè, & *ut quo*. Attende. Ratio Concilii est hæc.

Cur Sanctorum Imagines non adorentur?

Soli Deo debetur latria honor & gloria.

At Sanctorum Imagines, etiam quà tales, & in esse repræsentativo considerata, non sunt Deus.

Ergo Sanctorum Imaginibus, etiam quà tales sunt, & in esse repræsẽtativo consideratis, latria honor, & gloria non debetur.

Ergo illam eamdem resumamus, & Imagini Christi applicemus.

Cur Crucem & Christi imaginem adorare debeamus?

Soli Deo debetur latria honor, & gloria.

At Christi Imago (nempe, quà talis est, & in esse repræsentativo considerata) est virtualiter Deus. [Et idem dicendũ est de Cruce.] Quintam, Sextamq; Conclusionem perpende.

Ergo Christi Imagini (nempè, quà talis est, & in esse repræsentativo considerata) latria, honor, & gloria debetur. [Et de Cruce idem prorsus dicendum est.]

Patriarchæ Tharasii, immò Concilii de Imaginum cultu sententia.

Esse absolutum à repræsentativo in ejusdem Sanctæ Synodi actione II. optimè distinguebat Patriarcha Tharasius, ut enim Sanctorum Imagines sunt ligna, vel lapides, venerationem non requirunt; ut autem repræsentativæ honorantur *ut quo*; eadem videlicet veneratione, qua Sancti, quos repræsentant; non autem adoratione unquam latriæ: quia nec ipsæ, nec Sancti per eas repræsentati sunt Deus. Verba Tharasii sunt. *Imagines has adoramus, sed apertis verbis testamur nos in unum Deum verum, latriam & fidem nostram referre, ac reponere*. & responderunt 95 omnes Patres, *Vniversa Synodus sic credit, & sic docet*. Et Tharasii aliorumque Patrum in Sanctâ Synodo loquentium verba P. Ioannes à Sancto Thomâ sic dilucidat. [*Communis Expositio Concilii est, quòd negat exhiberi latriam Imaginibus absolutam, & per se, quasi aliquod eis numen, seu Divinitas insit, aut fidem in eis ponere debeamus.* (*nam Imagines absolutè sumptæ*, sunt ligna, lapides, &c. & sunt hoc sensu venerationis incapaces, ut Concl. II. statuimus) *sed adorationem latriæ respectivam, & propter aliud, quam Concilium vocat* honorariam *quamque* ibi cit. action. 6. *Epiphanius* simplicem (juxta ea, quæ Concl. V. dicebantur) *Latria enim absoluta, & per se talis*, (de qua Conclusion. I. disseritur.) *est cum qua datur Divinitatem habet & Numen; & in eo fidem seu fiduciam reponimus: adoratio autem simplex & respectiva, aut honoraria* (vulgò de respeto) *non est talis, quod in ea fiduciam ponamus, aut aliquid Divinitatis, aut Numinis, sed solùm repræsentatio principalis* prototypi *honoratur*.]

A P. Ioanne de S. Thoma, Viro doctissimo dilucidatur.

Quo sensu adorentur, & non adorentur Imagines?

Desinitio Tridentini Concilii.

Firmat doctrinam hanc *sess. XXV. in decreto de reliquiis & imaginibus*, Synodus Tridentina, inquit enim. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas; eisq; debitum honorem, & reverentiam impertiendam; non quod credatur inesse aliqua*

Logica Moralis. Iii 2 aliqua

De Imaginibus absolutè, & respectivè consideratis.

aliqua iis virtus, vel Divinitas, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda (figit, qui non transit ulteriùs) *veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illa repræsentant.* Additque id ipsum olim in Nicænâ Synodo fuisse decretum.

Hæc omnia etiã affirmat Divus Thomas, & quæ contra sanctum Doctorem adduci solent, sunt calumniæ.

Volui hæc omnia præmittere, ut Veritatē addiscat Lector Candidus, illamque cum Doctrina D. Thomæ componens, videat quantâ impietate illum Anonymus, contra quem P. Ioannes de S. Thoma Apologiam scripsit, impietatis accuset. Considera locos sequentes.

SECTIO XXV.

Iterum de Crucis, & Imaginum Adoratione. *Exponitur Divi Thomæ sententia.*

Qualis, & quãtus sit D. Thomas?

SI quæras, cur hæc addatur Sectio? me apud D. Augustinum Redingum *tom. 4. in 3. part. qu. 5. art. 2. contr. 1. num. 19. pag. 89. b.* has lineas reperire respondeo. *Est autem ista specialis, ut Oecumenica etiam Concilia in definiendis Fidei Articulis, vel maximè uterentur summa illius Angelici Doctoris.* Ergo, si illi, & hæc D. Thomâ usi sunt in suis Definitionibus, ego meritò, ut benè illas intelligam ad eumdem Angelicum Doctorem recurram. Doctrinæ igitur de Adoratione, quas præcedens exhibuit, in sectione hac ad D. Thomæ mentem dilucidantur. Quæstiones sequentes considera.

Cur tam accuratè ejus sententia examinentur?

Ad quam Virtutem Adoratio pertineat?

QVAERITVR Primò, *An Adoratio sit actus Religionis?* Respondet D. Thomas [quod Adoratio ordinatur in reverentiam ejus, qui adoratur, Religionis autem proprium est reverentiam Deo exhibere, unde adoratio, quâ Deus adoratur, est Religionis actus] Ita *2. 2. qu. 84. art. 1. in corp.* Demonstratio, quia verè adorat, qui orat, & est verus actus Religionis Oratio, ut & ipsimet Ethnici Theologi fatentur, inquit enim Martialis,

> *Qui finxit sacros Pario de mormore vultus,*
> *Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.*

Fatemur ergo esse Deum, quem in miseriis imploramus.

De Adoratione, quæ debetur Deo.

QVAERITVR secundò, *Quæ adoratio debetur Deo?* Respondet D. Thomas [quod quia specialis honor debetur Deo, tanquam primò omnium principio, etiam specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur *Eusebia*, vel *Theosebia*, ut patet per Augustinũ 10. *de Civit. Dei cap. 1.*] Ita *2. 2. qu. 81. art. 1. ad 4.*] & *art. 3. in corp.* Dixerat alibi Sanctus Doctor. [Latria profitetur servitutem, quam debemus Deo, quia fecit nos: undè debetur sibi Latria in quantum Creator secundum quod ipse est finis & origo prima nostri esse, & hoc est, quod dicit Glosa super illud Psal. 7. *Domine Deus meus in te speravi*, Deus per creationem, cui Latria debetur, & quia ipse Creator est in quantum bonus, sapiens, & potens, & secundum omnia hujusmodi, ideò ratione omnium debetur sibi latria, & non secundum unum horum tantum] Ita ille *in 3. sent. dist. 9. qu. 1. art. 3. qu. 1. in corp.) 3. contra gentes cap. 120.) 4. sent. d. 5. qu. 1. a. 3. qu. 3. ad 6.*

Cur Deus Latria adoratione colendus sit?

De Creatoris jure.

Græca nomina, quibus hîc utitur S. Thomas, sunt εὐσέβια, θεοσέβια, & λατρεία. De hoc ultimo jam dixi; duo priora proveniunt à σίβω *veneror*, quod volunt ad latriam pertinere, est enim σίβω, quasi σιὸν βοῶ *Deum voco, vel invoco*, aut σεῖον βοῶ *divinum voco, aut invoco.* Et σίβω à ב ס Chaldæo deducitur, quod est *senescere*; nihil enim antiquius esse debet apud mortales quàm invocare Deum.

σίβω. σιὸν βοῶ. σεῖον βοω ב ס. Sab.

Hinc prodierunt nonnulla propria nomina: quæ enim postea Cappadocia fuit dicta, olim εὐσέβια, Felix Dei invocatio vocabatur. Et Constantii, & Constantini Cæsarum tempore erat Εὐσέβιος Cæsarensis Episcopus, tam intimo amicitiæ fœdere martyri Pamphylo conjunctus, ut & ipse vocatus fuerit Pamphylus. Et hinc etiam σεβαςὸς veneratione dignus, nec non *Sebastianus* deducitur.

Eusebia. Eusebius. Pamphylus. Σεβαςὸς Sebastianus

QVAERITVR tertiò, *An Christi Humanitas sit adoranda adoratione latriæ?* Respondet Angelicus Doctor [quod adoratio Humanitatis Christi dupliciter potest intelligi, uno modo ut sit ejus, sicut rei adoratæ, & sic adorare Carnem Christi non est aliud, quàm adorare Verbum Dei Incarnatum, sicut adorare

Christi Humanitas dupliciter consideratur, vel ut terminata Verbi Divinâ hypostasi, vel ut charismatis aliis sanctissimis condecorata.

vestem

vestem Regis nil est aliud, quàm adorare Regem vestitum, & secundùm hoc adoratio Humanitatis Christi est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio Humanitatis Christi, quæ fit ratione Humanitatis Christi perfectæ, omni munere gratiarum, & sic adoratio Humanitatis Christi non est adoratio Latriæ, sed adoratio Duliæ, ita scilicet quod una, & eadem persona Christi adoretur adoratione Latriæ propter suam Divinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem Humanitatis.] Ita 3.part.qu.25.art.2.in corp.

Alio sensu latria, alio Hyperdulia Humanitas Christi adoratur.

QVAERITVR Quartò, *An Humanitas Christi adoranda sit Hyperdulia?* Resp. D. Thomas, [quòd Humanitas Christi Latria, vel Hyperdulia adoratur, & similiter ea, quæ ad Humanitatem Christi referuntur, ut Crux, vestis, & hujusmodi. Ita *in 3. sent.d.9.qu.1. a.2.qu.4. ad 1.) lect.4. cap.4.ad Galatas.*

Circa duas præcedentes Quæstiones adnotato, cùm dicimus Humanitatem Christi, aut *Humanitatis* vocabulo nos intelligere ipsam Naturam Humanam in abstracto, à personalitate præcisam: vel in concreto, prout includit etiam personalitatem. Hoc secundo sensu Humanitas Christi, Christus est, Deus est. Ergo ex Concl. I. latriæ cultu adorari debebit. In primo autem sensu, hyperduliâ illam adorabit Scotus: at D.Thomas, quidquid paulò antè dixerit, si consequentiam servare vult, eamdem Latriæ cultu adorare debebit. Quoniam, si Christi Humanitas existit existentia Verbi, & existentia Verbi realiter est Divinitas, Christi Humanitas considerata, ut existens, pro formali dicet Divinitatem, cui latria necessariò debetur.

Quid intelligatur nomine Humanitatis?

An Christi Humanitas existat existentia Verbi?

Hinc duo deducuntur clarissimè. Alterum, posse in viâ D.Thomæ defendi Humanitatem Christi existere existentiâ propriâ: alterum, duliam & hyperduliam non esse distinctas specie. Probatur illud prius: quia non nisi existens Humanitas coli debet. At Christi D.Thomas Humanitati à personalitate præcisæ, duliam accenset D. Thomas. Putabat ergo tunc non existere existentia Verbi; aliàs enim accenseret latriã. Probatur etiam hoc posteriùs; nam *quæritur quartò* venerationem Humanitati Christi debitam Duliam esse dicebat, & *quæritur quintò* Hyperduliam. Ergo non distinguntur specie: aliàs enim nollet illas S.Thomas confundere.

An Dulia & Hyperdulia distinguantur specie?

QVAERITVR Quintò, *Qua intentione sit adoranda Hostia?* Non est mala S. Thomæ Decisio, nec multum à meâ sententiâ differens: & oportet scire, ut intelligamus, Intentionem esse duplicem, Actualem, Hypotheticamque: illa est, quam quis de facto habet; illa autem, quam haberet, si talem circumstantiam cognosceret. Et hac doctrina præmissa Angelicum Doctorem auscultemus. Dicit enim. [quod, qui adorat Hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione, scilicet, *si est consecrata*: non tamen oportet, quòd hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quod habitu teneat illam: unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundum intentionem suam. Sacerdos autem quantum in se est, facit populum idololatrare, quia offert ei puram creaturam ad adorandum.] Ita ille *in 3.sent.dist.9. quæst.1. art.2. quæstiunc.6.ad* 2. Et hanc, inquam Ego, conditionem semper hypotheticè, & nunquam actu ponat. Semper hypotheticè, semper enim habet animũ non adorandi Hostiam, quam non esse consecratam cognosceret. Nunquam actu; quoniam peccaret temerè judicando, si de Sacerdotis pietate, & sinceritate dubitaret. Requiruntur enim rationes graves, ut ponatur conditio: & contra eum, qui ab Episcopo; cujus est hæc examinare, Missam celebrare permittitur, graves illæ rationes rarò, aut nunquam occurrunt. Ergo, ut omnia clariùs intelligantur, Sancti Doctoris verba in meam dialectum transferamus. Sic ergò dicat. [Qui adorat Hostiam, publicæ adorationi expositam, adorare eam debet cum conditione hypothetica, scilicet dicendo: *Adoro eam absolutè, quia non habeo dubitandi rationem: si non esse consecratam scirem, illam non adorarem: si haberem gravem dubitandi occasionem, non illam absolutè colerem, sed tantummodò conditionatè*. Non tamen est necessarium, quod hæc hypothetica intentio, semper sit actu explicita, sed sufficit, quod habitu teneat illam; ita, ut si interrogare-

De intentione. Est duplex: Actualis, & Hypothetica. Termini declarantur.

Iterum est duplex intentio. Absoluta, & Conditionata.

An Hostia cultui exposita, possit absolutè adorari; 96

De Intentione hypothetica.

Qualis sit eorũ, qui audiunt missam, intentio.

Quid sit talem intentionem habere habitu?

garetur, se illam habere responderet: undè non peccat, adorans eam; quia non habet intentionem adorandi puram creaturam, sed adorandi Christum Dominum. Sacerdos autem, quantum in se est, facit populum idololatrare, quia proponit ei puram creaturam ad adorandum. &c.]

Cur non peccet, qui Iovis imaginem publicè ponit?

Circa ultimam lineam reperis difficultatem, & sic ais. Qui Iovis imaginem apud Christianos publicè exponit, non peccat, quia scit à nemine fore adorandam. Sed Sacerdos improbus, qui hostiam adorationi exponit purum panem, scit à nemine fore adorandam, quia ut inquit D.Thomas, *non peccat adorans eam* (hostiam)*quia non adorat puram creaturam, sed Christum, secundum intentionem suam*. Non ergo,quantum est ex se, facit populum idololatrare.

Cur, etsi non peccet adorans non consecratã hostiã populus, peccet tamen Sacerdos, qui eam adorationi exponit.

Respondeo, eos, qui non consecratam hostiam adorant, reverà esse ἀρτολάτρας, & actu admittere εἰδωλολατρίαν, & ob insuperabilem ignorantiam à peccato excusari: unde, quia ignorantia Sacerdotem illum non excusat, ἀρτολατρία, quæ materialis, & innocens est apud cæteros, respectu ipsius est criminosa, & formalis.

Duplex tendentia adorationis ad Imaginem.

Qvaeritvr sextò. *An, & quâ suspicienda, & colenda adoratione sit Christi Imago?* Et ante responsionem necessariam doctrinam Sanctus Doctor præmittit, quæ Resolutionem proponendam succollet. Est enim, ut *libr.de Memor. & Reminisc.cap.2.* ait Philosophus, duplex motus animæ in imaginem, unus quidem in ipsam imaginem secundum quod res quædam est, alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius; & inter hos duos motus hæc est differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quædam, est alius à motu, qui est in rem; secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus & idem cum illo, qui est in rem. Et ex hac doctrinâ sententiam, quam nos docet, deducit, scribit enim [Ergo dicendum est, quid imagini Christi,in quantum est res quædam, puta lignum sculptum, vel pictum, nulla reverentia exhibetur; quia reverentia nonnisi rationali (intellectuali) Naturæ debetur. (& hoc nos Concl. II. statueramus)

Sub qua consideratione Christi Imago adoretur?

Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia solùm in quantum est imago, (puta,si consideretur *ut quæ*) & sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quòd ejus imago sit adoratione latriæ adoranda] Ita *3.p. qu. 25.a.3.in corp.*] *2.2. quæst.81.a.3.ad 3.*] & *qu.94.a.2.ad 1.*] *3.sent.d.9.qu.1.a.2.q.2.in corp.* [Et ita Nos Concl. V. dicebamus. Et hanc ob rem pro hac Quinta nostra Conclusione citant D.Thomam P.Suarius *tom.1. in 3.part.disp.*54.Vasquez *disp.*108.*cap.*10.Gabriel *q.*3. Lorca *in 3.part.disp.*94. P.Ioannes à S. Thoma *Tract. de approbatione doctrinæ S.Thom. disp.2. art.3.prop.*10. *pag.169.b.* & alii. Et hanc ipsam Conclusionem esse Orthodoxam, & omni impietatis suspicione carere, contra nostri ævi Hæreticos, Card. Baronius *tom.9.ad ann. Chr.789. num.42.* Lorca *loc.cit. nu.61.*Vasquez *disp.*109. *cap.*3. Suarius, Cabrera, & alii eximii Doctores ostendunt.

In Imagine Christi sumpta ut quo adoratur ipsomet Prototypus.

De Cruce Domini nostri Iesu-Christi.

Qvaeritvr septimò, *Quâ adoratione debeat adorari Crux Christi?* Resp.D. Thomas [quod honor, seu reverentia non debetur nisi rationali (intellectualis) Naturæ,& hoc dupliciter, uno modo, in quantum repræsentat rationalem naturã; alio modo, in quantum ei quocunq; modo conjungitur; primo modo consueverunt homines venerari Regis imaginem; secundo modo ejus vestimentum; utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur & Regem.] Et quidem homines Imaginem & Vestes Regias honorare certum est. At, ut imaginem eodem cultu, quo Regem oportet imaginem considerare *ut quo* juxta ea, quæ Concl.V. dicebantur. Vt autem id de vestibus verificari possit, oportet illas Regem significare,& tunc debebunt sumi *ut quo*. Et his positis S. Thomam audiamus, Crucem enim illam, in qua Christus est passus à cæteris, quæ ad ejus similitudinem dedolantur, distinguens, sic scribit.

[Si loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus Crucifixus est, utroq; modo est à nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra

bra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine est perfusa, unde utroque modo (considerata respectivè, & *ut quo*) adoratur adoratione eadem cum Christo scilicet adoratione latriæ: & propter hoc etiam (juxta Concl. VI.) Crucem alloquimur, & deprecamur, quasi ipsum Crucifixum; Si verò loquamur de effigie Crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri; sic veneramur Crucem tantùm, ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ.] Ita Sanctus Doctor *3. par. qu. 25. art. 4. in corp.* & *2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 3.* Sed tu recognoscis illud *tantum*, quod videretur significationem imminuere, & tamen adorationem latriæ Cruci concedit, quâ nulla major. Respondeo Cruci D. Thomæ sententiâ, non deberi eamdem adorationem ac Christo. Christum enim adoramus absolutè, & *ut quod*, Crucē verò respectivè & *ut quo*.

Rtſ Christus & Crux adorentur adoratione Latriæ, Quinta nostra Conclusio differentiâ statuit nam Christus adoratur ut quod, & Crux ut quo. At verò stando Conclusioni VI. uterque ut quod, nam Crux, ... tualiter & moraliter loquendo, est Christus.

Cum Cruce, comparatur Deipara.

Utri major reverentia debeatur?

QVAERITVR Octavò, *Utri debeatur major & excellentior honor, Cruci, an Beatæ Virgini?* Relege Conclusionem V. & supponens signum *ut quod*, & *ut quo* posse honorem recipere, audi Angelicum Magistrum, inquit enim. [Quod, si consideretur honor, qui exhibetur Cruci, in quantum est res quædam ratione Christi (nempe, in quantū est res quædam, quæ fuit Christi, & intelligitur absolutè, & *ut quod*, non est tantus, quātus ille, qui exhibetur Virgini (stante ergo, quæ Concl. III. & IV. dicebamus) Sed Cruci (consideratæ respectivè, & *ut quo*, juxta Concl. V.) exhibetur quidam honor inquantū est imago, qui non exhibetur Matri.] Ita idem S. Doctor *in 3. sent. dist. 9. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad 3.*

De instrumentis Dominicæ Passionis.

QVAERITVR Nono, *Quâ ratione Clavi, Vestes, Lancea, Sepulchrum, & alia Dominica Passionis instrumenta, sint adoranda?* Oportet juxta II. III. & IV. Conclusionis doctrinam in his acceptiones distinguere: quod quia præstitit S. Thomas, doctè scribit [Quòd, quantum ad rationem contactus membrorum Christi adoramus non solùm Crucem, sed etiam omnia quæ sunt Christi, unde Damascenus *in 4. lib. cap. 12.* dicit *Preciosum lignum ut sanctificatum tactu Sancti Corporis & Sanguinis decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam, & sacra ejus Tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca & hujusmodi.* Ista tamen non repræsentant imaginem Christi, sicut Crux, quæ dicitur signum filii hominis, quod apparebit in Cælo, ut dicitur Matth. 21. Ideoque mulieribus dixit Angelus. *Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum*; non dixit, *lanceatum*, sed *crucifixum*, & inde est, quòd Crucem Christi veneramur in quacumq; materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujusmodi.] Ita ille *3. par. qu. 25. art. 4 ad 3.*

Damasceni sententia.

An, & quomodo sint adoranda?

Cur Crucifixus, non autem lanceatus dicatur Dominus noster Iesus-Christus?

De Calice, & de picturis Calicis.

Hæc omnia bene intelligentur, si Calicem, in quo sit consecratum vinum, consideremus. Et ipse vinum consecratum habeat, nihilominus picturæ & imagines ipsius vinum consecratum non habent, & ideò aliter sunt honorandæ. Ergo eodem modo de Clavis, Lancea, & aliis Dominicæ Passionis instrumentis philosophandum est: licèt enim ipsa in Christi Passione Sanguine Christi fuerint tincta, non autem illo sunt tinctæ eorum imagines.

Passionis instrumenta duplici.ter considerantur.

Prætereà, sicut aliud est Calix, qui habet Christi Sanguinem; & aliud Sanguis Christi, qui habetur in Calice: sic similiter, aliud est Clavus, qui tingitur Sanguine (& eodem modo de instrumentis cæteris philosophaberis) & aliud est Sanguis, qui tingit Clavum.

Sumuntur ut quod, & ut quo.

Ergo sicut sanguis, qui in Calice, adoratur absolutè & *ut quod*: Calix autem in quo est sanguis non adoratur absolutè & *ut quod*, sed respectivè & *ut quo*. Nam est medium & via, per quam adoratio transit ad Christi sanguinem. Sic similiter, Sanguis, qui in Clavo (aut alio quocumque Passionis Instrumento) adoratur absolutè & *ut quod*. Clavus verò respectivè & *ut quo*. Et hæc doctrina partibus veræ Crucis, etsi non sint per modum Crucis positæ, poterit applicari.

An, & quo modo cols debeat lignum Crucis, si non sit dispositum per modū Crucis.

At verò de ipsamet Vera Cruce, aut ejus imaginibus, quæ Crucis (✠) formam retinent, gloriosiùs statuendum est. Significat enim Dominum Nostrum Iesum-Christum: &, si significatio in quâdam relatione consistat, juxta Concl. V. si autem in quadam virtuali transsubstantiatione, juxta Concl. VI. debebimus philosophari.

De Cruce, quā Christi est imago.

QVAERITVR Decimò. *Qua adoratione Mater Dei adoretur?* Respon-

Quo cultu est veneranda Angelorum Regina?

pondet D.Thomas, quòd, cum illa sit pura creatura rationalis non debetur ei adoratio latriæ, sed solùm veneratio duliæ; eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis in quantum ipsa est mater Dei, & ideò dicitur, quòd debetur ei non qualiscumque Dulia, sed Hyperdulia] Ita *3.p. qu. 25.a.5.in corp*] *3 sent. d.9. qu.1. a.2. q.3.in corp.* Ergo iterū ad D.Thomę mentem Dulia & Hyperdulia, excellentiâ & eminentiâ distinguuntur, non specie.

De Latria, & Dulia adoratione.

QVAERITVR Vndecimò, *Quo modo Sancti sint adorandi?* Respondet D. Thomas [Quòd aliâ veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam, & aliâ veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad Duliam. Et quia ea, quæ exteriùs aguntur signa sunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est adoratio: sed aliquid est, quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium, unde Augustinus *in 10. de Civit. Dei cap. 4.* dicit *Multa de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia sive adulatione pestifera; ita tamen quod quibus ea deferuntur homines habentur, qui dicuntur colendi, & venerandi (si autem multum eis additur) & adorandi; quis verò sanctificandum censuit, nisi eum, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?*

Quæ adoratio est exhibenda soli Deo?

Quanam Sanctis [illegible]?

Qualis fuerit adoratio, quæ Davidi exhibita?

Secundum reverentiam ergo, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David; secundum autem reverentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem, ut dicitur *Hester 3.* & similiter secundum reverentiam debitam creaturæ excellenti, Abraam adoravit Angelos, & etiam Iosue, ut legitur Iosue 5. Quamvis possit intelligi, quòd adoraverint [*] adoratione Latriæ Deum, qui in personâ Angeli apparebat, & loquebatur. Secundum autem reverentiam, quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare Apocalypsi ultimo: Tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur, unde ibi subditur, *conservus tuus sum, & fratrum tuorum*; tum etiam ad excludendum Idolatriæ occasionem, unde subditur, *Deum adora.*] Ita Sanctus Doctor *2.2.qu.84. art.1. ad 1.*

De Mardochæo, & Amane.

[*] De Abrahamo, Iosue, & Angelis.

De Ioanne, & Angelo.

Cur Angelus adorari noluerit?

Et quidem ad excludendam idolatriæ occasionem multa omittuntur, quæ aliàs licitè fierent: nam sicut in Prorege homines Regem veneramur & colimus, sic Abraham adoratione latriæ adorabat Deum, qui apparebat & sibi loquebatur in Angelo. Deum ergo Ioannes poterat, cultu etiam latriæ, in illo Angelo colere, & adorare. Non enim voluit adorare ipsum, *ut quod*, sed Deum in ipso; nam habet Textus, Ἔπεσον προσκυνῆσαι ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν τοῦ ἀγγέλου τοῦ δεικνύοντός μοι ταῦτα. *Cecidi (adorare) osculari* (nempè, *Deum*) *ante pedes Angeli, ostendentis mihi hæc.* Et tunc Angelus, Ne insipientes, qui inter *adorare Angelum*, & *adorare Deum in Angelo* discrimen reperire nescirent, haberent occasionem errandi, ὅρα μή: *Vide ne* (subintelligens, *feceris*) dixit: non jam in me, sed in se ipso, τῷ Θεῷ προσκύνησον, *Deum adora.*

Rex in Prorege colitur.

Aliud est adorare Angelum, aliud Adorare Deum in se ipso, & aliud Deum adorare in Angelo.

QVAERITVR Duodecimò, *An, & quo cultu Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ?* Resp. D.Thomas [Quod manifestum est, quòd Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores, & ideò eorum Reliquias qualescumq; honore congruo in eorum memoriâ venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus-Sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem: unde & ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat in eorum præsentiâ miracula faciendo.] Ita ille *3.part. qu.25.art.6.in corp.*

Quales erga Deum, & erga nos Sancti sint?

Cur honoranda sint illorum corpora?

Et denique QVAERITVR Tertiòdecimò, *An Diabolus apparens in formâ Christi possit adorari sine peccato, & quomodo?* Respondet Divus Thomas dicendum, quod non potest Diabolus in specie Christi apparens sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicita, non enim sufficit solo habitu; quia ipsa novitas rei insolitæ considerationem, & attentionem requirit, sicut dicitur de Beata Virgine Lucæ 1. *Quòd cogitabat, qualis esset illa salutatio.*] Ita *3.sent. dist.9.quæst.1.art.2.*

Quid de Diabolo dicendum sit, si in Crucifixi forma appareat?

quæst.

quæſ.6.ad 3.] 4.ſent.diſt.30.in expoſitione literæ. Et hinc doctrinam generalem de ponendis conditionibus haurire poteris: illæ enim, ubi ſuccurrit ratio ſufficiens, poni debent; debentque, ubi ratio non ſuccurrit, non poni.

Ubi poni debeant, aut non debeant conditio?

CAPUT II.

De Virtuali Notularum (hoc eſt, Signorum correptionis, aut productionis; Accentuum; Spirituum; Apicum; & Commatum) Significatione.

An omnes Notulæ, quæ ſcribuntur, ſpecialem ſignificationem habeant?



Veuſque, Lector Optime, de Significatione generice ſumptâ diſſerui; & ſi in particulari aliquid dixi, eò reſpexi, ut generalem Doctrinã meliùs dilucidarem. Nunc autem diſputabo de eiſdem; ſed ad Vocum Attributa, quæ tamen non ſunt Voces, contractâ. Aperis librum; &, quia præter Dictiones, Literas reperis ſcriptas, Notulas modolorum, accentibus Vocales coronatas, infra vel ſupra aliquas Literas Caudas vel Apices; nec non Commata & Interpunctiones, reperis, an hæc otioſa ſint, interrogas, an ſingula aliquid conſignificent audientibus & proſpectantibus? Reſpondeo vim vocis poſſidere univerſa; & cum Vocibus, quibus adhærent ſemper aliquid conſignificare. Et addo multas ſæpe Quæſtiones, quæ primo intuitu viderentur difficiles, unſus Apicis ſuppoſitio aut poſitio decîdi. Agam de rebus ergo minimis, quas quia Scioli dedignantur meditari & addiſcere, ignorant frequenter res maximas. Oſtendam igitur, quâ potero brevitate hoc in capite, magnarum interdum Quæſtionum ſolutionem ab unſus literæ aut virgulæ opportunâ expreſſione, collocatione, elocatione, aut obliteratione pendêre, & Punctorum legitimam adpoſitionem habere vim Optimi Commentarii.

Cur de rebus tam parvis impræſentiarum agi debeat?

Cur res graves aliquãdo ignorentur?

Nec hoc negare Græcus volet, qui ἀλφηςὰς vocat homines, quod nati fuerint Alphabeti literis conſiderandis. Ioannes Vich, Archiepiſcopus Taracouenſis, in Epiſtolâ ad Honoratum Ioannis ſcriptâ [quæ habetur apud P. Athanaſium Kircherum, in Archetypi Politici libr. 2. pag. 197.] *Quò fit ut jure optimo Heſiodus libr. 3. & Poëtarum ac Philoſophorum facilè Princeps Homerus in Odyſſeâ,* ἀλφηςὰς *homines appellet.*

Cur homines dicantur ἀλφηςαὶ?

Sed nec Latinus volet, qui à *Literâ* nomen *Literatus* deducit, quo Virum eruditiſſimum & in humanis literis verſatum intelligit. Cicero *Frater tuus, quem literatiſſimum fuiſſe judico, facilè diceret,* Hic verſus Plauti non eſt; hic eſt, *&c.*

Literatus quis ſit? Cicero libr. 9. Epiſt. famil. ad Pæt.

Hiſpanus adhærebit Latino, nomine enim *Letrado,* non quemcumque, ſed Iuris peritum intelligit; putat enim ideò tantùm, vel ideò potiſſimum inventas fuiſſe literas, ut leges obſervenut Iuſtitiæ, & detur unicuique quod ſuum eſt.

Quis ſit in Hiſpania un Letrado?

NOTA I. Proœmialis:

Quid Notularum nomine intelligatur.

Siquidem de Notularum ſignificatione in hoc Capite diſputaturi ſumus, oportebit exponere, Quid *Notula* nomine intelligamus.

Quæ, & quales lineolæ illæ ſint, quæ nominantur Notulæ?

Signa, quæ delineamus calamo *Notulas* dicimus, Et iſtæ, vel ſunt Literæ, vel comites literarum.

Notulæ, quæ ſunt literæ, apud Græcos his characteribus exprimũtur & ſecernuntur, Α, β, γ, δ. &c. his vero apud Latinos, *A, b, c, d.* &c.

Etiam ipſamet literæ vocantur Notæ.

Quæ autem non ſunt literæ, ſed tamen literas comitantur, debent in claſſes diverſas diſtribui.

Vel enim ſunt Accentus (nempe, á, à, â) Acutus, Gravis, & Circumflexus.

De Accentibus.

Vel ſunt Spiritus (puta ἀ, ἁ) Lenis denſus, & ii pertinent ad linguam Græcam.

De Spiritibus.

De Notis Metricis.

Vel sunt Notulæ Metricæ (videlicet, ă, ā, â) quibus Syllaba Brevis, Longa, & indifferens significatur.

De Notis Grāmaticis.

Vel denique sunt distinctivæ (ut ,;:.?!()[] &c.) quæ Comma, Hypocolon, Colon, Punctum finale, Interrogatio, Admiratio, Parenthesis, & Graphe, Italicè *Grafette*, nominantur.

NOTA II. Procemialis.

De Literarum Inventoribus.

Quam necessaria sint in Mūdo Literæ?

Literas invenire, & eas docēre subditos prima olim fuit Imperatorum, Regum, & Principum solicitudo. Et illos sibi hoc imposuisse onus suadet Artis Literariæ Nobilitas & Excellentia, quoniam sicut sine Elementis Mundus, sic sine literis esset Respublica cōfusum chaos. Gerardus Ioannes Vossius *de Art. Grammat. in Præfat. ad Lector.* id bene exponit. *Contendo*, inquit, *non jam ajo Arte universâ, sed (quantò illud minus, quod mihi dari postulo!) vel primis hujus Artis initiis nihil in omnibus Disciplinis, vel magis esse Divina Mentis Opus, vel ad omnem Hominum vitam necessarium magis. Nam, quid perfectò admirabilius, quàm parvulis literarum figuris contineri, quidquid Sacri, Publici, Privati-ve, dici aut cogitari potest? Quæ prætereà Vrbium, Regionum, Generis Humani facies tandem foret, sublatâ hac fidâ Custodiâ omnium Gestorum, omnium Doctrinarū, omnium Fæderum, Pactorumque* &c.

Quæ beneficia præstent Literæ?

Et quidem à Literis profectò habemus, ut Amicos absentes, etiam in alio Mundi hemisphærio constitutos, adloqui, & audīre possimus. Ab iisdem etiam, ut oculis audiamus (mira res!) quid ante multa sæcula Prisci Doctores dixerint. Et ab iisdem etiam, ut post mortem Gloriæ & Censuræ expositi in nostris Libris immortales vivamus.

An ante diluvium apud Hebræos fuerint Literæ?

Ante Diluvium fuisse Literas, easque à primo Homine (Adamo) inventas, suadent illæ Columnæ (altera lapidea, altera lateritia) à Nepotibus Adami erectæ; quibus inscripta erant prima omnium Artiū & Scientiarum Principia, quæ priorum Hominum solertia & studium invenerant. Quæ omnia, ut meliùs intelligas dabo Iosephi verba, qui libr. 1. Iudaic. Antiquit. cap. 3. Interprete Rufino, sic scribit. *Disciplinam rerum Cælestium, & ornatum earum primitùs invenerunt. Et, ne dilaberentur ab Hominibus, quæ ab eis inventa videbantur, aut antequam ad notitiam venirent, deperirent, cùm prædixisset Adam exterminationem rerum omnium; unam Ignis virtute alteram verò Aquarum vi, ac multitudine, fore venturam; duas facientes Columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus; in ambabusque, quæ invenerant, inscripserunt, ut & si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet Hominibus scripta cognoscere. Simul & quia lateralem aliam posuissent.* [*] *Quæ tamen lapidea permanet hactenus in Syria.*

De duabus Columnis à primis hominibus erectis.

*] Deest hic aliquid ut observat Vossius libr. 1. de Art. Gramm. cap. 9. pag. 40.

Antiquas Hebræarum Literarum figuras descripsit & præscripsit Abraham: sed tandem Esdras quadratos Characteres, quibus impræsentiarum Hebræi utuntur, ut pote Samaritanis faciliores admisit.

De Græcarum Literarum initio.

Ad Græcos tardiùs cognitio & usus literarum pervēnit: Cadmus enim Agenoris Phœnicum Regis filius, qui in Græciam veniens Thebas condidit, primus Græcis tradidit Alphabetum: Vnde à Timo apud Sextum Philosophum Φοινικὰ σήματα Κάδμου, *Cadmi Phœnicia signa*, Literæ nominantur. Quo respiciens noster Lucanus, cecinit.

σήματα Κάδμου.

Phœnices Primi, Fama si credimus ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Exponitur nomen. Τρισμέγιστος.

Mercurium Trismegistum alii Græcarum fuisse Literarum Inventorem affirmant. Et primò, ut quāti ille habitus sit intelligas ipsummet Epithetum Τρισμέγιστος, *Ter Maximus*, explicari debebit. Sanè adverbium *ter* additum Positivo Superlativi vim habet; unde Virgilius

— *terque quaterque beatos*

An Maximus & Ter magnus sint idem?

dixit, quos *esse beatissimos* voluit significare: qui loquendi modus etiamnum in Gallicâ Linguâ observatur. Est ergo Τρισμέγιστος, si liceat sic loqui, *Optimissimus*. De Trismegisti ætate magna est inter Historiographos dissensio: alii enim paulò post Moysen illum floruisse asserunt; & si hoc obtineat, esse verum poterit, quæ de illo dicebantur. At verò Genebrardus, qui Linguam

Qua ætate vixerit Trismegistus?

Græ-

Græcam cum Alexandro perveniſſe ad Ægyptios contendit; aſſerit primò Triſmegiſtum fuiſſe Iuniorem Ariſtotele; & deinde, Ægyptios ab Alexandri Magni militibus literas Græcas accepiſſe.

De Literarum Latinarum initio.

Carmenta quaſ

Adhuc ſeriùs ad Latinos Literæ pervenerunt; Nicoſtrata enim,quæ, quòd Oracula carmine redderet *Carmenta* vocabatur, & Rex Evander, ipſius filius tranſvexerunt Literas ex Arcadia in Italiam. Cornelius Tacitus libr. 11. *Aborigenes Arcade ab Evandro Literas didicerunt.* Hyginus cap.227. *Literas Evandrus profugus ex Arcadia in Italiam tranſtulit, quas mater ejus Carmenta in Latinas commutavit.*

De Aſſyriarum Literarum antiquitate.

Prodiit adhuc audire Plinium,qui de Literarum Inventione ſic ſcribit. *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe. Sed alii apud Ægyptios à Mercurio, alii apud Syros repertas volunt.* Et mox. *Anticlides in Ægypto inveniſſe quemdam, nomine Menona, tradit, quindecim annis ante Pharaonem, Antiquiſſimum Regem, idque monumentis probare conatur. E diverſo Epigenes apud Babylonios 720. annorum Obſervationes ſyderum,coctilibus laterculis inſcriptas docet gravis Autor imprimis. Qui Beroſus & Critodemus 480. annorum. Ex quo apparet æternus Literarum uſus.*

NOTA III. Procemialis.

De Literarum numero.

Literæ ſub initium paucæ fuerunt; nam, quæ adjectæ ſunt poſteà, ſunt ſecundariæ, quibus carere potuerunt, & poſſemus.

Antiquæ Hebræorum Literæ fuerunt decem tantummodò.

Hebræz, quas Adam invenit, decē cenſentur; & hæ ſufficere judicabantur. B.Irenæus *libr. 1. adverſ. gent.cap.*41. id teſtatur clariſſimè: inquit enim *Antiqua, & prima Hebræorum Literæ, & Sacerdotales nuncupata, decem quidem ſunt numero.* Sed quæ? Franciſci Fervardentii divinationem recenſet,& impugnat Voſſius *de Art.Gramm.libr.*1.*cap.*27.

Græcorū quindecim, aut fortaſſis ſeptemdecim.

Primogeniæ Græcorum fuerunt quindecim (vel, ut contendunt alii ſeptemdecim) videlicet Α, β, γ, δ, ε, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ. Quibus Pythagoras addidit Υ. Simonides Melicus quatuor, Ζ, η, ψ, ω. Duas Epicharmus ſiculus Ξ, φ. Et duas tandem (Θ, &, Χ)

in bello Trojano Palamedes. Et paulò aliter alii Scriptores ſtatuunt.

Latinorū quindecim.

Latinæ etiam traditæ ab Evandro erant quindecim; quibus ſex poſteà Carmenta addi debere judicavit. Et tandem Spurius Carbilius adjecit G, nam ante ipſum C duplici ſono efferebatur. Et multis annis poſteà Claudius, Romanorum Imperator, cum Excellentiſſimis Grammaticis & Oratoribus de tribus Literis addendis priſco Abecedario diſſeruit, & authoritate Cæſareâ illas addidit. Porrò hunc Imperatorem auxiſſe Abecedarium Latinum tribus literis *libr. 11. Annal.* ſcribit Tacitus: & eaſdem neceſſarias fuiſſe Tranquillus *in Claudio cap.* 4. aſſeverat. Sed illas Populus non acceptavit. Vide Voſſium *de art. Gramm. libr.* 1. *cap.* 24.

De literis à Claudio Imperatore inventis.

NOTA IV. Procemialis.

De Sacrarum Literarum Conſervatione.

Quanta cura verus Sacra Pagina Textus ab Hebræis conſervetur?

Sacram Scripturam veteres diſtinxerunt in Libros, hos in capita, capita in Verſus: & ne contingeret quod Amanvenſium oſcitantia aliqua litera amitteretur, illas exactè numerarunt, & in toto Veteri Teſtamento invenerunt

Quoties in Sacra Scriptura Aleph, & quoties Beth, & reliqua literæ leguntur?

א. 42377.	ל. 41517.
ב. 38218.	מ. 77778.
ג. 29537.	נ. 41696.
ד. 32530.	ס. 13580.
ה. 47554.	ע. 20175.
ו. 76922.	פ. 22725.
ז. 22867.	צ. 21822.
ח. 23447.	ק. 22972.
ט. 11052.	ר. 22148.
י. 66420.	ש. 32148.
כ. 48253.	ת. 59343.

& compoſuit Rabbi Sadajas curioſa carmina, quæ etiamnum exſtant, quibus hos numeros repræſentaret.

NOTA V. Procemialis.

De Literis, quæ à Chriſto Domino ſunt nominata.

Chriſtus Dominus à Literarum nominibus argumentu duxit.

Se eſſe Æternum Infinitumque demonſtraturus Apoc.21. 6.ait Chriſtus, Γέγονα τὸ Α, καὶ τὸ Ω: Ἀρχὴ, καὶ Τέλος. *Ego ſum Alpha & Omega; Principium, & Finis.*

Quam Sententiam quidam Poëta Iunior sic expressit.

Principium sine principio; Finis sine fine.

Cur Dominus noster Iesus-Christus Alpha & Omega nominatur?

& olim S. Augustinus *in Matth. sextum* hoc scholio illustravit. *Deus est in se ipso*, inquit, *sicut* Αλφα, & Ωμεγα. Et cur quæsò Αλφα, & Ωμεγα Deus est? Respondet, *Quia est in Mundo sicut Rector & Autor. In Angelis sicut sapor & decor. In Ecclesia sicut Pater familias in domo. In Animo sicut Sponsus in thalamo. In Iustis sicut Adjutor, & Protector. In reprobis sicut pavor & horror.* Et ulteriùs progreditur; non enim paucis possunt verbis dilucidari, numerosi mysteriorum thesauri, qui continentur istis Literis.

Quam certò futura sint, quæ Deus prædixit?

Alio etiam loco Christus Dominus ad Nomina Literarum recurrit. Quoniam, ut nos securos redderet, & nullam haberemus occasionem dubitandi de Divinis promissis, *Matth.* 5. 18. inquit Dominus. Ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία, ὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τῦ Νόμυ, ἕως ἂν πάντα γένηται. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.*

NOTA VI. Procemialis.

De Virtualibus Literis.

Quid sit Ens Virtuale?

ENS VIRTUALE (ut centies audivisti) *illud est, quod non est revera quale dicitur: prudentum tamen positione aut suppositione ita se habet, ac si quale dicitur esset.*

Quid Litera Virtualis.

Ergo VIRTUALES LITERAE *dicentur illa, quæ non sunt, quales dicuntur, prudentum tamen positione aut suppositione ita se habent, ac si quales dicuntur, essent.*

Augusti Clavis.

Et hoc perspici poterit in literis ab Augusto Imperatore ad Ministros scriptis. Ipse enim pro quacumque litera scribebat sequentem: nimirum pro *A* ponebat *B*, & pro *B* scribebat C. &c.

Qui Ciphra sit?

Ergo in his Augusti Prudentissimi Imperatoris Epistolis, B vocabatur A; & erat virtualiter A; licèt enim reverà non esset *A*, ut dicebatur, prudentum tamen (Imperatoris, & suorum Ministrorum) suppositione (supponunt enim B esse A) se habebat ac si qualis dicebatur, esset.

Quid Ciphrographia?

Porrò Virtualis Litera *Ciphra* dicitur; & Ars, quæ de Virtualibus Literis disputat, *Ciphrographia*, hoc est, *Orthographia Virtualis* nominatur. Et quia *An inter Antiquas Artes, an inter Novitias sit recensenda?* interrogas.

Quid Orthographia Virtualis?

An hæc Ars sit antiqua?

Fuit ab Hebrais olim inventa.

Respondeo antiquissimam esse: ab Hebræis inventam, à Græcis promotam, & à Romanis cultam; & posteà Hyperborearum Gentium (ex Gothiâ & wandaliâ descentium) totam Europam inundante, barbarie neglectam oblivioni mandatam; aut etiam, si volueris sepultam. Illam elapso sæculo Ioannes Trithemius, Spanheimensis Abbas, Ordinis Sancti Benedicti, Vir pius & doctus revocavit à mortuis, & propter insolentem illum tradendi modum, librum suum, alias bonum, severiori censuræ aliquorum (etiam illustrium & eruditorum) exposuit. Artem liberam & ingenuam obvelavit mysteriis, ne ab omnibus intelligeretur; & quia nec hæc intelligebantur ab omnibus, superstitiosa credita, quæ carebant omni superstitione. Occasio, ob quam Trithemius Artem suam obscurissimè scripsit (& potiori jure de Steganographiâ quàm de suis Acroasibus Aristoteles Stagirita diceret, *Scripsi, tanquam non scripsissem*) fuit Politica; ex commodo, & incommodo communi sumpta: nam sicut ex Ciphrarum usu multa bona provenire possunt, & solent ad utilitatem Reipublicæ; ita & multa etiam mala possent provenire ex abusu. Hanc edisserit ille in Epistolâ ad Maximilianum I. Imperatorem Romanorum, quæ præfigitur Polygraphiæ: ibi enim ait. *Sunt in subjecto Polygraphiæ Synthemate in locis certis nonnulla Ænigmaticis involuta mysteriis, ne sensus Artis penitioris, qui latet, omnium fieret intelligentia manifestus: Quemadmodum non omnibus omnia expediunt, aut decent; ita nec passim cuncta semper conveniunt. Sunt ergo quædam isthic introclusa mysteria, quæ meo judicio nullis, quàm Principibus viris utiliora esse possunt, & magis necessaria: qui enim pluribus, & majoribus sunt intenti consiliis, eò major ipsis est cautela adhibenda secreti.* Vnde concludit, eos, qui sunt regimini Rerumpblicarum admoti, sicut secreto, sic & Arte, quæ modos loquendi & scribendi signis clandestinis & ignotis nos doceat, absolutè indigere,

Iam oblivioni mandatam Ioannes Trithemius revocavit.

Cur sit obscurè scripta?

Est utilis Reipublicæ, si illa utaris; perniciosa verò si abutaris.

Et ideò à Principibus, & non à privatis hominibus est addiscenda.

gere,

gere; inferiores autem fortunæ homines, quia secreto non indigent, debere scientiam istam nescire, ne ejus notitiam in abusum perniciosum convertant. Quod uberiùs in Præfatione ejusdem Libri idem Author edisserit: scribit enim.

Iubet Ratio magnum abscondere parvo; & margaritas nullatenùs committere porcis.

Quæ hic Trithemius timet, etiam timere ille poterit, qui pueros docet legere & scribere. Sicut .n. legēdo & scribendo multa fiunt ad utilitatem Reipublicæ, sic etiam legēdo & scribendo multa fiunt in ejusdem perniciē. Legendo & scribendo Patres propugnarunt Ecclesiam, illamque Hæretici legēdo & scribendo invadunt. At nemo Orthographiam Realem, quia multi illa abutuntur, cōdemnat: ergo nemo ex hoc capite Orthographiam Virtualem (Ciphrographiā) poterit condemnare.

Et in Apologiâ, quæ præmittitur Steganographiæ, præcedens Lemma hoc scholio dilucidat.

Te, Lector, quicumque futurus es, rogo, memineris, quanta per hanc scientiam mala in Republica fieri per malos, & lubricos possent, si ad multorum notitiam devenires; adulteria, fornicationes, conspirationes, traditiones, homicidia, latrocinia, & infinita mala. Nam, sicut bonus & honestus homo, voluntatis suæ secretum alteri, hanc Artem scienti, quotiescumque voluerit, pro utilitate privata, vel publica secuvè, & absque aliqua suspicione cujusque notificare potest, vel exprimere: & perversus quisque & lubricus, & malitiosus voluptatis suæ personæ, quantumvis turpiter, impedimento penitus omni semoto, malum desiderium suum, sine aliqua suspicione poterit intimare. Nec tuta inter conjugatos fides manere jam deinceps posset, dum fœmina, quamvis Latini sermonis hactenus inscia, per sancta & pudica verba cujuslibet linguæ, seu idiomatis effecta doctissima, malam & impudicam amatoris sui voluntatem, viro licet præsente, ac collaudante literas, latissimè intelligere, suumque desiderium eodem modo securissimè quam voluerit, latè illi remandare, diserta satis oratione possit. Enimverò licet hæc scientia puerilis videri aliquibus possit, tamen si fuerit publicata, totus Reipublicæ ordo turbaretur, fides periret publica, literæ, instrumenta, scriptura, omnes ipsi denique hominum sermones, in perpetuam suspicionem verterentur. Nemo jam literis quantumcumque bonis honestis & sanctis amplius crederet, fidem epistolis nullus adhiberet, quoniam, quantumlibet sancta & pudica verba fuerint, semper tamen dolus, fraus & mala deceptio subesse putaretur, fierentque homines ad omnia timidi, & non minus ad mutuos sermones, quàm ad literas qualibet suspiciosi. Nec fieri quispiam tam doctus, & expertus in hac ipsa scientia unquam poterit, ut non relinquantur infiniti modi, secretè, & occultissimè scribendi ad omnia sufficientes, quos ipse nondum apprehendis. Est enim hæc scientia chaos infinitæ magnitudinis, quod nemo comprehendere potest. Quia quantumlibet doctus in hac Arte fueris, minùs tamen est, quod intelligis, quam id, quod nescis. Constat igitur ex dictis, & immensam Artem esse; & locutuleis, & blateronibus, & nefariis hominibus justo Dei judicio occultam ex integro & non convenire illis nedum ex parte manifestam facere.

De hujus Artis utilitate.

Hæc omnia prævidebat Trithemius, quæ hodie, quia uti Ciphris plerique omnes jam sciunt, magno nobilium Familiarum dedecore, & Rerum publicarum discrimine jam passim accidunt, unde inquirenti, *An Orthographia Virtualis, seu Cyphrographia, utilis sit?* respondeo, has Conclusiones subscribendo.

Pleraque omnes Artes sunt ex se indifferentes, & ab usu & abusu habent, quod sint bonæ vel malæ.

CONCLVSIO I. *Ciphrographia (seu Orthographia Virtualis) secundam se est indifferens: multa præstare bona poterit, qui illa utatur; & multa mala committere, & inferre, qui abuti velit.*

De Igne.

Est Igni similis: quo sicut nil utilius, nil in Mundo perniciosius. Corpora calore foventur, & flammis elementa purgantur; condiuntur alimenta, & metalla durissima docti Artificis voluntati obedire coguntur. At olim Igne Troia, celeberrima, & ditissima Civitas, muris cincta, turribus exornata, palatiis, & arcibus condecorata, in cineres conversa fuit: Et Dianæ Ephesiæ Templum, in quo Asiæ vires & opes sunt insumptæ, flammis consumptum est. &c. & hodiè, si incautè habeatur, Ignis, in sylvas, in ædificia, in homines crudelissimè sœvit.

Trojam absumpsit.

Ephesia Dianæ Templum incineravit.

CONCLVSIO II. *Oportet tempora à temporibus, & personas à personis distinguere.* Ignis enim (ne mutemus exemplum) in hyeme est necessarius, in æstate superfluus: opportunus Aurifici, & inutilis Niphadophylaci.

ἡ νιφὰς νιφάδος, Nix ὁ νιφαδοφύλαξ. Custos nivium.

CONCLVSIO III. *Belli tempore periclitantur arcana Principum, & Regum consilia nisi in Ciphra epistolæ & mandata scribantur.* Omnia pendent à Tempore. Vndè scitè Iurisstæ.

Omnia pendent à temporis opportunitate.

Singula qui exponit, distinguens tempora, legum.

Dissi-

Dissidium tollit, juraque conciliat.

Et scitè cum Ovidio Medici.

Temporibus Medicina valet; data tempore prosunt,

Et data non apto tempore vina nocent.

Ciphra pro diversitate temporum, & utiles, & inutiles sunt.

Ergo, & scitè dicere poterimus nos,

Tempore Ciphrographia valet: Ciphra tempore prodest;

Et Ciphra non apto tempore scripta nocet.

Principibus sunt valde necessaria: & possunt à privatis nosciri.

CONCLUSIO IV. *Reges, Principes, & eorum superiores Ministri scire debent hanc Artem; illamque Puellæ, Virgines, Matronæ, & inferiores subsellii homines ignorabunt utiliter.* Prima Conclusionis pars demonstratur. Quia semper sunt negotia, quæ requirant secretum. Et probatur secunda, quia fœminis, & civibus dicitur *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

Singulis annis sunt mutandæ.

CONCLUSIO V. *Oportet, ut singulis annis Ciphras mutent Principes*. Patet; quia Administri mutantur, defunguntur officio, deponuntur, &c. Et Ciphræ se debent continere inter paucos, quin veniant ad aliorum notitiam.

Qualem praxim noster Catholicus Hispaniæ Rex in Ciphris mutandis observet.

Praxis, quæ in Ciphrarum Clavibus, v^l Clandestinis Abecedariis distribuendis in Hispaniâ observatur, & in aliis regnis deberet, hæc est. Ad omnes Proreges, Provinciarum Gubernatores, & Legatos Novam Ciphram Regius Secretarius mittit; qui autem illam recipiunt, non possunt ea uti donec alterum mandatum veniat. An ad omnes Ciphra Nova pervenerit, debet Regius Secretarius rescire; quia, si aliqua fuit intercepta Epistola, Ciphra illa obliteratur, & alia cogitatur, & ad omnes transmittitur. Si nulla perierit Epistola, tunc ad omnes Regius Secretarius scribit, salvam rem esse, & posse liberè uti clandestino illo characterum syntagmate.

NOTA VII. Prœmialis.

An in Sacra Scriptura aliqua Virtualibus Literis scripta sint?

...unt Ciphra in ...cra Pagina.

ERunt fortassis alia, sed ob oculos pono nomen ששך SESACH, cujus Literæ virtuales sunt, ut statim suadebo. Et profectò hujus intelligentia Expositores, quia nesciunt Μεταμετριχλὼ, adlucinantur. Porrò Ieremiæ Prophetæ dicit Dominus. *Sume Calicem vini furoris hujus de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.* *Accepi Calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus*, &c. Et postquam multas suis expressit nominibus, subjungit. *Et Rex* SESACH *bibet post eos.* &c. Et alio in loco. *Quomodo capta est* SESACH, *& comprehensa inclyta universæ terræ?* Sed quæ Civitas, aut Regiò est SESACH, quam *inclytam* nominat, & esse expugnandam & capiendam prædicit? Nicolaus de Lyra Ægyptum esse suspicatur: sed caret fundamento hæc suspicio, scopum enim, Vir alias eruditus, non tangit. Est SESACH, inquam ego, Babylon; & id manifestè persuadeo.

Quanam Terra, vel Regio sit ששך, SESACH?

Proponuntur loca bene consideranda.

Hieremię cap. 25.

Lyrani error.

Inter alias Alephbethi sui Transformationes illam habent Iudæi, quam vocant א ת ב ש *Ath-bas*, cujus Clavis est hæc.

Quanam Clavis sit Ath-bas?

Figura: א:ב:ג:ד:ה:ו:ז:ח:ט:י:ך *Potestas.*

Potestas: ת:ש:ר:ק:צ:פ:ע:ס:נ:מ:ל. *Figura.*

& postulat: ut, si aliqua litera lineæ superioris scribatur, legatur ea, qui ei in inferiori correspondet, & contra. Cùm autem scriptæ ש det valorem, & potestatem ב: & scriptæ ך det ל manet, ut ששך *Sesach* esse debeat בבל, BABEL: &, ut Prophetia de expugnatione Civitatis SESACH, intelligenda sit ad literam de BABYLONE.

Ostenditur Sesach esse Babel

Illustrissimus Dominus, Isidorus Clarius ex Cassinêsi Monachio Episcopus Fulginatensis Caput Ieremiæ vigesimum-quintum exponens. REX SESACH *secundum Hebræos hic est* REX BABEL *per conversionem Alphabeti; nam Iudæi in usu habent quoddam Alphabethum, ubi pro prima litera* Aleph *ultima, nimirùm* Thau *ponitur: & pro secunda* Beth, *penultima* Sin: *sic* Res *pro* Gimel: *& sic consequenter. Itaque* SESACH *idem erit, quod* BABEL; *si ad rationem hujus Alphabethi expendas.*

Clarius Sacrâ Paginâ Scholiis eruditissimis dilucidavit.

Ergo, quia odio & periculo erat obnoxia Veritas, si ita prædiceretur, ut omnibus esset nota prædictio, placuit Altissimo, ut non ab omnibus, sed ab aliquibus tantùm illa intelligeretur.

Non semper omnibus dicenda est veritas; licet enim nemo mentiri, potest, tamen Vir prudens aut tacere, aut per Literas Virtuales loqui debet, ne ab omnibus intelligatur.

Hunc secretè scribendi modum

Pri-

Prisci sunt olim imitati Romani. Claves, quibus in suis Epistolis Iulius Cæsar, & post eum Octavianus Augustus utebantur, Tomo I, qui ad Apparatum concinnatus est, exhibet Pagina XVI.

Hinc patet Ioannem Trithemium Artis Polygraphicæ & Steganographicæ Promotorem & Auctorem fuisse, Inventorem non fuisse: siquidem jam illa Iudæi multis annis ante Christi Domini Nativitatem utebantur. [Prophetare incepit Ieremias anno ante Christum 628. Iam cucurrerunt anni 1677. post Christum. Ergo ante bis mille annos in Hebræo Parnasso hæ Charites exercebantur.]

Ierem. A. C.	628.
Nos P. C.	1677.
Ergo	2305.

ARTICULUS I.

Gravissimos interdum Effectus à levissimis Causis (puta, ab una litera elocata, aut male prolata) procedere.



Rixas, contentiones, cædes, bella, ab uno verbo aliquando processisse non miror: quoniam ab unica litera, ab unico accentu, ab unico punctulo, immò etiam ab unico apice atroces strages provenisse reperio. Voco *apices* (non enim habeo proprium nomen) notulas, quas Hispanus *tildes*, aut *zedillas* appellat: lineolas, quæ literas primarias à secundariis separant; qualis est in linguâ Latinâ & Græcâ duplex punctus, qui notat duas vocales non debere in diphthongum coïre; nam *aeris* differt ab *aëris*, illud enim est genitivus ab *as*, & hoc genitivus ab *aër*. Et hîc obiter nota, pertinere ad Figuram Grammaticam, quæ nominatur Διαίρεσις. Est autem Diæresis, quæ aut diphthongum dividit, aut *u* liquidum jubet syllabam distinctam cōstituere: & ἀπὸ τοῦ διαιρεῖν, quod *dividere* sonat, deduci. Hinc apud Horatium, *Nunc mare, nunc sylvaï*. &c. hinc apud Virgilium, *Aethereus sensus atque auraï simplicis ignis*: hinc apud alios *süades*, *süavis*, *süesco*, & similia per tres syllabas.

Quid sint apices?

Quid sit, & quid præstare soleat Diæresis?

In Linguâ Hispanicâ differt *c* à *ç*, & *n* à *ñ*, & apex pronunciationem & cum eâ alterat significationem. Sint mihi exemplo *moco*, & *moço*; nec non *Nino* & *niño*: narium enim excrementum *moco*, est, & adolescens *moço*. Et Babyloniæ Rex erat *Nino*, & *niño* significat puerum.

Quid apices apud Hispanos sint?

SECTIO I.

De Ephraimorum strage. *Ostenditur ob inconcinnam unius apicis pronunciationem multa hominum millia occisa fuisse.*



Est apud Hebræos ש tricornis litera. De illa Ludovicus à Sancto Francisco *in sui Globi libr. 1. cap. 3.* [Hæc litera sonat S. cum puncto in sinistro cornu: in dextero autem magis stridet quam S.] Hac doctrinâ præmissâ, audire historiam proderit, quam Liber Iudicum cap. 12. nobis proponit.

De Litera ש, Sin, Hebræâ.

Sine occasione aut causâ contra Galaaditas arma moverunt Ephratæi: & quia

Numine sub justo tandem bona causa triumphas,

victi & fusi fuerunt Ephraitæ, & ut ad domus suas reverterentur, Iordanem conabantur transire. *Occupaverunt autem Galaadita vada Iordanis, per qua Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset, obsecro te, ut me transire permittas; dicebant ei Galaadita, Numquid Ephrathæus es? quo dicente, Non sum, interrogabant eum, Dic ergo,* שבלת, Scibboleth (*quod interpretatur* spica) *qui respondebat* סבלת, Siboleth, (*eâdem literâ* spicam *non valens exprimere.*) *non enim aptus erat, ut sic loqueretur. Statimque adprehensum jugulabant* in

De Galaaditarum & Ephrathæorum bello.

Iudic. 12. 6.

Vide quot hominum millia ob unius literæ pronunciationē cæsa fuerunt.

in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

An Ephraitha fuerit blæsi, & literam S pronunciarint ut C?

Hanc historiam Isidorus Clarius in Notis non intellexisse videtur: scribit enim in textu, *Interrogabant eum, Dic ergo* SIBBOLETH, *qui respondebat*, CIBBOLETH. Ephrathæi igitur erant naturæ vitio blæsi, &, ut Hispanico utar verbo, *cecceabant*. Modò Clarium audiamus. [Rogabant, inquit, eos, ut proferrent dictiones in quibus est SIN, hoc est S crassum, quod Ephrathæi proferre nequiverunt; sed loco ejus S, acutum proferebant; quod certum erat indicium prolatorem esse Ephrathæum, quantumlibet id verbis negaret.] At in textu Ephraitas *Cibboleth* protulisse asserebat, & *ς* crassius sonat, quàm *s*.

De apicibus literæ Scin.

Clariùs loquitur P. Ludovicus, quem paulò antè citavi, quoniam *libr. 1. cap. 4. pag. 46.* sic inquit. [Similiter, quando in litera ש ponitur punctus ad latus dextrum, qui appellatur ימין IAMIN, facit *Sc* nostrũ, sive Græcum, & duriùs profertur, & est prope (*lege* propriè) Hebræum, & dicitur שבלת SCIBBOLET, *spica*. Quando verò ponitur punctus in sinistro cornu seu latere, qui dicitur שמאל, SEMOL, similis est ipsi ס, cum denique sonum habet, ut S. & propriè Ephraimiticum est: inde dicitur ab eis SIBBOLET. & est denique S, distans à priore, & tendens ad Z. Hujus prolationis & nominis varietas in causâ fuit, ut plurimi Ephrathæorum occiderentur à Galaaditis: nam cùm Ephrathæi confugerent ad Galaaditas, quasi Galaaditæ, jussi ab ipsis pronunciare שבלת, SCIBBOLET, id est, *spica*, leniùs juxta suæ linguæ proprietatem proferentes סבלת, SIBBOLATH, cum proferre deberent SCIBOLETH, trucidabatur.

Quid sit Iamin? *Quid Semol?* *שבלת Scibboleth, spica.*

Conclusio.

Quidquid de harum literarum pronunciatione sit, propter differentiam, quæ inter *Sc* & *S*. aut inter *Sc* & *Z* invenitur, illa die multa hominum millia occisa sunt.



SECTIO II.

Hæresi Sabellianâ, Arrianâ & Nestorianâ in genere sumptis disputatur. *Ostenditur non solùm de uno vocabulo, sed de unicâ literâ, aut accentu, tam in Ecclesiâ contra Hæreticos Generalia Concilia, quã in campo numerosos Exercitus, magno damno & periculo totius Orbis Christiani, dimicasse.*

An Viri, qui Scientias sublimiores profitentur, in characterũ & punctorum contemplatione debeãt tempus prodigere?



ET cur de re tam tenui (literulis, apicibus, punctulis, &c.) qui & sum Theologus, & Theologis hæc ipsa scribo & nuncupo, philosophabor? Exorbitare fortè videor, & in ætate provectâ repuerascere; agitur enim de literis, syllabis, accentibus, & punctis in puerorum scholis; nam viri (immò etiam juvenes) horas sublimioribus studiis destinatas, in orthographiâ, prosodiâ, & punctorum collocatione, non impendunt. Deberet ergo hic Liber exesse à Theologorum Lyceo, qui enim de lineolis & apicibus disputat, non ad Literatos, sed ad Literatores [a] spectat. Et quidem sic occlamare solent Doctores aliqui, qui ab incunabulis ad Aristotelem promoti, cœcutiunt in Theologicis, quia Apollo Musarum, & Humaniorum Facultatum Antistes, in eorum hemisphærio ad crepusculinum circulum nondum pervênit. Et ego, ut eos hoc præjudicio liberem, maximas in Ecclesiâ hæreses, & cũ ipsis crudelissima bella à contentiosâ de unicâ literulâ aut apice, dissertatione propter Sabellium, Ariũ, Nestorium, aliosque novarum Opinationum inventores, magno Orthodoxæ Ecclesiæ damno, & Imperii periculo, provenisse, clarissimè demonstraturus sum.

An sæpe hæreses in una litera aut accentu consistant?

a] *Literatus*, eruditus, literis exornatus. Cicero Epist. famil. libr. 9. ad Pæt. *Frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facilè diceret, Hic versus Plauti non est, hic est.* Differt à Literato Literator, quod is in literarum materia speculanda occupetur, nec de vocum significatione disputet; ille autem res ipsas consideret, ingeniosasque de illis excitet controversias. Suetonius de Claris Grammat. *Vnde apud Majores cùm familia alicujus venalis produceretur, non temerè quem* literatum *in titulo, sed* literatorem *inscribere solebant, quasi non* per-

Quinam in Schola Literatores nominentur? & in quo ipsi differant à Literatis?

Quid sit Literatura?

perfectum literis, sed imbutum. Et eodem sensu accipitur *Literatura*. Cicero in part. *Literatura constat ex literarum notis*. Et Seneca epist. 89. *Prima illa literatura (ut Antiqui vocabant) per quam elementa pueris traduntur*.

SECTIO III.

De Vesperis Siculis. *Quot millia hominum, & cur fuerint occisa? Quo modo cogniti, & secreti ab indigenis fuerint, qui erant Galli?*



Genebrardus *in Chron.* sic scribit. [Siculi impatientes libidinis & insolentiæ militaris Gallorū communicatis consiliis cum Nicolao III. qui Carolo infensus erat, & [*] Palæologo Byzantino Imperatore, qui Gallos nuper ex urbe ejecerat, & Petro Aragonio, conjuratione factâ, anno 1281. die Paschæ ad pulsum campanarum convocātium ad Vesperas, omnes Gallos ad unum supra octo millia cum uxoribus, etiam gravidis, intra duarum horarum spatium contrucidarunt. Vnde Proverbium, *Vespera Siciliana*. Æmilius *lib.* 7. Soli illi superfuerunt, quos Spirlinga Arx, munitissima, protexit. &c.] P. Ioannes Baptista Ricciolius in Indice hanc cladem anno 1287. accidisse asserit, & nos remittit ad Magnum Chronicon, in quo nihil prorsus reperio.

*] Historia rerum à Michaele Palæologo, ante imperium & in Imperio gestarum, scripta Græcè à Georgio Pachymere in Barberiana Bibliotheca reperta, Latinè reddita fuit à P. Petro Possino e Soc. Iesu; & in lucem missa Romæ ann. 1666.

GALLI *Ciceulum proferre non possunt.*

Interim, quia plurimi è Gallis exactè loquebantur Italicè, & non poterant ex habitu, aut communi sermone discerni, sicut olim Galaaditæ ephrathæis literam ש in voce שבלת SCIBBOLETH, *Spica*, sic Gallis Siculi literam C in voce CICERI, *Cicera* proposuerunt, experientia jam docti literam illam C Siculam à Gallis pronunciari non posse. Iubebantur igitur CICIRI dicere; & ipsi, quia dicebant *Seisceri*, [a] cognoscebantur, & occidebantur.

In pronunciatione vocis Ciceri Galli à Siculis distinguebantur.

a] Literarum sonus non potest explicari calamo, sed viva voce exponi debet. Vocem *Ciceri* Siculi proponebant, sed quid dicebant Galli? Si literis dem potestatem Italicam, *Seisceri*; &, si Hispanicam, *Gigeri*.

In scriptis tradi exactè non potest literarū potestas.

SECTIO IV.

De Ario. De Heterousiastis, & Homoiousiastis ejus discipulis. *Vnicâ solâ literulâ differre Hæreticos ab Orthodoxis.*



AD vacantem Sedem Alexandrinam contrà Alexandrū Arrius magnâ cōtentione conspirat. Et quia ille præfertur, iste nihil non movet, ut eundem perturbet, & dedecoret. Et occasione sumpta ex Concione ab Alexandro declamatâ, occœpit eum Sabellianismi notâ inurere, & dicere Trinitatis personas insufficienter distinxisse. Vide Socratem *libr.* 1. *cap.* 3. ubi invenies encyclicam Alexandri ad omnes Ecclesias Epistolā, quæ Arrii doctrinam exsecrandam condemnat. Malè Alexandrum distinxisse Trinitatis Personas vociferabatur Arrius, quia omnes coæternas, & coæquales; aut etiam ὁμοούσιας, *consubstantiales*, & *coëssentiales* dixerat: & occlamabat contrà, [Tametsi ante Mundi creationem fuerit Verbum, fuisse tamen olim tempus, in quo nondum illud productum, & creatum fuerit; est enim κτίσμα καὶ ποίημα ἐκ τῶν μὴ ὄντων. *res facta, seu producta ex non entibus*: ac propterea non esse Æterno Patri ὁμοούσιον *consubstantiale, & coëssentiale*, sed ὁμοιούσιον, *simile in essentia, & natura*.] Quæ Opinatio, licet sit de unâ literâ, turbas incredibiles in orbe Christiano concitavit. Ruffinus *libr.* 1. *cap.* 11. Socrates *libr.* 1. *cap.* 3. Theodoretus *libr.* 1. *cap.* 3. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 2. Gesselius *in Hist. Sacr. tom.* 1. *ad ann.* 315.

Vacat Sedes Alexandrina. Alexander Arrio neglecto adsumitur.

Alexandri doctrinam Arrius esse hæreticam vociferatur. 102

Quid alterutro dixerit?

In una literâ differentia & dissensus constitit.

Contra Arrium, ut sedarentur animorum discordiæ, anno 325. Nicææ, urbe Bithyniæ, CCCXVIII. Episcopi ex Oriente, & Occidente in SpirituSancto congregantur, & pronunciant hunc Canonem, [*Qui dicunt*, erat, quando non erat, (Filius Dei) & priusquam generaretur, non erat; *aut*, quod ex nihilo factus est, *aut* ex aliâ substantiâ, seu essentia, *dicentes*, *aut*, creatum, *aut* alterabilem Filium Dei, *hos tales*

De Nicæno Concilio.

Arrianam Impietatem condemnat.

Quæ fuerit Arrii Opinio ex ipsamet condemnatione manifestè colligitur.

anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.] Et apud Socratem *lib.2.cap.14.15.16.nec non 24.& 25.* Photinianorum hæresim Arrianæ consonam recenseri, refelli videbis: & tandem his verbis damnari. *Si quis Christum Iesum, Dei Filium, qui Patri ad universarum rerum fabricationem inservivit, non ante sæcula fuisse dixerit, sed ab eo tempore tantùm, quo ex Maria natus fuit, Filium, & Christum fuisse; & tunc incepisse Deum esse, sicut Paulus Samosatenus asserebat, anathema esto.* Et similia Hilarius libr. de Synodis, & alii Antiqui Patres & Doctores scribunt. Est autem *Anathema*, secundum rem consideratum, censura Canonica, quæ à Latinis dicitur *Excommunicatio*, reumque impenitentem ab Ecclesiæ gremio, & Fideliũ consortio separat, & excidit: est autem teste Socrate, si secundum modum consideretur, *sententia contra alicujus Blasphemia* (aut Hæreseos) *Authorem pronuncia ta; quo perinde nota fiat, ac si in columna incisa publicè proponatur.*

Quid sit Anathema, & quod contra Hæreticos fulminatur?

An Latinè sit Excommunicatio.

Infecit hæc sacrilega Opinatio totam Græciam; & adscendens in Boream maculavit populos Septentrionales, quos vocant Getas: nam sub Getarum nomine continentur diversi. Olavs Wormius *in Syntagmate*, quod inscribitur RNᚫᚾᛏ, *de Danica antiquissima Literatura, edito Hafniæ ann. 1636. cap. 4. pag. 25.* [Procopius quidem Gothos, Wandalos, Wisigothos, Gepedes, Sarmatas, &c. *Gentes Geticas* vocatas fuisse expressè asserit *de bell. wandalico libr. 1.*] Ejus autem verba sunt hæc. [Gothicæ Gentes, *multæ quidem, & aliæ priùs fuerunt, quàm nunc: omnium autem maximi, & potissimi* (fortè *potentissimi*) Gothi, & Wandali, & Wisigothi, & Gepedes; *jam dudũ, &* Sarmatæ & Melanchlenę *appellati. Sunt & qui* Geticas Gẽtes *has vocent. Quæ omnes nominibus quidem inter se differunt, cæterò conveniunt. Nam albi sunt omnes corpore, flavè coma, procerè quoque, & adspectu probo* [*] *legibus itidem iisdem utuntur. Similiter & Arrianæ omnes opinionis; voce* (lingua) *una, Gothica appellata, utentes: &, ut mihi sanè videtur, ex una omnes Gente procreati, nomina posteà ab eorũ Ducibus varia sortiti.* &c.] Erant hi ante illud ævum Ethnici, & per Arrianos ad Fidem Christianam conversi, non Orthodoxam Religionem, sed Heterodoxam receperunt. Albertum Crantzium *in Suecia sua libr.2.cap.26.* sic loquentem audiunto. *Wisigothi, non tam Christiani, quàm Arriani, per Episcopum Gentis sua Vlphilam Ostrogothos, & Gepidas, congentiles suos, fermento* (hæretico nimirùm) *quod acceperant, corruperunt. Nam is erat Gothorum Apostolus, si non Antichristus; qui Gothicas literas adinvenit, qui Divinarum Literarum Sacratissimum Thesaurum* (quem *Biblia* dicimus) *in Gothicam linguam transfudit, immixto, quod imbiberat, veneno.* Consonat Otto, Episcopus Frisingensis, qui *in Chron.lib.4.cap.16.* sic scribit. *Gulfilas, Gothorum Episcopus, literas tunc Gothicas invenit: in quas cùm Divinas scripturas vertisset, ac in regno Athalarici prædicare cœpisset Athalaricus, eò quòd paganus esset, multos ex iis* (qui fuerant ad Christũ conversi) *suppliciis affecit.* Vide Olavum Wormium *in* RNᚫᚾᛏ, *de Danorum Antiquissima literatura Syntagmate cap.20.pag.113.& 114.*

Hæresis Arriana propagatur.

Qui, & quot in Septentrione, populi Getarũ nomine intelligantur?

*] *Sunt adspectu probo.* Hispanicè, *Son de buena cara; tienen buen parecer.*

Quomodo Hæreticam pravitatem admiserint?

Est necessariũ inter Hæreticos materiales & formales distinguere, nam Gothi Ethnicismum relinquebant, ut veram Fidem consequerentur, & tamen decipiebantur ab Episcopo, possent videri laborare ignorantia invincibili.

Inde posteà per Norwegiã, Sveciam, Daniam, in Germaniam, & per hanc in Galliam, Italiam, Hispaniam, immò in Libyam prolapsi, totum Orbem Christianum Arrianã opinatione fascinarunt.

Eadem Arrii Hæresis cum Getis ad Regiones inferiores descendit.

SECTIO V.

De Vocibus, quæ in Trinitatis dilucidatione usurpantur.

EST supra Philosophiam & humanas rationes Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, cujus notitiam nullam prorsus habuerunt, Græci, vel Latini Sapientes. Marsilius Ficinus in Epist. libr. 2. *Trinitatis Christianæ secretum in ipsis Platonis libris nunquam esse assero.* Et eur? Nam Plato ductum rationis; &, ut in calumn. Platonica, sequitur libr. 3. cap. 13. inquit, Bess. *Trinitatem Sanctissimam ratione naturalè cognoscere impossibile est; sed sacris authoritatibus probari potest.* Vnde in Præfatione concinitur, *Domine Sancte Pater, Omnipotens Æterne Deus; qui cum Vnigenito Filio tuo, & SpirituSancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate Personæ* (ut somniabat Sabellius) *sed in unius Trinitate substantiæ.* Quod

An possit Trinitas ratione naturali cognosci?

An illam cognoverit Plato?

An nesciri, aut à Deo revelari debuerit?

Quod enim de tua gloria (cujus perfecta cognitio mentis humanæ vires superat) *revelante te credimus; hoc de Filio tuo* (contra Arrium) *hoc de Spiritu Sancto* (contra Macedonium *sine differentia discretionis sentimus: ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in Personis proprietas, & in Essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.* Cùm autem Græci, & Latini Nomenclatores, rebus tantùm naturali Rationis luce notis nomina convenientia imposuerint, necessarium fuit, ut rebus supernaturalibus disputaturi, sub initium Christiani vocabulis destituerentur, nec se explicare, aut mutuò intelligere possent. Loquebantur interdum malè, qui sentiebant benè: & interdum, qui sentiebant malè, censebantur consentire Orthodoxis, quia cum ipsis loquebantur per accidens. Sanè sub Imperatore Severo floruit Tertullianus, Severusque anno Christi 213. moritur Eboraci in Britaniâ. Et quàm Eximius Scriptor fuerit constat ex Vincentio Lirinensi, qui tempore S. Augustini vivebat, sic enim ait, *Sicut Origenes apud Græcos, ita hic apud Latinos facilè Princeps judicandus est. Quid enim hoc Viro doctius? utpote omnem Philosophiam, & omnes Philosophorum sectas, Auctores, Assertoresque sectarum, omnes eorum Disciplinas, omnem Historiarum, & Studiorum varietatem, mirâ quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò non-ne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere eliserit? Iam porrò Orationis suæ laudes quis exsequi valeat? quæ tanta nescio qua rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: Cujus quot pene verba tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoria. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici, cæterique, quorum ille blasphemias multis, ac magnis Voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit.*

An olim Christiani vocabulis opportunis caruerint?

Quo tempore floruerit Tertullianus?

Qualis & quantus fuerit?

Clarissima sunt verba, quibus Tertullianus dari Purgatorium, & viventium orationes animabus in illo detentis prodesse asseverat. Taceant ergo Hæretici, qui hanc doctrinã novitatis accusant.

Et quidem duobus illis primis sæculis nondum habebant Christiani opportuna vocabula, quibus mysterium Trinitatis exponerent. Audiunto Gesselium, qui *libr. cit. pag.* 292. *&* 293. ait. (Hoc etiam notatu dignum in Tertulliano, quòd primus videatur Auctor, & Inventor vocis *Trinitatis*, de quâ expressè & disertè scribit *libr. adversus Praxeam, hæreticum Patripassianum*, quales etiam erant Noëtiani, & Sabelliani. Ejusdem vocis etiam sæpiusculè mentionem facit B. Cyprianus, & eodem tempore librum de Trinitate scripsit Novatianus Presbyter Romanus, paulò post in schismate futurus cum Cornelio Episcopo Romano.) Primus inter Græcos, qui nomen Τριάδος usurpavit, est Author libri, qui Dionysio Areopagitæ adtribuitur: quem vult Gesselius fuisse Tertulliano juniorem, alii autem esse eumdemmet Dionysium; cui ego propter mirabilem dicendi modum, & multorum Theologorum authoritatem libros illos accenseo.

De nomine Trinitas.

Quis primus illud usurpaverit?

De voce Græca Τριάς.

Quis eam invenerit, & Divinis Personis applicaverit.

Videamus nunc, quo Tertullianus modo (vir videlicet tantus) humanis verbis de tam Divino Mysterio loquatur. *Libr. contr. Praxeam cap.* 2. sic infit. *Custodiatur οἰκονομίας Sacramentum, quæ Vnitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Tres autem, non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie. Vnius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Quid dicere voluerit, scio; at dixisse, quæ volebat, non video. Verba hæc Iosephus Langius sic exponit. [Tertulliano *Aeconomia* hoc loco est ratio Deitatis in se, & operum internorum, & inter Personas ejus: *Gradum* verò vocat ordinem Personarum: *Formam* Personalitatem; *Speciem* Individuum, seu Personam &c.] Ergo sumus felices, qui tardius nati: quando jam Ecclesiastici, & Scholastici in significatione vocabulorum, de quâ nil certi habebant Antiqui, convenerunt.

Quo Tertullianus modo mysterium Trinitatis exponat?

Carebat verbis & ideò obscurissimè loquitur.

Iam, Altissimo gratias, Scholastici in vocabulorum, huc pertinentium, significatione convenerunt.

Trinitas tres Personas importat. *An hæ possunt, aut ὁμοούσιοι, consubstantiales dici debent?* Negarunt, & affirmarunt Veteres; & propter hanc unicam vocem non solùm controversiæ in Scholis, sed, & fuerunt in Orbe Christiano seditiones, & bella.

De voce ὁμοούσιος.

Quid significet?

Sanè hæc vox significationis est exi-

Quis eam invenerit?

eximiæ, & debet bene considerari, & examinari. Primus, qui illa fuit usus, aut qui illam construxit nescitur, est enim antiquissima, & apud Catholicos in usu ab usque tempore Apostolorum. At primus, qui illa usus est in scriptis, videtur fuisse

Quis primus eam scripserit?

Dionysius Alexandrinus, *in Epist. ad Dionysium Romanum ann. Christ.* 263. & posteà *in Epist. ad Patres contra Paulum Samosatenum in Synodo Antiochia congregatos*, nam cùm præ senectute, & morbo eò venire non posset, scripsit, & inter alia *se ex traditione habere Christum à Sanctis Patribus* ὁμοούσιον *Patri, dictum fuisse*, ut narrat Athanasius *Epist. de sententia Dionysii Alexandrini*: iterumque *in Epist. de Synodis*, ex qua præcipuos paragraphos apud Gesselium *libr. cit. pag.* 352. & 353. invenies.

An Dionysius Alexandrinus sit?

Duæ voces coeunt (ὁμὸς, & οὐσία) ut nomen ὁμοούσιον constituant. Et apud Autores profanos æquivocatione laborat illa prior: PRIMO enim est *Idem*. ὁ ἀυτός ut apud Homerum Iliad. θ ὁμὸν λέχος, *idem lectus*: & apud Hesiodum *in Theog.* ὁμὸν νεῖκος, *eadem altercatio*. SECUNDO autem est *Simile*. Homerus *Iliad.* ω.

Vocis ὁμούσιος etymologia.

ὁμὸς. idem & similis.

Εἰδ᾽ ἢ ὁμλὼ Ἀχιλῆϊ καὶ Ἕκτορι θήσετε τιμλὼ.

— *Et felle carentis*

Hectoris assimilem demum proponite honorem.

Posterior vox οὐσία, quæ apud Platonem *libr.* 7. *de Repub.* legitur, *Essentia & Substantia* exponi solet. Et apud Aristotelem *libr. de Mundo*, οὐσία ἄτακτος, est materia illa informis, quæ ab Ovidio Metam. libr. 1. dicitur *rudis indigestaque molis*.

οὐσία, substantia, essentia.

Est, & aliud etiam in controversia nomen, nempè ὁμοιούσιον: cujus priorem partem dat ὅμοιος (Atticè ὁμοῖος) quod est *similis*. Interim tamen hoc sensu illud plerique omnes accipiant, Homerus *Iliad.* ς. canens,

Exponitur nomen ὁμοιούσιον. ὅμοιος & ὁμοῖος. Similis.

Ἄμφω γὰρ πέπρωται ὁμοίην γαῖαν ἐρεῦσαι gravium difficultarum occasionem reliquit, quoniam ὁμοίη γαῖα ibi, non est *similis terra*, sed *eadem terra*. Quo respiciens Scapula ait, *Ὅμοιος exponitur etiam sicut ὁμός*.

An etiam significet eundem?

Sed & ἑτερούσιον nomen tertium est, cujus prior pars (nam de posteriori jam constat) debet necessariò

De nomine ἑτερούσιος

explicari. Nam ἕτερος est *alter*, & dicitur de duobus propriè. Homerus *Iliad* β χωλὸς δ᾽ ἕτερον πόδα. *Claudus altero pede*. Et minùs propriè sumptum est *alius*. Græcè ἄλλος. Herodianus *libr.* 2. οὐδὲν ἕτερον ἀλλ᾽ ἢ *nihil aliud quam*. &c. Et tandem laxè acceptum, est *diversus*, & τῷ ἀυτῷ opponitur. Aristoteles *Ethic.* 10. τὰ ἕτερα τῷ εἴδει, *quæ distinguuntur specie*: *quæ specie diversa sunt*. &c. Erit igitur ἑτερούσιος, *qui alterius, alius, aut diversæ substantiæ, seu essentiæ*.

Quid significet?

An alterum, an verò diversum?

Differunt οὐσία, & ὑπόστασις: nam hæc est subsistentia, seu Personalitas. Scapula verb. ἵστημι, *statuo*. sic inquit [ὑπόστασις. in Dei Trinitate significat substantiam intelligentem incommunicabilē, idem quod ἰδιότης, & πρόσωπον, atque ita distinguitur ab οὐσία, quæ est communicabilis. SacroSancta enim Concilia statuerunt, unam in Trinitate esse οὐσίαν (essentiam, seu substantiam) & tres ὑποστάσεις (personalitates, seu subsistentias) ut docet Basilius. &c.] Interim aliquando ὑπόστασις sumitur pro *substantia*. Epist. ad Hebræos cap. 1. 3. Æterni Patris Æternus Filius dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως ἀυτοῦ. *Character substantiæ ejus*. Et cap. 11. 1. Fides dicitur ἐλπιζομένων ὑπόστασις. *sperandarum rerum substantia*. Et utrobique Arias Montanus, qui accuratè Novum Testamentum recensuit, *Substantiæ* vocem immutatam reliquit.

De vocibus οὐσία, & ὑπόστασις.

Quid prior:

quid posterior significet?

An Hypostasis aliquando pro substantia sumatur?

Sed & voces *Substantia*, & *Subsistentia* variè olim acceptæ apud Latinos. Et quia à Dictionariis petendæ sunt significationes vocum, quid Calepinus, & ejus Castigator Passeratius, scribat, videamus.

Quid Substantia, & quid Subsistentia sit?

[Substantia. æ. *est, qua per se subsistat, & fundamentum præbet accidentibus, quæ sine illa existere non possunt*: ὑπόστασις οὐσία ὕπαρξις.] At hæc tria Græca nomina non sunt synonyma. De duobus prioribus jam dixi; tertium est *Substantia*, aut *Subsistentia*, si Budæo credimus; *existentia*, si Scapulæ.

Quid sit ὕπαρξις?

[*Substantivus. Substantialis*; *id quod per se stare potest*. ὑπαρκτικός] Illud argumentum. [Verbum, quod producit intellectus humanus, est accidens, & non substantia. Ergo idem dicendum de illo, quod producit

De Verbo Divino & Humano. An utrumque sit accidens?

ducit Intellectus Divinus.] *in symb. expos.* respondet Ruffinus. *Sed fortè dicas; Ista, quam memorat, insubstantiva est generatio, neque enim lux substantivum facit splendorem, aut Cor* (Intellectus) *substantivum generat Verbum*. Et respondetur humanum Intellectū generare Verbum accidentarium, nam est accidens; Divinum verò substantiale, nam est substantia.

ὑπιςάμενον

[*Subsistentia. actus subsistentis, res ipsa subsistens.* τὸ ὑφιςάμενον. *habens subsistentiam. personalitas. persona, qua est* ὑφιςάμενον νοερόν.]

An aliquando substantia significet subsistentiam?

In Concilii autem Antiocheni symbolo *substantia* nomine Patres intellexere subsistentiam; inquiunt enim. *His nominibus* (Patris, & Filii, & Spiritussancti) *non simpliciter, neque otiosè propositis, sed significantibus diligenter propriam uniuscujusque nominatorum substantiam, & ordinem, & gloriam; ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò, unum*.

SECTIO VI.

De modo loquendi. *Quibus vocabulis uti, & quibus non uti debeamus, cùm agimus de Trinitate. De nominibus* Αἰτία, *&* Αἴτιον *propter qua sacrilega introducta sunt Hareses, & multa hominum trucidata myriades*.

Vnde Causa dicatur?

SVNT synonymæ, & significant *Causam*. Causæ autem nomen sumitur ἀπὸ τῆς καυστος, nempe *ab ardore*; nam inter Causas notissima est Efficiens, & inter Efficientes nulla est evidentior, quàm Ignis. Et ideò Patres Græci, & Latini, ut Æternam Verbi generationem exponerent, ad Ignis similitudinem recurrerunt: est enim illud, ut habemus in Symbolo *Lumen de Lumine*; &, ut Ambrosius explicat,

Lumen est Dei symbolum.

Splendor Paterna gloria,
De Luce Lumen proferens;
Lux Lucis, & Fons Luminis,
Diem Dies illuminans.

ἄιτιον τό. αἰτία. ἡ.
An Pater Divinus sit Causa Filii?
Quid dicant Graci?
Quid Latini?

An Pater Verbi est Causa? P. Petrus Possinus in Glossario, quo Historiam Imperatoris Paleologi, olim à Pachymere Græcè scriptam, & nuper à se Latinè redditam, exponit & dilucidat: ad libri VI. Caput XXIII. sic scribit. [Quod Theologi Latini frequentiùs *Principium* appellant in Divinis Productionibus ad intra, Græci passìm ἄιτιον & ἀιτίαν dicunt. Nec vocabulum *Causa* usquequaque ab eo usu aborret. S. Hilarius *de Trinit. libr.* 11. Patrem vocat *Causam Nativitatis Filii*. Et *lib.* 12. agens de generatione Filii, *Et ex Causa*, inquit, *perfecta atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causa ipsius proprietate nascatur*. S. Augustinus *libr. qu.* 83. *qu.* 16. ait: *Quod autem rerum omnium causa est, etiam Sapientia sua causa est; nec unquam Deus sine sapientia. Igitur sempiterna sua sapientia Causa est sempiterna*. Victorinus Afer *lib.* 1. *adversus Arium*, scribit *Æqualis Patri, sed major Pater, quod ipse dedit ipsi omnia, & Causa est ipsi Filio, ut sit; ut isto modo sit*. Vtitur, & S. Anselmus, & Richardus Victorinus hoc modo loquendi. Quamvis S. Thomas *Opusc. contra Gracos cap.* 1. & *in summ.* 1. *part. qu.* 83. *art.* 1. & Eugenius IV. in Concilio Florentino *in Literis Vnionis*; & idem Concilium *sess. XV.* doceant, quod Græci *Causam* in Trinitate appellant, à Latinis securiùs, & meliùs *Principiū* dici.]

Conqueritur, & meritò P. Rodericus Arriaga Philosophos in Causæ definitione minimè convenire; & ideo prodire dissensiones, quæ tandem ad nominalem quæstionem revocantur.

Vide eum disp. 7. Physic. qu. 2. pag. 373. juxta editionem Lugdunens. ann. 1669

An Graci in Divinis processionibus Principia admittant

Sunt, qui velint Græcos cognovisse, & asseruisse Patrem esse Τὴν ἀρχὴν *principium* Filii; & Patrem Filiumque, esse τὴν ἀρχὴν, *principium* Spiritussancti. Et ex Ioann. 8. 25. persuadere conentur. Interrogantibus enim Iudæis Σὺ τίς εἶ: *Tu quis es?* respondit Iesus Τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *Principium, qui loquor vobis*. Arias Montanus legit *quod*. Est ergo sensus, videlicet, *Ego, qui loquor vobis, sum Principium, nempe Spiritussancti*, aut si velis, quoniam de Patre præcesserat sermo, *Pater meus est illud Principium, quod loquor, & recenseo vobis*. Ergo etiam ad Græcorum dialectum Pater est Verbi Æterni Principium; & Pater Filiusq; sunt Principium Spiritussancti.

Locus Ioannis exponitur.

At assero, non benè illum locum exponi; universi enim sciunt Latinorum Ablativo absoluto Accusativum absolutum æquivalere apud Græcos. Ita Gretserus in Grammat. *pag.* 112. testimonia ex Aristotele, & ex Halicarnassæo producens. Et Græcos interdum imitantur Latini. Virgilius enim Æneid. libr. 5. sic cecinit.

De Accusativo absoluto.

Est in usu apud Gracos.

Totque suos, totidem nigrantes terga

ga

ga juvencos.

Et postea libro sexto.

Quatuor hinc primam nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina Sacerdos.

Ecce *terga*, hoc est, *secundum terga* dixit, more Græco; qui ad Idiomatis Latini canones dixisset *tergis*. Ergo Τὴν ἀρχὴν, est Accusativus absolutus, & est, Latinè *Primum*, & Hispanicè *Lo primero*, & vim habet Adverbii *Primò*, aut *Primùm*. Id oculatissimè observavit Illustriss. D. Isidorus Clarius, ex Cassinate Monacho Episcopus Fulginatensis, qui Sacra Biblia secundo recognita ann. 1564. Venetiis edidit, & hunc Evangelii textum sic scribit. *Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Primum quod & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & judicare; sed qui me misit verax est: & ego, quæ audivi ab eo hæc loquor in Mundo*. Quæ verba hoc Scholio dilucidat. [Non aperit, inquit, quod postulabant; videlicet, Quis esset? Sed respondet, quæ consentaneum erat illos audire, *In primis*, inquiens, *quod & apertè loquor, possum multa de vobis conqueri apud Patrem meum, & decernere etiam in vos; sed non est necesse, ut faciam, nam Pater meus verax est, & fidelis; nec deerit mea causa, cùm ab eo profectus sim, & secundum ejus mandatum hæc loquar Mundo*. Quidam è Græcis hunc verborum ordinem faciunt, *Id sum, quod & à principio loquor vobis*: nam quædam Græca exemplaria habent, *Tu quid es?*]

An τὴν ἀρχὴν sit in ablativo absoluto?

D. Isidorus Clarius laudatus.

Quando aliqui, non ea, quæ debent scire, sed quæ pro tunc debent non scire, interrogant, præstat eis dicere, quæ debent scire, quàm quæ volunt scire.

Conqueritur Philippus Melanchthon, Martini Lutheri discipulus, scientias ob ignorationem Grammatices à Monachis esse corruptas, & in Epistolâ Christiano Egenolpho, quæ suæ Grammaticæ præmittitur, sic scribit, [Qualis autem ille erit in Ecclesia Doctor, qui nec amat, nec intelligit, nec enarrare doctrinam Cælestem potest? Satis graves pœnas olim dedit Orbis contemptæ Grammatices, cùm Monachi, non germanas sententias, sed adulterinas Scholis & Populo proponebant. Et tamen magna tunc frequentia fuit Discentium; & aliqua studia fuisse constat, sed depravata. Quid esset rectè loqui pauci videbant: multò pauciores judicare phrasin poterant. Nam in tanta Discentium paucitate [*] quales tenebræ futuræ sunt, si illi ipsi, qui doctrinæ Custodes esse debebunt, non rectè fuerint instituti? &c.] Et nequis putet non universaliter eum de Monachis sermonem facere, ut videas nequidem doctissimos excipi velle, exscribam lineas has ex ejusdem Epistola ad Iustum Ionam, quã statim citabo. [Hæc utilis doctrina (vera Sacræ Paginæ Intelligentia) tota jacet obruta densissima caligine, siquis ignoret Grammaticam rationem syntaxeos. Itaque hîc prodigiosas ineptias Thomas comminiscitur. Exigua laus esse ducitur non falli in Grammaticâ; sed tamen utilitas est amplissima.] At Melanchthon ipse verissimam hanc Sacri Textus expositionem à Monacho (Isidoro Clario) didicit: nam in Prologo, qui suæ Syntaxi præmittitur, & Iusto Ionæ, Iusti Ionæ filio inscribitur, pag. 335. sic scribit. *In Evangelio Ioannis cap. 8. legitur*, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *Hic fefellit figura constructionis: nam* τὴν ἀρχὴν *ponitur adverbialiter, pro particulâ* Prorsus, *seu* Primùm. *Cùm enim illi interrogassent Christum* Qui esset? *respondit*, Prorsus is sum, quem me esse dico; quem me esse profiteor. *Hæc interpretatio perspicua est. At alii male intellecta particula*, τὴν ἀρχὴν, *legerunt*, Principium, quod & loquor vobis, *& disputant*, Quare se Christus nominet, PRINCIPIUM? *Hæc etiam si non sunt absurda, tamen hoc quidem loco intempestiva sunt, & effundunt caliginem reliquo sermoni*. Utor libro impresso Witebergæ anno 1590. Et infero hanc, de quâ gloriatur Melanchthon, non esse interpretationem suam, sed jam priùs ante annos quasi triginta à Monachis Cassinensibus traditam, & tandem ab Isidoro Clario in lucem missam.

An Monachi nesciant Grammaticam?

An ideò corruperint scientias?

[*] Quomodo erat discentiũ paucitas, si magna, ut ait, erat tunc frequentia discentium?

Exigua est laus non errare in Grammatica, & tamen in ea adlucinari magnum consequitur dedecus.

An interpretationem, de qua gloriatur Melanchthon à Monacho quondam didicerit?

An adverbialiter ponatur?

Varia Interpretationes proponuntur.

Stat ergo Græcos, ubi de Processionibus Divinis disputant non uti nomine *Principii*, sed *Causæ*. Superest, ut discrimen inter Causam, & Principium dilucidemus.

In quo consistat ratio Causæ, & quo modo à Principio distinguatur?

Tres characteres admittunt in Causâ Philosophi Peripatetici, quos breviter explicare debebo.

Primus est prioritas *in quo*: Principium enim tantummodò requirit prioritatem *à quo*: Et hoc sensu loqui Hurtadum, docet Arriaga *in*

Causa requirit prioritatem in quo.

Physi-

Physica disp.7.sect.1. num.5.pag.373. juxta editionem Lugdunensem anni 1669.

Producit essentiam.

Secundus, quidquid de Principio fit, postulat ut Causa producat essentiam, seu naturam. Et hanc sententiam Arriaga, ubi supra, etiam proponit, & exponit: fatetur tamen hanc doctrinam pessimam à Poncio judicari.

Et ad defectibilem effectum ordinatur.

Tertius requirit, ut producat effectum. Vbi obiter monendi sunt Lectores, tunc Causam, effectum, cum influxu ex se defectibili, & imperfecto operari.

Arius ne ab Aristotele deceptus, se subducit à Doctrina Christiana.

Ante Arium Patres Graeci, tametsi τῆς αἰτίας, *Causæ* nomen in Divinis Processionibus admitterent, illud aliter intelligebant, quàm Aristoteles, & Peripatetici, ne ineffabile Trinitatis Mysterium obnubilarent. Illos occœpit imperitiæ Hæresiarcha incusare, & hoc modo ad Aristotelis, & Peripateticorum mentem, & doctrinam discurrere.

An Pater sit prior Filio; videlicet prioritate in quo?

Primò. Inter Causam, & Effectū datur prioritas instantis *in quo*. At Pater Æternus Verbi Divini est Causa. Ergo fuit aliquod instans, in quo erat Pater, & Verbum Divinū nondum erat. Ergo Verbum non fuit ab æterno.

An in Filio produxerit ipsam essentiam?

Secundò, Causa producit essentiam. At nihil potest procedere se ipsum. Ergo essentia Patris, & Filii distinguuntur numero, vel specie. Ergo Filius non est ὁμοούσιος Patri sed ὁμοιούσιος.

An Filius possit non esse?

Tertiò, Causæ influxus est defectibilis, ergo, & Effectus similiter defectibilis est. At Patris Æterni Filius est effectus. Ergo est defectibilis: ac per consequens non est Deus. Ergo est creatura, quæ sicut aliquando non fuit, poterit, si non conservetur, non esse.

An Filius sit factus à Patre?

Quia autem Causæ, & effectus conceptus sunt correlativi, Filium Divinum esse Effectum uno ore Patres Latini, & Græci subtiliores negarunt. Dicitur enim ab Ecclesia in symbolo, *Genitus, non factus, consubstantialis Patri; per quem omnia facta sunt*. Et in Sancti Athanasii symbolo. *Dominus Noster Iesus-Christus Deus, & Homo est. Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & Homo ex substantia Matris in sæculo natus*. Et simili modo loquitur S. Anselmus *Epist. de process. Spiritussancti, contra Græcos*: consonans S. Dionysio Areopagitæ *de Divin Nominib.cap.2.* apud Oviedū *controu.7.punct.44.* qui citat Orationem Bessarionis, quæ habetur *in fine Concilii Florentini*.

Nobis, ut Trinitatis Mysterii credamus, non autem, ut intelligamus præcipitur.

Et miror Arianos, & alios his coætaneos Hæreticos, ex Aristotele voluisse doctrinas de Ineffabili Sanctissimæ Trinitatis Mysterio deducere, cùm deberent ex Fide: quoniam, ut hunc credamus Articulum, non autem ut intelligamus, Orthodoxis universis præcipitur. Placet Ingenium S. Gregorii Nazianzeni, qui *in Oratione de SpirituSancto ante med.* Pneumatomacho Heterodoxo interroganti, Τίς οὖν ἡ ἐκπόρευσις; *Quæ igitur est ista Processio*? Reconveniendo illam respondet, εἰπὲ τὺ τὴν ἀγεννησίαν τοῦ Πατρὸς, κἀγὼ [*] τὴν γέννησιν τοῦ υἱοῦ φυσιολογήσω, καὶ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος, Edissere tu (mihi) ingenerabilitatem Patris, *Et ego generationem Filii enarrabo, & processionem Spiritus*. Et subjungit, Καὶ παραπληκτίσομεν ἄμφω εἰς Θεοῦ μυστήρια παρακύπτοντες. Ita legitur in editione Basileensi purè Græcâ anni 1550. *pag.221. vers.* 4. at in Græco-Latina Parisiensi παραπληκτήσομεν pro τῇ scriptū reperio. Sanè παραπλήσσω, & παραπλήττω *perperam pulso citharam*: & παραπλήττομαι, *mente percellor, insanio*. & παραπλήξ, ῆγος ὁ, *cui sensuum harmonia depravata est*. Ergo illud, Καὶ παραπληκτίσομεν ἄμφω εἰς Θεοῦ μυστήρια παρακύπτοντες. Possinus. *Insaniemus ambo in Dei Mysteria ammittentes oculos*. Ego Hispanicè dicerem, Y *quien nos mete en estas Musicas, pues sabemos entrambos, que tenemos malos dedos para Organistas: y que el ponerlos en los mysterios soberanos de Dios, es hazernos los ojos*.

*] κἀγὼ est καὶ ἐγὼ.

An sit optimus respondēdi modus, reconvenire interrogantem, & illum altera interrogatione prapedire?

παραπλήσσω. παραπλήττομαι. παραπλήξ.

Aseitas Divina humanum intellectum superat.

Et quidem hoc argumentum Nazianzeni, non contra Arianos tantùm, sed etiam contra Iudæos, & Mahometanos est efficax: quia, si Trinitatem negant, quia non capiunt, eodem jure negare poterunt Aseitatem, quia nec istam capiunt. Ergo, si captivantes intellectum in obsequium Fidei, Aseitatem, quam non capiunt, admittunt, non erit cur non admittant Trinitatem, tametsi illam non capiant.

SECTIO VII.

De Particulis Ex, & Per. An sint æquipollentes? Ioannis Vecci Patriarchæ Constatinopolitani sententia, & rationes, quibus illam tuebatur.

An ... Particularis ... sint non ... et admittendæ opinationes novæ, sic nec novæ voces sine causa, & authoritate introducendæ.

PAchimeres, qui res ante Imperium, & in Imperio à Palæologo gestas accuratè recensuit, Patris Petri Possini operâ latinè loquens *lib. 6. cap. 23. pag. 329.* his verbis Dissertationem proponit. [Cùm illum oportuisset eo esse contentum, quod tradiderat Damascenus, & Divus Maximus, ac super hos Divus quoque Tarasius: aut quod idem est dicere, septima Synodus universa: cujus Patres omnes prærogativam ejusdem Tarasii sequuti confessioni de hoc articulo, quæ ad Orientales missa fuerat, subscripserunt. Siquidem ab his dum occasione additionis tali Professioni insertæ dogma, ipsum explicant dicere docemur, *Spiritum Sanctum ex Patre per Filiū procedere*. Cum, inquam, oportuisset Veccum eas in hoc explicando mysterio adhibentem voces, quas nstri Patres usurparunt, additamenta] Latinorum ad eas, quoad posset, accommodando, ejus, & suam ipsius invidiam purgare, aut minuere excusando; contrà ille extra terminos susceptæ Tractationis declarationem argutiis evagans, multa congessit Scriptorum Veterum loca: inter quæ cum reperisset Magnum Basilium illud *Ex*, quod de Filio dicitur, in *Per* commutantem, tanquam essent hæ præpositiones invicem æquivalenter mutabiles, prout probatur his scripturæ authoritatibus: *possedi hominem per Deum*, idest *ex Deo*, & *factum ex muliere*, hoc est, *per mulierem*, ne illam hæresim insinuasse Divinus Apostolus putetur; quâ Christus, quasi per canalem, transisse per Virginem, fingitur: Hæc inquam, similia undique conferens quotidie plurima, *Ex* in *Per* immittebat: eas particulas conflando in notionem unam: sicque videlicet diluebat crimen additamenti in symbolum intrusi, quo S. Spiritus, ut ex Patre, ita ex Filio procedere affirmatur. Præterea idem inventa Divi Damasceni sententia, qua Pater per *Verbum* προβολεὺς *emissor enunciatorii spiritus* dicitur; & vocem προβολεὺς *emissor* sive *prolator*, tanquam idem significantem quod αἴτιος *Causa sive Principium* usurpans, ubi observasset: non dicere quidem Damascenum simpliciter *Filium esse causam sive principium Spiritus Sancti*; fateri tamen *Patrem esse causam Spiritussancti per Filium*: quandoquidem ab eo Pater per Verbum Spiritussancti προβολεὺς quod idem sonat, ac αἴτιος esse affirmetur. Hanc sententiam aliqui, ut subdititiam & falso attributam Patri Damasceoo reiiciunt; quidam autem eam admittentes loco vocabuli προβολεὺς substituunt in illa παροχεὺς, *præbitor*, & quæ illis mentio adjungitur ἐκφαντορίας *enunciatoriæ prolationis*, non ad ὕπαρξιν *extantiam* referunt; Sed ad ἀΐδιον ἔκφανσιν *æternam exhibitionem*. Enim verò scandalorum magnorum occasiones talia præbuerunt posteris; uti videlicet, & hoc Nysseni Gregorii Patris dictum, in quo divisim de Personis Divinis agitur, his verbis: *Vt illam quidem causam credamus, hanc autem ex causa. Rursus aliam differentiam intelligimus. Hæc enim continuè ex prima, ista per meditationem Filii, qui continuè ex prima est, qua mediatione Filius idem & sibi Unigeniti proprietatem servat, & Spiritum à relatione Patris non arcet*, Hæc allegabat Patriarcha, ostendens mediationem Filii necessariò inferre præpositionem *Per*, & propter hanc, Præpositionem *Ex* quam hic Latini usurparent, admittendam contendens; quoniam promiscuè permutabiles inter sese has particulas esse appareret. Verùm Ephesinus, unaque Atheniensis Meletius, & alii plurimi scandalizabantur, existimantes, movere, ac de novo in disceptationem vocare, olim constituta dogmata, majus esse malum, quàm ut consciscere id ipsi possent; quamvis gravium malorum prævertendorum causa conscientias suas accommodassent ad levius illud peccatum admittendum, quo se obligassent, pace cum illis facienda qui in Divinis Dogmatibus errarent. Ac Meletius præsertim magna de his libertate disserebat, adeò ut die quadam postquam multa super hoc argumento in Synodo declamasset, pedissequum jusserit sublato

Patriarcha nominabatur Veccus.

Basilius ex in per commutavit.

An Christus non ex Virgine passus sit, sed per illam, quasi per canalem transiverit?

An Spiritussanctus utroque procedat?

αἴτιον in genere neutro. Causa αἴτιος in masc. qui est causa...

An αἴτιος & προβολεὺς sint voces synonymæ?

παροχεὺς. ἐκφαντορία. ὕπαρξις. ἀΐδιος ἔκφανσις.

An Spiritussanctus per Filium & ex Filio procedat?

An Fidei Dogmata debeant in disputationem vocari?

An habere pacem cum Hæreticis peccatum sit?

lato pallio procinctum ad iter sibi adesse, tanquam in exilium tali de causa mox parato proficisci. Moderatiùs se gerebat Ephesinus, Imperatoris respectu, [*] apud quem se providebat offensurum, si videretur offendicula, & turbarum causas iis objicere, qui bona fide conventis acquiescebant. Ringebatur tamen, & ipse penitùs, egerrimè cum suis ferens, quæ à Vecco agebantur: apparebatque non dubitaturos ipsos conari, si possent, clandestinis artibus illum à sede Patriarchali amovère. &c.]

*] *Respectu* Latinè non explicat sententiæ sensũ, quem sic propono. Hispanicè. *Con mayor modestia procedia Monseñor de Epheso, por el respeto, que se devia al Emperador.*

Ecce quantæ difficultates, & magnorum discriminum & tumultuum origines, ex duabus voculis [*Per* & *Ex*] sic, aut aliter intelligendis, coram Imperatore inter Græcæ Ecclesiæ Summates, aboriebantur. Hodiè universæ cessant; omnia enim jam sunt per Concilia Oecumenica determinata.

SECTIO VIII.

Proponitur Vera Doctrina. *Qualis Persona Christus sit, contra Ariũ, & Nestorium exponitur.*

Qualis Christus fuerit, exponitur?

SI Veritatem, & orthodoxam doctrinam præmittamus, dilucidemusque, facilè erit ostendere, quem, & qualem usum habere hæ voces debent in ineffabili Sanctæ Trinitatis Mysterio. Proponamus ergo aliquas Propositiones ex Symbolo S. Athanasii.

Est verus Deus & verus Homo.

Est Fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus Noster Iesus-Christus, Dei Filius, Deus & Homo est. Non enim fuit purus Deus, corpus habens phantasticum: nec purus homo, per moralèm aliquam ἀποθέωσιν sortitus privilegia Divina: sed verus Deus, & verus Homo.

Asserunt Græci Deũ creavisse Angelos multis sæculis ante Mundi creationem.

Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & Homo ex substantia Matris in sæculo natus. Erat ergo antequam in ventre Virginis conciperetur: antequam Mundus crearetur: & ante illa etiam sæculà, sub quorum initium, ut volebant Græci, creavit Deus Angelos ante hujus corporei Mundi constitutionem.

An in Christo fuerit Anima Rationalis?

Perfectus Deus; perfectus homo, ex Anima rationali, & humana carne subsistens. Sanè perfectus Deus. Ergo habens essentiam, & perfectionem infinitam. Perfectus homo: non ergo in ipso Divinitas, gerebat vices Animæ rationalis, ut temerè Apollinaris docuit: nec, ut Monothelitæ asseverabant, erat in ipso Anima rationalis, destituta potentiis, quæ non proprio, sed Divino intellectu intelligeret; & non propria, sed Divina amaret voluntate.

An ejus Anima mente, & voluntate sit prædita?

Æqualis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum Humanitatem. Et duas continet partes hoc Catholicum dogma, quæ viderentur esse contradictoriæ, nisi circumstantiæ repugnantiam eliderent. Nam hæ Propositiones, *Filius est minor Patre*, & *Filius non est minor Patre*, simul sunt veræ, sed in diverso sensu. Est enim Dominus Noster Iesus-Christus, non minor, sed æqualis Patri, & SpirituiSancto secundum naturam Divinam; unde & ipse ait Ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Ego & Pater unum sumus.* Attende *unum* dicit, non *unus*: Pater enim, & Filius sunt duo in Personis, unum verò in substantia. Et tamen hac Veritate non obstante, cum Humanitas finitæ perfectionis Natura sit, & Divinitas infinitam includat, Christus Patre, & Spiritu Sancto erit minor, si agatur de Humana Natura. Vnde ipse Dominus ait. ὅτι ὁ πατὴρ μείζων μου ἐστι. *Nam Pater major me est.* Duas istas Catholicas, & Orthodoxas veritates, quas Athanasius edisseruit, Fortunatus apud Gesselium *tom. 1. ad ann. Christi 449. pag. 618.* hoc Disticho complexus est.

An Christus sit æqualis Patri?

Ioann. 10. 30.

Loci, qui videntur contrarii, conciliantur.

Ioann. 14. 28.

In Deitate Patri æqualis, sed corpore Matri:
Et sine peccato de Genitrice caro.

Qui licet Deus sit, & Homo; non duo tamen, sed unus est Christus. Et hoc destruit Nestorii opinationem; quæ in Christo moralem unitatem duarum Personarum (Divinæ, & Humanæ) admittebat. Fuit autem Nestorius Pontifex Constantinopolitanus, & in Concilio Ephesino ann. 430. congregato damnatur.

An simplex Persona sit in Christo?

Vnus autem, non conversione Divinitatis in Carnem, sed adsumptione Humanitatis in Deum. Vnus omninò non confusione Substantiæ, sed unitate Personæ. Quæ verba contra Eutychetem militant; qui cùm

An duæ sint Naturæ in Christo?

duas subsistentias, à Nestorio assertas, magno animi fervore impugnare contendit; ex duabus substantiis, seu Naturis illas inferri existimans; ne duas in Christo subsistentias concederet, duas Naturas, aut substantias negavit, asserens ex Peripateticæ Scholæ fundamentis, vel Divinitatem conversam in Humanitatem fuisse, sicut convertitur lignum in ignem: aut Divinitatem Humanitatemque inter se mixtas & confusas, sicut contingit Elementis in Mixtis, in Naturam tertiam ab utraque distinctam, degenerasse. Condemnatus Eutyches in Concilio Constantinopolitano per Flavianum ejusdem Civitatis Episcopum. Vide Actionem Primam Concilii Chalcedonensis, quod tom. 1. reperitur.

An conversa sit in Humanitatem Divinitas?

An commixta sint Divina & Humana natura?

SECTIO IX.

Referuntur nonnullæ Hæreses circa Trinitatis Mysterium.

Aliquibus ex his erroribus Origenes tinctus fuisse videtur; de multis enim sub initium ante Concilia, & probabiliter disputabatur, de quibus dubitari non licuit, post definitionem Ecclesiæ. Et inter alios Theophilus Episcopus in iis, quæ contra eum scripsit, hæc habet. Præmittit ejus sententiam dicens. *Quemadmodum Filius & Pater unum sunt: ita etiam, quam recepit Filius naturam, & ipse unum sunt* (puta, asserebat Origenes) *nesciens, quod Filius quidem & Pater unum sunt propter unam substantiam & eamdem Divinitatem. Anima autem & Filius, altera est ab altero, substantia & natura. Si enim quemadmodum Pater & Filius unum sunt, erit etiam unum Pater & Anima, & dicet aliquando Anima Filii*, Qui vidit me, vidit & Patrem meum. *Sed non ita est. Absit. Filius enim & Pater unum, quia non sunt diversæ Qualitates*, (Essentiæ) *Anima autem, & Filius est, & natura, & substantia alterum; quandoquidem & ipsa quoque per ipsum facta est; estque ejusdem nobiscum substantiæ.* Et horum verborum meminit Theodoretus *dialog. 2. fol. 249.* Ergo, si Origenes (aut quicumque sit, quem refellit Theophilus) asserebat Christi Animam ejusdem esse naturæ, & essentiæ cum Patre, si tunc habuisset hæc vocabula in usu, eamdem, sed tamen impiè ὁμοούσιαν Græcè, & Latinè *Consubstantialem* appellasset.

In Origene.

Anno Domini 305. docet Alexandria.

Quo modo Christus sit Deus non benè exponit.

A Theophilo Episcopo impugnatus.

A Theophilo Essentiæ dicuntur qualitates.

An Christi Anima sit Divinitati consubstantialis?

Tametsi Paulus Samosatenus, Antiochiæ Episcopus, doctrinam præcedenti similem hypotheticè adstrueret, nihilominus [statuebat Christum non fuisse ante Mariam; & habuisse naturam communem hominibus, quales nos sumus, ut *lib. 7. cap. 27. 28. & 29.* habet Eusebius, qui multa de hoc Paulo, & Concilio Antiocheno recensuit.]

An ante Mariam Christus fuerit?

Quid Filii nomine intelligatur?

Quia generationem Divinam more humano, & corporeo intelligebat, putabat eo à Christianis sensu Verbum Divinum Patris Æterni Filium dici, quo Saulis Ionathan [*] Davidis Salomon, & Zachariæ Ioannes Baptista: adeoque sentiebat Filium Dei non esse ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον Patri Æterno; hoc est, habere, non eamdem naturam, sed similem. Et ideò Christum esse Dei verum Filium abnegabat. Præterea, quia nomen *Verbi* more humano accipiebat, Verbum Divinum esse in Patris mente accidens aliquod existimabat. Habemus utriusque erroris, in quem Samosatenum lapsum diximus, disertissimum Expositorem Athanasium, qui *in Epistola de Synodis* sic scribit.

*] Cùm Hebraicè sit יהונתן Ionathan. in fine habere n debet, & nō s, ut aliquibus placuit.

An Christus fuerit Filius Dei?

[Duo enim Dionysii diù ante eos septuaginta fuere, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præsul erat: ibi eum quidam Alexandrinum Episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui filium opus, & non consubstantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam præscripsit, ac jam inde ille se ad defensionem parans, libello suo titulum *Refutationis*, & *Apologiæ* indidit, & in hæc verba ad Romanum scripsit: *Ego, & in alia epistola scripsi, Ubi ostendo crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui dicerem Christum non esse consubstantialem Deo: nam tametsi dico me illud nomen nec reperisse, nec legisse alicubi in S. Scriptura, rationes tamen nostræ, quas retinuerunt, non abludunt ab hac sententia.* Et paulò post. *Et si amborum Conciliorum Patres diversimodè de consubstantiali memoriam fecere, non tamen ea de causa* ab

Alexandrinus Episcopus apud Romanum accusatur. Romano ergo subest Alexandrinus.

Non negat Verbum Patri esse ὁμοούσιον: sed dicit hoc nomen ὁμοούσιον in Sacra Pagina non reperiri.

Pauli Samosateni argumentum.

ab iis dissidere debemus, sed illorum mentes scrutari, quod si fecerimus, omninò inveniemus ambas Synodos inter se consentire. Qui Samatensem sustulerunt, hanc vocem corporaliter accepere, cum Paulus sophisticarè vellet, & diceret: Si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri: & necessariò sequitur tres esse substantias, unam quidem, quæ prior sit, ut princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas: *ideòque meritò vitantes illud sophisma Pauli, dixere* Christum non esse consubstantialem: *non enim ita se habet, ut Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Et paulò antè, *Si igitur aliquis carpit Nicaenses, quod non dixerint omnia, quæ ipsorum antecessoribus placuerunt, idem quoque meritò carpserit septuaginta Episcopos, Pauli Samosatensis condemnatores, quod ea, quæ antecessorum erant, non observaverint. Antecessores autem eorum fuerunt duo isti Dionisii, caterique, qui Romæ tum congregati fuera* &c. Et ibidem: *Adversus eos, qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem* (nomine consubstantiali) *ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet. Neque enim velut adversus Ariomanitas, aut quasi bellū gesturi Patribus contradicimus, sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, nec creaturam eum, nec opus existere, sed genuinum, & naturalem Patris fætum, & æternaliter cum Patre esse, cum ejus, & ratio, & sapientia sit, non longe absunt à recipienda hac voce* Consubstantiali. *Talis autem Basilius ex Antyra in scriptis suis de fide. Cæterum quoniam ex substantia Patris filium esse dixere, & similem Patri substantia, quid aliud isti innuunt nisi eum* ὁμοούσιον Consubstantialem *esse?* Et posteà; *sed utraque Synodus instam habet causā, cur illa ad illum, ista verò ad istum modum verba sua temperaverit. Quādoquidem Samosatenus sentiebat filiū ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium sua essentia accepisse, ideò Episcopi tum congregati hominem hæreseos condemnatum abdicarunt, & de filii divinitate simpliciter scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis* ὁμοούσιος, Consubstantialis *adhibuerunt, sed ut acceperant de* Consubstantiali, *ita loquuti sunt. In eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatenus excogitabat, tollerent, & docerent ante omnia fuisse filium, eumque non ex homine Deum esse factum, sed cum Deus esset, induisse servi speciem, & cum Verbum esset, carnem esse factū, quemadmodum loquutus est Ioannes: atque ita adversus Pauli blasphemias actum fuit.* Hactenus Athanasius.

Non potuerunt omnia expressè dicere Patres in Concilio Nicano.

An confendi sint Hæretici, qui filium consubstantialem Patri esse affirmant, & tamen abstinent à voce ὁμοούσιον, *quam novam, & æquivocationi obnoxiā esse existimāt?*

De duabus synodis, in quarum altera asseritur, & in altera ὁμοούσιον, consubstātialem Patri Filium esse, *sed sub diverso sensu, negatur.*

An Christus ex Homine factus sit Deus?

Proderit hîc addere verba Bellarmini dicentis. [Sunt autem hoc loco duo notanda de hoc nomine ὁμοούσιον, *Consubstantiale*, primū est non solùm Arrianis displicuisse hoc nomen, sed etiam quibusdam Catholicis; propterà quod Patres Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum disertè negaverunt Filium esse Patri ὁμοούσιον *homoousion*, idque acciderat ante natam Arrii hæresin, quibus Athanasius objicit auctoritatem Dionysii Romani, & Alexandrini, qui antiquiores Concilio Antiocheno Filium Patri ὁμοούσιον, *homousion* dixerunt.] Interim, quia Patres, etsi aliter, & aliter loquuti sunt, eodem modo senserunt, illos conciliat, dicens, Antiochenos Patres negasse ὁμοούσιον, *homoousion* Patri esse Filium, ad mentem Samosateni, sed non simpliciter: Samosatenus enim acceperat corporaliter hoc vocabulum quasi significaret filium esse Patri consubstantialem, quomodo est homo homini consubstantialis: ita ut substantiæ sint, sed ejusdem speciei. Et paulò post subjungit, [Notandum est secundò hoc nomen Divinitùs inventum videri, siquidem destruit simul contrarias hæreses Arrii, & Sabellii, nam ut docet Athanasius *in Epist. de synodis*, & Basilius *in quadam epist. ad Ancillas Dei*, non dicitur ὁμοούσιον *homoousion* de iis, quæ quandocunque habent similem essentiam; sed de iis tantùm, quorum unum est ex altero, & ab illo recipit eandem (numero) essentiam. Sabellius fatebatur Patrem, & Filium eandem habere essentiam, sed negabat unum esse ab alio, (dicebat enim Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unam esse Personam). Arriani verò fatebantur Filium esse à Patre, sed negabant eandem esse essentiam. *Rectè* (inquit Ambrosius) ὁμοού-

An, & cur in Concilio Antiocheno rejectum, & condemnatū fuerit nomen ὁμοούσιον: *& hoc ante hæresim Arrii?*

Quo sensu hanc vocem sumpserit Samosatenus?

Non sunt Personæ Divinæ ejusdem speciei indi vidua nec inter se sicut plures Homines, aut plures Leones &c. consubstantiales.

An, & cur epithetum ὁμοούσιον *inventum divinitùs censeri debeat?*

An destruat oppositas Hæreses?

ὁμοούσιον Patri filium dicimus, quia verbo eo, & personarum distinctio, & naturæ unitas significatur. Hæc Bellarminus *tom. 1. lib. 2. cap. 3.*

An Paulus Samosatenus dixerit, Verbũ esse intentionaliter, & non realiter ὁμοούσιον Patri?

Placet hîc producere verba Blondelli, nobiscum enim in Mysterio Trinitatis discurrit, & paulò aliter Samosetani opinionem exponit. [Hîc obiter notabimus (inquit) quã difficile sit hominibus tractare causas Dei (mens enim humana assueta cogitare naturalia, & terrena, nisi illuminetur divinitùs cœcutit cum convertit oculos ad supernaturalia & cælestia.) Sanè illi Patres, qui adversus Samosatenum scripserunt, statuerunt Christum ante incarnationem suam fuisse ὁμοούσιον Patri, ille verò volebat ita esse ὁμοούσιον Patri, ut diceret ipsum (non :ealiter, sed intentionaliter ὁμοούσιον, seu consubstantialem [a] fuisse: hoc est, tantummodò) fuisse in mente Dei: & totam rationem existentiæ ipsius fuisse prout conceptus sunt) in intellectu nostro, & accidentia in suis subjectis. Nam, ut statuerent Christum ante Incarnationem eandem essentiam cum Patre (realiter habuisse, & per se (realiter) substitisse, illi damnabant vocem ὁμοούσιον non sano sensu acceptam. Vbi autem Arrius caput extollere cœpit, & dogma suum disseminare, Concilium, quod convenerat Nicææ, ut errorem illum refelleret ipso vocabulo usum est, sed in alio sensu: Tum admissum fuit hoc vocabulum etiam à (nonnullis) Arrianis, quandoquidem illi subscribebant, voci isti ὁμοούσιον, sed interpretamentum ejus sibi reservabant, quo suum errorem incrustare possent. Ea de causa factum est, ut multi (Catholici) noluerint admittere symbolum Concilii Nicæni ob vocabulum illud quod putabant ἄγραφον esse, etsi de Trinitate rectè sentirent. Eos Athanasius, & Hilarius pro fratribus recipiebant, etsi in formulis (seu modo loquendi) dissentirent. Duplici enim argumento nitebantur: Primò dicebant vocem illam esse ἄγραφον, quia in Sacrâ Scripturâ non legitur: itaque existimabant accuratissimâ veneratione Sacræ Scripturæ, hoc tanquam fundamentum fidei nostræ nunquam subiici debere, sed ex solâ Sacrâ Scripturâ Fidei nostræ Regulam esse petendam. Sed hæc vox non fuit obtrusa, tanquam divina, sed quæ Di·ina explicaret, quamvis humanitùs inventa esset, tamen fundamentum in S. Scriptura habebat. Hoc etiam offendiculo illi permoti, quod ea vox (in Antiochenâ Synodo) damnata esset, & in alium sensum trahi posset, ab ea abhorrebant. Itaque in hac parte dissentiebant ab aliis.] Hæc Blondellus in dictatis suis.

a] Animam quodammodo esse omnia, docet Aristoteles, quem Peripatetici universi sequuntur. Et illud *quodammodo* ad esse intentionale reducunt. Mens enim humana aut Angelica, si contempletur lapidem nõ realiter sed intentionaliter fit lapis: & hinc ille suum deducebat errorem: dicebat enim Divinæ Metis Verbum bifariam posse considerari: consideratum enim realiter est in Mente Divina; ut sunt accidẽtia in subjecto: consideratum autem intentionaliter, est cognitio Dei, adeoque non realiter, sed intentionaliter est ὁμοούσιον, *consubstantiale Deo*.

SECTIO X.

De impiis aliquorum Veterum Opinationibus, contra quas Constantinopolitana synodus fulminat Anathema.

De Constantinopolitano Concilio, & Hæreticis in illo cõdemnatis.

Congregatur Concilium Constantinopolitanum anno Domini 381. Secundum dicitur: non quod secundum inter Constantinopolitana illud sit, fuit enim primum; sed quod est secundum inter Generalia Concilia, nam solùm Nicænum præcesserat. Erat tunc Summus Pontifex Damasus, Imperator Theodosius. Incepit mense Majo, & absolvitur Iulio. Interfuerunt centum & quinquaginta Patres, & tametsi contra Macedonianos, qui Spiritui Sancto Divinitatẽ pernegabant, fuerit congregatum præcipuè, in primo nihilominùs Canone omnes illos nominatim condemnat, qui tunc Ecclesiam perturbabant, Hæreticos nimirùm Sabellianos, Eunomianos, seu Anomæos, Arrianos, sen Eudoxianos, Semiarrianos, seu Pneumatomachos, Marcellianos, Photinianos, & Appollinaristas. So:rates *libr. 5. cap. 8.* Sozomenus *lib. 7. cap. 7.* Theodoretus *lib. 5. cap. 7.* Chrysostomus *in Orat. ad laud. Meletii*.

Non est mihi animus omnes eorum errores & blasphemias exponere, sed eas solùm quæ nomina ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, vnica tantùm litera differentia, concernũt.

Sabellius.

De origine Scholæ Nominalium.

Nominalis Schola, quam aperuisse Ochamus vulgò dicitur, Aristoteli primùm, & posteà Sabellio debetur. Et est ingeniosa, & plausibilis in Philosophicis, & Metaphysicis, discurrit de Deo Vno pulcherrimè; non autem nisi periculosè, aut hæreticè disputat de Deo Trino: & hanc ob rem Nominales Catholici intra terminos, quos præscribit Religio Orthodoxa, se continent. Illos temerè prætergressus Sabellius, Trinitat m Divi-

nam, quam realem esse ex Sacrâ Scripturâ didicimus, esse purè nominalem asseruit, & qua potuit sacrilegum errorem propagavit. Et, ut videretur eum fundamento pulchro, & securo loqui, Primò ipse multa, quæ aut per diversas formas Plato, aut per diversas formalitates in Physica dilucidavit Aristoteles, per nomina, & connotata extrinseca ingeniosè explicabat. Dicebat enim v.gr. Memoriam, Intellectum, & Voluntatem in Homine esse tria nomina, & unam rem, quoniam Rationalis Hominis anima, prout res spiritualiter percipit, vocatur *Intellectus*: & prout rerum intellectarum notitias retinet, *Memoria*: & prout bonas appetit, & malas respuit nominatur *Voluntas*. Et ad Deum Vnum convertens oculos, & ex Philosophia Theologicas Consequentias deducens, in Deo unam, & eandem indivisibilem Voluntatem prout Mundum creat, *Omnipotentiã*; prout gubernat, & regit, *Providentiam*: prout bona hominum opera præmiis coronat, & mala suppliciis condemnat, *Iustitiam*; prout pœnitentibus parcit, *Clementiam*; & tandem prout condolet, & opitulatur miseris, *Misericordiam* nominabat: & hucusque probabiliter, & plausibiliter. Et hinc transiens ad sublime Trinitatis Mysterium, in quo à Revelatione, & Fide Divina manuduci deberet, temerè Rationi Naturali confidens, subjungebat, Deum quidem in substantia esse unum, Trinum in Personis; *Personarum* autem nomine nihil aliud quam mera nomina intelligebat. Dicebat enim nnum, & eumdem Deũ, quia creaverat homines, vocari *Patrem*: & quia carnem ex Sanctissima Virgine sumpserat, vocari *Filium*: & quia nos gratiarum charismatis condecorat, *Spiritum Sanctum* nominari. Addebarque posteriora duo nomina à revelatione pendere, primum verò tam certam, & indubitatam Veritatem supponere, ut innotuerit Ethnicis, libro enim Æneidos decimo apud Virgilium Venus ait.

De Anima Rationalis potentiis. Quomodo distinguantur?

De Attributis Divinis.

Quomodo distinguantur?

Quo Sabellius sensu, Deum crediderit esse Trinũ & Vnum. An Trinitas sit merè Nominalis.

Deum esse hominum patrem Ethnici cognoverunt, & existimarunt.

O Pater, o hominum Divumque
aterna Potestas.

Et postea ibid.

Æneas agnovit eum, latusque precatur
Sic Pater ille Deum faciat &c.

Et libro primo Ventorum Regi Iuno dixerat, [*]

Æole (namque tibi Divum Pater,
atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere
vento.) &c.

Et iterum libro decimo nuper citato

Ad quem (Orodem) *subridens*
mista Mezentius ira
Nunc morere: ast de me Divum
Pater, atque hominum Rex
Viderit.

Et Euryali mater lib. 9.

Aut tu Magne Pater Divum, miserere; tuoque
Invisũ hoc detrude caput sub Tartara telo.
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Et libro quarto Dido conquerebatur, dicens

Nec Saturnus hac oculis Pater aspicit aquis.

Consonat Martialis; inquit enim,

Destinet Æthereus, cui sua serta Pater.

Et Nemesianus

Hunc Pater Omnipotens venturi
providus avi.

Et Quirinus Serenus.

Iuppiter est hominimitis, Pater omnibus aquus &c.
Iupiter omniparens cujus sine Numine sancto.

Sed & Græci etiam eum πατήρα Patrem vocaverunt. Homerus enim Ιλιαδ. α. cecinit.

Τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα πατὴρ
ἀνδρῶν τε Θεῶν τε

Eumque Apollonius libr. a. γεννηταῖον *Genitorem*, seu *generattenum Authorem* appellavit, dicens

Τὺς γὰρ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα γεννηταὶ Διὸς ἄχρείω.

Et in Græcorum Epigrammatum libr. 7. ἀρχιγενέθλον *Archigenitorem, Patriarcham, Parentem primum* eum vocari reperio. Ibi enim lego,

Καὶ Ζευς ἀρχιγενέθλος, ἀφ' ὖ
φύσις ἐβλάστησεν.

Et D. Paulus Homero, Virgilio, & multis aliis Græcis Latinisq; Scriptoribus junior, *act.* 17. 28. huc respiciens dicebat. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν. ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *In ipso enim* (Deo) *vivimus, & movemur, & sumus; sicut & quidam apud vos Poëtarum dixerunt ipsius enim, & genus sumus.*

*] Cùm lachrymas, odia, adulteria, proditiones, & alia scelera à Diis perpetrata considero, existimo Homerum, Virgilium, & cæteros hæc ipsa minimè credidisse, & stravisse Plinio viã ut Gentilium Deos universos rideret. Ad annum Christi 70. Genebrardus in Chronic. [Plinius Major qui ut fuerit Atheus, hoc tamen unum divinissimè, quod ad sternendam Idololatriam Nostri urgebant, Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo neminè ex his nasci; & alios esse grandævos, semperq; canos; alios juvenes, atq; pueros atricolores, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes, morientesque, &c. puerilium prope est deliramentorum: sed super omnem imprudentiam est, adulteria inter ipsos fingi, mox jurgia & odia, atque etiam furorum esse, & scelerum Numina.] Ita Plinius lib. 2. cap. 2.

Sa-

Sabellius ergo, etsi Patrem, & Filium & Spiritum-Sanctum, diceret deberet ὁμοούσιος, sub orthodoxæ vocis specie venenum hæreseos occultabat.

Homousiastæ.

An Verbum Devinum à Patre; & Intellectuales hominum Animæ à Deo sint ex traduce?

IN ipsomet nomine ὁμοούσιος propagabant exsecrandam hæresim, & impietatem Homousiastæ, qui dicebant Filium Dei per traducem à Patris naturâ procedere; & traductionis legem extendentes ad Homines addebant Intellectuales Animas esse particulas ex Divinâ Naturâ decisas. Ergo substantiam Dei putabant divisibilem esse. Videntur adhæsisse Tertulliano, de quo Ricciolius *in Hæresiarcharum Catalogo pag.* 120. *b. ann.* 201. [In Montani hæresim, quã damnaverat, initio tertii sæculi ruens, &c. Animã Filii ab Animâ Patris genitam ex traduce dixit: &c. Deum corporeum esse, nulla tamen figurâ circumscriptum. &c. Paracletum internum cum Montano agnoscens. &c.] Et in iis, quæ dicebant Homousiastæ de Animâ, Poëtas Ethnicos imitabantur: Virgilius enim libr. 6. Æneid. humanam Animam esse ajebat,

Opinationes Tertulliani.

Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem. &c. quoniam
Igneus est olli vigor, ac cælestis origo.

Quid sit Anima Rationalis?

Eam aliquando *Divinæ particulam auræ* voluit esse Lucretius: & Claudianus 4. *Hon.* Promethei fabulam ad historiam reducit: inquit enim.

Disce Orbis, quod quisque sibi cùm conderet artus
Nostros Æthereis miscens terrena Prometheus,
Sinceram Patri Mentem furatus Olympo.
Continuis claustris indignantemque revinxit.
Et cùm non aliter possent mortalia fingi.

De Prometheo.

Consonat Lucretio, qui dixerat,

Vnde Anima veniat & quò vadat?

Cedit enim retrò de terra, quod fuit antè
In terra, sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum Cæli fulgentia templa receptat.

Vnde Manilius libr. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In Cælumq; redire Animas, Cæloq; venire;

An Animæ hominum Celestes sint?

Hæc etiam sententia fuit Macrobii, qui Somnium Scipionis dilucidans *libr.* 1. *cap.* 9. sic inquit. *Animarũ originem manere de Cælo inter rectè philosophantes indubitata constat esse sententia.*

An proborum & improborum hominum Animæ distinguantur specie?

Cicero *libr. de legib.* non omnes, sed Heroum tantùm Animas, asseruit à Divinâ decidi: inquit enim. *Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem & cæteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem Animos immortales esse, sed Fortiũ, Bonorũq; Divinos.* Interìm *libr.* 1. *Tuscul. Quæst.* re meliùs, ut putabat, perspectâ, hanc distinctionẽ abstulit, omnesque hominum Proborum & Improborum Animos existimavit Cœlestes & Divinos esse, morumque differentiam non ab eorum naturâ, sed à liberi arbitrii usu vel abusu desuml. *Animorum* (loquitur vniversìm) *nulla in terris origo inveniri potest: nihil enim est in Animis mixtum atque concretum, aut quod ex terrâ natum atque fictum esse videatur: nihilque aut humidum aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim Memoriæ, Mentis, Cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & futura provideat* (aut prævideat) *& complecti possit præsentia, quæ sola Divina sunt: nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi à Deo.* Et libr. ult. *Humanus Animus* (N. B.) *decerptus ex mente Divinâ, cum alio nullo, nisi cum Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest.*

Asserit & probat Cicero hominum Animas immateriales esse.

An sint partes à Divina natura decisæ?

Homousiastarum error.

Hanc itaque doctrinam Homousiastæ olim amplectebantur. Genebrardus in Chronic. ad ann. Christ. 220. [Homousiastæ Animas Humanas ejusdem cum Deo essentiæ esse contendentes. Origenes *cap.* 38. *comment. in Iob.* contra quos referendum est illud ejusdem *cap.* 37. videlicet *Neque ergo* Homousion *aliquid Dei est.* Nam non Patrem intelligit ad quem collatus filius & Spiritussanctus ejusdem est cum ipso substantiæ; sed Deum simpliciter, cum quo nihil omninò res condita, eamdem substantiam habet. Hujus autem hæreseos autorẽ facit Theodoretus *libr.* 1. *fabul. hæretic.* Marcionem. Marcionitarum itaque genus erant Homousiastæ, sive ut in Græco Origenis ὁμουσιασταὶ.]

An Deus & Homo sint ὁμοούσιοι?

ὁμουσιασταὶ.

Vtebantur igitur nomine ὁμοούσιος impiè & sacrilegè; non enim Deus

Nomen ipsi ὁμοούσιος admittebant sacrilegè,

Deus comparatus cum Homine, aut Homo comparatus cum Deo potest Latinè *consubstantialis* dici, aut Græcè ὁμοούσιος.

Eunomius.

An Verbum sit Patri Divino ἑτερούσιον.

PEjor erat Arrianis, nam ab illo Heterousiastæ provenerunt, qui Patrem, Filiumque diversæ esse asserebant substantiæ, & inter eos, quantum inter Creatorem, & creaturam admittebant discrimen. Heterousiastis, qui erant ejus discipuli sacrilegum dogma nomen dedit: Sanctæ enim Trinitatis Personas esse ἑτερουσίας dicebant. De illo ad ann. 360. hæc scribit Ricciolius. [Eunomius in Galatiâ natus, in Cappadociâ educatus, ajebat, &c. Filium Dei nomine tenus, & æquivocè dici Filium Dei, sicut homo pictus dicitur *homo*. Negabat Baptismum dandum esse in nomine Sanctissimæ Trinitatis.. &c.]; Basilius *advers. Eunomium*, Georgius Nazianzenus *Orat.3*, Nissenus *lib.2. de Anim. cap. 12.* Augustinus *de hæres. cap. 54.* Sozomenus *libr. 7. cap. 27.* Theodoretus *hæret.fabul.lib.4.*

An nomen Deus de Patre, & Filio prædicetur æquivocè?

Photinus.

Fuit Marcellus Ancyræ Episcopus, & præter alias hæreses, Cælestem Beatitudinem finem habituram docebat. Nicephorus libr. 11. cap. 48. Bonfin. 1. decad. 1. Epiphanius hæres. 71. Vincentius Lirinensis contra hæretic. cap. 16. Socrates lib. 2. cap. 14. & 15.

MArcelli Hæresiarchæ discipulus, jam Sabellio, jam Samosateno Paulo adhærens, ut utrsque componeret sub ann. Christ. 360 Epiphanio asserente, Christum è Maria Virgine initium sumpsisse asserebat. Naturæ jure purum hominem fuisse, Virtutum autem merito honore Divinitatis condecoratum. Debuit igitur existimare, (quod videlicet tota olim videtur supposuisse Ethnicorum Persuasio) *Divinitatem* esse Officii, aut Dignitatis nomen, Deosque sicut Imperatores, aut Reges per electionem promoveri. Ab Origene, & Origenistis errorem suum hausisse creditur: Origenes enim (qui ann. 220. scribebat) videbatur asserere Filium Dei (immò, & SpiritumSanctum) esse creaturam; & per adoptionem esse Filium Dei. Comparatumque cum hominibus esse Veritatem; & comparatum cum Deo esse mendacium. Epiphanius hęres. 64. Vincentius Lirinensis contr. hęret. cap. 23. Gualterus in Chron. sect. 3. cap. 6. Ricciolius in Hæres. catal. ann. 220.

An Filius, & Spiritus sanctus sint creatura?

An Christus vita merito cōsequutus sit Divinitatem?

Photinus autem in Deum peccabat Primò, realem ejus Divinitatem ad verba, & denominationes extrinsecas avarè reducendo: & secundò, prodigè concedendo creaturæ capacitatem, ut propter vitæ merita convertatur in Deum. Et ut hos errores posset manutenere, supponere illa omnia debuit, quæ de ἀποθέωσις (adsumptione hominis in Deum) Veteres delirarunt. Vivebat ann. 342. condemnaturque in Concilio Sardicensi ann. 347. & iterum in Sirmiensi ann. 357. Epiphanius *hæres. 71.* Vincentius Lirinensis *contr. hæret. cap. 16.* Socrates *lib. 2. cap. 14. & 25.* Ricciolius *ubi supr.* & alii.

De ἀποθέωσι ab Ethnicis olim admissa.

Semiarriani.

Ex his, sicut & alibi observo, in sola una litera Hæreticorum à doctrina Orthodoxa fuerunt.

SVB eorum nomine, duæ prodierunt sectæ. Priorisque meminit Gesselius *in Hist. Sacr. ad ann. 350. pag. 439.* dicens, *Præter Arrianos emersere Semiarriani, qui Filium Dei, non ὁμοούσιον (consubstantialem) sed ὁμοιούσιον (non ejusdem, sed similem cum Patre substantia) profitebantur.* Et ipsi, si rem bene consideres, in alias sectas dividebantur: qui enim Filium Dei ante Incarnationem fuisse confitebantur, naturâ Angelicâ præditum asserebant: qui autem dicebant ante conceptionem eum non fuisse, purum esse Hominem asseverabant. Et alterutrum dicerent, somniabant Dei Filium ὁμοιούσιον esse. Homo enim, universim loquendo, quia habet Animam immaterialem, Memoria, Intellectu, & Voluntate præditam, tametsi productus in tempore, est æterno Deo ὁμοιούσιος, non idem in naturâ, sed similis: quoniam Genes. 1. dicit Deus, *Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* ergo ὁμοιούσιον. Et ibidem 9. *Ad imaginem, & similitudinem Dei* (hoc est, ὁμοιούσιος) *factus est Homo.* Et Sap. 2. *Creavit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum,* &c. Et Angeli etiam sunt Deo ὁμοιούσιοι, quoniam potentias intellectuales, in quibus similitudo consistit, habent perfectiores, quàm Homo, de quo Propheta Rex *Psal. 8.* cecinit, *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.*

103

Posterior Semiarrianorum Secta, nil.

Macedoniani Pneumacomachi vocabantur.

a] Ricciolins in Haresiarcharum Catalogo ad ann. 360. [Macedonius Episcopatu Constantinopolitano spoliatus, erupit in haeresim jam inceptam: nempe, Filiũ quidem Deũ esse consubstantialem Patri (quod Catholicum dogma est) sed SpiritumSanctum minimè; esse enim famulum ac ministrum Filii Dei, non secus atque Angelos. Epiphanius *haeres.* 74. Augustinus *haeres.* 52.

b] Hi Philippopoli conciliabulum celebrarunt, & *Sardiniense Concilium* nominarunt. Cõdemnaverunt nomen ipsum ὁμοούσιον, & Filium Dei ἑτεροούσιον nominarunt. Socrates *libr.* 2. *cap.* 16. Sozomenus *libr.* 3. *cap.* 10.

nil enim est constans apud Heterodoxos, in Hæreses alias adhuc subdividebatur. Gesselius *libr. cit. ad ann.* 381. *pag.* 495. [Eudoxius insistebat vestigiis Arrii; quare Eudoxiani iidem sunt cum Arrianis. Semiarriani: alii erant Pneumatomachi, seu Macedoniani [a] qui quidem idem sentiebant de Christo cum Catholicis, (cum ὁμοούσιον Patri Æterno asserentes) sed negabant Deitatem SpirituiSancto (cumque ideò Patri, & Filio ἑτεροούσιον esse asseverabant.) Alii in Persona Christi aliquid Arrio concedebant, & negabant aliquid; ita ut medii essent inter Orthodoxos, & *Arrianos.*] Pergit one ulteriùs asserens ex his fuisse Orientales illos Episcopos, qui relictâ Sardicâ abierunt Philippopolim, quòd viderent Athanasium, [b] & Marcellum inter Patres in Consilio Sardicensi sedentes, qui paulò antè fuerant ab ipsis condemnati. Hi exsecrabantur Arrium, quod blasphemaret tempus fuisse, in quo non fuerat Verbum. Interim non admittebant vocem ὁμοούσιον, quia inter Patrem, & Filium nolebant admittere consubstantialitatem.

Apollinaris.

Qualis fuerit Apollinaris?

NAtus fuit Laodicææ: & tanta ævo illo eruditione claruit, ut inter alios viros magnos, & celebres S. Hieronymum Auditorem habuerit. Basilio, & Gregorio Nazianzeno fuit charus; & quamdiu in Veritate mansit, multorum Procerũ amicitiam promeruit.

Quos discipulos & amicos habuerit?

Vt apud vulgus obtinere applausum, incepit cogitare nova dogmata, & inauditas profiteri blasphemias.

De Deo Magno, Majore, & Maximo.

Magnum Deum vocabat SpiritumSanctum, Filium verò Majorem, Patrem, Maximum [a] ex quibus sunt enim species rerum velut Numeri) inferre necessariò debebat, tres in Deo Personas, non homousias, sed heterousias esse. Et in hoc Donatus circa annum 428. inconsequentiâ laborasse videtur, tametsi enim Patrem majorem Filio, & hunc SpirituSancto esse majorem diceret, omnes tres Personas volebat esse ὁμοουσίας, & consubstantiales.

De corpore Christi.

Asserebat prætereà Apollinaris Dominum Nostrum Iesum-Christum, non ex Beata Virgine carnem, sed ex Cælo sumpsisse: priùs fuisse purum hominem; & posteà propter eximia vitæ merita per adoptionem fuisse Divinitatem consequutum.

Vnde illud fuerit?

Quæ omnia ann. 373. damnata sunt à Damaso in Concilio Romano: & iterũ in Antiocheno ann. 378. Basilius *epist.* 74. Nazianzenus *epist.* 1. Theodoretus *libr.* 5. *cap.* 10. & 11.

An adsumptus fuerit in Deum per adoptionẽ.

Cæterùm Genebrardus eum ad annum 400. pervenisse existimat, & ita scribit. [Apollinaris Laodicenus, Antiochiæ rara laude docet, ut à Sancto Hieronymo, jam sene, discendi causâ adiretur. Hieronymus *epist. ad Pamach.* Sectam introducit, quæ Filium Dei adsumpsisse Animam Rationalem adnegaret. Tripart. *libr.* 5. *cap.* 44. & *libr.* 9 *cap.* 3.]

An Christus habuerit Animam Rationalem?

Profectò, ut hinc Arrianis, & inde Orthodoxis satisfaceret, negabat in Christo creatam Animam, sed ejus loco Divinã Naturam sufficiebant. Et hinc non erat cur nollent dicere Dominum Nostrum Iesum-Christum Patri Æterno esse ὁμοούσιον.

An in ipso passa fuerit Divinitas?

Sed tamen asserebat in Christo Animam (sive Divinitatem) fuisse passam.

An Deus, quando in Patrem, Filium, & SpiritumSanctum dividatur, in Maximum, Majorem, Magnumque; aut certè in Omnipotentem, Semipotentem, & Nullipotentem dividatur?

a] Hunc errorem Petrus Abailardus excitasse videtur, licet enim non fuerit cum Apollinari loquutus, nec Spiritum-Sanctum dixerit *Magnum*, Filium *Majorem*, & Patrem *Maximum*, eumdem errorem dictabat aliis verbis, Patrem enim *Omnipotentem*, Filium *Semipotentem*, & SpiritumSanctum *Nullipotentem* esse asseverabat. Et quidem modus iste loquendi & novus, & scandalosus pendebat ab una veritate Orthodoxa verbis ineptissimis obnubilatâ. Duæ enim sunt processiones, aut productiones in Divinis possibiles, non plures: utramque facit Pater, Filius alteram tantùm, & Spiritussanctus neutram.

Quo sensu fuerit Abailardus loquutus?

Infert Abailardus, *Ergo licet agendo de operationibus ad extra Omnipotens sit Pater, Omnipotens Filius, & Omnipotens Spiritussanctus, & tamen non sint tres Omnipotentes; nihilominùs agendo de operationibus ad intra (dictione, & spiratione) Omnipotens est Pater, quia Verbum dicit, & SpiritumSanctum spirat, adeoque utrumq; facit; Semipotens est Filius, non enim dicit, sed spirat tantummodò: & Nullipotens est Spiritussanctus, nec enim dicit, nec spirat.*

Potentia producendi ad extra, toti Trinitati communis, non autem potentia producendi ad intra, Omnipotentiæ nomine significatur.

Sed hoc est abuti vocabulis: quoniam *Omnipotentia* nomine nullus unquam Catholicus intel-

intellexit potentiam, & virtutem illam, quâ Pater producit Filium, & SpiritumSanctum.

Nestorius.

An Christus sit Deus, & Beata Virgo sit Deipara?

PAuli Samosateni nepos, Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis discipulus: aliquos hausit ab avunculo errores, quibus novos à se inventos, & cogitatos addidit. Ex Monacho fit Presbyter Antiochenus, & 10. Aprilis ann. 428. creatur Episcopus Constantinopolitanus. Christum non fuisse *Deum* dicebat, sed θεοφόρον [b] *Deiferum*, in se enim inhabitãtẽ realiter Deum circumferebat. Addebat Sanctissimam Virginem non fuisse θεοτόκον, sed χριστοτόκον; hoc est, non fuisse Deiparam, sed Christiparam; & in Eucharistiâ puri hominis carnem esse; & ideò illam adorari non posse. Christum Deo fuisse charissimũ, & per amicitiam meruisse, ut Deus metaphoricè & moraliter esset. Negabat ergo Christum ὁμοούσιον esse Patri, & ἑτεροούσιον blasphemabat. Damnatur, & deponitur à Concilio Ephesino ann. 431. & in exilium mittitur à Theodosio anno 436. & corrosâ à vermibus linguâ perit anno 440.

An Christus sit θεοφόρος?

An Virgo sit θεοτόκος?

An Eucharistia sit adoranda?

An Christus sit ὁμοούσιος?

b] Acuunt penultimam nomina composita, quandò activè sumuntur, & quandò passivè antepenultimam; & ideò θεοφόρος est, *qui portat Deum*, θεόφορος, *qui portatur à Deo*. χριστοφόρος, *qui portat Christum*, & χριστόφορος, *qui portatur à Christo*. Thesaurus ille Græcorum nominum, quæ cum accentu mutant significationem, cujus Author, aut Cyrillus, aut Philoponus est, inter alias habet vocem θεοτοκος, cum hoc scholio [Θεοτόκος *Deum pariens*, penacuitur Θεότοκος, *ex Deo natus*, antepenacuitur.] Ergo cum Nestoriani Virginem Mariam θεότοκον pleno ore dicerent, & eamdem esse θεοτόκον negarent, constat totam eorum hæresim in unîus solîus accentûs elocatione consistere.

Compositorum nominum significatio apud Græcos ex activa in passivam accentus mutatione variatur.

De voce θεοτοκος. Qualem accentum habeat?



SECTIO XI.

Exhibet scriptam olim ad Amicum Epistolam. An Theologi Metricã scire debeant? An una, & eadem propositio, si mutetur unius syllabæ quantitas, ex Orthodoxa in Hæreticam transire possit?

TRactarunt Theologica numeris ingenia magna, non tamen semper æquè feliciter, nec æque benè. Et Arsidius, quia de Mysterio Trinitatis scripsit, & tu authoritate Apostolica, & Regia censorem agis, illum relegis, antequam Licentiæ, & Censuræ subscribas. Consultò illud, *relegis*, scripsi, sunt enim multi, qui *Censores* dicuntur, & tamen libros imprimendos non legunt. Hi sanè fidem publicam violant; illis enim confidit Respublica, & ipsi publicè testantur, quod nesciunt. Consultò illud, antequam, addidi: quia es timoratæ Conscientiæ vir, & desideras non solùm dignitatis honorari 110
vocabulo, sed etiam satisfacere oneri, quod grave, & molestum omninò, Censores aliqui, quia Characteres manuscripti sunt varii, & interdum difficiles, Imprimatur, inquiunt liber; & posteà, priùsquam evulgetur, legetur. At periculosa hæc est resolutio, si liber imprimatur extra regnum. Antequam exempla promissa habeat Author, erit liber distractus, & per totam Europam dispersus. Si in eadem Civitate imprimatur, non erit omninò secura: nam Typographorum fraudes magnæ sunt, & Exempla furtiva plura solent esse legitimis, folia integra recudi non solent, & aliter vix corrigi possunt: præstat ergo librum, antequam edatur, legere: &, si quid occurrat, nota, aut censurâ dignum, corrigere.

De Librorum Censura.

An debeat librum legere, & non possit Authoris ingenio & doctrinæ confidere?

Quid si Manuscriptum vacillantibus characteribus scriptum sit?

An sufficiat post Editionem librum legere?

De fraudibus Typographorũ.

Legisti quidem, & antequam ederentur, Arsidii numeros, in quibus tamen hoc carmen Mundus cum scandalo legit.

Non est Gnatus idem Patri, est verumtamen idem.

Monui, & respondes; *Modò, nihil sit contra Fidem, & mores, te permissurum omnia, quæ in Metrica leges impingant*. At hæc Responsio Isidore Charissime, nec vera, nec sufficiens est.

Exponitur quidam Versus examini.

An errores, qui nec contra Fidem, nec mores militant, debeant à Censore permitti?

An Censor errores Metricos Grammaticos, &c. debeat corrigere?

Sanè non est sufficiens; nam teneris, & Reipublicæ, & Tibi. Vi juramenti præstiti curare debes, ne quid contra fidem, aut mores in lucem exeat: at præter hoc teneris etiam proprio honori consulere, ne illam scientiam, de qua liber differit, ignorare dicaris. Prosæ igitur, si solœcismis maculentur, & Carmina, si in Prosodiæ leges peccent, etsi nihil contra Fidem, aut mores contineant, sub tua approbatione edi non debent: dicent enim Lectores, te esse Theologiæ, quà Scholasticæ, & qua moralis peritum, sed Grammaticæ, & Metricæ leges calamo præscriptas nescire.

An propositum Carmen sit Hæreticum?

Sed neque est vera hæc responsio, nam illud Arsidii carmen iterum, & iterum hæreticum est. Et, ut hoc benè intelligas, oportet examinare, quid vox *Idem* significet.

In pronomine idem masculino, quanta prima syllaba sit?

Certè *Idem*, si masculinum sit, habet primam longam.

Idem cum tenui captus deflorvit ungui.

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

Rex Arius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.

Idem ter socios pura circumluit unda.

Quæ carmina in Pedone Albonovano, quem Christi tempore scripsisse asserunt Chronici; Horatio *lib.* I. *Epist.* 18. & Virgilio *Æneide* 3. & 6. reperiuntur.

Et quanta in neutro?

At *Idem*, si neutrum sit, habet primam brevem. Constat ex Horatio *in arte Poëtica*: Ovidio *Fastorum* I.

Vt scriptor, si peccat idem Librarius usque.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo.

Passus idem Tideus, & idem Pagasæus Iason.

De adverbiis Ideo, & Identidem. Quo modulo mensurandi sunt?

[Et hic obiter nota *Identidem*, & *Ideò* à neutro deduci, & primam corripere: quod si sensus postularet, ut à masculino alicubi deducerentur, ut primam producant, jubet ratio: An-ne contradicit authoritas? Philosophiam concernit hæc subtilitas, nec numeris videtur expressa.]

Hinc ad lineam. Si *idem*, cùm primam corripit, est neutrum; & cum producit, masculinum, versus hic.

Non est Gnatus idem Patri, est verumtamen idem.

reddet hunc sensum. *Non est Filius æternus una, & eadem res (substantia, & essentia) cum Patre; sed est eadem Persona*. Porrò in S. Ambrosii hymno dicitur Spiritus-Sanctus,

Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus unum sit, non tamen ipsi una, sed tres Personæ sunt.

Vnum Patri cum Filio.

& optimè: nam Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus, unus non sunt, & tamen unum sunt. Vnde canit Ecclesia, *Et hi tres unum sunt*. Ergo Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus idem (unus) non sunt; & tamen idem (unum) sunt.

Corrigitur versus, qui expendebatur examini, & ad Catholicum sensum reducitur.

Patet igitur Arsidium duas exsecrabiles hæreses illo versu expressisse. Nam negat Filium, & Patrem esse idem(unū) (eamdē rem) & postea asserit esse eumdem: ac si essent unus (idem) hoc est, eadem Persona. Ergo, ut sensus Catholicus stet.

Gnatus idem Patri dicatur, non tamen idem.

Transitur ad Verbi Æterni Incarnationem

Siquidem cùm de ineffabili Mysterio Trinitatis disserimus, juxta Theologorum scitam observationem Vnitas, & Identitas in neutro genere substantivè sumantur, & referantur ad Naturam: in masculino sumantur adjectivè, & referantur ad Personas, in Christo Deus, & homo erunt unus (idem) non autem unum (idem) quam ob rem versus sequentes possunt etiam in judiciū venire. Hoc distichum,

Primus in Iambicis Versibus pes potest esse Iambus aut Spondeus.

In Christo, Amice sunt quidem
Idem, ut putas, homo, & Deus.

est dubiæ fidei, nam illa vox *Idem*; quæ est pes primus secundi versus; si spondæum exæquet, reddet sensum Catholicum: si Iambum, Hæreticum. Et, quia leges Dimetris Iambicis præscriptæ utrumque patiuntur, & neutrum postulant, nisi aliundè restringatur oratio, erit dubia. Et hanc ob rem illum versum

Ille versus, si est purus quoad metrum, est impurus quoad sensum.

Idem, ut putas, homo, & Deus.

hac brevi censura dilucido.

Si purus est, impurus est.

Quoniam, si purus est, in prima sede habet Iambum, & primam in pronomine *idem* corripit, & reddit Hæreticum sensum, atque ideò non purus, sed impurus est.

Quo in Christo Deus & Homo sensu sint idem, & quo non sint idem?

Hic autem versus,

Ac Deus, ac homo idem est in Christo, non tamen idem.

est hæreticus; reddit enim hunc sensum;

sum: *Deus & homo in Christo unum sunt, non autem unus*. Hic verò,

Ac Deus, ac homo sunt in Christo (hoc credimus) idem.

est Catholicus; quoniam reddit hunc sensum: *Deus & homo in Christo sunt unus* (hoc est, *una Persona*) *unus* Θεάνθρωπος. *Unus Deus-Homo*.

Quæstionis Resolutio.

Sæpe Theologus, qui Metrica notitia careat, vi poterit ab Hæresibus Veritates Orthodoxas distinguere.

Stat igitur, quantitatis alteratione vocum significationem aliquando mutari: & hac mutata posse, & solere Propositiones ex Catholicis in Hæreticas, & è contrà transire: Ergo, ut in talibus casibus lucem à tenebris, alexipharmacum à veneno distinguat, Theologus Artem Metricam scire necessariò debebit.

SECTIO XII.

Iterum de eodem argumento. *Exhibet missam ad Amicum Epistolam.*

An Assonantia & Dissonantia ad Rhythmorū essentiam pertineant?

De solutis Rhythmis.

Rhythmica in Accentu consistit; nam Consonantia, & Assonantia sunt nota Rhythmorum Accidentia, quoniam sine illis Versus illi, qui *soluti* dici solent, formantur. Et putaret nonnullus, doctrinam de Accentibus Theologis necessariam non esse: at errorem deponet, ubi primùm didicerit, totam Nestorianam Hæresim, quanta illa fuit, merâ unius accentus elocatione fuccnllari. Quoniam interroganti, *An Beatissima Virgo Maria sit* Θεοτοχος? præscindendo ab Accentu Catholici, & Nestoriani eodem modo respondent: illam enim utrique velut *Theotocum* venerantur. At veniendo ad Accentum, ab Hæretica distinguitur Orthodoxa doctrina; quam enim nos Θεοτόκον esse, in genua provoluti fatemur, Nestorius, & ejus Asseclæ Θεοτόκον else negant, & esse Θεότοκον vociferantur. Et sic loquuntur, quia negant Dominum Nostrum Iesum Christum esse Deum: sed propter eximiam Sanctitatem Deo illum esse, & fuisse charissimum, & magnis gratiarum charismatis condecoratum. Et hanc ideò illi Propositionem, Παρθένος ἐςὶ θεοτόκος *Virgo est Dei Genitrix* vociferabatur esse temerariam, & impiam, hanc autem Παρθένος ἐςὶ θεότοκος *Virgo est à Deo genita* tantummodò in Ecclesia canendam. Hinc consequenter negabat communionem idiomatum, quam κοινωνίαν ἰδιωμάτων appellant Græci, unde & Deum incarnatum, natum, passum, mortuum, &c. Christumque esse naturalem æterni Patris filium, Omnipotentem, Omniscientem &c. diffitebatur. Et propter has blasphemias, quæ ab unius Accentus elocatione aboriebantur, cogitur Ephesinum Conc. in quo Nestorius deponitur, & condemnatur ann. 431. Contumax in suo errore persistit, & ideò anno 436. iterum condemnatur.

De nominibus Θεοτοκος, Θεοτόκος, *&* Θεότοκος. *quo modo distinguantur?*

De Hæresi Nestoriana.

Timanus Gesselius in sua Historia pag. 605. & 607. errat nesciius, & ubi vult cōtradicere Nestorio illi assentitur.

Magna hodie Lutheranorum pars ut videatur Nestorio contradicere Christi Corpus ubique esse affirmat, unde Ubiquitarii nominantur.

An sciri debeat Prosodia?

His præmissis rescire ab illis vellem, qui scientias Humaniores contemnunt, quo modo poterit Nestorianam Hæresim à doctrinâ Catholicâ, & Communi secernere, qui doctrinam de Accentibus, quam pueri docentur in Scholis, ignoret?

An etiam Metrica?

Sed quia Metricas syllabarum mensuras, non pauci Theologi, bonarum Artium ignorantes irrident, ut suffusi pudore colant & venerentur eos, qui percallent Artes, quas ipsi nesciunt, jubebuntur in sequentibus versibus lepram à salute secernere. Sic Cajus scribit.

Hi Versus exponuntur Theologorum Examini.

Dogmata hæc Nauri Schola profitetur [a]

Sunt Pater, Verbum, & Paraclitus idem.

Non idem est prorsus Pater, atque Verbum,

Pneumaq; Sacrum.


[a] Prima est communis in Prosodia.

Sanè secundum Saphicum, quod Naurus docet, est Hæreticum: quia ibi *idem* est *unus*; & tamen Pater, Filius, & Spiritussanctus, non sunt unus.

Vera de illis Censura.

Sed dices, si secundus versus est Hæreticus, tertius erit Catholicus: tertius enim secundo contradicit: At non contradicit, inquam ego. & ideò labe etiam hæreseos maculatur; quia ibi *idem* est *unum*. Et est Hæreticum dicere; quòd Pater, Filius, & Spiritussanctus non sunt unum.

Stat ergo Theologum, si nesciat Metricam, non posse interdum Hæresim ab Orthodoxâ Veritate secernere.



SECTIO XIII.

Adhuc de eodem argumento. Aliam exhibet scriptam ad Amicum Epistolam, in qua suadet Significationem sæpe cum Accentu mutari; & per elocationem Accentus posse, & solere doctrinā Sanam, & Orthodoxam in Hæreticam desigurari.

An Theologis necessaria sit cognitio Prosodiæ?

PErge animosè, Cassiodore; & utriusque Parnassi, (Metrici & Rhythmici) Musis stude: nec Theologastros, qui quæ ignorant, despiciunt, & condemnant, moreris. Et, ut confidentiùs possis progredi, demonstrabo clarissimè, Doctrinæ interdum innocentiam, aut scelus ab unius accentus dispunctione pendere: debereque Theologiæ Doctorem, ut Opiniones Hæreticas ab Orthodoxis sine erroris suspicione secernat, Prosodiam didicisse. Ergo attende.

N. B. Προσῳδία Accentus. *dicitur à* προς ad, & ᾠδὴ, accentus. *Sunt, qui* Prosœdiā, *ut* Comœdiā *scribant; & à se habent rationem, & contra se Veterum omnium, & Recentiorum calamos.*

Versus, tàm Metrici, quàm Rhythmici vocari solent: & utrique determinatum numerum syllabarum requirunt. Differunt; quod in Metricis Vates syllabarum quantitatem examinet, & in Rhythmicis tantummodò accentus consideret. Quibus præmissis examinare oportet, *An Theologus, qui accentuum exacta cognitione careat, possit esse Iudex in quæstionibus Fidei?*

Ante responsionem, Lectorem ingeniosum monebo, verum sententiæ sensum ab unius sæpè apicis positione, aut expunctione pendere. Quoniam in linguâ Hyspanicâ aliud est dicere. *Vi à Fulano, y me pareció, que era un Nino*, & aliud, toto Cælo diverso, *Vi a Fulano, y me pareció, que era un Niño*. Nam *Nino* apud Chaldeos celeberrimi Regis nomen est, & *niño* sonat unum puerum. Sic similiter voces *lástima*, & *lastima*; *máchina*, & *machina* &c. (*pérdida* & *perdida*. &c.) & & centenæ aliæ ob solam mutationem accentus variant significationem: Si enim acuant primam sunt nomina; &, si secundam, verba (aut etiam, si primam, sunt nomina abstracta; si secundam, concreta &c.) Et in linguâ latinâ aliud est *Dóminus*, & aliud *Do minus*: item aliud est *actualiter*, & aliud *actu aliter*. Item *décoris*, & *decôris*, *redimimus*, & *redimîmus*; *vincimus*, & *vincîmus*; & similia plurima, differunt inter se. Et multò in linguâ Græcâ uberiùs. Extat ingeniosus libellus, qui inscribitur. Συναγωγὴ τῶν, πρός διάφορον σηματίαν διαφόρως τονȣμένων λέξεων κατὰ στοιχεῖον. *Collectio vocum, quæ pro diversa significatione diversum accentum accipiunt*. Et ab aliis Cyrillo, & ab aliis adtribuitur Philopono. Et, ut videatur, quantâ gratiâ apud Græcos apices mutari soleant, ex Erasmi *lib. 6. apophth.* lineas istas scribo. [*Stratonicus Musicus, cum trabes delapsa* [*] *quosdam è convivis occidisset, dixit* ἄνδρες δοχῷ εἰσι θεοὶ, εἰ δὲ μὴ εἰσι, δοχῷ εἰσι. *Id latinè reddi non potest, iocus est ex Amphibologiâ*. Δοχῷ *sonat* trabi, *si subscribas iota, & sine hac sonat* opinor. Viti (opinor) Dii sunt: quod si non sunt, trabi sunt. *Nisi fortè* δοχῶ *legendum acuto accentu, ut intelligas*, trabes sunt. &c.]

De Hispanis vocibus Nino, & Niño. Lástima, & Lastima. Máchina, & machína. Pérdida, & Perdida. *De Latinis* Dóminus, & Do minus. Actualiter, & actu aliter. Décoris, & Decôris. Redímimus, & redimîmus Vincimus, & vincîmus.

Etiam in Græca Lingua significatio accentu mutatur.

*] *Malunt alii* trabs *dicere. Quid significet* δοχῶ.

An, & quomodo differant δοχῶ, δοχῷ, & δοχώ.

Proposito Dubio respondetur.

Hac doctrina præmissa ad Quæstionem paulò ante propositam respondeo negativè: Et ratio negationis est: quia sicut diversa interdum syllabarum quantitas, sic interdum, & præcipuè apud Græcos, accentus Hæresim à veritate Orthodoxâ secernit; & hic Catholici oculatissimi esse debent, nam ab uno interdū apice res gravissimæ pendent. Attende.

Erroris Eutychetiani fundamentum.

Fuit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus Hypostaticā unionem non bene intelligens, ex eodem fundamento, ex quo Eutyches sacrilegum errorem intulerant, deduxit impietatem contrariam. Dicebat ille.

Occœpit suū errorem hic Abbas spargere anno Domini 448. sed exclūsit ovum, quod jā priùs Tertullianus, Origenes, & alii nonnulli posuerant.

Quot sunt Naturæ, tot esse debent subsistentiæ (ὑπόστασεις, *Personæ*) *è contrà.*

At in Christo est unica tantùm subsistentia (ὑπόστασις, *nimirùm, seu Persona.*)

Ergo in Christo est unica tantùm Natura.

Ergo, vel est sola Natura Humana, vel sola Divina, vel Divina fuit cōversa in Humanam, vel Humana in Divinā: vel utraque (Divina, & Humana) inter se commixta, & confusa in tertiam transiverunt naturam.

Sed Nestorius majorē illam, *quod sunt Naturæ, tot esse debent Subsistentiæ*, &c. ut indubitatam supponens, subsumebat ex doctrinâ Orthodoxa,

doxa, & communi. *At in Christo sunt dua Natura, videlicet Humana, & Divina.*

Nestoriana Impietatis à suis Fundamentis Deductio.

Et inferebat. *Ergo in Christo dua Subsistentia (dua ὑποςάσεις, & Personæ) etiam sunt: nempè Humana, & Divina.*

Ergo altera est Deus ex substantiâ Patris ante sæcula genitus, & altera est Homo ex substantia Matris in sæculo natus.

Ergo Pater Æternus est ὁ θεογόνος, Deum generans: & purissima Virgo, est ἡ ἀνθρωπογόνος Hominem generans, non autem ἡ θεογόνος, aut θεατόκος Deum concipiens, aut pariens.

Qualis fuerit Nestorius?

Ecce, ut vides, Nestorius, negabat in Christo communionem idiomatum, & Angelorum Reginam vocari *Deiparam* (Græcè θεοτόκον) minimè patiebatur; At Græca hæc dictio bifariam acuitur, & sub diversa significatione: aliud enim exprimit Θεότοκος, & aliud Θεοτόκος. Quid ergo negabat, & quid asserebat Nestorius?

Sanctissimam Virginem Mariam θεο'τοκον esse concedebat, at esse θεατο'κον negabat.

De vocabulis compositis, quæ activè, & passivè possunt sumi.

Sunt apud Græcos voces quædā compositæ, quæ si penultimam acuant, activè; si verò antepenultimam, passivè sumuntur. Pono ob oculos aliquas.

Ἀγρονόμος *in agro pascens* penultima acuta: & ἀγρόνομος *in agro pastus* antepenultima acuta.

At accentu monemur, an illa activè, an verò passivè accipiantur?

Cum elocatione Accentus significationē ex passiva in activam transire asserunt universi.

Ioannes Scapula voce γείνομαι column. 294. sic inquit.

[Ἀ'ριςο'γονος *ex Nonno exponitur* Optimæ prolis parens. *Secundū quam significationem tamen scribendum potiùs videtur* ἀριςογο'νος.] Ergo barytona activam significationē habent.

Ἀ'ιντοκος *gravi fato pariens, aut gignens* penacuitur: & αἰνότοκος *gravi fato partus, vel genitus* antepenacuitur.

Ἀ'ρτιτο'κος *nuper enixa*, penacuitur: & ἀρτί'τοκος *nuper natus* antepenacuitur.

Ἀ'ρτιτο'μος, *qui nuper incidit* penacuitur, & ἀρτί'τομος, *qui nuper incisus est* antepenacuitur.

Sic similiter γο'νος est idem ac γονὴ *generatio*. Hinc ἄγονος non natus, Homerus, Aristoteles, Lucianus. ἀγο'νος, sterilis, nihil producens.

Ἀ'ριςο'γονος optimi parentis filius; ἀριςογο'νος optimi filii parens.

Ἀ'υτο'γονος à se ipso genitus αὐτογο'νος se ipsum generans.

Ε'πι'γονος postea natus Plato lib. 5. de legibus Budæus. Ε'πιγο'νος, posteà generans.

Εὔγονος bene natus, Bien nacido, hoc est, nobilis, à viris claris proveniens. Ε'υγο'νος, bonos, & claros viros generans.

Ζωο'γονος, ab aliqua animante genitus, Ζωογο'νος, aliquam animantem generans.

Θηλύγονος à fœmina genitus: Θηλυγο'νος, fœminam generans.

Καρπο'γονος à fructu genitus: καρπογο'νος, fructum generans.

Ο'ρτιθο'γονος, ex ave natus: ορτιθογο'νος avem generans.

Παιδο'γονος à filio genitus: παιδογο'νος filium generans. An-ne poterit esse aliquis sui filii filius? Poterit ut *nu.* . suadetur.

Πηλο'γονος ex luto genitus: & ideo Gigantes, nam orti è terrâ putantur, nominantur Πηλο'γονοι. Et πελογο'νος erit lutum, aut terram generans.

Πρωτογονος, primo-genitus: πρωτογο'νος, Progenitor, seu author generis.

Πυρί'γονος ab igne genitus. πυριγο'νος ignem generans.

Quale inter θεο'τοκον & θεοτο'κον sit discrimen? 112

Et cur plura? sufficiant hæc ad probandum, hæc composita, si barytona sint, activa esse, & passiva, si accentum ad antepenultimam transferant. Ergo veniendo ad Nestorianos, quorum causa ista debuerunt dici, erit Θεο'τοκος ὁ καὶ ἡ à Deo partus, vel parta, & Θεοτο'κος ipsummet pariens Deum.

Timannus, quia nescit Linguæ Græcæ Prosodiam, in Nestorianæ Hæreseos narratione adlucinatur.

Cum igitur omnes Creaturæ sint à Deo, Virginem Matrem fuisse Θεο'τοκον non poterat negare Nestorius, at negabat rotundè ipsam fuisse Θεοτο'κον. Et in hoc adlucinantur interdum, qui oculatissimi videri volunt.

Timannus Gesselius in sua historia vocibus Græcis delectatur, at ob ignorationem Prosodiæ labitur aliquando, & præcipuè, ubi de Nestoriana Hæresi disserit. *Ad ann.* 430. *pag.* 602. sic scribit. [Convocantur 13. Cal. Decembris, hujus anni 430. [a] Episcopi per Epistolam Imperatoris Theodosii ad Conciliū Ephesinum contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui negabat in Christo κοινωνίαν ἰδιωμάτων, [*] id est, communionem proprietatum; & simul Mariam esse θεο'τοκον, ut narrat Socrates, Euagrius, Cassiodorus, Nicephorus, & acta Concilii Ephesini tomo Conciliorum primo]. Et posteà *pag.* 607. [De Nestorii opinione, & anathematismo vide Epistolam Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ ad Ne-

*] Græcus vocat ἰδιώματα, quas nos vocamus *Proprietates*. Communicatio idiomatū postulat, ut prædicata, quæ in Christo dicuntur de Deo, dicuntur etiam de Homine in concreto, non autem in abstracto: non enī quæ de Divina essentia verificātur, de Humana Natura dicuntur. Errant igitur apertè Lutherani, qui *Ubiquistæ* appellantur, quòd Christi Humanitatem esse ubique asseverent, legem ignorantes idiomatum.

Nestorium, *Actorum Concilii Ephesini tom. 1. cap. 14.* Fatebatur quidem Nestorius Christum Deum, & Hominem, immò etiam unam personam agnoscebat, sed dicebat unitatem divinæ, & humanæ naturæ esse unitatem conjunctionis, dignitatis, & authoritatis, & non admittebat κοινονίαν ἰδιαμάτων (*lege* ἰδιωμάτων) dicebat enim *Proprietas Divinæ Naturæ est Æternitas, Infinitudo, Vbiquitas; proprietas verò Humanæ Naturæ est Mortalitas, finitudo: Quomodo ergo, qui erat æternus, potuit fieri mortalis, passibilis?* &c. Negabat itaque Mariam esse Θεοτόκον, idest *Deiparam*; addebat Christum Deum potuisse dici *bimestrem, timestrem, passum*, &c. agnoscere videbatur unitatem, sed arcanam, ineffabilem, & negabat Deum ab homine nasci posse &c. Vide acta Concilii Ephesini Theodori Peltani.]

Omnes creaturæ sunt Θεοτόκοι, & sola Virgo Mater est Θεοτόκος.

Ecce Gesselius, ob errorem, quem in accentu committit, impietatem adfingit Nestorio, quam non habuit; & quam ille habuit, & ipse debebat exponere, non attingit. Sanctissimam Virginem Nestorius Θεότοκον confitetur, & docet, eum enim Dea non sit, esse à Deo debet: at eamdem esse Θεοτόκον, hoc est *genuisse, & peperisse Deum*, sacrilegè, & superbè negabat: superbè, inquam, non enim Nestorius, aut alii Heretici possunt ob ignorantiam & ingenii imbecillitatem excusari: nam singulis dicit Ecclesia,

An, & cur inexcusabilis Nestorius sit?

Quod non capis, quod non vides,
Animosa præstat Fides
Præter rerum ordinem.

Quam ob rem Ecclesiæ credere debebat, non sibi. Non enim est bona Consequentia, *Hoc ego non intelligo; Ergo non est*. Nam, quæ unus non intelligit, alii intelligunt: & quæ à Deo revelantur, etsi à nemine intelligantur, sunt vera: non enim Deus mentiri potest, nec esset infinitus, si ineffabilia ejus opera ab omnibus intelligerentur.

Quo modo Calenda mense Decembri numerentur?

a] Et, si rem benè examines, præter errorem Theologicum, alium notabilem committit Gesselius contra modum numerandi Calendas, quæ semper sunt mensis sequentis. Porrò Calendæ, quæ in mense Decembri numerantur, Ianuarium anni sequentis respiciunt; Ergo *dies 20. Decembris anni 430.* erat *tertias-decimus (ante) Calendas Ianuaris anni 431.* ad hunc enim annum, & non ad præcedentem ille Ianuarius pertinet.

SECTIO XIV.

De Hæresi Calviniana. *Præcipuum ejus Fundamentum in unius punctuli mutatione consistere.*

Protheorema, quod pleraque omnia Dogmata Calvinianæ Impietatis succollat, est hoc, *Peccat homo, & meretur in his, quæ necessariò facit*. Cum enim Hæresiarcha neget arbitrium liberum, & tamen admittat meritum, & demeritum, actuum bonitatem maliriamq; cum necessitate operandi componit.

Mutat sensum Propositio (Afferens, aut Negans ipsa sit) in Interrogativam conversa.

Caret ratione, & authoritate hæc opinatio: omni enim opponitur Veterum Philosophorum judicio, nullum habet in Sacrâ Scripturâ fundamentum, condemnatur à Patribus; & temerè à paucis proteruditur.

Multa exẽpla proponere possem, at hoc unum produco, de quo passim Catholici cum Heterodoxis disputamus.

Nos, quia valet pro multis Augustinus, ex illo cuicumque Hæretico inclamamus, & dicimus.

Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.

Verba sunt, quæ Orthodoxi inculcamus quotidie; quæ nullâ mutatâ literâ tradit Ioannes Calvinus, & crebrò Puritani reponunt. At illa, quando à nobis proferuntur, sunt vera, sunt sancta, sunt Catholica: & eadem in Calvini, & ejus discipulorum libris sunt hæretica. Non interrogativè illa, sed assertivè dictavit Hipponensis Episcopus; assertivè illa Catholici dicimus & exponimus: Deus enim, qui sine nobis (sine nostro concursu) nos produxit ex nihilo, ipse, ut salvos nos facit, quod suæ gratiæ cooperemur requirit; & idcò *Qui fecit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis*. Calvinistæ autem, quia liberum arbitrii usum negant, & pervenire ad Cælum Fortunæ opus, & non Virtutis esse affirmant, Omnipotentiam Dei, cùm Iustitiam deberent, jubent considerari, & sola mutatione apicis in scripturâ, & toni in voce, crimen falsi committunt, cùm introducunt Augustinum dicentem, *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te?*

Virtutis actus est, & non Fortunæ; libertatis & non necessitatis; peccare & non peccare; consequi & non consequi gloriã æternam.

Interim hæc doctrina, quæ ante annos centum uno ab Hæreticis ore propugnabatur, jam hodie est apud Hæterodoxos antiquata, in Hollandiâ enim Hæretici, qui ingeniosi sunt,

sunt, hunc rigorem remittunt, & paulatim ad Nos, & ad Veritatem accedunt. Iacobus Catzius, Poëta apud ipsos eruditus, & celeber, sua passim Carmina exornat Philosophicis, & Theologicis Monitis: & *pag.* 13. interserit istud Scholium.

De peccatoris conversione. Quomodo fiat?

An merè passivè se habeat humana voluntas?

An homo gratiæ cooperanti concurrat?

Quæ sit Augustini sententia?

An Catzius agens de Gratia & Liberi Arbitrii concordia à Ioanne Calvino dissentiat?

[In peccatoris conversione tria requiri satis decisum est, Verbum nimirùm, Spiritum Dei, & Voluntatem hominis. Nec enim, ut passiva tantùm Voluntas humana consideranda est, sed actionis non nihil eidem, in primâ animi mutatione, adscribendum esse credimus. Quoties enim aliquis convertitur, Deus opus illud non in invitum, sed in volentem exercet; Atque eo ipso quidem momento, quo fit conversio, Dei gratiâ mediante conversionem suam vult, is qui convertitur. Hinc rectè August. serm. 15. de verb. Apost. *Qui te creavit sine te*, inquit, *salvare te non vult, sine te*. Et rursus; *Voluntatem nostram, ut bonum aliquod opus bene faciamus, requiri certum est, atqui etiam ex nobis, nostram potentiam, non habemus; voluntatem, quippe in nobis operatur Deus*. Ecce enim eo ipso tempore, quo gratiam Deus largitur, hoc ipsum quoque nobis confert, posse velle, & actu velle recipere.]

Et utinam in cæteris Catzius sicut de gratiâ, & libero arbitrio discurrat: quoniam in ejus verbis, prout jacent, nihil dignum reprehensione reperio.

NOTA.

Duo loci, adversarii quoad literam; ob punctorum variationem coincidunt.

An eadê Christi verba duo Evangelistæ eodem modo recenseant?

De particulâ Græca οὐ & Hispanica no;

An per non, aut per nonne, à Latino exprimatur?

APVD Matthæum cap. 27. 26. respondet Saducæis Iesus-Christus, Πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. *Erratis, non scientes scripturas, neque efficaciam (virtutem) Dei*. Et apud Marcum cap. 12. 24. eadem recensetur historia, habeturque Christum dixisse. οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες. &c. *Non propter hoc erratis, nescientes* &c. Ecce apertam contradictionem ait Dialecticus, quoniam Πλανᾶσθε, & οὐ πλανᾶσθε. *Erratis, & Non erratis*, sunt Contradictoriæ inter se.

Respondeo autem hos duos locos, non solum non esse oppositos, sed absolutè coincidere: nam in primo illud, *Erratis* sumitur assertivè, & in altero interrogativè: undè vulgatus pro οὐ, *non*, sed *non-ne* posuit, & abstulit occasionem errandi: idem enim est dicere absolutè, *Vos erratis*, ac per Interrogationem subjungere, *Non-ne vos errare videtis?* Et reponam Hispanicè; nam apud nos particula *no* etiam sumitur interrogativè. Dicam igitur hanc Propositionem, *Errais por cierto en esto*. & hanc, *No bechais de vèr, que errais en esto?* esse prorsus æquipollentes.



ARTICVLVS II.

De Orthographia: *Proponit Moralia quadam scriptionis Compendia; agitque de Literis, quæ supplentur, & subintelligunturt, licèt non scribantur.*

De literis, quæ non scribuntur, sed subintelliguntur.



Vltas in dictione literas, quę nō scribuntur: & multas in oratione dictiones, quæ non dicuntur, subintelligere aliquando debemus, à præcedentibus & subsequentibus determinati. Non eò nos manuducunt Mentales à Iunioribus inventæ Restrictiones, sed Consignificantes Circumstantiæ. Agamus igitur in hoc Articulo de literis, quæ debent subintelligi, de dictionibusque in aliis posteà disputabimus.

De Majusculis & Minusculis literis. Quid significent?

Oportet Primò scire in omni Literarum systemate (Græcus id Ἀλφάβητον, Latinus vocitat *Abecedarium*) duos esse ordines; alter enim majusculas, & alter minores delineat. Ergo majuscula initio dictionis expressa, illam, aut esse nomen Viri, vel Dignitatis proprium, ut carminis, seu versus initium insinuat Virgilius Æneid. lib. 1.

Vox Achates exponitur.

Ac primùm silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, & arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam.

Sanè ἀχάτης æquivocatione laborat: dicitur enim ἀπὸ τοῦ ἄχεος hoc est, *à curâ*, &, si est nomen commune, *curatorem* significat, si proprium, aut quemdam Siciliæ fluviū, aut gemmam [*] apud illum repertam, aut Ænææ socium, & consiliarium &c. Litera magna, in initio depicta, nomen hoc à censu communium subducit, esse proprium demonstrat: & quia, quæ ibi à Virgilio dicuntur, nec de fluvio, nec de gemma possunt veri fieri, superest, ut Achaten Æneæ socium significet; & nec ... majusculam literam ... ur.

[*] Insignem porrò Achaten Pyrrhus Epirotarum Rex habuisse traditur; in eo enim & Apollo citharam tenens, & novem illi adsistétes Musæ, suis unaquæq; instrumentis ornata, non Arte, sed Naturæ solertia expressæ cernebantur. Vide Plinium ... cap. 1. lib. ...

An unum & idem nomen simul Commune & Proprium esse possit?

In D. Benedicti Officio canitur ad Laudes Antiphona, *Fuit Vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus, & nomine*. in qua nomen *Benedictus* simul commune, & proprium est; nam vox *gratia* illud commune reddit, & majuscula litera, quam roborat vox illa *nomine*, proprium esse decernit. Cæterùm in Hymnis, & Antiphonis aliis sæpè nomen *Benedictus* sub circumstantiis tam ambiguis occurrit, ut nisi majusculæ literæ expressio quæstionem dirimat, censeri queat appellativum. In hac εὐλογία, *Benedictus benedicat*, magna illa litera, quæ præfigitur (licèt initium versus sit) potest innuere, non esse commune vocabulum, adeòque humanitùs de S. Benedicto intelligi, & divinitùs de solo Deo, qui erit benedictus in sæcula.

Nomen Benedictus exponitur.

Aliquid de voce Dominicus.

Similia in nomine *Dominicus* observare possemus, vel enim est adjectivum à *Dominus*, vel proprium viri: & literæ primæ magnitudo, aut exilitas differentiam ostendit.

Item de voce Iustus.

Vox *Iustus* in Sacrâ Scripturâ frequentissimè legitur, & semper est appellativa. Interim, ubi vexatus ab indoctis, & invidis exclamabat, *Memoria Iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet*, & ubi confidenter dicebat, *In memoriâ æternâ erit Iustus*; majuscula illa litera, quæ dat nomini initium, Lipsium de se loqui, demonstrat. [Nota tamen actor. 1. 23. & 18. 7. mentionem fieri de quodam, qui vocabatur *Iustus*.]

Proverb. 10.

Psalm. 112.

Quidam Theologiæ Fundamentalis Titulus dilucidatur.

Hinc patet, quod importet ille Theologiæ nostræ Fundamentalis *fundam.* 7. Titulus *De authoritate Doctorum, & doctorum*, non enim voces il... coïncidunt: nam potuissem scribere, *De eorum, qui Doctores; & eorum, qui docti sunt, authoritate*, nec enim docti omnes sunt, qui Doctores dicuntur. ... in illo Titulo majuscula illa D...

Non omnes Doctores sunt docti.

leta

lem dignitatem significat, & minuscula in vocabulo altero accipi nomen jubet in communi significatione.

Minorum Characterum divisio.

Oportet secundò scire in Rotundos, & Cursivos (Romanos, antiquos, & Italicos) dividi Characteres minores: & Lectores hac maximè distinctione juvari: sæpè enim in Antiquorum libris, quæ verba Authoris sint, & quæ Patris, aut Doctoris, qui ab Authore adlegatur, nescitur; cui inconvenienti obviam eunt Recentiores, verba sua altero charactere scribendo, & altero testimonia citata. Et hîc obiter moneo P. Philippum de Sanctissima Trinitate in S. Thomæ imitatione nimium esse: quoniam enim Angelici Doctoris Partes Prima, Prima Secundæ, Secunda Secundæ, & Tertia sunt, suam Philosophiam eodem modo distribuit; & hoc bene: quia autem S. Thomas diversitate characterum non utitur, omnia ipse expressit charactere Romano; & hoc male: eum, quia in hoc eorum, qui curarunt primam S. Thomæ Editionem negligentia incusatur; tum, quia meliora tantùm imitari debemus. Pono exemplum. Primam Secundæ dilucidans *disp. 1. dub. 1.* statuit hanc Conclusionē. *Dicendum, quòd non solùm Fini cōvenit intrinsecè ratio boni, sed etiam convenit intrinsecè Mediis ut sic.* & ait, [Probatur ratione D. Thomæ 1. part. quæst. 5. art. 6. quam sic proponit. Bonum est aliquid in quantum est appetibile & terminus motûs appetitûs: cujus quidem motûs terminatio considerari potest ex consideratione motus corporis naturalis. Terminatur autem motus corporis naturalis simpliciter quidem ad ultimum, secundum quid autem ad medium, per quod itur ad ultimum, quod terminat motum, & dicitur aliquid terminus motus in quantùm aliquam partem motus terminat. &c. Sic ergo in motu appetitus id, quod est appetibile, terminans motum appetitus secundum quid, ut medium, per quod tenditur in aliud, vocatur Utile. &c.] Hæc ratio integrum syllogismum complectitur. Major est D. Thomæ: at de Minori, & Consequentiā meritò dubitabo; & nisi ad ipsum D. Thomam recurram, difficultatem non expediam: fortè enim S. Thome sunt, & fortè non sunt, quæ subsumit: & fortè duas P. Philippus sententias D. Thomæ præmittit, & ex illis, quam judicat, Consequentiam deducit. Interim non esset locus dubio hujusmodi, si altero charactere P. Philippus verba propria, & altero verba Sancti Thomæ scripsisset.

Quomodo Summam Theologicam S. Thomas dispescuit?

Quo P. Philippus de Sanctissima Trinitate Philosophicam Summam?

De actuum humanorum bonitate & malitia. An soli fini, an etiam mediis ipsis conveniant?

An expediat diversis characteribus uti?

Recognovi S. Thomæ textū, & totus syllogismus ipsius est.

Quid, & quotuplex Abbreviatura sit?

Oportet Tertiò scire scriptionis compendia, quæ vulgò *Abbreviaturæ* nominantur, contingere, quando non omnes literæ scribuntur, sed illæ tantùm, quæ videntur sufficere, ut cæteræ (quotquot omissæ sunt) intelligantur. Id accidere solet tribus modis: Vel enim solius primæ literæ expressione dictio integra significatur: vel aliquæ literæ omittuntur in medio: vel aliquæ denique in fine.

SECTIO I. 414

De Calami primo Compendio, quod vocatur Α'κρος·χίς.

De dictionum capitibus.

ILLO, tametsi sit linguis universis commune, Hebræi præcipuè delectantur: & ex initialibus alteram conformantes sententiam, secreta eruunt, quæ latebant sub cortice. Et scribendi hunc Rabbini, & Cabalistæ Modum ראשי תבות Rasse-theboth, *Capita dictionum* appellant, & per illum ad cognitionem secretiorem perveniunt. Et, ut observo ineunt duplicem viam, Compositoriam videlicet, & Resolutoriam; illam, pro singulis literis integram dictionem adsumendo, quæ ab illa incipiat; hanc primas singularum dictionum literas exeidendo, & sic novas sententias adquirendo. Rem exemplis dilucido.

De Compositoria, & Resolutoria Abbreviationum Methodo.

Nominis אדם *ADAM Prima Expositio Ethica.*

Nomen Hæbraicum א ד ם tres habet literas: &, si singulæ sint dictiones integræ, eruntּ

א | Asuon | *Mors (est)*
ד | Deleth | *Ossium*
ם | Malchuth | *Regni.*

Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur: ipsis enim *interitus* est ad Regnum Cælorum *introitus*. Sic Nomen interpretantur Ethici; Scholastici autem altiùs Deum suspicientes, sic exponunt.

Secunda Expositio Theologica.

א | Ab | *Pater*
ד | Dabar | *Verbi, quod est*
מ | Masciah | *Christus.*

Hoc interpretandi Modo abuteban-

tur Israëlitæ, suum enim בלרך Moloch, appellabant מםם Momom, & per dictionum capita exponebãt, quid hoc nomine significarent. Dictiones subsequentes considera.

De nomine Idoli מם Momom.

מ	Melech	*Rex*
מ	Melache	*Regum, qui Reges sunt*
מ	Melachim	*aliorum Regum.*

Sic enim deliràbant & blasphemabant idololatræ.

De Methodo Resolutoria.

SICVT Compositoria Methodus in singulis literis integram dictionẽ subintelligit, sic contrà Resolutoria in singulis dictionibus primam tantùm literam considerat, ac si reliquę essent prorsus otiosæ. Primum Geneseos versum in exemplum ponamus.

Exponitur prima linea Geneseos.

ב	Beresith	*In principio*
ב	bara	*creavit*
א	Elohim	*Deus*
א	eth	*&*
ה	hasamáin	*Cælos*
ו	veeth	*&*
ה	haarets.	*Terram.*

Ecce hujus versûs primæ literæ exhibent hanc sententiam אהוה בבא, BABA EHAVA *Pupilla ero.* Primo profectò dictio בבא, aut בבה BABA, *Pupilla* est: & Radix הוה HAVA est *esse*, ut sensus sit: Religiosum virum jam Divina Officia absolvisse supponat. Vbi enim sub Completorium cecinit, *Custodi nos Domine ut pupillam oculi; sub umbrâ alarum tuarum protege nos*, gratiâ Divinâ suffusus confidenter exclamat, *In Dei oculis pupilla ero.*

Quanti Dominus hominem Iustum habeat?

DE hujusmodi literarum Compendiis, nam in singulis linguis reperiuntur, Λεξικόγραφοι accuratè scripserunt: nimirum de Latinis, Calepinus, Passeratius, Stephanus; &c. de Græcis Clenardus, Scapula, &c. de Hebraicis M. Marinus, Frosterus, P. Ludovicus de S. Francisco, & multi alii.

Duæ proponuntur Quæstiones.

Duo sanè hic ultimus à Curioso Lectore rogabatur: Alterum, *An dentur tales Abbreviaturæ?* Alterum, *An necessaria sit earum cognitio?*

De Abbreviationum antiquitate.

Et capite primo libri septimi (pag. 572.) respondet ad primum his verbis. [Notarum seu abbreviationum usum antiquissimum forè, & à Veteribus satis quidem usitatum, non solùm ex Epiphanio, Origene, … Veterum translationem au… … Græcis. quàm La… … sed, … ex Platone, & [illegible]

aliis, quos optimè collegit R. P. Sixtus Senensis *in suâ Bibliothecâ Sanctâ*. Eas verò impræsentiatum transcribere non est necesse, & si hodiè in Sacris Bibliis non reperiantur. Piaculum autem antiquitus erat, Literam aliquam ex Libris Sacris subtrahere, nisi in Sacro Dei nomine, quod reverentiæ gratia tribus, vel quatuor iodim significabant, ut inferiùs videbimus. Alphabetico tamen ordine copiosè, & dilucidè colligam omnes alias Abbreviationes, quibus Rabbini in suis Commentariis utuntur, ut qui eos confutandi gratiâ perlegerint, non multum in ipsis percipiendis, laborent.]

An sint in Sacra Scriptura Abbreviationes?

Et ibid. respondet ad secundum dicens, [Pro puro Hebraismo discendo, nec illæ (abbreviationes) nec Rabbinorum Commentaria (ut Ioannes Frosterus ostendit in Præf. Diction.) necessaria sunt. &c.]

De earumdem Abbreviationum necessitate.

Vt rem doctrina, & exemplis opportunis dilucidet, ait [Advertendum tria hæc puncta ∴ ad modum Segol superposita literis dici *Scialosc necudoth*, id est, Tria puncta, quæ apud Expositores Hebræos significant talem literam dictionem per se conficere.] At grandius Hebræi in Tripuncto, sed inverso, reperiunt: tria enim Iodim, & Qamez hoc modo ⛬ dant Signum scriptum, quod ¨ significat Deum. Cujus signi notitia nescio unde ad Puerorum Scholas in Hispaniâ transivit, nam inter alia, quæ ut memoriæ inhæreant, cantantur literarum Compendia, hoc vociferantur his verbis: *Tres puntillos, y un' A, que dirá? La Sanctissima Trinidá.*

Quid tria puncta sic notata [∴] significent?

Et quid, si notentur hoc modo ⛬

An notum sit pueris hoc signũ in Hispania?

Et posteà ait [רבים, Rabim, id est, multi. ר significat *Romanos*: ב *Babylonicos*: *Ievanim*, id est, *Græcos*, מ *Medos*: hi sunt inimici, qui insurrexerunt adversus Israëlis populum, authore Sixto Senensi loco superiori.

Et denique *à pag.* 601. ad 639. omnes abbreviationes, vel ראשי תבות *Rase theboth*, ut loquuntur Rabbini accuratè, & distinctè dilucidat.

De Hebraicarum Abbreviationũ Indice.

AD Græcos hoc eruditionis genus pertransivit, quoniam Aristophanes cecinit nonnullos Acrosticos; & Erythræa Sybilla, Phœnicio Mosche antiquior: Erythræ (… est) indigena, [illegible]

Græci, qui scripserunt Acrosticha.

De Eritœra Sybilla.

de Christi adventu celebre composuit Ἀκρόςιχον, quod cum admiratione, & veneratione suspicimus. Quia autem nonnulli volunt Recentiores, tunc videri eruditi, cùm aliorum assertis negant authoritatem, monebo hoc ipsum Vaticinium

An authentica sint ejus carmina?

à Cicerone *libr. 2. de natur. Deor.* nec non ab aliis Viris Claris citari: Augustinus *libr. 18. de Civit. Dei*, se illud legisse in Græco Sybillæ ejusdem codice, quem Flaccianus Proconsul Asiæ sibi communicavit, asseverat. Et tandem Eusebius inter ἀξιόπιςα illud collocat: ex quibus illud exscripsit in nostrâ Metametricâ Apollo, quem vocamus Acrostichum. Acrostichis Sybillina fuit hæc Ιησοῦς χειςὸς Θεοῦ ὑός, Σωτὴρ: ςαυρός. *Iesus Christus, Dei Filius, Servator: Crux.* Est hæc Prophetia pretiosissimus Thesaurus Religionis Christianæ: Sanè Sybilla de Rege homines salvaturo librũ scripsit; illumque Ciceronem vertisse narrat Constantinus Imperator

Cælius Rhod. Antiq. lect. lib. 13. cap. 39.

De Secundiani, Veriani, & Marcellini conversione.

in Oratione ad Senatum. Eumdem Eclogâ IV. ut dicebamus, numeris devinxit Virgilius. Ejus versibus altè consideratis Secundianus, Decii Præfectus; Verianus, Pictor; & Marcellinus, Orator, Christianam fuerunt Religionem amplexi. Vincentius *libr. 11. cap. 50.* Genebrardus *sub initium annorũ Christi pag. 226.*

De libro Agapeti.

Scripsit Agapetus curiosum, & eruditum librum constantem septuaginta duobus paragraphis, quorum initiales literæ simul sumptæ dant Epigraphen, quam toti suo libro præfixit, videlicet.

Τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεςάτῳ Βασιλεῖ ἡμῶν Ιυςινιανῷ Αγάπετος ὁ ἐλάχιςος Διάκονος.

Divinissimo & Beatissimo Regi nostro Iustiniano Agapetus Elachiensis Diaconus.

De Græca Nominis ΑΔΑΜ expositione.

Antiqua est Acrosticha nominis ΑΔΑΜ apud Græcos dilucidatio, quam ob oculos pono.

Α	ἀνατολή.	*Oriens.*
Δ	δύσμη.	*Occidens.*
Α	ἄρκτος.	*Septentrio.*
Μ	μεσημβρία.	*Meridies.*

An, & quomodo quatuor cardines Mundi contineat?

Illam edisserunt Carmina Sybillina, quæ quidam Poëta eruditus sic reddidit.

En Deus Omnipotens finxit Tetragrammaton Adam,
Quis primus fictus fuit, & qui nomine complet
Logica Moralis.
Ortumque, Occasumq. Austrum,
Boreamque rigentem.

In Plauto Comœdiarum Proœmia sunt Acrosticha.

HEbreos, & Græcos imitantur Latini; inter quos Plautus in Comœdiarum argumentis ita disponit carmina, ut primæ singulorum literæ nomen exhibeant Fabulæ. Prima, quæ *Amphitruo* dicitur, in Prologo (quem ab Hispanis *la Loa* dicitur) per versus sequentes decurrit.

Quid Loa apud Hispanos sit?

Amore captus Alcumena Iuppiter
Mutavit sese in formam ejus conjugis.
Pra Patria Amphitrua dum servit cum hostibus.
Habitis, Mercurius ei subservit Sosia:
Is advenientes servum, & dominum frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo, atque invicem
Raptant pra mœchis, Blepharo capto arbiter
Uter. sit, non quis Amphitruo decernere:
Omnem rem noscunt; geminos Alcmena enititur.

De libris Abbatis Cesarii.

Simili Arte usus Cesarius mirabile illud exemplorum volumen in octo libros dispescuit: quorum primus incipit à C, secundus ab E (non ab Æ) tertius ab S & c. ut primæ tandem omni librorum literæ nomen *Cesarius* personent, ne sub alieno nomine possit illud opus aliquando prodire.

An ejus nomen per diphthongũ æ scribendum sit?

Pulchrum est, & applausum promeruit à D. Carolo Thomasio, ex Palmæ Duce Clerico Regulari, concinnatum Acrostichon, quod ob oculos pono.

De D. Caroli Thomasij Achrosticho.

P	*Pius II.*	*Summi Pontifices, Patrii Senenses.*
A	*Alexander III.*	
P	*Pius III.*	
A	*Alexander VII.*	

De hac Pontificum tetrade vide Nierimbergium *in Opere Parthen.* & de Thomasii Elogio me *in Metrametr. Apoll. Acrost. Mus. 2. pag. 191.*

De Faria Nobilis Lusitani Hexastichis.

HÆC scribendi Methodus summoperè placet Hispanis; quoniam in eorum lingua plurima reperiuntur Acrosticha. Et Emanoël de Faria, Nobilis Lusitanus, ad Isabellæ Claræ Eugeniæ, Belgii Principis laudem, concinnavit Hexasticha, quorum singula, si colligantur primæ literæ, exhibent nomen *Isabel*. Applausum sunt promeriti

hi verſus; & tamen (nam ingenia ſunt varia) mutatis nonnullis à ſeiolo neſcio quo Poëta ſunt reſcripti, & iterum in lucem editi. Conqueritur: & invidam, & improvidam hanc caſtigationem in Aganippes Prologo, qui *Advertētias* inſcribitur eruditè caſtigans;[*] ſub initium his verbis eorū Objectionem proponit.

[*] Plura habes in noſtra Metametrica. Apolline Acroſticho, Muſ. 3. num. 187. pag. 196. Contemnunt ignorantes, quæ neſciunt.

Pregontan; paraque es eſta Habilidad, o de que ſirve? El primero, que les ha de reſponder a tal pregunta, es el Eſpiritu Sancto; y luego los otros Sanctos, y grandes Eſcritores alli nombrados.

Et poſteà de ſuis agens Acroſtichis, & de injuſtâ illorum correctione, ſubjungit.

Para que eſto ſe entienda bien, dexaré aqui un exemplo de la Eſtancia I. en que yo digo de eſta ſuerte.

I o el miſmo que en acorde y facil trompa [†]
S onoroſo canté coronaciones
A ti debidas con Auguſta pompa
B elliſſima Iſabel en tus ſalones,
E n los del claro Olympo canto agora.
L as ultimas ſi canta aquel que llora.

[†] Imitatur Virgilium, qui in Æneid. libr. 1. cecinit. Ille ego, qui quondam gracili modulatus habena Carmen. &c.

Y eſte ingenio mudò en el verſo primero la voz facil, *y dixo* grave: *y en los dos ultimos,*

Las que te dá el Olympo canto agora
Si cantar puede, quien tu muerte llora.

Nihil eſt acutè & ingenioſè dictum, quod aliter dici non poſſit?

Yo no dudo, que eſtará mejor eſto; mas eſtando eſſotro bien (como realmente eſtà) paraque es mudarlo? En qual Eſcrito ageno, por mas ſuperior que ſea, no dirá otro Ingenio, yo dixèra eſto aſsi, o aſsi? Et huc ſpectat illud Elearchis plenum Veritatis Pentametrum, quod citat Athenæus, & P. Ludovicus in Præfat. ſuæ Gramm. [*] pag. 23. adſumit: videlicet

[*] Hæc Grāmatica inſcribitur Globus Canonum & Arcanorum Lingua Sancta.

Nil uſque eſt hominum, carpere quod nequeas;

Et ideò Perilluſtris D. Faria contra ſuum Caſtigatorem non vult acriùs procedere, ſed ex ejus Cenſura glorioſam hanc Conſequentiam deducit. Inquit enim. *Siendo pues de eſta calidad las mas de las emmiendas, que eſte Ingenioſo Talento hizo en eſte Poëma con todo rigor, y odio a eſta Invencion, no puedo (como dixe) dexar de tenerle por apoyo de que ſali bien della.* Et profectò, ſi repidè laudare, ut præ ſe fert Proverbium, vituperare eſt, res tantùm leves in ſcripto alicujus corrigere, laudare & celebrare illud eſt.

An, & quando vertatur in laudem correctio?

HAC Arte poſſunt ad ſuos Miniſtros Principes ſecretiſſimè ſcribere, ita ut ſi in hoſtium fortè manus eadunt literæ, legi nequeant. Quoniam, ſi incarcerari debeat Titelmannus, & ſecreto opus ſit, nam Epiſtolæ periclitantur, poterit Rex Auſoniæ ad Nivardum Arcis Novæ Præfectum literas ſequentes ſcribere.

De Epiſtolis quæ ſcribuntur in Ciphra.

Tot in Theodoreti Epiſtolis lego magni animi (Nivarde) notas, ut mirabundus inclamem.

Nulla caruit aurora rore. Celer erat.

Romulus, ac tardus Oreſtes.

Intercepit Titelmannus Epiſtolam; quoniā mala cōſcientia ſemper ſuſpicionibus exagitatur. De Theodoreto in illa agi, & non de ſe, oculis propriis videt: & tametſi, quò Adagia (quoniam talia videntur) quæ in ea tanguntur, aut inſinuantur, tendunt, non percalleat, id non moratur, erat enim de ſe, non autem de Theodoreto, aut alio qualicumque ſolicitus. Lectam igitur tranſire ad Præfecti manus jubet Epiſtolam: & is primas ſingularum dictionum literas colligens, reperit hanc ſententiam.

Antiquus eſt Modus ille ſecretè ſcribendi per Ciphras; Illo enim JuliusCæſar, Auguſtus, & alii Principes antiqui ſunt uſi. Qui autem primus ad Regulas & Canones reduxit Veterum Obſervationes, & illis Speculationes novas addidit, Ioannes Trithemius fuit, Abbas Spanheimenſis, quē condemnant plurimi, quia non intelligūt.

Titelmannum incarcerato.

Obēdit: & obediendo oſtendit, neſcire Regias Epiſtolas legere Titelmannum.

Hæc eſt facilis, & curioſa ſecretè Epiſtolas ſcribendi Methodus, & una ex plurimis, quas noſtra Steganographia Colonienſis anni 1636. edita ediſſerit: & jam aucta, & correcta iterum Viglevani hoc anno prodibit.

VSI ſunt ſcribendi compendiis in Primitivâ Eccleſiâ Patres ut conſtat ex Epiſcoporum Epiſtolis, de quibus agunt Expoſitores, quando Septimum & Octavum Canonem Concilii Antiocheni dilucidant. Timannus Geſſelius *in Hiſt. Sacr. tom. 1. pag. 427.* ſic ſcribit. [Antiqui in eo conſentiunt, jam tum à tempore Concilii Nicæni moris fuiſſe, ut Epiſcopi negotia ſua inter ſe literis communicarent, quæ diverſis epithetis pro ratione objecti, profere-

De diverſis generibus Epiſtolarum.

Aliæ Eccleſiaſticæ: aliæ Cōmunicatoriæ, Pacificæ, Canonicæ, &c. nominabantur.

ferebantur; nam respectu conditionis eorum, qui scribebant dictæ fuerunt nomine generali, *Ecclesiastica*. Respectu verò vinculi, quod erat inter eos, qui eas mittebant, & remittebant, tres diversos habuerunt titulos, & dictæ fuerunt *Communicatoriæ*, & *pacificæ*: respectu regulæ, quæ eas reddebat necessarias, *Canonicæ*: Eædem literæ diverso respectu, nunc vocantur, *Commendatitia* συςατικαί. Paulus 2. *Cor.* 3. 1. nunc *Dimissoria*, ἀπολυτικαί, quādo quis itineri se accingit, eas secum adducit, tanquam testimonium fidei, vitæ, morum, &c. vide Can. Apostol. 33. Latini pleriqne eas appellant *Formatas*, per quarum commercium, & contesserationem, ut loquitur Tertullianus, admirando modo communio inter Ecclesiæ membra, etiam magnis intervallis dissita, exercebatur, & conservabatur.] Interim, quia experientia docuerat, aliquos vagos & discolos Clericos, falsas, & fictas literas circumferre, ut huic modo opportunum adhiberent remedium, de signo aliquo inscribendo, quod solis notum esse Patribus Episcopi in Nicæno Concilio cogitarunt. Vnde idem Author ait. [Formatis autem literis certæ notæ, ut ferunt, ac tesseræ, certa signa, ac symbola adhibebantur, ex quibus cognoscere licebat, an genuinæ, vel supposititiæ essent: & qui peregrinabantur ejusmodi tesseras epistolares, sivè formatas epistolas deferentes, hospitio suscipiebantur, illisque pro viatico erant. Characteres, qui in principio literarum scribebantur, erant primò Π, hoc est Πατὴρ, *Pater*, deinde Υ, hoc est υἱὸς filius, *tertio* A, hoc est ἅγιον, *Sanctus*, atque Π, hoc est Πνεῦμα, *Spiritus*. Post has scribebatur prima Litera nominis illius, qui scribebat: Secundadein illius, ad quem scribebatur. Tertia erat nominis illius, qui deferebat eas, & Quarta erat loci istius, unde scribebatur. Hinc addebatur annus indictionis, & vocabulum ἀμήν. Nemo autem sciebat, quid literæ illæ vellent, præter Episcopū, ad quem literæ mittebantur. Hoc est arcanum Concilii Nicæni in Formatis Literis, uti ex Yuone, Burchardo, & Gratiano canonum editoribus apparet. [Vide Baronium *ann. Christi* 325. Iustellum *in Can.* 87. & 189. *Codicis Canonum universæ Ecclesiæ*. Blondellum *lib. de primatu in Ecclesia cap.* 26. *sect.* 14. *pag.* 470. & alios, qui Veterum Historias pertractarunt. Sed hæ ipsæ Notæ non potuerunt esse semper eædem; nam alias ab omnibus cognoscerentur. Erant igitur aliæ, & aliæ, ut Ciphræ, quibus utuntur nostri Principes, quæ singulis annis mutantur. Vnde adlucinatur Blondellus, qui hæc nimis frivola, incerta, & indigna gravissimo, & Sanctissimo illi Patrum Nicænorum consessui esse judicat; propter multas rationes, tum etiam, quia auctor, quicunq; ille fuerit, fuit Latinus novus, & rerum ignarus. Interim nil evincit: antiqua enim non solùm apud Orthodoxos, sed etiam apud Ethnicos, & Heterodoxos institutio fuit, ut hospitii necessitudo certa nota, seu pignore contraheretur, & diceretur *Tessera hospitalitatis*, qua apud eos mutuæ amicitiæ fovebantur, & ad posteros manebant. Patres ergo Nicæni Concilii has illas-ve notas Epistolis suis inscribendo, & illas pro tempore & loco mutando, præbere potuerunt specimen, quod cæteri sequerentur, & imitarentur.

Alia etiam συςατικαί *Commendatitiæ*; ἀπολυτικαί, *Dimissoriæ*, &c.

Pleraque omnes à Latinis nominantur Formatæ.

In Veterum Episcoporum Epistolis, quid initiales hæ literæ, Π. Υ. A. Π. significaverint?

De aliis quatuor etiam initialibus literis. Quanam ea fuerint, & quid denotarint?

De hac historia Blondelli temeraria Censura.

De hospitalitatis tessera.

Debuit esse aliqua: nimirùm, hæc aut illa: & tempore opportuno mutari.

SECTIO II.

De Calami secundo Compendio.

AEquivocationi erat exposita illa scribendi Methodus, quam tradidit sectio præcedens, ubi enim literam C. exempli gratiâ, scriptam video, tam *Cajus*, quàm *Cornelius*, aut *Clodius* possum legere. Vt autem huic inconvenienti obviā irent Ortographi, invenerunt alium modum scribendi: primas enim, & ultimas literas exprimendo, præstiterunt, ut intermediæ intelligantur. Et quidem primæ semper scribuntur in linea; ultimæ autem, aut in eadem linea, ut *Dñs*, hoc est, *Dominus*; aut supra lineam (ut tunc charactere minusculo) ut *Sanct.mus* hoc est, *Sanctissimus*. Et hanc ob rem, qui hanc inveniat Epigraphen, *Inn.tio X. Beat.mo Dño N.ro*, debebit legere *Innocentio X. Beatissimo Domino Nostro*. Et quidem in omnibus hujus Inscriptionis dictionibus (ut conspicis) literæ, quæ in medio omittuntur, ab his, quæ

Quid mali, & incerti in Methodo prima inveniatur, & quomodò corrigi possit?

Abbreviatura à Mentalibus Restrictionibus non pendent, sed à literis cōsignificantibus.

ir

in principio, & fine scribuntur, & non ab aliqua Restrictione Mentali, certissimè consignificantur.

SECTIO III.

De Calami tertio Compendio.

An sint literæ, quæ necessariò debeant legi, etsi non scribantur?

NON est ita commune; at interdum occurrit, quando videlicet cæ literæ in fine omittuntur, sine quibus dictio nihil prorsus significaret, & quarum loco, aliæ scribi non possunt. Talia sunt *Musar. Dominor. Templor. sermonib. Temporib. Sensib. Genib. Dieb. Reip. Remp.* quæ voces, nisi compleantur, nihil prorsus significant, nec aliter compleri poterunt, quàm legendo, *Musarum. Dominorum. Templorum. Sermonibus. Temporibus. Sensibus. Genibus. Diebus. Reipublica. Rempublicam.* Ecce addis literas, nō quas vis, sed tales necessariò, & nō alias. Non quia vis; non, quia habes in mente aliquem actum, qui tuam libertatem restringat; sed, quia & illæ à præcedentibus literis consignificantur; & tu, ut illas, & non alias addas, determinaris.

Unde proveniat hæc necessitas?

Cur omni non possit scribi pro omnibus?

Hinc patet non tolerare hanc scribendi Methodum, ut *Omni* ponatur pro *Omnibus*, aut *Domi* pro *Dominus*: nam *Omni*, & *Domi* significationem habent propriam, & diversis poterunt modis compleri: puta, si *Omnis, Omnia, Omninò*, &c. nec non *Domibus, Domitius, Domitianus, Dominium, Dominor*, & similia dicamus.

De Inscriptione posita in Statua Pompeji.

Hoc interim abbreviando voces genere (ponendo videlicet literas, quæ compleri diversis modis possent) Pompejus, ut Criticorum ora clauderet, suadente Cicerone fuit usus. Ergo illa, quæ regulariter non licent, excusat aliquando necessitas. Historiam narro. Romæ Pompejo Statuam erexerat Populū Gratitudo. Sculpenda erat basi Inscriptio: & quia ter ille Consul fuerat, an *Tertium Consul*, an verò *Tertiò Consul* dicendus esset, apud Criticos differebatur. Contendebant nonnulli, adverbia in *o* concernere Comparativa, & aliàs nullum habere in oratione locum: respuebant alii adverbia in *um*, velut parùm Latina; non enim deberet dici *Tertium*, siquidem non dicitur *Bonum, Sanctum*, aut *Magnùm*. Consulitur in re ambiguâ Cicero; & quia hinc indè videbat Oratorum, qui eloquentiam profitebantur, adlegari suffragia, difficultatem elidere maluit, quàm decidere; &, ut satisfaceret omnibus, & nullius posset indignationem incurrere, jussit, ut in basi illa POMPEIVS TERT. CONSVL. Statuarius sculperet. Quo vir cautus consilio suam prudentiam ostendit; sed tamen, aut Latinum Idioma carere indubitatis legibus; aut, si non careat, se illas nescire prodidit.

An adverbiū, quod à nomine tertius, a, um, fit tertio, an tertiùm?

An Idioma Latinum Regulas infallibiles habeat?

De Domini nostri Iesu-Christi sanctissimo & dulcissimo nomine.

VOlebam hunc Articulū claudere, sed me moratur ingeniosa Devotio, quæ nomen Domini Nostri Iesu-Christi meditabunda suspicit, & scire vult, cur tali compendio scribatur. Profectò non solùm apud Græcos in nummis, & inscriptionibus antiquis, sed etiam apud Latinos hac ille literarum triade significatur. XPS. quarum Romana nomina sunt *Ix, Pe, & Es*. P. Iacobus Gretserus *tom. 3. de Cruce libr. 1. cap. 27.* apud D. Garziam Coronel *tom. 2. part. 2. in Gongoram. pag. 474.* ponit ob oculos nummum magnum Imperatoris Constantini, quē circumeunt hæ literæ. ✠ CONSTANTINVS IN XPO DEO FIDELIS IMPERATOR, ET MODERATOR ROMANORVM. Et multæ aliæ similes Inscriptiones in nummis, libris, & picturis occurrunt. Vnde apud Eruditos, & Criticos Quæstio excitatur, quæ interrogat, *Cur per Ix & Pe scribatur Christus, siquidem has ipse in suo nomine literas non præ se fert?* Et hoc Dubium movere etiam Hispanus potest, qui *Xpo*, & *Xtoval* scripitar, & tamen *Christo*, & *Christoval* pronunciat.

Cur Græci & Latini (aut etiam Hispani) scribant Xρs.

Nummus Magni Constantini describitur.

An hæ literæ Latinæ sint?

Respondeo autem literas illas XPS esse Græcas, videlicet χῖ, ῥῶ, σῖγμα, & sic exprimi charactere minori, χ, ρ, ϛ. Latinarum *Ch*, *R*, *S* potestatem habere. Græca igitur abbreviatura Xρs. esset *ChRS.* aut *CRs.* si latinis literis exprimeretur.

Ad quem Abbreviationum Modum hoc Compendium pertineat?

Sed ad quem ex tribus his, quos exponimus, Modis Compendium literarum hoc XPS, pertinet? Non ad primum: nam plures illud literas habet, quam tolerat primi modi simplicitas. Si ultima litera sit ϛ hoc est σ & τ, Latinè *st*. erit χριϛ. aut χρϛ. & poterit ad tertium reduci. Cæterùm, si sit ϛ, sim-

simplex sigma, erit χ῀ς, & ad secundum reducetur. Totum enim nomen est hoc, XPιςοS, & in abbreviatione intermissis minoribus majusculæ solæ scribuntur. [Interim observet Orthographus, qui delectatur charact. cum decôre) literam S duplici constare semicirculo, & inferiorem apud nos, & superiorem apud Græcos (Sigma enim sic ς scribunt) semper altero majorem esse.]

Quomodo S in nomine XPS, sit scribenda?

IVvat nos hæc doctrina, ut menda typographica, & lapsus calamorum, si occurrant in libris, corrigamus. Verbi gratia. In Magno Iosephi Langii Florilegio edito Lugduni anno 1655. quo utor, fuit typi Corrector valde negligens, & ideò plurima reperiuntur sphalmata: & in unâ, aut alterâ columnâ hæc observo. *Verb.*Ornatus. 2032. *fiso ac lana. muiser. perfundias. bonnestati. crines pectere. punice crura teras. minimè diei mavolo. Teque peregrinus vendere muneribus. medicina figura est*. Et quis erit, qui & linguã Latinam benè intelligat, & Metricæ leges percallear, & ex prioribus, & posteriotibus literis non statim cognoscat, quid deficiat, aut abundet in dictionibus singulis? Quis non sciat legendum esse, *filo ac lana. mulier. profundas honestati, crines pectere. pumice crura teras. minimè dici mavolo. Teque peregrinis vendere muneribus. medicina figura est.* &c.

Ex priorum & posteriorum literarum in eadem dictione coordinatione, siqua in medio fuerit desormata colligitur.

SECTIO IV.

De Arithmeticis Literarum Compendiis.

Qua occasione Arabica numerorum Notæ in Europam transiverint?

PLerique omnes Populi (Hebræi, Chaldæi, Assyrii, Græci, & Latini) utuntur Literis, ut significent Numeros, & soli Arabes fuerunt, qui speciales Notas finxerunt, ut computus suos expedirent. Adrisit illarum inventum Regi Alphonso, quem vocamus *Sapientem*, & quia ipse illis in Astronomicis Tabulis usus, & hæ ab Europæis magno applausu susceptæ, ita sunt propagatæ, ut vix aliis utantur impræsentiarùm Arithmetici. Hodie interim eruditi Literis in Chronographicis: & in Anagrammatibus Arabicis Notis juvantur. Multa, & varia in nostrâ Metametricâ de his argumentis reperies: quoniam Chronographicus, & Anagrammaticus Apollines per paginas multas decurrunt. Hîc autem ego unum, aut alterum exemplum produco.

Alphonsus sapiens, Rex Hispaniæ laudatus.

CHRONOLOGICA ACROSTICHIS.

Literæ, quibus utimur in Chronographicis, sunt I, 1: V, 5: X, 10: L, 50: C, 100: D, 500: M, 1000. quoniã in M & D, Veterum CIↃ & IↃ trãsiverũt.

D VX VIrtVte tVâ CastaqVe faVente MinerV A
L IVoreM eXterrens, DIopaX aVrea VVLt V
E XLeX InDIXIt reDIVIVIs fæDera BeLgI S
O MIne fVLta fIDes, eX qVo LeX fasqVe resVrgVn T
P VLsa reDVX pIetas, aVLæqVe affIXa MoratV R
O VInDeX GaLLos. Vt Vana aD Vota reDVXt I
L VX patrIa qVa sVpreMa saLVs, DeVotaqVe VIt A
D VCtor LaVDe noVa, sIVe hVC seV fLVCtVat ILLV C
O BeLgVM VIrtVte Leo DVX aVsa IVVat O

Singuli Versus exprimunt annum 1647. tunc enim Leopoldo Austriaco Ferdinandi Secundi Imperatoris Filio, Tertii fratri, Ferdinandi Quarti Regis Romanorum, & Leopoldi primi, Imperatoris, necnon Mariannæ Augustæ, Reginæ Hispaniæ, Patruo, illos Lucas Lancellotti consecrabat. Est ingeniosa, & facilis hæc notandi annos Methodus, & illi inhærens, ut constat ex primâ Theologiæ Fundamentalis Editione, anno 1646. subscribebam Epistolis.

Lucas Lancellottus Iuris utriusque Doctor, Poeta celeber.

D. *Ioannes* CaraMVeL.

Regi solent Anagrammata Arithmeticis notis, & verba invisa, & inaudita restringuntur, & hanc ob rem, qui Lemma subscriptum prospectat.

Cur in Inscriptionibus Arithmetica Notæ literas singulas concomitentur?

MIRA ROGAVI.
6. 9. 3. 10. 8. 5. 4. 7. 1. 2.

legit VIRGO MARIA: id enim literæ. si juxta notas Arithmeticas ordinentur, significant. Et hinc pater, cuinam illam epistolam nuncupem, quæ in nostra fundamentali Theologia prostat, & inscribitur,

Mira rogavi, αναγραμμ. Virgo Maria.

LECTORI DIVINO.
5.4.3.1.2.6.

nam DIVINVS anagrammaticῶs est INVIDVS.

Divinus αναγραμμ. Invidus.

POrrò, si sphalmata commissa sint in numeris, tametsi difficiliùs, corrigi tamen poterunt ex antecedentibus, & consequentibus.

Pono

Facilius in literis, quàm in numeris, percipiuntur, ac etiam corriguntur sphalmata.

Pono exemplum. In Syntagmate nostro de אלגבר Algebra, *nu.* 197. *pag.* 182. Tabulam Combinationum produco. Et quia in illa duo canones per numeros erroneos decurrunt, debui primò illos corrigere, & secundò explicare, An illi errores Authoris, aut Typographi sint? Et sic controversiam expedio. *Constat ex isto examine numeros Kircheri esse bonos, & tantum in commutatione* (combinatione) 14. & 15. *literarum cespitare, quos signavi literis A, & B. Ubi obiter nota, non esse Errorem Kircheri, sed Typographi. Et hoc ipsum evidenter ostendo: quoniam, si in autographo fuisset ille error, in multiplicationibus sequentibus sentiretur: at in sequentibus, non ille numerus, qui est impressus, sed ille, qui esse deberet, multiplicatur. Ergo in autographo erat numerus legitimus, & Typographus in collectione characterum fuit adlucinatus.* Sæpè contingit characteres ipsos Arithmeticos ita malè in manuscripto formatos, ut esse literas putet Typographus; & tunc indiget majori notitia, & consideratione correctio. Hoc exemplum perpende. In Disquisitione de Ecclesia Iudaica, quam Iohannes Fechtius delineavit, & Argentorati Iosias Stædel impressit anno 1662. pag. 44. hunc ex Lactantio, & Thysio, qui illum illustravit Scholiis, locum lego.

An, & unde, uter (Author, an Typographus) erraverit, cognosci possit?

An nota interdum Arithmetica in literas degenerent? & qualiter corrigantur?

Moyses, qui quo ferè annis bellum Trojanum antecessit, cum per annos 40. populum rexisset, successorem habuit Iosuem; qui 27. annis tenuit principatum, &c.

Quando floruerit Moyses?

Error tertiæ vocis *quo* characteres Arithmeticos fuisse, & in Grammaticos degenerasse, & loco illorũ, 400. substituo, ut sensus sit. *Moyses, qui 400. ferè annis bellum Trojanum antecessit*, &c. Et hunc locum sic debere restitui, constat ex Historiæ contextu: nam

Quando Troja periit?

Moyses nascitur anno ante Christum.	1672
Vivit annos.	120
Moritur.	1552
Achilles Hectorem vincit.	1184
Ex nativitate Moyseos ad hunc annum.	488
Ex morte Moyseos ad eundem annum.	368

Ergo benè dicitur Moyses Trojanũ bellum ferè annis 400. antecessisse. Vid. Ioannis Riccioli Chronologiam.

N. B. In Alcorano dicitur Maria, Moyseos soror esse mater Iesu. Ergo ille Mahometi Deus, qui Alcoranum dictavit, tam erat Chronologiæ imperitus, ut hic erraverit plus quàm 1600. annis.

SECTIO V.

De Steganologia.

LEgisti, quæ hucusque de Calami Compendiis diximus, & ut Artem ingeniosam promoveas, interrogas, *An, sicut in Epistolis, quas scribimus, sic in colloquio privato, aut oratione publicâ, possimus per ἀκροστιχὶν mentis secreta revelare?* Non quæris, An Steganologia hæc censenda sit in praxi facilis? Scis enim Steganographiam, quam paragrapho præcedenti edisserui, nõ carere difficultate: sed quæris, An possibilis sit? multa enim fieri calamo solent, quæ linguâ nequeunt; & multa cogitatione expediuntur, quæ ad praxim reduci non possunt.

An loqui possimus in ciphra?

An Steganologia sit possibilis?

Nihilominus D. Petrus Calderon in ingeniosâ illâ Comœdiâ, quæ *El Secreto a vozes* inscribitur, meminit Ludovici, qui Lauram suam his verbis Steganologicam Facultatem docebat.

Comœdia El Secreto a vozes. An in secreto loqui possit, qui palam & coram omnibus vociferatur?

Siempre, que quieras, Señora,
Que de algo tu vez me advierta,
Lo primero será hazerme
Con el pañuelo una seña.
Para que esté attento yo:
Luego en qualquiera materia,
Que hables, la primera voz,
Con que empiezas razon nueva,
Será para mi, y las otras [*]
Para todos: de manera,
Que pueda yo juntar luego
Todas las vozes primeras,
Y saber lo que me has dicho.
Y aquesto mismo se entienda,
Quando yo la seña diere.
Laura. *Facil es la Cifra, y cuerda.*
Pero la difficultad
Está en saber entenderla.
Y saber jugar las vozes
De modo que a todos vengan.

*] Quando dicit *las otras*, videtur voces primas excludere; Regula tamen postular, ut primas tantùm dicat Lauræ, illas autem & cæteras universis, qui intersunt.

Data & exhibita fuit in Theatro hæc Comœdia; & præter vulgus imperitum interfuerunt plurimi Viri docti, qui testabantur omnes, nec, quæ Ludovicus Lauræ, nec quæ hęc illi ad Methodi Canonem dicebant, percepisse; unde credere occœpi, hanc eamdem Artem, non linguâ, sed calamo, tractari posse. Interim, quia D. Sebastianus del Yerro, Marchio de Castelforte, asserebat sincerè se initiales dictiones colligendo arcanas utriusque sententias percepisse, censui debere Ingenium ab Ingeniis

An, & qui Ciphram hâc intellexerint?

Fuit D. Sebastianus del Yerro, Marchio de Castelforte, Vir profectò eruditus, humanissimus, & omnibus magnis & parvis charus.

geniis distingui; sunt enim hominũ eruditorum Ingenia, quædam Intellectualis Cæli Sydera, & Stellæ differunt claritate. Et hanc ob rem in nostrâ Metametricâ *pag. 196.* ante duodecim annos sic scripsi.

Non omnia, quæ lecta, intelliguntur, intelligi poterunt si audiantur.

Sed ut rem fatear, nimia ingenii vivacitas in Laurâ, & Frederico requiritur, ut juxta Ciphram supradictam loquantur: & tota Calderonis Comœdia, ut paulatim legatur, quã ut cita lingua proferatur, & aure festina excipiatur, aptior est. Illam perlegi iterum, iterumque, & authoris stylum, & eruditionem laudavi: at judicio acumen, cui innititur præcipuus conceptus (nempè Ciphra) dum ageretur in Theatro, & à millenis audiretur, à paucis intellectum fuisse: & loquente Laurâ nullum cum Frederico, & loquente Frederico nullum cum Laura singulorum carminum dictiones primas collegisse mente, atque memoria retinuisse. Stat igitur hac eadem Comœdia nullum potuisse frui, dum ageretur; sed debuisse illam imprimi, ut omnes nova secretè vociferandi methodo Viri docti fruamur. Interim, si verba pauca sint, ut in ludo contingit, secreta erunt, quando qui palam loquitur uti velit hac Arte. D. Franciscus de Quevedo in syntagmate, quod, *La vida del Gran Tacaño* inscribitur, *lib. 3. cap. 10* aliquas fraudes è multis, quæ in Ludo committuntur, exponit; & ut cautiores reddamur ait. *Procura que no se pidan cartas, o por los dedos en el naype, o por las primeras letras de las palabras*, nam tribus, aut quatuor literis necessaria petuntur, & non erit difficile illis attendere. Nihilominus non dubitabo labore improbo, & exercitio assiduo difficultates omnes vinci; nam & nostri Pueri paraglossis (aut, si verbo Hispano uti liceat, *Gerigonzis*) ciphris difficilibus abutuntur interdum, & se mutuò intelligunt: quoniam sub annum 1616. hæc erat Madriti in Scholis communis, *Asmapa*, *Esñape*, *Isnapi*, *Osvenpo*, *Vsdraspu*, in qua collectis mediis syllabis, quæ cæteræ otiosæ sunt, resultet, *mañana vendras*. Quid, si aliquis tribus amicis loqueretur, quorum prior primas, alter secundas, & ultimus tertias deberet syllabas colligere; ut, si diceret, *Salmaa, detamar, roaces, manfranle, luecifpren*, *Logica Moralis*.

Fraudes, quæ in ludo chartarum committuntur.

De paraglossis, quas Hispanus Gerigonzas appellat.

An simul possimus diversis, & diversa loqui?

gocode, omnia Vniversi audirent, & tametsi esset ut verbis Calderonis utar, *El secreto à voces*, tres illi tantùm intelligerent, qui haberent clavim. Ergo primò diceretur *Sal de Roma luego*; secundo *Mata à Francisco*; tertio, *a Marcos le prende.* &c.] Et hac arte possemus diversis etiam linguis simul loqui: puta, si uni Italicè, alteri Latinè, & aliis loqueremur Germanicè.

An & diversis linguis?

SECTIO VI.

De Adliteratione. *Voces nonnullæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Hispanicæ dilucidantur.*

EST pulchra, & laude digna illa Figura, quæ una, vel altera mutata litera ad rem prorsus diversam Orationem convertit. Παρονομασία Græcè dicitur, & quæ per eam conformantur vocabula, nominantur Παρώνυμα. Latinè audit *Adliteratio*, & in omni linguâ habet locum, ut sequentia exempla demonstrabunt.

Quid sit Adliteratio? Παρονομασία. Παρώνυμον.

Mons olivarum apud Hierusalem; HAR HAMMISCIATH, *Mons unctionis*, seu *Mons olivæ* dicitur: Et quia iam est Mahometanorum superstitione maculatus, HAR HAMMAHSCITH, *Mons corruptionis* à Christianis vocatur.

De Montis Oliveti vocabulo. *Quomodo illũ appellemus Christiani?*

Ab ἀγγέλω, quod est *nuncio*, & εὐαγγέλω, *felicia nuncio*, habemus εὐαγγέλιον *felix nuncium*: Hebraicè BESORA; unde meritò Christi Domini historia *Evangelium* à Christianis vocatur. Interim retentis consonis, & tantisper alteratis vocalibus, evomunt in nostram Religionem blasphemias infideles, illam vocantes, ארן-גיליון P. Athanasius Kircher *in Ædipi Ægyptiaci tom. 2. sym. 4. cap. 6. pag. 273.* rem enarrat. [*Sic quoque* (hodiè Iudæi) *blasphemantes sanctissimam legem nostram, eam appellant* EVANGILION, *hoc est*, Volumen iniquitatis, *ab* AVEN, *&* GILAION, *quorum illud* iniquitatem, mendacium, fraudem, *hoc* volumen *denotat*.] Henrico Alstedio AVEN est *mendaciũ*, & GALAL *volvere*, benè ergo Kircher Iudæorum impietatem intelligit.

ἀγγέλω. εὐαγγέλω. εὐαγγέλιον

Quomodo vocetur à Iudæis?

Quid AVEN, & GALAL significent?

GRÆCI etiam Adliteratione delectantur. Circumfertur enim inter alia Veterum Epigrammata hoc, in quo vocum Κόλαξ, & Κόραξ

De nominibus κόλαξ & κόραξ.

Κόραξ exprimitur similitudo.

Ρῶ καὶ λάμβδα, μόνον κόρακας κόλακάς τε διΐςῶ.
οὐ κὖν ταυτὰ κόραξ βωμολόχος τε κόλαξ.
Τοὔνεκά μοι βέλτιςε τόδε ζῶον πεφύλαξο,
εἰδὼς καὶ ζώντων τοὺς κόλακας, κόρακας.

Illud Interpres quidam, etiam Vetus, sic transtulit.

Rho & Lambda *solùm* κόλακας, κόρακας *que dirempsit*;
Cætera nil distant scurra κόλαξ *que* κόραξ. [*]
Observandum igitur cautè hoc animal tibi, gnaro
Vivorum, haud aliud, quàm κόρακας, κόλακας.

[*] Nota bene. R & L tam similes sunt literæ, ut multi illas populi pronunciatione non distinguant. Etiamnum in precibus, *Maliam* pro *Maria* dicunt Sinenses & Americani.

Est autem Κόλαξ, *adulator*, & Κόραξ, *Corvus*. Et monet divites nominum similitudo; quoniam in Principis aulâ Adulatores Corvi sunt, qui eum in Prudentiæ Orbe mortuum esse testantur, confluunt enim, ut ejus carne, & sanguine (hoc est, divitiis) saginentur; & ejus posteà cœcitatem, & socordiam irrideant.

Quales Adulatores sint?

Addamus aliquid de Adliteratione Latinâ, quæ est frequens, & exuberat gratiis. In Theologiâ Fundamentali (ut à me incipiam) his verbis Lectorem prævenio

Placuit etiam mihi ille versus,
Non labyrinthus eras, sed labor intus eras.

Habet interdum gratiam specialem Traductio, ubi per Paronomasiâ alterius Linguæ Gnomas interpretamur. Rem dilucido exemplis.

Necessitas caret lege. Hisp. *la necessidad tiene cara de Herege*. hoc est, *Necessitas habet faciem Heretici*. Quod non omninò falsum est: multa enim indulget, & permittit necessitas, quæ aliàs non carerent scandalo. Vnde illud Morale prodiit Protheorema, *Quid præstas, quod potest: præstas, quod debet*.

Ante sexaginta annos, nonnullos Hymnos per Paronomasiam Ioannes Martinez, S.Th. Doctor, eruditæ recreationis gratia dilucidabat: ex quibus has lineas propono.

Quis supra Cœli. Hisp. *Quienes son excelsos?*

Residens cacumen. Hisp. *Reyes son que comen*. (a)

Totius Mundi. Hisp. *Torzido anda el Mundo*.

Machinam gubernans. Hisp. *No hay quien le gobierne*.

Trinus, & unus. Hisp. *Todos somos unos*.

a] Et quidem hodie magni in Europa Principes in hoc se putant nobiliores cæteris quod comedant, & pretiosiùs, & meliùs, & ita aliarum rerum omnium obliviscuntur, ut de quodam peregrino Theatrum ausum fuerit concinere.

No es pescado ni carne,
No es ave bruto, o hombre,
Mas es una cosa que come.

Qui historiam noscit, majori notitia non indiget: qui nescit, poterit carere cognitione, quam præbere non expedit.



AR-

ARTICVLVS III.

De syllabis, Longis, Brevibus, ad Placitum, secundum dici, Controversis, & Indifferentibus.

Tædio afficitur Lector, & conqueritur, quod pluries debeat hanc doctrinam audire. Sed quia hic Locus postulat, ut ea dilucidetur, dignabitur habere patientiam; nisi fortè illam Ego habiturus sim, siquidem tanta cura secrevi syllabas ad placitum à syllabis secundum dici, & tamen quando Discipulos examino video à nonnullis adhuc hæc duo genera syllabarum confundi.

Cur hic Articulus interseratur?



T sequens Articulus meliùs intelligatur, proderit nonnulla minùs scita præmittere, multa enim sunt accidentia syllabæ, quæ ignota Theologis; & aliqua, quæ ignota Criticis.

De Syllabarum quantitate.

Sanè nota universis est Brevium, & longarum syllabarum discretio:

Vnum namq; Brevis consumit syllaba tempus,
Dum sonat; impendit syllaba longa duo.

De vocibus cæcidi, & cecidi.

Vel ut in Nebrissensis Antonii Prosodiâ (quæ habetur *lib.5. Grammatica*) habetur;

Syllaba longa duo consumit tempora; sed, qua
Dicitur esse brevis, tempus sibi vendicat unum.

Et constat clarè, si voces *cècidi* à *cado*, & *cecídi* à *cædo* componamus: diutiùs enim sonare illud *ci* in secundâ, quàm in primâ sentimus.

An ejusdem ordinis syllabæ inter se sint æquales?

Quæstio quæ postulat, *An omnes inter se breves, & omnes inter se longæ sint æquales?* gravis est, & tamen non habet locum in praxi; non enim Poëtæ Latini, aut Græci ab illîus voluerunt Decisione pendêre. Sanè, si duarum consonantium positio syllabam protrahit, productior erit illa, quam tres, vel quatuor consonantes sequuntur. Et diphthongi etiam erunt ob eamdem rationem inæquales. Considera sequentes Dactylos. *Pons erat.* Stirps erat. *Stirps bona.* Stirps trahit. *Stirps stetit.* Stirps struit *&c.* Nec non etiam, sîs, sequentes spondeos, *Præ se.* Præstant, *Præstant.* Et quis non videat, in omnibus præmissis Dactylis per gradus primæ syllabæ longitudinem crescere; eamque in ultimo multo longiorem esse. Et in Græcorum linguâ quis dubitare poterit his longis η, & ω, has ῃ & ῳ, nec non ηυ & ωυ tempore productiore sentiri.

De Græcorum diphthongis. An sint æquè productæ?

An, & quæ syllaba natura correpta aut protracta dicatur?

Non est idem, syllabam esse tantam natura, aut ad placitum; aut secundum dici. Tanta naturâ est, quæ naturâ suâ postulat tantam esse. Quoniam ex se, nisi aliter mensurentur per accidens, ε, & ο postulant in Linguâ Græcâ corripi; sicut η & ω (sunt enim virtute duplices; puta εε, & οο) produci. Naturâ autem sunt neutra, α, ι, υ. Apud Latinos nulla vocalis simplex ex naturâ suâ quantitatem determinat: nam quæ dicunt Grammatici de syllabis naturâ correptis, aut productis sunt verba. Diphthongi, & Positionis Regula videtur esse universalis. *Præ* autem sequente vocali contrahimus; imitati Græcos, qui duplicem synalæpham admittunt. Alteram, quæ totam syllabam, alteram quæ semissem elidit. Vtramque in illo Theocriti versu conspicitur.

Cur præ sequenti vocali brevietur?

De duplici Synalæpha, adæquata & inadæquata.

ὁ ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Et Iupiter quidem nunc serenus est, nunc pluit,

Lege autem tu, ut Iambici mensuram Interpretatio teneat

Nunc Iupiter serenus est: & nunc quidem
Pluit.

Et, & propria Græcorum hac posterior: quos Virgilius aliquando imitatur.

Hexameter Græcus versus est. Et in ultimo pede tota particula δὲ syllaba eliditur. Et in tertio μὲν πέλει est Dactylus, quoniam semissem durationis in λει diphthongus αἴ, quæ sequitur immediatè, decurtat. Hanc elisionis legem

Æneid. 3. & 5. imitatus Virgilius; dixit enim,

Insula Ionio in magno, quas dira Celano.

Et, *Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.*

In voce *Ionio* tota *o* more Latino eliditur: in vocibus autem *Insulæ*, & *Ilio* ultima decircinatur more Græco. Et hæc de duplici synalœpha dicta sint, ut intelligat Lector, quo diphthongus *præ* modo, quando ingreditur compositionem, decircinatur, si vocalis immediatè succedit. Vnde apud Grammaticos est Regula,

Sed Præ vocali dabitur correpta sequenti.

Quæ sit quantitas syllabarum ad placitum.

Syllabæ, quæ natura breves, aut longæ non sunt, si sint penultimæ, solent produci, aut corripi; quia sic Prisci voluerunt: & ideò dicuntur habere quantitatem ad placitum. Et id sanè bifariam; actu, & virtute; vel, ut cum Philosophis loquar, actu primo, & secundo. Syllaba est tanta actu, cùm reverà corripitur, aut producitur, ut in *dicimus*, *legimus*, *canimus*; &c. nec non in *amamus*, *clamamus*, *contemplamur*, nam in illis penultimam reverà corripimus, in his protrahimus. Habet quantitatem virtute, cujus mensura tametsi actu non percipiatur, in compositione, aut divisione percipitur: tametsi enim auris, nec in primis harum dictionum [*lego*, *dico*, &c.] brevitatem, nec in harum [*lego*, *dico*, &c.] longitudinem sentiat: nec in harum [*dividimus*, *referamus*, *cecidimus*, *celebramus*, &c.] secundis actu quantitatem metiatur, in prioribus recurrere ad composita poterit: nam in *pèrlego*, *gis*, *dèdico*, *as*. brevitas, & in *delēgo*, *gas*, *prædico*, *cis*. longitudo sentitur, & in posterioribus, ubi aliquarum vocalium modulum incrementum suboriens defigurat, ad primas Thematum personas recurrendo [videlicet, *divido*, *rèfero*, *cēcidi* à cado, *cecīdi* à cædo, *celebro*, &c.] quæsitam quantitatem invenies.

De quantitate in actu primo & in actu secundo: sive potentia & actu.

De Quantitate secundum dici.

Quantitas quæ *ad placitum*, ab eâ, quæ appellatur *secundum dici* distinguitur; &, quia non omnes differentiam percallent, debebo illam accuratiùs exponere & dilucidare. Pone Titium esse vestitum more Gallico, Iulium Hispanico: & Aurelium, Semphroniumque esse absolutè nudos, at ex concordiâ plebem dicere, hos duos ultimos habere vestes; priorem Gallicam, posteriorem Hispanicam. Profectò hic plebis error, Aurelium & Semphronium nullis vestibus induit, manent enim nudi, ut erant anteà: at illos taliter, & taliter vestitos, & ornatos mentitur. Ergo Titius & Iulius sunt reverà vestiti, sed ad placitum: Titius enim, cui placent vestes Gallicæ, Hispanicas haberet, si vellet. Et idem dicendum est de Iulio, qui, si voluisset, Gallico aut Germanico modo indueretur. Cæterùm Aurelius & Semphronius, nudi reverà sunt, & vestiti dicuntur: non ergo habent vestes ad placitum (nam nullas veras habent) sed fictas; &, ut loquuntur Philosophi, *secundum dici*. Hoc exemplum, discrimen, quod inter Quantitatem *ad placitum*, & Quantitatem *secundum dici* reperitur, manifestè dilucidat. Nam in verbo *Legabam*, omnes syllabæ habent quantitatem ad placitum: prima, virtute; altera, actu. Actu sanè secunda, nam ejus longitudo sentitur: at prima virtute & potentiâ, quia tametsi syllabæ *le* in voce *legabam* non percipiatur quantitas, in compositione potest reddi penultima, [ut patet in *ablēgo*, *delēgo*, *subdelēgo*, &c.] & tunc ejusdem productio percipietur. In nomine autem *Dominus*, tres syllabas, seu vocales prospecto. Secunda (nempe, *mi*) est brevis, sed ad placitum, nam Nomenclator, qui penultimam in peregrinus, *divinus* & aliis similibus produxit, *dominus*, penult. long. si voluisset, dixisset. Aliæ autem duæ in eâdem voce syllabæ (prima & ultima) ex rei natura non postulant determinatam quantitatem: nullam habent ad placitum: quoniam eodem modo prima in *cominus* & in *dominus* sonat: & eodem in *virtus* aut *palus*, ac in *dominus* ultima auditur. Ergo in *co* & *do*: aut etiam in *tus*, *lus*, & *nus* nulla est reverà quantitas (si enim aliqua esset, actu aut virtute illa perciperetur) Brevitas ergo, quæ syllabis *do*: & *nus*; & longitudo, quæ syllabis *co*, *tus*, & *lus* inesse dicitur, ficta est; & ideò à nobis dicitur *secundum dici*.

De vestibus ad placitum, & secundum dici.

Consideretur bene hoc exemplum; multi enim non intelligunt, quæ sit Quantitas secundum dici.

De quantitate in potentia, aut actu primo.

De ultimarum syllabarum quantitate. An ad placitũ, an verò secundum dici ipsa sit?

Dominus. Cominus. Virtus. Palus.

Et hic, quia tam in veris Titii, & Iulii, quàm in fictis Aurelii, & Semphronii vestibus locum habet arbitrium:

An, & quo modo ipsa Quantitas, quæ secundum dici est, à placito & arbitrio dependeat?

trium: ſicut enim à placito, & arbitrio dependet, quòd Gallicas, & non Hiſpanicas; & Iulius contrà, Hiſpanicas, & non Gallicas habeat; ſic etiam quod Aurelius, & Semphronius, quos nudos prorſus eſſe ſupponimus, fingantur indui veſte, illum Gallicâ, & hunc Hiſpanicâ, provenit ab arbitrio: potuit enim populus nihil ſupponere; quoniam in multis Americæ locis incedunt nudi homines, & nemo eos eſſe veſtitos, aut fingit, aut dicit, aut ſupponit. Et potuit in noſtro caſu populus, ubi voluit Aurelium Gallicè, & Semphronium Hiſpanicè eſſe veſtitos fingere, mentiri aliter, & veſtem Aurelio Hiſpanicam, & Gallicam Semphronio adfingere. Et hinc ad ſyllabas, & voces redeo. A diphthongo, & poſitione præſcindendo, ipſis enim connaturale eſt ſyllabas prolongare, penultima in quacumque dictione apud Latinos ſemper quantitatem veram habet, ultima fictam habet. Et ſicut à populi voluntate, & arbitrio dependet, quod revera corripiatur hæc, & illa revera producatur penultima; ſic ſimiliter pendet ab ejus placito, quod hanc nos ultimam ex. gr. longam, illamque brevem eſſe fingamus.

Aliud eſt eſſe & dici nudum, & aliud, eſſe nudum, & dici veſtitum.

Inter indifferentes Controverſaſque eſt etiam manifeſtum diſcrimen; quoniam illa ſyllaba, quam omnes dicunt corripi, & protrahi poſſe, eſt indifferens: quando autem

De ſyllabis Indifferentibus. Quaenam illa ſint?

Grammatici certant, & adhuc ſub Iudice lis eſt.

quando videlicet, quòd fieri poſſe aliqui aſſerunt, alii negant, illa tunc ſyllaba, de cujus quantitate diſſeritur, Controverſa vocatur. De his ſyllabarum generibus diſputat P. Ioannes Baptiſta Ricciolius *in Proſodia Reformata part. 2. in fin.* Et ego de Indifferentibus *in Metametrica Apolline Ancipite per tot.* & de Controverſis *ibid. à pag. 98. a.* Vt autem aliquo rem exemplo dilucidem, hunc pono Canonem.

O jubet in rectis cenſeri fine Latinus
Ancipitem.

In quo vox illa *Latinus* excludit nomina fœminina Græca, ut *Sappho, Alecto, Clio*, &c. & vox *in rectis* contrahit legem ad nomina, & obliquos caſus (dativ. & ablat.) excludit. Ergo Nominativi tertiæ declinationis, qui in *o* deſinunt, habent ultimam indifferentem, ut *ordo, cardo, grando, margo, turbo, virgo*, & id, etſi incrementum longum habeant, ut *erro, balo, odo, ambo, bubo, buſo, carbo, caupo, cento, cerdo, falco, fronto, fullo, gerro, leno, mucro, naſo, pavo, piſo, temo, tyro.* &c. Aſſero itaque, ultimam in his nominativis indifferentem, non autem controverſam eſſe, quia admittunt univerſi hunc Canonem; à nullo enim Viro docto negatur.

De Latinis tertia declinationis nominibus, quæ finiuntur in o.

Quanta ipſis ſit ultima?

Vt autem aliquam controverſam exhibeam, hunc ego Canonem ex Antonio Nebriſſenſi propono.

De ſyllabis Controverſis.

Rimus vel Ritis verbum producit ubique.

Quæ ipſæ ſint?

Ita ille *lib. 5. cap. 3.* juxta editionem anni 1568. agens de Indicativi futuro, & de præterito, & futuro Optativi. At in utraque Germaniâ ridetur, qui *amaverîmus, docuerîmus, legerîmus*, aut *audierîmus* diceret. Hujus ergo ſyllabæ quantitas eſt controverſa. Quo reſpicientes, qui poſteriores Antonii Editiones procurarunt, jam uno jam alio modo Canonem correxerunt: & in libro, quo utor, verſus iſtos repetio.

In Amaverimus, & amaveritis, & ſimilibus, quantum ſit illud ri?

Rimus *&* Ritis, *ſemper producit Iberus;*
Corripit, & Gallus, Germanus, Belga, Polonus.
Tu verò Patria doctum ne ſpreveris uſum.



ARTICVLVS IV.

De Tempore univerſim: & in ſpecie de Grammatico: *Oſtendit Præſens non ſtare, ſed fluere: nec non eſſe Aequivocationes in Tempore; & quæ alibi occurrunt, jam per Tempus Reale, & jam per Grammaticum ſolvi, orationemq; ad veram ſententiam reſtringi.*

Quid Tempus ſit; & ubi reperiatur?



TEmpus (ait Ariſtoteles *lib. 4. Phyſic.*) *eſt numerus motus, ſecundum prius & poſterius.* Et à S. Thoma 1. *p. qu.* 10. *art.* 6. in diurno Cæli motu primario collocatur. Vtrumq; multis ſcriptoribus diſplicet: & inter alios Auguſtino, qui *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 14. ſic ſcribit. *Quid eſt Tempus? quis hoc facilè, breviterque dicat? Quid eſt ergo Tempus? Si nemo ex me quæſierit, ſcio; ſi quærenti explicare oporteat, jam neſcio.* Ecce Auguſtino Ariſtotelis definitio non placet; melior alia non occurrit; & ideò reſpondet Controverſiæ per verbum *Neſcio*, in quo tanti Doctoris Humilitatem admiramur. Rem in phyſicâ accuratè exponemus: & idcircò Diſputationem à Philoſophicâ meditatione ſubducentes, de illis tantùm, quæ præſens concernunt argumentum tractabimus.

Pulchra, & ſincera S. Auguſtini Reſolutio.

De Quamdiu, & Quando.

Duæ ſunt Quæſtiones, quæ moventur de tempore, quorum per *quamdiu* altera, altera per *quando* formatur. De Priori agit Metrica, quæ ſyllabas longas breves, & indifferentes metitur: & juxta ejuſdem leges duos Articulos, immediatè ſubſequentes ponemus. De Poſteriori breviter impræſentiarum diſputabimus.

Temporis diviſio.

Quid Præteritum, & quid Futurum ſit?

Tempus prout per *Quando* contrahitur, eſt triplex Præteritum, Præſens, & Futurum. Circa Præteritum, Futurumque nullam habeo difficultatem: benè illa Veteres intellexerunt: Præteritum enim dicitur, quod iam tranſiit, Futurumq; quod nondum venit. Quid autem erit Tempus Præſens.

De Præſenti.

An ſit punctum indiviſibile?

Dicunt aliqui, eſſe unum indiviſibile inſtans, & negant componi Tempus ex inſtantibus purè indiviſibilibus. At contra illos Zenon, & ejus diſcipuli ſic argumentantur.

An Tempus componatur ex inſtantibus indiviſibilibus?

Nihil eſt præteritum, quod non fuerit aliquando præſens.

Nihil eſt præſens, quod non ſit purè indiviſibile.

Ergo Tempus Præteritum componitur ex puris indiviſibilibus.

Porrò ſi Continuum ſucceſſivum componitur ex ſolis indiviſibilibus, eodem etiam modo Permanens componetur.

Et convertendo ad Futurum oculos: non ab ſimili modo poterunt argumentari, & dicere.

Quidquid eſt futurum, aliquando erit præſens.

At quando ſit præſens, erit Inſtans indiviſibile.

Ergo Tempus futurum componitur ex indiviſibilibus.

An Tempus Præſens fluat?

Cæterùm Peripatetici, qui volunt ingenioſè diſcurrere, hanc Concluſionem tuentur. *Tempus Præſens, quod adverbio* nunc *ſignificatur, non eſt, ſed fluit: adeoque non debemus aſſerere illud eſſe momentum aliquod indiviſibile, ſed diviſibile.*

An in Continuo Puncta ſint Entitates negativa?

Hunc Temporis Præſentis conceptum, quem vix in toto Peripatu reperies, expreſſit ſæpè Iuſtus Lipſius, *lib.* 2. *Diſſert. Phyſic.* 24. ſic enim ſcribit. *Præſens tempus breviſſimum eſt, adeò ut quibuſdam nullum videatur. In curſu enim ſemper eſt; fluit & præcipitatur. Ante deſinit eſſe, quàm venit.* Et certum eſt, aliquibus nullum videri: nempè illis, qui dicunt, id conſiſtere in puncto, & continuativa puncta in merâ negatione conſiſtere. Verba autem ultima hyperbolica ſunt, nec enim, ſi in rigore loquamur, priùs deſinere po-

teſt

teſt Tempus, quàm veniat. Sed & ſcribit ibid. *Fluit aſſiduè tempus, & nobis effluit: quod unum avariter habere debeamus, & nulla mercede, aut pretio permutare* &c. *Infinita* (valdè magna) *eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus.*&c. *Tempore utendū eſt: labitur enim, & fluit: nec fas lapſum unquam revocare.* Conſonat Ciceroni, qui pro Marcell. dixerat, *Horæ cedunt* (*fluunt*) *dies, menſes, anni. nec præteritum tempus unquam revertitur; nec, quod ſequetur, ſciri poteſt.* Ecce ſemper Lipſius *fluendi* utitur verbo; ut diſcamus Tempus præſens non eſſe quod eſt, aut ſtat, ſed quod fluit. Et hunc ipſum conceptum de tempore habebat Ovidius, qui in Transformationum quinto-decimo cecinit.

Cuncta fluunt, omniſq; vagans formatur imago:
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu.
Nec ſecus, ac flumen; neq; enim conſiſtere flumen,
Nec levis hora poteſt [a] *ſed & unda impellitur unda,*
Vrgeturq; eadem, veniens, urgetq; priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterq; ſequuntur:
Et nova ſunt ſemper: nam quod fuit antè, relictum eſt.
Fitq; quod haud fuerat; momentaq; cuncta novantur.

a] Tempus fluit, fluunt ejus partes, & nulla conſiſtit, aut ſtat. Componitur horis dies, & quia ille fluit, hæ non ſunt. Hora conſtat minutis: minutum ſcrupulis, ſecundis, tertiis, &c. ſine ullo ſubdiviſionis terminos & ſicut hora, ſic minutum, etiā minutiſſimum, fluit, non autē conſiſtit, aut ſtat.

Exiſtentia Tēporis eſt fluens; eſt prateriens.

P. Georgius de Rhodes *in Philoſ. lib. 2. diſp. 5. qu. unic. §. 2. pag. 238. a.* conſonat Ovidio, & ſic ſcribit. [Vna pars (temporis) nunquam, & ſimul cum aliâ parte: res enim ſucceſſiva in hoc differt à permanente, quod permanens ſuas habet partes totas ſimul exiſtentes; ſucceſſiva autem non exiſtentes totas ſimul; neque ullàm habeat partem totam ſimul exiſtentem; ſed & tota habeat partes poſt alias; & ſingulæ partes habeant partes poſt alias; id eſt, ſibi ſuccedentes, ſeu fluentes; hoc enim eſt exiſtere fluenter. Vnde ſapienter dictum eſt à Boëtio, *quod tempus* (præſens) *continuat eundo vitam, quā non potuit continuare permanendo.* Et Auguſtinus ait, *quod nos prætereuntia metimur tempora, non præterita.* Quippe verum exiſtere temporis eſt præterire, incipiendo deſinere, & quaſi moribus ſuis vivere; vel potius non naſci, niſi moriendo; hoc enim eſt exiſtere fluenter. &c.]

Tempus nominibus, verbis adverbiis, &c. ſignificatur.

Hæc tria Tempora præſens, præteritū, & futurū, quę in imperfecta, perfecta & pluſquā perfecta ſubdividuntur, vocibus (nominibus, verbis; adverbiiſq;) ſignificantur: ad Tempus enim pertinent iſta nomina, *Æū, Sæculum, Luſtrū, Olympias, Annus, Menſis, Hebdomas, Dies, Hora.* &c. & etiam ad Tempus hæc verborum perſonæ, *Amaveram, amavi, amabam, amo, amabo, amavero.* &c. *Docueram, docui, docebam, doceo, docebo, docuero.* &c. & denique hæc adverbia. *Olim, nudiuſtertius, heri, hodie, cras, perindie.* &c.

Quo modo à Nomine Verbū differat?

Differentia inter Nomen & Verbum non ſemper intellecta à Grammaticis hæc eſt; quod nomen *eſt vox, quæ ſine tempore quidpiam ſignificat,* & Verbum, *eſt vox, quæ actionem ſignificat cum tempore.* Et attende: aliud enim eſt *tempus*, & aliud *cum tempore* ſignificare: hic enim plurimi allucinantur.

De Temporis æquivocationibus.

Qualiter auferantur?

Etiam (1) in Tempore Æquivocationes inveniuntur; etiam repertæ in oratione, aut per (2) reale tempus, in quo res accidit; aut per (3) grammaticum temporis modum, qui in contextu invenitur tolluntur. Quæ tria tribus exemplis illuſtrabo.

Quid ſignificet Serò?

SErò vox eſt æquivoca: nam Primò ſignificat *veſperè*, hoc eſt, ante Solis occaſum, non autem poſt occaſum, ut interpretatur Paſſeratius. Secundoque ſignificat *tardè*. Et primam illam acceptionem, & veram, & primariam eſſe *lib. 4.* inquit Valla: & ad illam ſpectant illa Plautina verba, S. *Serè advenimus.* A. *Qui?* S. *Quia Alcmenam ſtare ante Ædes ſaturam intelligo.* (id eſt poſt prandium) & illa Ciceroniana. *Eloquentia ſerò prodiit in lucem.* Et ad hanc (poſteriorem) illa ejuſdem, *Eo die alter Conſul venit ſerò:* (hoc eſt, tardiùs.) Et his præmiſſis hoc Apophthegma proderit conſiderate.

Plautus in Amph. Cicero de Clar. Orat. Et lib. 4. ad Attic.

De Cæde Clodii.

Quando interfectus fuerit?

Accuſator Milonis, ut oſtenderet ſtructas Clodio inſidias, Milonemq; qui dicebatur fuiſſe invaſus, & cum inculpatæ tutelæ moderamine aggreſſorem necaſſe, perfidè proceſſiſſe, ſubinde Ciceronem rogabat, Quo tempore Clodius occiſus eſſet? & unico verbo illi, & univerſis ſatisfecit Cicero dicens, *Serò.* Eraſmus lib. 3. apophth.

Et in eo eſt Reſponſionis feſtivi-

tas,

Quid innuat Cicero dicens, illum occisum fuisse serò?

tas, quod unicam rem interroganti, duo, & appositissimè respondeat Cicero. Alterum Clodium *occisum fuisse serò* (hoc est, vesperè.) Alterum *occisum fuisse serò* (hoc est, tardius, quàm debuisset: quoniam è Republicâ futurum esset, si multò ille antè fuisset interfectus.

De Charta Charitatis. Sic Cistercienses primas illas Constitutiones nominant, quas sub initium præscripserūt Cistercii, & post Sanctam ab universis Regulam voluerunt observari.

Aliud exemplum addo. Ob diversas Theologorum interpretationes de vero Charitatis Chartæ sensu in Cisterciensi Ordine disputabatur: &, ut sedarentur discordiæ, ab Apostolicâ Sede emanavit Constitutio, quæ incipit. *Clemens Episcopus, Servus servorum Dei. ad perpetuam rei memoriam. Parvus fons, qui crevit in fluvium.* &c. Et definit. *Datum Perusii quinto Idus Iunii: Pontificatus nostri* (anno) *primo*. Sed quis fuit hic Clemens, qui hoc Diploma, expedivit?

Dabit Annus. Constat enim datum id fuisse anno Domini 1265. & Cisterciensis Ordinis 167.

Quæritur sit ille Clemens, qui Apostolica authoritate illam interpretatur.

Qualis fuerit?

Modò, si placet, D. Iulianum Paris audiunto. quoniam in Cisterciensi Nomastico, edito Parisiis ann. 1664. *pag.* 465. sic inquit. *Guido Grossus, patriâ Narbonensis, ex Archiepiscopo Narbonensi S. Sabinæ Cardinalis, Vrbano IV. sub nomine Clementis IV. successit* 8. *Febr. anno Domini* 1265. Clemens igitur Quartus fuit, qui Cisterciensem Ordinem hac Constitutione ad tranquillitatem reduxit. Vnde idem D. Iulianus subjungit, *Eodemque anno quinto Idus Iunii primas Apostolatus sui curas Ordini Cisterciensi inter discordias periclitanti consecravit.* De illo apud Genebrardum hæc lego. *Clemens IV. Narbonensis* (sedet) *ann.* 5. *& dies* 21. *Optimus Pontifex: Vir nempe sanctæ Conversationis, & Prophetico spiritu* (*ut dicebatur*) *illustratus*. Chronic. Hirsaug. *Bona Ecclesiæ optimè dispensavit. Cùm duas filias ex uxore, mortuâ ante Pontificatum, suscepisset, uni in monasterio collocata 30. tantùm libras dedit, alteri* 300. *libras dotis nomine. Clerico nepoti tres prabendas habenti duas abstulit, se dicens Deo, non carni, & sanguini velle adquiescere.*

Quo demum posse fuerit Pontifex?

An Clerieus habere possit plures prabendas?

Quomodo S. Matthias in Apostolum electus fuerit?

Propono, & tertium. Actuum Apostolorum cap. 1. agitur de electione duodecimi (nam hic in Apostolatu locus ob perfidiam, & sceleratam mortem Iudæ erat vacans) & quia ex discipulis Domini per voces elegerant duos, & per sortem unum è duobus istis, his verbis totam rem Sacer Historiographus explicat. *Et statuerunt duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus; & Matthiam. Et orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere sortem Ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt* [*] *sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam: & adnumeratus est cum undecim Apostolis.* Et circa illa verba, *Vt abiret in locum suum*, Lectores dubitant, de quo dicantur. Vter (Matthias, aut Iudas) iturus fuerit in locum suum? &, quid *loci sui* nomine intelligatur? D. Isidorus Clarius Cassinas. *Illis verbis* in locum suum, *si ad Iudam referas, videtur* (Petrus; is enim est, qui loquitur) *intelligere laqueum; quo se dignum judicavit ob proditionem: sin ad Matthiam, intellige* (lege, *intelligere*) *Episcopatum, cui* (in quo) *successit.*

*] Aliquando Electio per sortes execrabilis est, & aliquando necessaria & laudanda. Sanè si digni & indigni simul in urnam missi, scelerata sunt sortes, quoniā indignis ad Prælaturas viā aperiunt. Cæterùm si sine viri dignissimi inter quos nō facile melior possit dignosci ad sortes sine culpa recurritur.

An in Latinis verbis sit æquivocatio?

Ego autem in verbis Latinis nullam æquivocationem reperio; quoniam illa, *De quo* (Apostolatu) *prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Iudam in arborem, & laqueum mittunt; nam si voluisset Petrus *loci* nomine intelligere Episcopatum, & Apostolatum dixisset *De quo* (Apostolatu) *prævaricatus est Iudas, ut abeat in locum ejus.* Debuisset ergo & vocem *suum* in vocem *ejus* vertere; nec non mutare in verbo *abire* tempus, si illud non à Iudâ, sed à Matthiâ voluisset regi.

An ulla in Græcis?

Sed nec Græcus Textus aliquam patitur æquivocationem, sic enim habet: ἐξ ἧς παρέβη ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. *Ex quo Iudas aberravit abire in locū proprium.* Nam, ut conspicis, verbum παρέβη, *aberravit* regit infinitiuum: & de solo Iuda potest intelligi.

AR-

ARTICVLVS V.

De Poëtico tempore universim; *Et in specie de luce, qua ex syllabarum Quantitate desumitur.*

Cum quantitate interdum mutatur Casus nominis, aut etiam Significatio.



SÆPE, quæ incerta essent in Prosâ, sunt certa in Versu; quoniam interdum syllabarũ Græcarum, & Latinarum Quantitas significationem vocum mutat. Apollo Anceps in nostra Metametrica fusè differit de Indifferentibus: & *pag.* 76. *b. num.* 135. de dictionibus, in quibus significationis alteratio à variatione Quantitatis dependet: & posteà *pag.* 101. *a. nu.* 147. Tabulam copiosiorem producit. Hæc variatio accidere solet in materiâ, & in formâ. In materiâ, quando ipsa Recta differunt: in forma, quando est in obliquis discrimen.

Vt ergo aliquid de variatione materiali præmittam, versus istos propono.

De vocibus Clarus, & Claros.

Roma dedit Claros Marti generosa triumphos;
Et Claros extemplò decrevit Apollini honores.

Et inquiro, An sicut triumphos claros Roma Marti triumphos dedit, sic & claros triumphos ipsa Phœbo decreverit? In prosa esset æquivocatio: cessat in versu nam *clarus, a, um,* habet *cla* longum. Virgilius Æneid. 11

Prima in illo protrahitur, in hoc corripitur, & tamen auris differentiam non percipit.

Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit.

& *Claros* in posteriori versu habet *cla* breve. Quid autem hæc vox importat, quando primam abbreviat? Sanè *Claros*, Græcè Κλάρος est Ioniæ Civitas, Apollinis Oraculo condecorata: & est in mari Myrtoo Insula eidem numini sacra. Et de alterutra intelligi potest illud Ovidii Metamorph. lib. 1.

Κλάρος insula & urbs.

— *Mihi Delphica tellus,*
Et Claros, & Tenedos, Patarææque Regia servit.

Hinc, & Apollo *Clarius* dicitur. Ovidius lib. 2. de Art.

Apollo Clarius. Plinius lib. 2. cap. 103.

Logica Moralis.

Et Paros, & Clario Delos amata Deo.

In secundo ergo versu *Claros* non est nomen activum, quod vocem *honores* afficiat: sed est substantivum, & significat illam Civitatem, aut Insulam, quæ Apollini honores decrevit.

Progrediamur ulteriùs, & aliqua de variatione formali, quæ ab inflexione próvenit, subjungamus. Sanè *Musa*, si ultimæ syllabæ nesciatur quantitas nomen incerti casus est, eodem enim modo profertur, in Nomin. Vocat. & ablativo. Cessat autẽ in versu Æquivocatio. Considera lineas sequentes.

De variatione Casuum. Ratio Metrica tollit æquivocationem.

Hunc properet blandi genialis Musa Tibulli. 122
Vita verecunda est, Musa jocosa mihi,
Musa mihi causas memora, quo Numine læso.
Ad Libethraas Musa redibis aquas.
Qua canat inter opus Musa modulante putatur.
Invita Musa pangere nemo potest.

Proponuntur exempla.

In ipsis nullam habet vocabulum *Musa* incertitudinem: in primo enim & secundo versu (quorum ille est Baptistæ Pii, & hic Ovidii *libr.* 2. *Trist.*) ultimæ syllabæ correptio, & verbum in tertia persona positum, vocem *Musa* ait, esse in Nominativo. In tertio (è Virgilii *Æneide prima* sumpto) & ejusdem syllabæ brevitas, & verbum in secunda persona positum, Vocativum indigitant. Et in quinto Ablativum cognosco, quia ibi à Columella syllaba secunda producitur.

Vocis Musa in casibus diversa quantitas.

Venimus, aut præsentis, aut præteriti est: nam, si constituat pedem dactylum (-ᴗᴗ) est præteriti; præsentis autem si amphibrachum (ᴗ-ᴗ) Cæterùm in Metro cessat Æquivocatio: In hoc enim Retrogrado,

De syllabarum in voce venimus mensura

Venimus, alme Pater, Romam Pater alme venimus.

exprimit tempus, & Accentus, & Quantitas; undè *Venimus* in principio est præt. & præs. in fine. Vberioris ergo doctrinæ gratiâ ex Virgilio aliqua exempla subjungamus. Cecinit eglog. 1.

Sæpe sinistra cava prædixit, & ab
ilise cornix.

De epithetis cava & sinistra; an ilici, an verò cornici conveniant?

Et utra est cava? utra sinistra, ilex, an cornix? Nomina *sinistra*, & *cava*, in quo sunt casu; in auferendi, an nominandi? an utrumque in eodem? an in altero alterum? Sanè, si sensui stetur, quidquid de voce *cava* sit, æquè ilex, ac cornix poterat *sinistra* vocari. Sed tamen nullus est æquivocationi impræsentiarùm locus, nam vocalium mensura *sinistra* in Nominativo, & *cava* in Ablativo collocat.

Huic simile est, & illud carmen
Cui pendere sua patereris in arbo-
re poma.

Differentia inter pendêre *&* pèndere.

& unde est illud *pendere*? An à *pendeo, es*. Secundæ, an verò à *pendo, is*. tertiæ? quoniam in ipsa arbore existentia poma, sicut Pastori alteri vendere, sic Amaryllidi Tityrus poterat donare, consecrare, & péndere. Et prætereà illud *sua* quo respicit? Pendebant-ne à sua arbore illa poma; an quæ pendebant ab arbore, erant sua? Dirimit Quæstiones has syllabarum mensura: nam *pendêre*, & *sua* habent secundam longam. Ergo ad secundam Conjugationem illud, & hoc ad sextum Casum pertinet.

Occurrit, & ibidem hic versus.
Nec gemere aërea cessabit turtur
ab ulmo.

Arboresne, an volucres nominentur aëreæ?

Vtra enim *aërea* dicitur, ulmus, an turtur? Putarem, aptiùs volucres, quam arbores vocari *aëreas*, scribit enim Lucretius *lib.* 1.

Aërea primùm volucres te, Diva,
tuumq; significant.

Mantuanusque.

Et genus auri vagum volucrum.

Et Ecloga 3. Virg.

Ipse locum, aërea, quo congessêre
palumbes.

Sed tamen, ut ex metro constat, Virgilius non turturem, sed ulmum *aëream* dixit.

Examinantur alia voces,

Et quid dicemus de illis versibus, qui in Eclogâ secundâ leguntur?

Mollia luteola pingit vaccinia cal-
tha,
Spe ego cana legam tenera lanugi-
ne mala.

Quodnam substantiuum afficit epithetum *luteola*? vaccinia, an caltham? quod *cana*, & *tenera*? Anne poma sunt tenera, & lanugo cana? Respondeo vocem *luteolâ* esse in ablativo, ultimam enim protrahit: & ideò non de vacciniis dici, sed de calthâ. Addo ultimam in voce *cana* corripi, ac propterea non ad lanuginem, sed ad mala referri. Et subjungo controversiam, quæ interrogat, An dictio *mala*, aut à *malus, a, um*, aut à *malum, i*, quod est pomum descendat, in solutâ oratione procedere: & tamen in carmine dubio locum non esse; quoniam adject. *malus, a, um*. primam corripit; subst. *malum, i*, hoc est, *pomum*, producit. Interim, quoniam vox *malus* variè accipitur, proderit per dimensionem primæ syllabæ secernere significationes.

Voces malus, a, um: malum, i. pro damno, malum, i, pro pomo. malus, i, pro navis arbore: item malo, mavis, verbum, &c. poeticè mensurantur.

Malus, a, um habet *ma* breve. Virgilius Ecl. 1.

Nec mala vicini pecoris contagia
lædent.

Et Eclog. 3. similiter

Atque mala vites incidere falce no-
vellas.

Non jubet excidere mala, aut poma, sed vites, & id malâ, hoc est, obtusa falce.

Malum, i pro pomo, Græca vox est, donata Latio, μῆλα enim Græci vocant, quæ nos *poma* vocamus. Ergo, quia ῆτα producitur, habebit primam longam. Ovid. *libr.* 8.

Primaque, & in patulis redolentia
poma canistris.

Malus pro navis arbore primâ producit Ennius in Annalibus.

Malos diffindunt, fiunt tabulata
falaq;

Cujus generis & moduli malus sit, si pro insula, aut urbe sumatur?

Et *Malus* urbs etiam primam protendit. *Malus* insula contrahit. Est autem incertum hoc discrimen, nam apud Priscianum in Dionysio Afric. alii legunt,

Lyrnesusque, Malusq; atq; Anchia-
lia, Soliq;

alii autem abjecto primo *que* dicunt

Lyrnesus, Malusque, &c.

Et denique *Malo*, si sit casus nominis, mensurabitur ulnâ, quâ suum rectum, si autem sit verbum, *malo, mavis*, hoc est, *magis volo, magis vis*, primam (nam in eâ tota dictio *magis*, & prior pars verbi *volo* absorbetur) producit, *Satyr.* 6. Iuvenalis.

Malo

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater.

Placet adhuc alium versum ex eâdem secundâ Eclogâ Virgilii subjungere.

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

De vocibus frondosa, & semiputata.

Et utra hic *frondosa*, & utra *semiputata* dicitur, ulmus, an vitis? Ratio Carminis postulat, ut epithetum *semiputata* viti, & epithetum *frondosa* ulmo adhæreat.

Eclogâ posteà tertiâ exclamabat Menalcas.

Virgilius corrigitur, aut restituitur.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit?

Et putarem illud, *aut* irrepsisse Exscriptorum incuriâ, libentius enim legererem *An ne*. Præterea illud *juncta* posset cum fistulâ, & cum cerâ conjungi; nisi syllabæ modulus (nam in *fistula*, & *juncta* ultima brevis est) controversiam dirimeret.

Certamine inito inter Menalcam & Dametam de Cantu, ait Palæmon

Incipe Dameta, tu deinde sequere Menalca.

De ultima vocativi primæ Declinationis. Apud Latinos, & Græcos quàm sit?

Et tu nomina illa propria *Dameta* & *Menalca* consideras, & in quo illa casu constituantur, interrogas. Sanè hujusmodi nomina, aut sunt Græca Δαμοίτας, τξ, & Μενάλκας, κȣ, aut sunt donata Latio, & ut *Cometa*, *Planeta*, aut *Adria*, per primam Latinorum declinationem inflectuntur. Et sensus postulat, ut *Menalca* in vocativo constituatur; at lex Prosodiæ nihil definit, quoniam ultima carminis, brevis esse potest, aut longa. Alteram autem vocem esse Græcam, & modulo Græco mensurari, & esse in vocativo, certum est: ibi enim A in fine more Græco producitur, quod Latino corriperetur. Iacobus Gretserus de ultimis syllabis num. 5. *A. longum est in Vocativo primæ simplicium nominum in as.*

Prima versus quanta sit?

De vocibus sequêre, & séquere.

Pergis ulteriùs; & ad illud *sequere* convertis oculos, & ad quem modum pertineat, rescire cupis. Quoniam verbum *Sequor*, in Indicativi præsenti habet *séqueris*, vel *séquere*; & in futuro *sequêris*, vel *sequêre*. Et postea in Imperativo, *séquere*, vel *séquitor*. Respondet Metrum, secundam in *sequêre* à Virgilio produci, & hanc ob rem ad tempus futurum spectare. Et hinc converris ad Evangelium oculos, & quia Ioann. 21. 21. legis. *Hunc Discipulum, quem diligebat Iesus) videns Petrus, dicit Iesu. Domine: hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu sequere me.* Interrogas Primò, An *si*, an verò *sic* legendum sit? & Secundò; An illud *sequere* Imperativi sit, an verò Futuri Indicativi? quod est quærere, quomodo proferendum sit? anne prima, in ipso acuenda sit, an altera circumflectenda? adeoque, An *Tu me séquere*. An potiùs, *Tu me sequêre*, hoc est, *Tu me sequêris*, sic dicendum? Respondeo, cùm non juvemur Metro, debere nos ad Textum ipsum Græcum, ad Versiones Interpretum, & Expositorum Commentarios recurrere. Biblia, quæ Isidorus Clarius, Monachus Cassinensis anno 1564. Venetiis edidit apud Iunctas, non *sic* habent, sed *si*: & hoc Scholio hanc Lectionem dilucidant. [In tota hac narratione, & colloquutione cum Petro, morem suum servat Dominus, dum subobscurè prædicit, quæ sunt futura. Et vide mirum dicendi modum, cùm cinctionem introducit, & Iuvenis, & Senis; qui modus præ se fert summam Domini in loquendo humanitatem. Sic, quemadmodum, & illud *Sequere me*, ancipitem habet significationem [*] ita quod addit, *Si eum volo manere*. &c. suspensos tenuit Discipulos, quem sensum verba illa haberent. Quod nec Evangelista ipse voluit explicare, nisi quatenus Dominus non dixerit, *eum non mori*. Quòd cùm ipse apertiùs facere noluerit, hoc ipso contenti esse debemus. Opinari tamen licet, Dominum significasse, non illum martyrio finiendum, sed velle illum tamdiù morari in vita, donec eum ipse evocaret. &c.] Biblia, quibus utebatur Arias Montanus, cùm Novum Testamentum recensuit, expressè habebant *si*, & non *sic*. Quoniam in Græco legitur, Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ; σὺ ἀκολούθει μοι. *Dicit ei Iesus. Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu séquere me.* Nihilominùs ex inadvertentiâ, & incuriâ in multa Bibliorum exempla, & ex illis in multa Missalia, & Breviaria illud *sic* pro *si* irrepsisse videtur.

Evangelii Lectio examinatur.

An vox sequere in prima, an in secunda accentû habeat?

An, & cur Christus subobscurè loquatur? 123

*] Quoniam, ut dicebamus, est Imperativi *séquere*, aut futuri *sequêre*.

An Ioannem non esse moriturum dixerit Dominus noster Iesus-Christus?

In quarta Ecloga, quæ inscribitur *Pollio*, ait Poëta.

Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras!

Et quid siquis velit vestigia esse perpetua, & formidinem irritam? Damnabit illum ratio Carminis, quæ in nominandi casu *irrita*, & in auferendi casu *perpetua* collocat.

Et sic etiam multæ aliæ sunt in mensurâ Nominum, & verborum discrimina: nam *reddimus* à *reddo* habet duplex *d*, & *i* breve: *redîmus* à *redeo* habet simplex *d*, & *î* longũ. Sic etiam *redimimus* à *redimo* habet *mi* brevè; & à *redimio*, *mi* longũ. Verbum *lego*, *is* habet primam brevem, & *lēgo*, *as*. longam. Vox *legas*, si Subjunctivi sit (*legam, as, at*) habet *le* breve: si Indicativi (*lego, as, at*) habet *le* longum. Et voces *legis*, *leges*, si sint nomina, proveniunt à *lex*, *legis*, & protrahent primam: si autem sint verba, orientur ex *lego, is, it*, *legam*, *et, et*, & syllabam primam corripient.

Rèddimus.
Redîmus.
Redimimus.
Redimîmus.
Lego, as.
Lex, gis.
Lego, gis.

Lego in Martialis libr. 6.

Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi.

Et quia Cado habet in præterito *cècidi*, & Caedo *cecîdi*, quæri potest, ab utro (*cado*, an *caedo*) ultima dictio dati versus proveniat.

De vocibus cècidi, & cecîdi.

Respondeo ex sensu esse à *cado*, quoniam activè sumitur, & *caedo* non est verbum activum.

Respondeo etiam ex metro esse à *cado*, quoniam penultima Heroici versus syllaba esse debet longa, & tamen in *cècidi* à *cado* corripitur.

In epistola IV. Reverendissimo Patri Hyacintho Abengozario, Cisterciensis Ordinis Procuratori Generali (Viro profectò Magno, quem ante diem Parcæ abstulerunt,) inscriptâ, quæ *in nostra Theolog. Fundam. libr. 2. pag. 654. num. 2203.* legitur, & Dialexi de causis Realibus, & Moralibus præmittitur, hos versus ex libro Transfigurationum desumpsi:

P. Hyacinthus Abengozar laudatus.

Duret in hoc ævi: celebrandaq; more Priorum.
Annua prælata redeant Hyacinthia pompâ. [*]

'Ovid. lib. 10. Metam.

*] Erant *Hyacinthia* asserente Hieronymo, Sacra quædam à Lacedæmoniis instituta ad honorem Hyacinthi.

Et ex verbo illo *redeant* colligis *Hyacinthia* esse in Nominativo, & *pompâ* in ablativo: illa enim redire cum pompâ dicuntur. At de nominibus *celebranda*, *annua*, & *prælata* moveri dubium poterit, An-ne *Hyacinthia*, an potiùs *pompam* concernant? Quæstionem Metrica manifestè decîdit, quoniam ultimæ syllabæ brevitas epitheta *celebranda*, & *annua* nomini *Hyacinthia*: & longitudo epithetũ *prælata* nomini *pompâ* accensere debebit.

Æneidos libro primo, ut canit Virgilius

Anna refert. O luce magis dilecta sorori,
Sola-ne perpetuâ mœrens carpere juventa?

Ratio carminis postulat, ut in vocibus *Anna*, *dilecta*, & *sola*, ultima corripiatur: ergo in nominandi casu sunt. De *juventa* nihil possum definire ex metro, nam cujuscumque versus ultimus locus est [a] indifferens. Cæterùm, quia epithetum quod illam afficit (nempè, *perpetua*) ultimam circumflectit, & protrahit, assero utramque (*juventa*, & *perpetua*) in ablativo constitui. Et tandem superest vox *carpere*. Porrò, *carpo* habet in infinitivo activo *cărpere*: in præsenti passivo, *carpor*, *carperis*, vel *carpere*, & in fut. *carpar*, *carpēris*, vel *carpēre*. At jubet metrum, ut secunda sit longa. Ergo *carpēre* lego; & esse secund. pers. fut. pass. pronuncio.

De ultima versus syllaba.

De Nominativo, & Ablativo primæ Declinationis.

a] Est Grammaticum Dogma, quod docet ultimam in quocumque versu syllabam indifferentem esse. Mollerius.

Cujuscumque anceps est ultima syllaba versus.

Pro quo in suis Iambicis scripsit Bernavellius,

Cujuslibet nam carminis
Indifferens est ultima.

Et hæc doctrina est manifesta æquivocatio, & ut illam auferrem *locum* dixi, non *syllabam*, non enim locus ille petit indifferentem syllabam, nam pleræque omnes, quæ apud Virgilium, Ovidium, & alios Poetas versus terminant determinatè breves, aut determinatè longæ sunt. Sed locus est indifferens, nam postulat longam, vel brevem. Rem exemplo dilucido. Ecloga IV. Virgilius concinit.

De ultima versuum syllaba. An sit indifferens.

Hæc mea doctrina est omnium; sed tamen corriguntur, quoniam loquuntur perperam, ubi nō sentiunt male.

Sicelides Musæ paulò majora canamus:
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.

Ultima primi carminis est *mus*; brevis, & non indifferens: secundi ultima est *cæ*; longa, & non indifferens, locus autem ultimus est indifferens, nam potest recipere alterutram. At hanc ob rem in nostra Metametrica præter alias Poeticas quantitatum Notas has proposui. [υ. — . o. ϖ. . ϖ] quarum prima brevem; secunda longam; tertia indifferentem; quarta unam longam, aut brevem; & ultima unam longam, aut duas breves significat. Unde proscripto inutili Pedum Poeticorum apparatu, Idea Hexametri est hæc

Metrici characteres, qui syllabarum quantitates sternãt

- ϖ - ϖ - | ϖ - ϖ - υυ - ϖ]

Excluditur velut inutilis doctrina vulgata, & communis de Pedibus: & alio modo Carminũ idea figuratur

Pentametri autem hæc

Pen-

ϖ - ϖ -|- ω - ω|ϖ|

Et quaternariua Iambicus per has Notas decurret

ϖ - υ - ϖ - υ ϖ

Et senarius per istas

ϖ - υ - ϖ - υ - ϖ - υ ϖ

Qui pingendi Ideas Metricas Modus clarissimus, & facillimus est vacillantiaque studiosæ Iuventutis Ingenia à numerosa pedum colluvione subducit

Deuter-ne syllaba inter longas, & breves media? An, & ha sint, qua Indifferentes nominentur?

Petis, *An syllaba, quas dicimus* Indifferentes, *sint mediæ?* hoc est, *Verum, ubi* Brevis *u. num tempus, &* Longa *duo,* Indifferens *semitempus impendat?* Videretur quod sic: nam apud Hebreos syllabæ Mediæ reperiuntur. Ergo & reperiri apud Latinos poterunt: Quia natura humana apud gentes universas est eadem. Suadetur Antecedens, quam P. Ludovicus à Sancto Francisco in sua Hebraica Grammatica, quam *Canonum, & Arcanorum Linguæ Sanctæ Globum* inscripsit, *libr.9.cap.3 pag.701.* sic statuit *Tempus etiam triplex est: Breve, Longum, & Medium. Tempus longum cognoscitur. &c. Tempus breve habet in ultima accentum ministrum, &c. Tempus autem medium reperitur in principio. &c.*

Quid pronuncient Hebræi?

Respondeo in hoc argumento Principium peti, remque difficilem obscuramque per difficiliorem, & obscuriorem suaderi, & confirmari: omnia enim, quæ de Hebræorum Veterum Poesi dicuntur incerta sunt: aut etiam falsa, si credimus Eliæ Levitæ, qui in *Massoreth* Carmina illa Moyseos, quæ Deuter. 31. leguntur, nulla Poeseos lege constare existimat, nec ullas olim apud Hebræos Metrorum leges extitisse; & generaliter loquendo, totam legem in uno פסוק *pasuque* contentam fuisse; adeoque versum hanc distinctionem, quæ ex sensu sumpta, & in editionibus novitiis invenitur, Veteres ignorasse.

An in Sacra Pagina sint carmina?

Ignotum per ignotius probari nequit.

Ergo claudicat est ratiocinium, quod ex Hebraica Lingua ad Latinam procedit.

ARTICVLVS VI.

Iterum de Poetico Tempore. *Nec non de Significatione, quæ ex syllabarum Quantitate innotescit.*

124

Quid lapsus calami nomine intelligatur?



Allucinantur sæpè, qui exscribunt, & errores hujusmodi *lapsus calami* appellant; & hanc ob tem variæ sunt lectiones in Classicorum libris: quæ præbent occasionem Eruditis hominibus, ut examinent, Vtra sit vera lectio? utra commentitia, & spuria? in iis profectò libris, qui scripti sunt oratione soluta, valdè est difficile lectionem veram ab spuria ex contextu discernere, & tunc præcipuè, si ex neutra inferatur absurdum. In eis autem, qui scripti sunt oratione ligata, est multò facilior Restitutio. Rem exemplis clarissimis dilucidemus.

Cur sint variæ lectiones?

De forma Baptismi apud Græcos.

In Eugenii Decreto præscribitur Forma, quâ Græci utuntur in Baptismo. Legitur *Baptizetur* in corpore, & *Baptizatur* in margine. Erat ergo tertia vocalis in Protocolo dubia, & ideò Exscriptor utramque lectionem adscripsit. Sed utra est vera? Si stemus rationi, non occurrit motivum, ob quod alteram condemnare possimus. Christus fuit Dominus, & potuit verba, quæ voluisset instituere, & requirere. Est quæstio facti: &, ideò tantummodò, quid fecerit, investigatur. Et hoc non constat ex Eugenii Decreto. Hinc Theologi utramque formam judicarunt probabilem: illam tamen, quam videbant in corpore, alteri, quæ margini adscribebatur, prætulerunt. Vnde Antonius Cotonius *in summ. verb. Baptismus nu. 28.* sic scribit [*Forma verò Græcorum debet esse hæc*, Baptizetur, *& non* Baptizatur. *Tamen utraque est vera forma.*] Diana *part. 10. tract. 16. resol. 92. & 97.* Vasquez *in 3. part. disp. 145. cap. 3.* & alii. Nota illud *debet* & illud vera. Igitur Græcum formâ Latinâ, & Latinum Græcâ, validè, sed illicitè baptizari asseverat. Inchoatum fuit hoc Concilium Ferrariæ V. Idus Aprilis. ann. M.CD.XXXVIII. sed inde peste ingruente translatum fuit Florentiam. Interfuerunt Eugenius IV. (qui electus fuerat ann. 1431.) Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus (qui teste Chalcond. lib. 8. Florentię obiit) & Ioannes Paleologus [ ] Orientis Imperator, & plurimi utriusq; Nationis Prælati. Et inde ad nostrum tempus *Baptizetur* esse Græcorum formam, universi supponunt. Sed Nos ex ipsis Græcorum libris ostendimus Latinos Historiographus, & cum

An per Indicativum, an verò per Subjunctivum proferatur?

De Florentino Concilio. Quando? sub quo? & à quibus fuerit celebratum?

De nominibus κόλαξ & κόραξ.

Κόραξ exprimitur similitudo.

Ρῶ κὶ λάμβδα, μόνον κόρακας κόλακάς τε διΐςῶ.
ἐ κῦν ταυτὰ κόραξ βωμολόχες τε κόλαξ.
Τὔνεκά μοι βέλτιςε τόδε ζῶον πεφύλαξο,
εἰδὼς κὶ ζώντων τοὺς κόλακας, κόρακας.

Illud Interpres quidam, etiam Vetus, sic transtulit.

Rho & Lambda *solùm* κόλακες, κόρακες *que dirempti*;
Cætera nil distant scurra κόλαξ *que* κόραξ. [*]
Observandum igitur cautè hoc animal tibi, gnaro
Vivorum, haud aliud, quàm κόρακας, κόλακας.

*] Nota bene, R & L tam similes sunt literæ, ut multi illas populi pronunciatione non distinguant. Etiamnum in precibus, *Maliam* pro *Maria* dicunt Sinenses & Americani.

Est autem Κόλαξ, *adulator*, & Κόραξ, *Corvus*. Et monet divites nominum similitudo; quoniam in Principis aulâ Adulatores Corvi sunt, qui eum in Prudentiæ Orbe mortuum esse testantur, confluunt enim, ut ejus carne, & sanguine (hoc est, divitiis) saginentur, & ejus posteà cœcitatem, & socordiam irrideant.

Quales Adulatores sint?

ADdamus aliquid de Adliteratione Latinâ, quæ est frequens, & exuberat gratiis. In Theologiâ Fundamentali (ut à me incipiam) his verbis Lectorem prævenio

Placuit etiam mihi ille versus,
Non labyrinthus erat, sed labor intus erat.

HAbet interdum gratiam specialem Traductio, ubi per Paronomasiâ alterius Linguæ Gnomas interpretamur. Rem dilucido exemplis.

Necessitas caret lege. Hisp. *la necessidad tiene cara de Herege.* hoc est, *Necessitas habet faciem Heretici.* Quod non omninò falsum est: multa enim indulget, & permittit necessitas, quæ aliàs non carerent scandalo. Vnde illud Morale prodiit Protheorema, *Quid præstas, quod potest: præstas, quod debet.*

Ante sexaginta annos, nonnullos Hymnos per Paronomasiam Ioannes Martinez, S.Th. Doctor, eruditæ recreationis gratia dilucidabat: ex quibus has lineas propono.

Quis supra Cæli. Hisp. *Quienes son excelses?*

Residens cacumen. Hisp. *Reyes son que comen.* [a]

Totius Mundi. Hisp. *Tornido anda el Mundo.*

Machinam gubernans. Hisp. *No hay quien le gobierne.*

Trinus, & unus. Hisp. *Todos somos unos.*

a] Et quidem hodie magni in Europa Principes in hoc se putant nobiliores cæteris quod comedant, & pretiosiùs, & meliùs, & ita aliarum rerum omnium obliviscuntur, ut de quodam peregrino Theatrum ausum fuerit concinere.
No es pestado ni carne,
No es ave bruto, o hombre,
Mas es una cosa que come.
Qui historiam noscit, majori notitia non indiget: qui nescit, poterit carere cognitione, quam præbere non expedit.



AR-

ARTICVLVS III.

De syllabis, Longis, Brevibus, ad Placitum, secundum dici, Controversis, & Indifferentibus.

Tædio afficitur Lector, & conqueritur, quod pluries debeat hanc doctrinam audire. Sed quia hic Locus postulat, ut ea dilucidetur, dignabitur habere patientiam; nisi fortè illam Ego habiturus sim, siquidem tanta cura secrevi syllabas ad placitum à syllabis secundum dici, & tamen quando Discipulos examino video à nonnullis adhuc hæc duo genera syllabarum confundi.

Cur hic Articulus interseratur?



T sequens Articulus meliùs intelligatur, proderit nonnulla minùs scita præmittere, multa enim sunt accidentia syllabæ, quæ ignota Theologis; & aliqua, quæ ignota Criticis.

Sanè nota universis est Brevium, & longarum syllabarum discretio:

De Syllabarum quantitate.

Vnum namq; Brevis consumit syllaba tempus,
Dum sonat; impendit syllaba longa duo.

Vel ut in Nebrissensis Antonii Prosodiâ (quæ habetur *lib. 5. Grammatica*) habetur;

De vocibus cædidi, & cecidi.

Syllaba longa duo consumit tempora; sed, qua
Dicitur esse brevis, tempus sibi vendicat unum.

Et constat clarè, si voces *cēcīdi* à *cædo*, & *cecĭdi* à *cado* componamus: diutiùs enim sonare illud *ci* in secundâ, quàm in primâ sentimus.

Quæstio quæ postulat, *An omnes inter se breves, & omnes inter se longa sint aquales?* gravis est, & tamen non habet locum in praxi; non enim Poëtæ Latini, aut Græci ab illius voluerunt Decisione pendêre. Sanè, si duarum consonantium positio syllabam protrahit, productior erit illa, quam tres, vel quatuor consonantes sequuntur. Et diphthongi etiam erunt ob eamdem rationem inæquales. Considera sequentes Dactylos. *Pons erat.* Stirps erat. *Stirps bona.* Stirps trahit. *Stirps fletu.* Stirps struit *&c.* Nec non etiam, sis, sequentes spondeos, *Præ se.* Præstant, *Præstant.* Et quis non rideat, in omnibus præmissis

An ejusdem ordinis syllaba inter se sint aquales?

Dactylis per gradus primæ syllabæ longitudinem crescere; eamque in ultimo multo longiorem esse. Et in Græcorum linguâ quis dubitare poterit his longis η, & ω, has η & ω, nec non ηυ & ωυ tempore productiore sentiri.

De Græcorum diphthongis. An sint aquè producta?

Non est idem, syllabam esse tantam natura, aut ad placitum; aut secundum dici. Tanta naturâ est, quæ naturâ suâ postulat tantam esse. Quoniam ex se, nisi aliter mensurentur per accidens, ε, & ο postulant in Linguâ Græcâ corripi; sicut η & ω (sunt enim virtute duplices; puta εε, & οο) produci. Naturâ autem sunt neutra, α, ι, υ. Apud Latinos nulla vocalis simplex ex naturâ suâ quantitatem determinat: nam quæ dicunt Grammatici de syllabis naturâ correptis, aut productis sunt verba. Diphthongi, & Positionis Regula videtur esse universalis. *Præ* autem sequente vocali contrahimus; imitati Græcos, qui duplicem synalæpham admittunt. Alteram, quæ totam syllabam, alteram quæ semissem elidit. Vtramque in illo Theocriti versu conspicitur.

An, & qua syllaba natura correpta aut protracta dicatur?

Cur præ sequenti vocali breviëtur?

ὁ ζεύς ἄλλοκα μέν πέλει αἴ-
θριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Et Iupiter quidem nunc serenus est,
nunc pluit,

De duplici Synalœpha, adaquata & inadaquata.

Lege autem tu, ut Iambici mensuram Interpretatio teneat

Nunc Iupiter serenus est: & nunc quidem
Pluit.

Hexameter Græcus versus est. Et in ultimo pede tota particula δὲ syllaba eliditur. Et in tertio μέν πέλει est Dactylus, quoniam semissem durationis in λει diphthongus αἴ, quæ sequitur immediatè, decircinat. Hanc elisionis legem

Est propria Gracorum hac posterior: quam Virgilius aliquando imitatur.

Logica Moralis. Ppp 2 Æneid.

Æneid. 3. & 5. imitatur Virgilius; dixit enim,

Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno.

Et, *Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.*

In voce *Ionio* tota *o* more Latino eliditur: in vocibus autem *Insulæ*, & *Ilio* ultima decircinatur more Græco. Et hæc de duplici synalœpha dicta sint, ut intelligat Lector, quo diphthongus *præ* modo, quando ingreditur compositionem, decircinatur, si vocalis immediatè succedit. Unde apud Grammaticos est Regula,

Sed Præ vocali dabitur correpta sequenti.

Quæ sit quantitas syllabarum ad placitum.

Syllabæ, quæ natura breves, aut longæ non sunt, si sint penultimæ, solent produci, aut corripi; quia sic Prisci voluerunt: & ideò dicuntur habere quantitatem ad placitum. Et id sanè bifariam; actu, & virtute; vel, ut cum Philosophis loquar, actu primo, & secundo. Syllaba est tanta actu, cùm reverà corripitur, aut producitur, ut in *dicimus, legimus, canimus*; &c. nec non in *amamus, clamamus, contemplamur*, nam in illis penultimam reverà corripimus, in his protrahimus. Habet quantitatem virtute, cujus mensura tametsi actu non percipiatur, in compositione, aut divisione percipitur: tametsi enim auris, nec in primis harum dictionum [*lego, dico*, &c.] brevitatem, nec in harum [*lego, dico*, &c.] longitudinem sentiat: nec in harum [*dividimus, referamus, cecidimus, celebramus*, &c.] secundis actu quantitatem metiatur, in prioribus recurrere ad composita poterit: nam in *pérlego, gis, dédico, as.* brevitas, & in *delégo, gas, prædico, cis.* longitudo sentitur, & in posterioribus, ubi aliquarum vocalium modulum incrementum suboriens defigurat, ad primas Thematum personas recurrendo [videlicet, *divido, réfero, cécidi* à cado, *cecídi* à cædo, *celebro*, &c.] quæsitam quantitatem invenies.

De quantitate in actu primo & in actu secundo: sive potentia & actu.

De Quantitate secundum dici.

Quantitas quæ *ad placitum*, ab eâ, quæ appellatur *secundum dici* distinguitur; &, quia non omnes differentiam percallent, debebo illam accuratiùs exponere & dilucidare. Pone Titium esse vestitum more Gallico, Iulium Hispanico: & Aurelium, Semphroniumque esse absolutè nudos, at ex concordiâ plebem dicere, hos duos ultimos habere vestes; priorem Gallicam, posteriorem Hispanicam. Profectò hic plebis error, Aurelium & Semphronium nullis vestibus induit, manent enim nudi, ut erant anteà: at illos taliter, & taliter vestitos, & ornatos mentitur. Ergo Titius & Iulius sunt reverà vestiti, sed ad placitum: Titius enim, cui placent vestes Gallicæ, Hispanicas haberet, si vellet. Et idem dicendum est de Iulio, qui, si voluisset, Gallico aut Germanico modo indueretur. Cæterùm Aurelius & Semphronius, nudi reverà sunt, & vestiti dicuntur; non ergo habent vestes ad placitum (nam nullas veras habent) sed fictas; &, ut loquuntur Philosophi, *secundum dici*. Hoc exemplum, discrimen, quod inter Quantitatem *ad placitum*, & Quantitatem *secundum dici* reperitur, manifestè dilucidat. Nam in verbo *Legabam*, omnes syllabæ habent quantitatem ad placitum: prima, virtute; altera, actu. Actu sanè secunda, nam ejus longitudo sentitur: at prima virtute & potentiâ, quia tametsi syllabæ *le* in voce *legabam* non percipiatur quantitas, in compositione potest reddi penultima, [ut patet in *ablégo. delégo, subdelégo*, &c.] & tunc ejusdem productio percipietur. In nomine autem *Dominus*, tres syllabas, seu vocales prospecto. Secunda (nempe, *mi*) est brevis, sed ad placitum, nam Nomenclator, qui penultimam in peregrinus, *divinus* & aliis similibus produxit, *dominus*, penult. long. si voluisset, dixisset. Aliæ autem duæ in eâdem voce syllabæ (prima & ultima) ex rei natura non postulant determinatam quantitatem: nullam habent ad placitum: quoniam eodem modo prima in *cominus* & in *dominus* sonat: & eodem in *virtus* aut *palus*, ac in *dominus* ultima auditur. Ergo in *co* & *do*: aut etiam in *tus*, *lus*, & *nus* nulla est reverà quantitas (si enim aliqua esset, actu aut virtute illa perciperetur) Brevitas ergo, quæ syllabis *do*: & *nus*; & longitudo, quæ syllabis *co*, *tus*, & *lus* inesse dicitur, ficta est; & ideò à nobis dicitur *secundum dici*.

De vestibus ad placitum, & secundum dici.

Consideretur bene hoc exêplum; multi enim non intelligunt, quæ sit Quantitas secundum dici.

De quantitate in potentia, aut actu primo.

De ultimarum syllabarum quantitate. An ad placitã, an verò secundum dici ipsa sit?

Dominus. Cominus. Virtus. Palus.

Et hic, quia tam in veris Titii, & Iulii, quàm in fictis Aurelii, & Semphronii vestibus locum habet arbitrium:

An, & quo modo ipsa Quãtitas, quæ secundum dici est, à placito & arbitrio dependeat?

trium: ficut enim à placito, & arbitrio dependet, quòd Gallicas, & non Hifpanicas; & Iulius contrà, Hifpanicas, & non Gallicas habeat; fic etiam quod Aurelius, & Semphronius, quos nudos prorfus effe fupponimus, finganetur indui vefte, illum Gallicâ, & hunc Hifpanicâ, provenit ab arbitrio: potuit enim populus nihil fupponere; quoniam in multis Americæ locis incedunt nudi homines, & nemo eos effe veftitos, aut fingit, aut dicit, aut fupponit. Et potuit in noftro cafu populus, ubi voluit Aurelium Gallicè, & Semphronium Hifpanicè effe veftitos fingere, mentiri aliter, & veftem Aurelio Hifpanicam, & Gallicam Semphronio adfingere. Et hinc ad fyllabas, & voces redeo. A diphthongo, & pofitione præfcindendo, ipfis enim connaturale eft fyllabas prolongare, penultima in quacumque dictione apud Latinos femper quantitatem veram habet, ultima fictam habet. Et ficut à populi voluntate, & arbitrio dependet, quod revera corripiatur hæc, & illa revera producatur penultima; fic fimiliter pendet ab ejus placito, quod hanc nos ultimam ex. gr. longam, illamque brevem effe fingamus.

Aliud eft effe & dici nudum, & aliud, effe nudum, & dici veftitum.

Inter indifferentes Controverfafque eft etiam manifeftum difcrimen; quoniam illa fyllaba, quam omnes dicunt corripi, & protrahi poffe, eft indifferens: quando autem

De fyllabis Indifferentibus. Quænam illæ fint?

Grammatici certant, & adhuc fub Iudice lis eft.

quando videlicet, quòd fieri poffe aliqui afferunt, alii negant, illa tunc fyllaba, de cujus quantitate differitur, Controverfa vocatur. De his fyllabarum generibus difputat P. Ioannes Baptifta Ricciolius *in Profodia Reformata part. 2. in fin.* Et ego de Indifferentibus *in Metametrica Apolline Ancipite per tot.* & de Controverfis *ibid. à pag. 98. a.* Vt autem aliquo rem exemplo dilucidem, hunc pono Canonem.

O jubet in recti cenferi fine Latinus
Ancipitem.

In quo vox illa *Latinus* excludit nomina fœminina Græca, ut *Sappho, Alecto, Clio,* &c. & vox *in recti* contrahit legem ad nomina, & obliquos cafus (dativ. & ablat.) excludit. Ergo Nominativi tertiæ declinationis, qui in *o* definunt, habent ultimam indifferentem, ut *ordo, cardo, grando, margo, turbo, virgo,* & id, etfi incrementum longum habeant, ut *erro, balo, odo, umbo, bubo, bufo, carbo, caupo, cento, cerdo, falco, fronto, fullo, gerro, leno, mucro, nafo, pavo, pifo, temo, tyro.* &c. Affero itaque, ultimam in his nominativis indifferentem, non autem controverfam effe, quia admittunt univerfi hunc Canonem; à nullo enim Viro docto negatur.

De Latinis tertia declinationis nominibus, quæ finiuntur in o.

Quanta ipfis fit ultima?

Vt autem aliquam controverfam exhibeam, hunc ego Canonem ex Antonio Nebriffenfi propono.

De fyllabis Controverfis.

Rimus *vel* Ritis *verbum producit ubique.*

Quæ ipfæ fint?

Ita ille *libr. 5. cap. 3.* juxta editionem anni 1568. agens de Indicativi futuro, & de præterito, & futuro Optativi. At in utraque Germaniâ ridetetur, qui *amaverîmus, docuerîmus, legerîmus,* aut *audierîmus* diceret. Hujus ergo fyllabæ quantitas eft controverfa. Quo refpicientes, qui pofteriores Antonii Editiones procurarunt, jam uno jam alio modo Canonem correxerunt: & in libro, quo utor, verfus iftos reperio.

In Amaverîmus, *&* amaveritis, *& fimilibus, quantum fit illud* ti?

Rimus *&* Ritis, *femper producit Iberus;*
Corripit, & Gallus, Germanus, Belga, Polonus.
Tu verò Patria doctum ne fpreveris ufum.



ARTICVLVS IV.

De Tempore universim: & in specie de Grammatico: *Ostendit Præsens non stare, sed fluere: nec non esse Aequivocationes in Tempore; & quæ alibi occurrunt, jam per Tempus Reale, & jam per Grammaticum solvi, orationemq; ad veram sententiam restringi.*

Quid Tempus sit; & ubi reperiatur?



Empus (ait Aristoteles *lib. 4. Physic.*) *est numerus motus, secundum prius & posterius.* Et à S. Thoma 1. *p. qu.* 10. *art. 6.* in diurno Cæli motu primario collocatur. Vtrumq; multis scriptoribus displicet: & inter alios Augustino, qui *lib.* 11. *Confess. cap.* 14. sic scribit. *Quid est Tempus? quis hoc facilè, breviterque dicat? Quid est ergo Tempus? Si nemo ex me quæsierit, scio; si quærenti explicare oportet, jam nescio.* Ecce Augustino Aristotelis definitio non placet; melior alia non occurrit; & ideò respondet Controversiæ per verbum *Nescio*, in quo tanti Doctoris Humilitatem admiramur. Rem in physicâ accuratè exponemus: & idcircò Disputationem à Philosophicâ meditatione subducentes, de illis tantùm, quæ præsens concernunt argumentum tractabimus.

Pulchra, & sincera S. Augustini Resolutio.

De Quamdiu, & Quando.

Duæ sunt Quæstiones, quæ moventur de tempore, quorum per *quamdiu* altera, altera per *quando* formatur. De Priori agit Metrica, quæ syllabas longas breves, & indifferentes metitur: & juxta ejusdem leges duos Articulos, immediatè subsequentes ponemus. De Posteriori breviter impræsentiarum disputabimus.

Temporis divisio.

Quid Præteritum, & quid Futurum sit?

Tempus prout per *Quando* contrahitur, est triplex Præteritum, Præsens, & Futurum. Circa Præteritum, Futurumque nullam habeo difficultatem: benè illa Veteres intellexerunt: Præteritum enim dicitur, quod iam transiit. Futurumq; quod nondum venit. Quid autem erit Tempus Præsens.

De Præsenti.

An sit punctum indivisibile?

Dicunt aliqui, esse unum indivisibile instans, & negant componi Tempus ex instantibus purè indivisibilibus. At contra illos Zenon, & ejus discipuli sic argumentantur.

An Tempus componatur ex instantibus indivisibilibus?

Nihil est præteritum, quod non fuerit aliquando præsens.

Nihil est præsens, quod non sit purè indivisibile.

Ergo Tempus Præteritum componitur ex puris indivisibilibus.

Porrò si Continuum successivum componitur ex solis indivisibilibus, eodem etiam modo Permanens componetur.

Et convertendo ad Futurum oculos: non ab simili modo poterunt argumentari, & dicere.

Quidquid est futurum, aliquando erit præsens.

At quando sit præsens, erit Instans indivisibile.

Ergo Tempus futurum componitur ex indivisibilibus.

An Tempus Præsens fluat?

Cæterùm Peripatetici, qui volunt ingeniosè discurrere, hanc Conclusionem tuentur. *Tempus Præsens, quod adverbio* nunc *significatur, non est, sed fluit: adeoque non debemus asserere illud esse momentum aliquod indivisibile, sed divisibile.*

An in Continuo Puncta sint Entitates negativæ?

Hunc Temporis Præsentis conceptum, quem vix in toto Peripatu reperies, expressit sæpè Iustus Lipsius, *lib.* 2. *Dissert. Physic.* 24. sic enim scribit. *Præsens tempus brevissimum est, adeò ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est; fluit & præcipitatur. Ante desinit esse, quòm venit.* Et certum est, aliquibus nullum videri: nempè illis, qui dicunt, id consistere in puncto, & continuativa puncta in merâ negatione consistere. Verba autem ultima hyperbolica sunt, nec enim, si in rigore loquamur, priùs desinere po-

test

test Tempus, quàm veniat. Sed & scribit ibid. *Fluit assiduè tempus, & nobis effluit: quod unum avariter habere debeamus, & nulla mercede, aut pretio permutare* &c. *Infinita* (valdè magna) *est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus*. &c. *Tempore utendũ est: labitur enim, & fluit: nec fas lapsum unquam revocare.* Consonat Ciceroni, qui pro Marcell. dixerat, *Horæ cedunt* (*fluunt*) *dies, menses, anni. nec præteritum tempus unquam revertitur; nec, quod sequetur, sciri potest*. Ecce semper Lipsius *fluendi* utitur verbo; ut discamus Tempus præsens non esse quod est, aut stat, sed quod fluit. Et hunc ipsum conceptum de tempore habebat Ovidius, qui in Transformationum quinto-decimo cecinit.

Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago:
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Nec secus, ac flumen; neq; enim consistere flumen,
Nec levis hora potest [a] *sed & unda impellitur unda,*
Vrgeturq; eadem, veniens, urgetq; priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur:
Et nova sunt semper: nam quod fuit antè, relictum est.
Fitq; quod haud fuerat; momentaq; cuncta novantur.

a] Tempus fluit, fluunt ejus partes, & nulla consistit, aut stat. Componitur horis dies, & quia ille fluit, hæ non sunt. Hora constat minutis: minutum scrupulis, secundis, tertiis, &c. sine ullo subdivisionis terminos & sicut hora, sic minutum, etiã minutissimum, fluit, non autẽ consistit, aut stat.

P. Georgius de Rhodes *in Philos. lib. 2. disp. 5. qu. unic. S. 2. pag. 238. a.* consonat Ovidio, & sic scribit. [Vna pars (temporis) nunquam, & simul cum aliâ parte: res enim successiva in hoc differt à permanente, quod permanens suas habet partes totas simul existentes; successiva autem non existentes totas simul; neque ullam habeat partem totam simul existentem; sed & tota habeat partes post alias; & singulæ partes habeant partes post alias; id est, sibi succedentes, seu fluentes; hoc enim est existere fluenter. Vnde sapienter dictum est à Boëtio, *quod tempus* (præsens) *continuat eundo vitam, quã non potuit continuare permanendo*. Et Augustinus ait, *quod nos prætereuntia metimur tempora, non præterita*. Quippe verum existere temporis est præterire, incipiendo desinere, & quasi motibus suis vivere; vel potius non nasci, nisi moriendo; hoc enim est existere fluenter. &c.]

Existentia Tẽporis est fluens; est prateriens.

Hæc tria Tempora præsens, præteritũ, & futurũ, quę in imperfecta, perfecta & plusquã perfecta subdividuntur, vocibus (nominibus, verbis; adverbiisq;) significantur: ad Tempus enim pertinent ista nomina, *Æuũ, Sæculum, Lustrũ, Olympias, Annus, Mensis, Hebdomas, Dies, Hora*. &c. & etiam ad Tempus hæc verborum personæ, *Amaveram, amavi, amabam, amo, amabo, amavero*. &c. *Docueram, docui, docebam, doceo, docebo, docuero*. &c. & denique hæc adverbia. *Olim, nudiustertius, heri, hodie, cras, perindie*. &c.

Tempus nominibus, verbis adverbiis, &c. significatur.

Differentia inter Nomen & Verbum non semper intellecta à Grammaticis hæc est; quod nomen *est vox, quæ sine tempore quidpiam significat*, & Verbum, *est vox, quæ actionem significat cum tempore*. Et attende: aliud enim est *tempus*, & aliud *cum tempore* significare: hic enim plurimi adlucinantur.

Quo modo à Nomine Verbũ differat?

Etiam (1) in Tempore Æquivocationes inveniuntur; etiam repertæ in oratione, aut per (2) reale tempus, in quo res accidit; aut per (3) grammaticum temporis modum, qui in contextu invenitur tolluntur. Quæ tria tribus exemplis illustrabo.

De Temporis æquivocationibus.
Qualiter auferantur?

SErò vox est æquivoca: nam Primò significat *vesperè*, hoc est, ante Solis occasum, non autem post occasum, ut interpretatur Passeratius. Secundoque significat *tardè*. Et primam illam acceptionem, & veram, & primariam esse *lib. 4.* inquit Valla: & ad illam spectant illa Plautina verba, S. *Serè advenimus.* A. *Qui?* S. *Quia. Alcmenam stare ante Ædes saturam intelligo.* (id est post prandium) & illa Ciceroniana. *Eloquentia serò prodiit in lucem*. Et ad hanc (posteriorem) illa ejusdem, *Eo die alter Consul venit serò*: (hoc est, tardiùs.) Et his præmissis hoc Apophthegma proderit considerare.

Quid significet Serò?

Plautus in Amph. Cicero de Clar. Orat. Et lib. 4. ad Attic.

Accusator Milonis, ut ostenderet structas Clodio insidias, Milonemq; qui dicebatur fuisse invasus, & eum inculpatæ tutelæ moderamine aggressorem necasse, perfidè processisse, subinde Ciceronem rogabat, Quo tempore Clodius occisus esset? & unico verbo illi, & universis satisfecit Cicero dicens, *Serò*. Erasmus lib. 3. apophth.

De Cæde Clodii.

Quando interfectus fuerit?

Et in eo est Responsionis festivitas,

Quid innuat Cicero dicens, illum occisum fuisse serò?

tas, quod unicam rem interroganti, duo, & appositissimè respondeat Cicero. Alterum Clodium *occisum fuisse serò* (hoc est, vesperè.) Alterum *occisum fuisse serò* (hoc est, tardius, quàm debuisset: quoniam è Republicâ futurum esset, si multò ille antè fuisset interfectus.

De Charta Charitatis. Sic Cistercienses primas illas Constitutiones nominant, quas sub initium præscripserūt Cistercii, & post Sanctam ab universis Regulam voluerunt observari.

Aliud exemplum addo. Ob diversas Theologorum interpretationes de vero Charitatis Chartæ sensu in Cisterciensi Ordine disputabatur: &, ut sedarentur discordiæ, ab Apostolicâ Sede emanavit Constitutio, quæ incipit. *Clemens Episcopus, Servus servorum Dei. ad perpetuam rei memoriam. Parvus fons, qui crevit in fluvium.* &c. Et definit. *Datum Perusii quinto Idus Iunii: Pontificatus nostri* (anno) *primo*. Sed quis fuit hic Clemens, qui hoc Diploma, expedivit?

Dabit Annus. Constat enim datum id fuisse anno Domini 1265. & Cisterciensis Ordinis 167.

Quœnam sit ille Clemens, qui Apostolica authoritate illam interpretatur.

Qualis fuerit?

Modò, si placet, D. Iulianum Paris audiamus. quoniam in Cisterciensi Nomastico, edito Parisiis ann. 1664. *pag.* 465. sic inquit. *Guido Grossus, patriâ Narbonensis, ex Archiepiscopo Narbonensi S. Sabinæ Cardinalis, Vrbano IV. sub nomine Clementis IV. successit* 8. *Febr. anno Domini* 1265. Clemens igitur Quartus fuit, qui Cisterciensem Ordinem hac Constitutione ad tranquillitatem reduxit. Vnde idem D. Iulianus subjungit, *Eodemque anno quinto Idus Iunii primas Apostolatus sui curas Ordini Cisterciensi inter discordias periclitanti consecravit*. De illo apud Genebrardum hæc lego. *Clemens IV. Narbonensis* (sedet) *ann.* 3. *& dies* 21. *Optimus Pontifex: Vir nempe sanctæ Conversationis, & Prophetico spiritu (ut dicebatur) illustratus*. Chronic. Hirsaug. *Bonu Ecclesia optimè dispensavit. Cùm duas filias ex uxore, mortuâ ante Pontificatum, suscepisset, uni in monasterio collocatu 30. tantùm libras dedit; alteri 300. libras dotis nomine. Clerico nepoti tres prœbendas habenti duas abstulit, se dicens Deo, non carni, & sanguini velle adquiescere*.

Quæ dona posse facere Pontifex?

An Clericus habere possit plures præbendas?

Quomodo S. Matthias in Apostolum electus fuerit?

Propono, & tertium. Actuum Apostolorum cap. 1. agitur de electione duodecimi (nam hic in Apostolatu locus ob perfidiam, & sceleratam mortem Iudæ erat vacans) & quia ex discipulis Domini per voces elegerant duos, & per sortem unum è duobus istis, his verbis totam rem Sacer Historiographus explicat. *Et statuerunt duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus; & Matthiam. Et orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere sortem Ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum. Et dederunt* [*] *sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam: & adnumeratus est cum undecim Apostolis*. Et circa illa verba, *Vt abiret in locum suum*, Lectores dubitant, de quo dicantur. Vter (Matthias, aut Iudas) iturus fuerit in locum suum? &, quid *loci sui* nomine intelligatur? D. Isidorus Clarius Cassinas. *Illis verbis* in locum suum, *si ad Iudam referas, videtur* (Petrus; is enim est, qui loquitur) *intelligere laqueum; quo se dignum judicavit ob proditionem: sin ad Matthiam, intellige* (lege, *intelligere*) *Episcopatum, cui* (in quo) *successit*.

*] Aliquando Electio per sortes execrabilis est, & aliquando necessaria & laudanda. Sanè si digni & indigni simul in urnam missi, scelerata sunt sortes, quoniā indignis ad Prælaturas viā aperiunt. Cæterùm si sint viri dignissimi inter quos nō facile melior possit dignosci ad sortes sine culpa recurritur.

An in Latinis verbis sit æquivocatio?

Ego autem in verbis Latinis nullam æquivocationem reperio; quoniam illa, *De quo* (Apostolatu) *prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Iudam in arborem, & laqueum mittunt; nam si voluisset Petrus *loci* nomine intelligere Episcopatum, & Apostolatum dixisset *De quo* (Apostolatu) *prævaricatus est Iudas, ut abeat in locum ejus*. Debuisset ergo & vocem *suum* in vocem *ejus* vertere; nec non mutare in verbo *abire* tempus, si illud non à Iudâ, sed à Matthiâ voluisset regi.

An ulla in Græcis?

Sed nec Græcus Textus aliquam patitur æquivocationem, sic enim habet: ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. *Ex quo Iudas aberravit abire in locū proprium*. Nam, ut conspicis, verbum *παρέβη, aberravit* regit infinitivum: & de solo Iuda potest intelligi.

ARTICVLVS V.

De Poëtico tempore universim; *Et in specie de luce, quæ ex syllabarum Quantitate desumitur.*

Cum quantitate interdum mutatur Casus nominis, aut etiam Significatio.



SÆPE, quæ incerta essent in Prosâ, sunt certa in Versu; quoniam interdum syllabarū Græcarum, & Latinarum Quantitas significationem vocum mutat. Apollo Anceps in nostra Metametrica fusè differit de Indifferentibus: & *pag. 76. b. num.* 135. de dictionibus, in quibus significationis alteratio à variatione Quantitatis dependet: & postea *pag.* 101.*a.nu.*147. Tabulam copiosiorem producit. Hæc variatio accidere solet in materiâ, & in formâ. In materiâ, quando ipsa Recta differunt: in forma, quando est in obliquis discrimen.

Vt ergo aliquid de variatione materiali præmittam, versus istos propono.

De vocibus Clarus, & Claros.

Roma dedit Claros Marti generosa triumphos;
Et Claros extemplò decrevit Apollini honores.

Et inquiro, An sicut triumphos claros Roma Marti triumphos dedit, sic & claros triumphos ipsa Phœbo decreverit? In prosa esset æquivocatio: cessat in versu nam *clarus,a,um,* habet *cla* longum. Virgilius Æneid. 1.

Prima in illo protrahitur, in hoc corripitur, & tamen auris differentiam non percipit.

Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit.

& *Claros* in posteriori versu habet *cla* breve. Quid autem hæc vox importat, quando primam abbreviat? Sanè *Claros*, Græcè Κλάρος est Ioniæ Civitas, Apollinis Oraculo condecorata: & est in mari Myrtoo Insula eidem numini sacra. Et de alterutra intelligi potest illud Ovidii Metamorph. lib. 1.

Κλάρος insula & urbs

—— *Mihi Delphica tellus,*
Et Claros, & Tenedos, Pataraque Regia servit.

Hinc, & Apollo *Clarius* dicitur. Ovidius lib. 2. de Art.

Apollo Clarius. Plinius lib. 2. cap. 103.

Logica Moralis.

Et Paros, & Clario Delos amata Deo.

In secundo ergo versu *Claros* non est nomen activum, quod vocem *honores* afficiat: sed est substantivum, & significat illam Civitatem, aut Insulam, quæ Apollini honores decrevit.

Progrediamur ulteriùs, & aliqua de variatione formali. quæ ab inflexione próvenit, subjungamus. Sanè *Musa*, si ultimæ syllabæ nesciatur quantitas nomen incerti casus est, eodem enim modo profertur, in Nomin. Vocat. & ablativo. Cessat autē in versu Æquivocatio. Considera lineas sequentes.

De variatione Casuum. Ratio Metrica tollit æquivocationem.

Huc properet blandi genialis Musa Tibulli. 122
Vita verecunda est, Mus jocosa mihi,
Musa mihi causas memora, quo Numine læso.
Ad Libethraas Musa redibis aquas.
Qua canat inter opus Musa modulante putatur.
Invita Musa pangere nemo potest.

Proponuntur exempla.

In ipsis nullam habet vocabulum *Musa* incertitudinem: in primo enim & secundo versu (quorum ille est Baptistæ Pii, & hic Ovidii *libr. 2. Trist.*) ultimæ syllabæ correptio, & verbum in tertia persona positum vocem *Musa* ait, esse in Nominativo. In tertio (è Virgilii *Æneide prima* sumpto) & ejusdem syllabæ brevitas, & verbum in secunda persona positum, Vocativum indigitant. Et in quinto Ablativum cognosco, quia ibi à Columella syllaba secunda producitur.

Vocis Musa in casibus diversa quantitas.

Venimus, aut præsentis, aut præteriti est: nam, si constituat pedem dactylum (-uu) est præteriti; præsentis autem si amphibrachum (u-u) Cæterùm in Metro cessat Æquivocatio: In hoc enim Retrogrado,

De syllabarum in voce venimus mensura

Venimus, alme Pater, Romam Pater alme venimus.

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater.

Placet adhuc alium versum ex eâdem secundâ Eclogâ Virgilii subjungere.

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

De vocibus frondosa, & semiputata.

Et utra hic *frondosa*, & utra *semiputata* dicitur, ulmus, an vitis? Ratio Carminis postulat, ut epithetum *semiputata* viti, & epithetum *frondosa* ulmo adhæreat.

Eclogâ posteà tertiâ exclamabat Menalcas,

Virgilius [corrigitur, aut restituitur.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit?

Et putarem illud, *aut* irrepsisse Exscriptorum incuriâ, libentius enim legererem *An ne*. Præterea illud *juncta* posset cum fistulâ, & cum cerâ conjungi; nisi syllabæ modulus (nam in *fistula*, & *juncta* ultima brevis est) controversiam dirimeret.

Certamine inito inter Menalcam & Dametam de Cantu, ait Palæmon

Incipe Damœta, tu deinde sequere Menalca.

De ultima vocativi primæ Declinationis. Apud Latinos, & Græcos quænam sint.

Et tu nomina illa propria *Damœta* & *Menalca* consideras, & in quo illa casu constituantur, interrogas. Sanè hujusmodi nomina, aut sunt Græca Δαμοίτας, τξ, & Μενάλκας, κȣ, aut sunt donata Latio, & ut *Cometa*, *Planeta*, aut *Adria*, per primam Latinorum declinationem inflectuntur. Et sensus postulat, ut *Menalca* in vocativo constituatur; at lex Prosodiæ nihil definit, quoniam ultima carminis, brevis esse potest, aut longa. Alteram autem vocem esse Græcam, & modulo Græco mensurari, & esse in vocativo, certum est: ibi enim A in fine more Græco producitur, quod Latino corriperetur. Iacobus Gretserus de ultimis syllabis num. 5. *A. longum est in Vocativo primæ simplicium nominum in as.*

Prima versus quanta sit?

De vocibus sequêre, & séquere.

Pergis ulteriùs; & ad illud *sequere* convertis oculos, & ad quem modum pertineat, rescire cupis. Quoniam verbum *Sequor*, in Indicativi præsenti habet *séqueris*, vel *séquere*; & in futuro *sequêris*, vel *sequêre*. Et postea in Imperativo, *séquere*, vel *séquitor*. Respondet Metrum, secundam in *sequêre* à Virgilio produci, & hanc ob rem ad tempus futurum spectare. Et hinc con-

verteris ad Evangelium oculos, & quia *Ioann.* 21. 21. legis. *Hunc Discipulum, quem diligebat Iesus) igitur videns Petrus, dicit Iesu. Domine: hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu sequere me.* Interrogas Primò, An *si*, an verò *sic* legendum sit? & Secundò; An illud *sequere* Imperativi sit, an verò Futuri Indicativi? quod est quærere, quomodo proferendum sit? anne prima, in ipso acuenda sit, an altera circumflectenda? adeoque, An *Tu me séquere*. An potiùs, *Tu me sequêre*, hoc est, *Tu me sequêris*, sit dicendum? Respondeo, cùm non juvemur Metro, debere nos ad Textum ipsum Græcum, ad Versiones Interpretum, & Expositorum Commentarios recurrere. Biblia, quæ Isidorus Clarius, Monachus Cassinensis anno 1564. Venetiis edidit apud Iunctas, non *sic* habent, sed *si*: & hoc Scholio hanc Lectionem dilucidant. [In tota hac narratione, & colloquutione cum Petro, morem suum servat Dominus, dum subobscurè prædicit, quæ sunt futura. Et vide mirum dicendi modum, cùm cinctionem introducit, & Iuvenis, & Senis; qui modus præ se fert summam Domini in loquendo humanitatem. Sic, quemadmodum, & illud *Sequere me*, ancipitem habet significationem [*] ita quod addit, *Si eum volo manere*. &c. suspensos tenuit Discipulos, quem sensum verba illa haberent. Quod nec Evangelista ipse voluit explicare, nisi quatenus Dominus non dixerit, *eum non mori*. Quòd cùm ipse apertiùs facere noluerit, hoc ipso contenti esse debemus. Opinari tamen licet, Dominum significasse, non illum martyrio finiendum, sed velle illum tamdiù morari in vita, donec eum ipse evocaret. &c.] Biblia, quibus utebatur Arias Montanus, cùm Novum Testamentum recensuit, expressè habebant *si*, & non *sic*. Quoniam in Græco legitur, Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι τί πρὸς σέ; σὺ ἀκολούθει μοι. *Dicit ei Iesus. Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu séquere me.* Nihilominùs ex inadvertentiâ, & incuriâ in multa Bibliorum exempla, & ex illis in multa Missalia, & Breviaria illud *sic* pro *si* irrepsisse videtur.

Evangelii Lectio examinatur.

An vox sequere in prima, an in secunda accentû habeat?

An, & cur Christus subobscurè loquatur? 123

*] Quoniam, ut dicebamus, est Imperativi *séquere*, aut futuri *sequêre*.

An Ioannem non esse moriturum dixerit Dominus noster Iesus-Christus?

In quarta Ecloga, quæ inscribitur *Pollio*, ait Poëta.

Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras!

Et quid siquis velit vestigia esse perpetua, & formidinem irritam? Damnabit illum ratio Carminis, quæ in nominandi casu *irrita*, & in auferendi casu *perpetua* collocat.

Rèddimus. Redîmus. Redimimus. Redimîmus. Lego, as. Lex, gis. Lego, gis.

Et sic etiam multæ aliæ sunt in mensurâ Nominum, & verborum discrimina; nam *reddimus* à *reddo* habet duplex *d*, & *i* breve: *redîmus* à *redeo* habet simplex *d*, & *i* longũ. Sic etiam *redimimus* à *redimo* habet *mi* brevẽ; & à *redimio*, *mi* longũ. Verbum *lego*, *is* habet primam brevem, & *lego*, *as*. longam. Vox *legas*, si Subjunctivi sit (*legam, as, at*) habet *le* breve: si Indicativi (*lego, as, at*) habet *le* longum. Et voces *legis*, *leges*, si sint nomina, provenient à *lex*, *legis*, & protrahent primam: si autem sint verba, orientur ex *lego, is, it*, *legam*, *es*, *et*, & syllabam primam corripient.

Lego in Martialis libr. 6.

Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi.

De vocibus cècidi, & cecîdi.

Et quia Cado habet in prætterito *cècidi*, & Caido *cecîdi*, quæri potest, ab utro (*cado*, an *cædo*) ultima dictio dati versus proveniat.

Respondeo ex sensu esse à *cædo*, quoniam activè sumitur, & *cædo* non est verbum activum.

Respondeo etiam ex metro esse à *cado*, quoniam penultima Heroici versus syllaba esse debet longa, & tamen in *cècidi* à *cado* corripitur.

P. Hyacinthus Abengozar laudatus.

In epistola IV. Reverendissimo Patri Hyacintho Abengozario, Cisterciensis Ordinis Procuratori Generali (Viro profectò Magno, quem ante diem Parcæ abstulerunt,) inscriptâ, quæ *in nostra Theolog. Fundam. libr. 2. pag. 654. num. 2203.* legitur, & Dialexi de causis Realibus, & Moralibus præmittitur, hos versus ex libro Transfigurationum desumpsi:

'Ovid. lib. 10. Metam.

Duret in hoc avè: celebrandaq; more Priorum.
Annua prælata redeant Hyacinthia pompâ. (*)

*) Erant *Hyacinthia* asferente Hieronymo, Sacra quædam à Lacedæmoniis instituta ad honorem Hyacinthi.

Et ex verbo illo *redeant* colligis *Hyacinthia* esse in Nominativo, & *pompâ* in ablativo: illa enim redire cum pompâ dicuntur. At de nominibus *celebranda*, *annua*, & *prælata* moveri dubium poterit, An-ne *Hyacinthia*, an potiùs *pompam* concernant? Quæstionem Metricæ manifestè decidit, quoniam ultimæ syllabæ brevitas epitheta *celebranda*, & *annua* nomini *Hyacinthia*: & longitudo epitheti *prælata* nomini *pompâ* accensere debebit.

Æneidos libro primo, ut canit Virgilius

Anna refert. O luce magis dilecta sorori,
Sola-ne perpetuâ mœrens carpere juventa?

De ultima versus syllaba.

Ratio carminis postulat, ut in vocibus *Anna*, *dilecta*, & *sola*, ultima corripiatur: ergo in nominandi casu sunt. De *juventa* nihil possum definire ex metro, nam cujuscumque versus ultimus locus est (a) indifferens. Cæterùm, quia epithetum quod illam afficit (nempè, *perpetua*) ultimam circumflectit, & protrahit, assero utramque (*juventa*, & *perpetua*) in ablativo constitui. Et tandem superest vox *carpere*. Porrò *carpo* habet in infinitivo activo *càrpere*: in præsenti passivo, *carpor*, *carperis*, vel *carpere*, & in fut. *carpar*, *carpêris*, vel *carpêre*. At jubet metrum, ut secunda sit longa. Ergo *carpêre* lego; & esse secund. pers. fut. pass. pronuncio.

De Nominativo, & Ablativo primæ Declinationis.

a) Est Grammaticum Dogma, quod docet ultimam in quocumque versu syllabam indifferentem esse. Mollerius.

De ultima versuum syllaba. An sit indifferens.

Cujuscumque anceps est ultima syllaba versus.

Pro quo in suis Iambicis scripsit Bernavellius,

Cujuslibet nam carminis
Indifferens est ultima.

Et hæc doctrina est manifesta æquivocatio, & ut illam auferrem *locum* dixi, non *syllabam*, non enim locus ille petit indifferentem syllabam, nam pleræque omnes, quæ apud Virgilium, Ovidium, & alios Poetas versus terminant determinatè breves, aut determinatè longæ sunt. Sed locus est indifferens, nam postulat longam, vel brevem. Rem exemplo dilucido. Ecloga IV. Virgilius concinit.

Hæc mea doctrina est omnium; sed tamen corrigun-tur, quoniam loquuntur perperam, ubi nõ sentiunt male.

Sicelides Musæ paulò majora canamus:
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.

Vltima primi carminis est *mus*; brevis, & non indifferens: secundi ultima est *cæ*; longa, & non indifferens, locus autem ultimus est indifferens, nam potest recipere alterutram. Et hanc ob rem in nostra Metametrica præter alias Poeticas quantitatum Notas has proposui. [υ. —. o. ϖ. . ϖ] quarum prima brevem; secunda longam; tertia indifferentem; quarta unam longam, aut brevem; & ultima unam longam, aut duas breves significat. Vnde proscripto inutili Pedum Poeticorum apparatu, Idea Hexametri est hæc

Metrici characteres, qui syllabarum quantitates secernũt

- ϖ - ϖ - | ϖ - ϖ - υυ - ϖ |

Excluditur velut inutilis doctrina vulgata, & communis de Pedibus: & alio modo Carminũ idea figuratur.

Pentametri autem hæc

Pen-

˘ - ˘ - |- ˘˘ - ˘˘ | ˘ |

Et quaternarius Iambicus per has Notas decurret

˘ - ˘ - ˘ - ˘ ˘

Et senarius per istas

˘ - ˘ - ˘ - ˘ - ˘ - ˘ ˘

Qui pingendi Ideas Metricas Modus clarissimus, & facillimus est vacillantiaque studiosæ Iuventutis Ingenia à numerosa pedum colluvione subducit

Dentur-ne syllaba inter longas, & breves media? An, & ba sint, qua Indifferentes nominentur?

Petis, *An syllaba, quas dicimus* Indifferentes *sint media?* hoc est, *Verum, ubi* Brevis *unum tempus, & Longa duo*, Indifferens *semitempus impendat?* Videretur quod sic: nam apud Hebreos syllabæ Mediæ reperiuntur. Ergo & reperiri apud Latinos poterunt: Quia natura humana apud gentes universas est eadem. Suadetur Antecedens, quam P. Ludovicus à Sancto Francisco in sua Hebraica Grammatica, quam *Canonum, & Arcanorum Lingua Sancta Globum* inscripsit, *lib. 9. cap. 3. pag. 701.* sic statuit *Tempus etiam triplex est: Breve, Longum, & Medium. Tempus longum cognoscitur. &c. Tempus breve habet in ultima accentum ministrum. &c. Tempus autem medium reperitur in principio. &c.*

Quid pronunciant Hebrai?

Respondeo in hoc argumento Principium peti, remque difficilem obscuramque per difficiliorem, & obscuriorem suaderi, & confirmari: omnia enim, quæ de Hebræorum Veterum Poesi dicuntur incerta sunt: aut etiam falsa, si credimus Eliæ Levitæ, qui in *Masoreth* Carmina illa Moyseos, quæ Deuter. 31. leguntur, nulla Poeseos lege constare existimat, nec ullas olim apud Hebræos Metrorum leges extitisse; & generaliter loquendo, totam legem in uno פסוק *pasuque* contentam fuisse; adeoque versum hanc distinctionem, quæ ex sensu sumpta, & in editionibus novitiis invenitur, Veteres ignorasse.

An in Sacra Pagina sint carmina?

Ignotum per ignotius probari nequit.

Ergo elumbe est ratiocinium, quod ex Hebraica Lingua ad Latinam procedit.

ARTICVLVS VI.

Iterum de Poetico Tempore. *Nec non de Significatione, quæ ex syllabarum Quantitate innotescit.*

Quid lapsus calami nomine intelligatur?



Dlucinantur sæpè, qui exscribunt, & errores hujusmodi *lapsus calami* appellant; & hanc ob rem variæ sunt lectiones in Classicorum libris: quæ præbent occasionem Eruditis hominibus, ut examinent, Vtra sit vera lectio? utra commentitia, & spuria? in iis profectò libris, qui scripti sunt oratione soluta, valdè est difficile lectionem veram ab spuria ex contextu discernere, & tunc præcipuè, si ex neutra inferatur absurdum. In eis autem, qui scripti sunt oratione ligata, est multò facilior Restitutio. Rem exemplis clarissimis dilucidemus.

Cur sint varia lectiones?

De forma Baptismi apud Græcos.

In Eugenii Decreto præscribitur Forma, quâ Græci utuntur in Baptismo. Legitur *Baptizetur* in corpore, & *Baptizatur* in margine. Erat ergo tertia vocalis in Protocolo dubia, & ideò Exscriptor utramque lectionem adscripsit. Sed utra est vera? Si stemus rationi, non occurrit motivum, ob quod alteram condemnare possimus. Christus fuit Dominus, & potuit verba, quæ voluisset instituere, & requirere. Est quæstio facti: &, ideò tantummodò, quid fecerit, investigatur. Et hoc non constat ex Eugenii Decreto. Hinc Theologi utramque formam judicarunt probabilem: illam tamen, quam videbant in corpore, alteri, quæ margini adscribebatur, prætulerunt. Vnde Antonius Cotonius *in summ. verb. Baptismus nu. 28.* sic scribit [*Forma verò Græcorum debet esse hæc*, Baptizetur, *& non* Baptizatur. *Tamen utraque est vera forma.*] Diana *part. 10. tract. 16. resol. 92. & 97.* Vasquez *in 3. part. disp. 145. cap. 3.* & alii. Nota illud *debet* & illud vera. Igitur Græcum formâ Latinâ, & Latinum Græcâ, validè, sed illicitè baptizari asseverat.

An per Indicativum, an verò per Subjunctivum proferatur?

De Florentino Concilio. Quando? sub quo? & à quibus fuerit celebratum?

Inchoatum fuit hoc Concilium Ferrariæ V. Idus Aprilis ann. M.CD.XXXVIII. sed inde peste ingruente translatum fuit Florentiam. Interfuerunt Eugenius IV. (qui electus fuerat ann. 1431.) Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus (qui teste Chalcond. lib. 8. Florentię obiit) & Ioannes Paleologus [ ] Orientis Imperator, & plurimi utriusq; Nationis Prælati. Et inde ad nostrum tempus *Baptizetur* esse Græcorum formam, universi supponunt. Sed Nos ex ipsis Græcorum libris ostendimus Latinos Historiographus, &

cum

tum illis Theologos ob linguæ Græcæ ignorationem adlucinari: illi enim, quando infantem abluunt, dicunt Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. &c. *Baptizatur servus Dei* &c. Ergo in Eugenii Decreto *Baptizatur*, & non *Baptizetur* legendum est. Vide nostram Theol. Fundam. fund. 64. num. 3044. pag. 71. & 72. ubi, & leges, *Nec ego sum solus, aut primus, qui Græcum Rituale recognovi; Græcos enim* Baptizatur, *&* non Baptizetur *dicere*, *Lugo* de Sacrament. in genere disp. . num. 4. *Fillincius* tract. 2. cap. 3. num. 42. *& alii viri docti testantur*.

Non mutatur sensus, si manenti activa in passivam vertatur: namque hæ coincidunt. Ego amo Deũ, *&* Deus amatur à me.

Ecce quanto molimine Veritatem inveni, & tamen sunt, & erunt, quibus adhuc error inveteratus placeat.

De Baptismo. Quomodo debeat administrari? An, & quando per immersionem?

Aliquando etiam in prosâ error ex contextu non ita difficulter percipitur; quoniam in Dianæ summâ, concinatâ à Cotonio, verb. Baptismus num. 28. juxta Editionem Lugdunensem anni 1654. prostat marginalis hæc Nota *Cùm verò potest servandus est modus Absolutionis in singulis Ecclesiis usitatus; etiam per immersionem*. Et quia ibi non de Pœnitentiæ, sed de Baptismi Sacramento differitur, & quia non datur per immersionem Absolutio, manifestè colligitur esse typographicã πλάνην, & *Absolutionis* loco debere *Ablutionis* reponi.

Qualis fuerit Socrates tantopere à Platone laudatus?

In epithetis Ioannis Ravisii Textoris verb. Socrates pag. 645. hæc invenio. [ACTAEVS. Laurentius Lippus.

Rusticè latiferam moneo vitare cicutam
Sustulit Actæum dita cicuta senem.

Lege attentè, & hinc collige extra Ecclesiam Catholicam vix esse Virtutes sinceras.

VIOLENTVS. Theodoritus Cyrenensis. *Ajunt enim Socratem*, inquit, *à vespera totus noctes inter meri copula protraxisse; aliisque jam defessis somnumque appetentibus ipsum tamen insomnem ad cyathos persitisse, garrula inter potandum loquacitate diffusum; nihil tamen effutum, quod frugi esset; verùm quod Alcibiadi potiùs, & Aristophani, & aliique procacibus convivis, atque portatoribus, quàm Philosopho homini conveniret*. CONTVMAX. Idem. *Primùm enim ajunt, eum perpetuò contumacem contra patrem fuisse quoties enim cumque à patre juberetur, ut instrum. artus in manus sumeret, adversari solitum esse, contemptoque patris jussu, li enter, quocumque licuisset, abertasse.*

Et tot sunt in paucis lineis menda, ut mirari debeas Typothetæ socordiam; interim errores manifesti sunt hi,

DELE.	Rescribe.
Letiferam	Lethiferam [*]
dita cicuta	dira cicuta
Violentus	Vinolentus
meri copula	meri pocula
& aliique	& aliisque
portatoribus	potatoribus
instrum. artus	instrum. Artis
licuisset	libuisset
abertasse	aberrasse.

*] Scio in voce *Lethum* Criticos non convenire. Festus, & Varro per *th* illud scribit, quia deducit à λήθη. Priscianus verbũ antiquum *Leo* (unde nunc *Deleo*) in supino *Letum* habere ait Apulejus scrib. jubet *Lætum*, & à *luo* deduci. Alii demque per antiphrasin *Latum* scribi volunt, quod lætum non sit.

Multò faciliùs in Carminibus errores calami, aut typi cognoscuntur; nam leges Metricæ monent quantæ esse debeant in singulis pedibus syllabæ. Sequentia id exempla persuadent. In Textoris Epithetis (Venetiis apud Sarzinam anno 1613. editis) verb. Musæ. pag 469. ait Sidonius

Hippocronisatas jungebat Pegasus alias.

Pegasus. An hippocrenisatas alas habeat? Sed quæ, & quales hippocrenisata ala sint, deberet explicare Sidonius.

at illum non *alias*, sed *alas* scripsisse certum est: nam ibi non ∪∪ anapestus, sed - - spondeus admitti potest.

Pag. 542. hic Ovidii versus ex tertio de Ponto producitur.

Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetras.

& quæris, Legendum-ne sit *pharetra*, an *pharetras*? & utrum pharetra, an verò tela sint Scythica? Respondeo vocem *Scythicá* esse in casu auferendi num. sing. & ideò habere ultimam longam, & circumflexam, & vocem *pharetra*, in eodem casu, & numero positam debere afficere.

A. in fine Nominativi primæ declinationis corripitur: Et in fine Ablativi producitur, & circumflectitur.

In Æneid. 5. pag. 221. Virgilii anno 1605. impressi apud Sessas sic exclamat Cloanthus,

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras, voti reus; exstatque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

In versu ultimo (nam juvat incipere à fine) illud *porriciam* debet obliterari, & *projiciam* scribi. In tertio, nisi deleatur illud *exstatq;* nec sensus, nec metrum stat: lege igitur, *extaque salsos Projiciam in fluctus.*

ftat. Et tandem in lineâ secundâ ratio carminis postulat, ut *candentem* legatur: & firmat lectionem Ethnicorum Theologia, quæ superis candidos, & Inferis nigros juvencos immolabat. Libro Æneidos nono candidas animantes offerens Iovem orat, & adorat Ascanius.

Albas hostias Superis nigras Inferis Veteres immolabant.

Iuppiter Omnipotens audacibus adnue cæptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem
Iam cornu petat, & pedibus, qui spargat arenam.

Et in anniversaria funeris solennitate Æneid. libr. 5. non jam candidas, sed nigras hostias Æneas immolat.

Incertus Genium-ne loci, Famulum-ne Parentis
Esse putet, cadit quinas de more bidentes,
Totq; sues, totidem nigrantes terga juvencos,
Vinaque fundebat pateris [*] animamque vocabat.

*] Illud *pateris* non esse à *patior* erit præter sensum et am ultimæ syllabæ longitudo persuadet.

Cujus autem coloris Numini ambiguo, aut amphibio, quod utrobique (in Cælo, & Inferno regnatet? [Et quidem talia inveniri Numina certum est: Luna enim, Diana, Trivia, & Proserpina, sunt plura ejusdem Divæ nomina; quæ enim in Cælo est Luna, in montibus Diana, in itineribus Trivia, & in inferis nominatur Proserpina.] Sacrificantium in illo casu votum colorem pecudum determinabat. Descensura cum Æneâ ad infernum Sybilla.

De Dijs amphibijs: qui æquè Cælestibus, & subterraneis præsident.

Virgilius Æneid. 6.

Qualis hostia Hecatæ fuerint Sacrificata?

Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina Sacerdos: &c.
Voce vocans Hecatem, Cæloq; Ereboque potentem.

Præterea *libr*. 8. in illis Evandri verbis

Quare agite ô Iuvenes tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.

De voce dextris.

occurrunt duo ultima verba, quæ requirunt examen. De ultimo nullum est dubium: nec enim talem casum in voce *dextera* cognoscit Latinæ Linguæ Grammatica, nec eò Metrica spondeî loco patitur protrudi monosyllabam. In penultimo hærere Orator posset, & *porrigite* diceret: at sciunt Poëtæ dactylum non posse habere quatuor syllabas: Virgilius igitur usus est syncope, & scripsit

porgite, & non *porrigite*.

In Octolingui Calepino, Lugduni anno 1634. Iacobi Cordonis expensis edito. verbo *Hyacinthus* ait Ovidius *lib*. 13. *Metamorph*.

Quid sit & significet [illegible] te?

Hyacinthus flos est, in cujus omnibus foliis prospectantur literæ αι quæ dolentis interjectionem exprimunt, aut Ajacem significant,

Litera communis mediis puerique, virique
Inscripta est foliis, hac hominis, illa querela:

Et fortè nemo mendum, si esset prosa, perciperet: at, quia Carmina Hexametra petunt specialem mensuram, vocem *hominis*, quæ primam in brevem habet, oblitero, & vocem *nominis*, quæ primam protrahit, ejus loco substituo.

Anno Christi 1516. Iacobus Huguetan Parisiis Metamorphoseon libros edidit, & Ovidii Nasonis vitam, qui illos scripserat, præmisit. 125
Ibi, ut probet illum vini fuisse parcissimum, adducit ex libris de Ponto istud Distichum.

De eximia sobrietate Ovidii

Non hac in modico contraxi damna Lyæo,
Scis mihi quàm purè benè bibantur aqua.

Et in illo duo menda castigo. Primò enim sensus jubet, ut illud *in modico* vertatur in *immodico* vinum enim, ubi moderatè haurîtur, est innocens. Secundò illud *bene* male esse positum probat Carminis ratio, nam ibi requiritur (- ᴗ ᴗ) Dactylus: & *bene tibi* sunt (ᴗ ᴗ ᴗ) tres breves. Deleo igitur *bene*, & pono *pene*, in quo prima producitur: quoniam Virgilianus ait Lycidas.

Vnum modicum prodest.

De vocum bene, & pene quantitate.

Virgilius Ecl. 2.

Pene simul tecum solatia rapta Menalca.

In Editione Veneta anni 1605. typos Revisor summa negligentia correxit. Octavo Æneidos lego.

Olli per dumos quà proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedant putrem sonitu quatit ungula campum.

Vt Ennii phrasim exprimat, & rationem antiquitatis habeat Virgilius, *olli* pro *illi*, & *ollis* pro *illis* posuit: hoc bis tantummodò, sed illud pluries. M. Fabius libr. 8. *Cùm sint*

autem

[*] *Propria* hic non dicuntur nomina singularia personarum, aut individuorum propria, quæ appellativis opponuntur: sed, quæ sunt Linguæ Latinæ propria, & non ficta, aut aliunde desumpta.

autem verba propria, ficta, translata; propriis [*] *dignitatem dat antiquitas: namque, & sanctiorem, & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus: eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unicè, & usus.* Olli *enim, &* Quia nam, *&* Mi, *&* Pone *pellucent ad aspergendam illam, qua etiam in picturis esi gravissima, vetustatis inimitabilem Arti authoritatem, sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda.*

Proxima, & *meta* in nominandi casu sunt; quoniam corripiunt ultimas.

Agmine facto, & non *fracto* legendum: nondum enim erat cum hostibus pugnatum.

Illud *Quadrupedant* emendo, & *quadrupedante* lego; & sic versus sensum, & veram mensuram restituo.

ARTICVLVS VII.

De Restitutione, quæ procedit à Rhythmo.

An admittendæ sint physicæ prædeterminationes in Rhythmica?



QVÆ de Prædeterminationibus in schola D. Thomæ dicuntur, & ab Scotistis negātur, summo applausu in Rhythmico approbantur Lycæo; uno enim posito in versus fine nomine, Ars necessariò postulat, ut aliud simile versum terminet correspondentem. Cecinit quidam Iunior

Baxaba del peñasco
Vn Lagarto vestido de damasco.

Et, si causam inquiras, ob quam ex tali materiâ, & non aliâ, ille debuit vestiri, lege Scholion, quod præcedenti Disticho margini Commentator Ingeniosus adscripsit.

Porque en su Copla Gil dixo peñasco
Le mandó el Consonante,
Que luego, al mismo instante,
Vna pieza sacasse de damasco,
Para hazerle un vestido:
Que, si huviera caido
El Lagarto, que dize, de una peña,
Bastaria vestirle de estameña;
Y si fuesse de un risco,
Saldria el Lagarto vestido a lo morisco;
Porque los Consonantes tienen Leyes,
Que han de guardar [*] *los Roques, y los Reyes.*

[*] *Ni Rey, ni Roque*, est adagium Hispanicum, è latrunculorum ludo sumptum, quo legem esse generalem, & neminem excipi, significatur.

Hinc oritur multorum Poetarum insolentia, & audacia; malunt enim Veritati, Amicitiæ, & Conscientiæ deficere, quam Consonantiam ab Arte præscriptam temerare. Ex his quidam infelix, ob falsa testimonia, quæ honestis, & innocuis personis imposuerat, æterno vivicomburio condemnatus, apud D. Franciscum de Quevedo clamabat.

Calumniatores, & Detractores Poetæ sunt sæpè enim, nam sic consonantia postulare videtur, probos detractant, & innocentibus crimina affingunt.

Dixe, que una Señora era absoluta,
Y siendo mas honesta, que Lucrecia,
Por dar fin al Quarteto la hize puta.
For çome el Consonante a llamar necia.
A la de mas talento y mayor brio.
O ley de Consonantes dura y rezia!
Haviendo en un Terceto dicho Lio
Vn hidalgo assistente, tan solamente
Porque el Verso acabo bien en Iudio.
A Herodes otra vez llamé innocente:
Mil vezes a lo dulce dixe amargo
Y llamé al apacible impertinente.
Y por el consonante tengo a cargo
Otros delitos torpes, feos, y rudos;
Y llega mi processo a ser tan largo,
Que porque en una Octava dixe escudos

Hize

Hize fu mas nó mas fiete maridos
Con honradas mugeres fer cornudos.
Aquí nos tienen, como ves, metidos
Y por el Confonante condenados.
O miferos Poëtas desdichados,
A puros verfos, como ves, perdidos!

Hinc Virgilium duriùs incriminātur Rhythmici, quod nullo Confonante obftringente, lafciviæ etiamen caftiffimæ Dido impofuerit. Quoniam fi fcripfiffet Hifpanicè, aliqua excufatio imminueret delictum. Requirerent enim leges Rhythmicæ, ut, fi femel fcripfiffet *Cupido*, fententiam *Dido* clauderet; non autem *Cloris*, *Flora*, *Phyllis*, aut quæcumque alia, quæ voci *Cupido*, priùs pofitæ non confonatet. Et id Verfus fequentes perfuadere conantur.

No tiene, no, Virgilio alguna efcufa
Porque fus verfos fon todos Latinos,
Y fer pueden divinos, y adivinos,
Sin que fea deslenguada alguna Mufa.
Si efcrito en Efpañol fu Eneida huviesse,
Al punto, que nombrasse al Dios Cupido,
El Confonante mandaría, que Dido,
Y no que Semirámis refpondiesse.
Pero como en Latin no hay confonancia, [*]
Y en vez de Dido pudo dezir Phyllis,
Aurora, Flora, Galatea, Amarylis,
Y en lugar de Carthago poner Francia.
Como a teftigo falso y maldiziente,
Quantos faben de Fabulas y Hiftorias,
Viendo en efta calumnias tan notorias,
A Virgilio condenan juftamente.
[a]

*] De Vigilio verum redibit Sermo. Non erat in Hiftoria fufficienter Verfatus, quoniam temporũ ratio demonftrat, Didonem, Æneam, quæ non fuiffe contemp oraneos. Caftiffime igitur Reginæ Maro falfum teftimonium impofuit *An fi nõ à toto, faltem à tanta culpa excufari poffet fi Æneidem fuam Rhythmicè cõpofuiffet?*

a] Fugiunt cõfonácias in fuis metris Latini: & illa fæculi præcedentis Carmina, quæ dicũtur *Leonina*, redẽtur à Moro & paffim à doctis condẽnantur.

An & quando calumnia mortalis culpa iniquitate mactetur?

Sic Poëtæ loqui placuit: at affirmat Theologus calumniam in materiâ gravi (& gravem vocar, quæ infert damnum notabile) five in folutâ, five in ligatâ oratione dicatur; five metrorum harmoniâ, five rhythmorum accentu, & confonantia temperetur, femper effe peccatum lethale. *Logica Moralis.*

Contigit aliquando, ut Amanuenfium infcitiâ, aut typothetarum negligentia Rhythmi malè exfcribantur; tunc autem, ut fciamus, quænam dictio, fpuriâ, & adulterinâ rejecta, fubftitui debeat, nos leges Confonantiarum manuducent. Rem exemplo manifefto diluciao.

Quomodo, ubi errores funt calami verbum quod non eft fcriptũ fed debuit fcribi cognocatur?

Prodierunt Madriti anno 1648. ingeniofa D. Francifci Borgiæ, Principis de Efquilache Carmina: & parte primâ libri, quæ Epigrammata Humana complectitur, Epitaphium hoc lego.

De Carminibus D. Francifci Borgia.

Al Sepulchro de un Negro, Enamorado, bebidor, y maldiciente.

Detente Caminante, fi procuras
Saber que huefsos jacen encerrados
Debajo de efta piedra, que eftimados
En vida fueron para hazer rafuras.
Son los que ardiendo en vivas calenturas
Dieron, eftando en vino fepultados,
A mas de quatro, miedos, y cuydados,
Al pueblo rifa, y a fu amor locuras.
De Efquivias ya ni Sanmartîn [*] *deftrozan*
Las celebres bodegas, y el fecreto
Que en ellas guarda fu licor mas fuerte.
Al fin la Muerte le perdiô el repofo
Repofa en paz, aunque mejor la gozan
Su vafo y fus vecinos con fu muerte.

*] *Sanmartin aut ut* Vulgus loquitur, *Chamartin*, nomen eft oppidi in Caftella Nova, cujus fuaviffimum & puriffimum vinum, in tota Hifpania Celebratur.

Hujus Soneti (fic verfuum compofitio hæc vocatur, nec fi alio uteremur vocabulo intelligeremur) occafione, in Rhythmicâ cap. 8. art. 1. pag. 377. interrogo, *An in Soneto diffonantia admittantur?* & dubitandi ratio eft, quia in hoc [A, B, C: D, A, C.] Confonantiarum fluxu, quem obfervant Tristicha, B, & D (fecundus primi, & primus fecundi) nulli confonant.

An vox fonetũ in lingua Latina admitti poffit?

An fonetа tolerent diffonantias?

Affero commiffum à Principis Rıs Ama-

Perder el rifpeto *quid fit?*

Amanuensi fuisse errorem, quem *ibi* verbis his castigavi, & correxi. [*ex sensu hunc eundem versum* (primum posterioris Tetrastichi) *secundo primi consonare precipio, & sic effero*,

Leges consonantiarum juvant ut errores calami, quos vocant (qui ad exscriptoribus solent comitti) corrigantur.

Al fin la Muerte le perdió el respeto.

Nam perderle el respeto *est*, non morari aliquem, *seu enim* contemnere; *at* perderle el reposo *nil significat apud Hispanos*.] Sic discurrebam tunc: & modò, quia ut certum & indubitatum suppono Sonetum esse gravissimam compositionem, & nullam prorsus dissonantiam admittere; & ex Rhythmicâ lege secundo primi Tristichi, & non alii debet secundi primus versus correspondere (jam enim alii opportunam nacti sunt consonantiam) infero, siquidem versum illum nomen *secreto* terminat, hunc desinere debere in *eto*. Delebitur igitur dictio *reposo*, & quærenda erit trisyllaba, quæ in *eto* desinat, & cum præcedentibus congruum sensum efficiat, Invenio vocem *respeto*, & dico,

Al fin la Muerte le perdió el respeto.

& sic, & non aliter, Principem scripsisse pronuncio.

ALIVD EXEMPLVM proponamus. Anno M.DC.LXX. Trigesima-quarta Variarum Comœdiarum Pars Madriti prodiit. In Vndecima, quæ, *Amor de razon vencido*, inscribitur, & Apelli latenti post cortinam [*] debetur, hos versus lego.

*] author hujus Comœdiæ est anonymos. *Consulendum est homine airato ut vultum suum in speculo videat & mediatur.*

Has visto como se templa,
Y se reporta al instante
Quien airado su semblante
En un espejo se mira.
Pues assi su feroz ira
Templarà tambien Aurora,
Si de mi Innocencia agora
En el espejo se mira.

Relego has duas strophas, & versum primæ ultimum σφάλματος apertissimi incuso. Primo secundæ consonat, & quarto ejusdem unisonat, & utrumque contra leges Tetrastichorum, quæ vocamus *Quartillas*. Sed & primæ primo dissonat, & hoc contra leges similiter. Ergo in unicâ voce tres errores commissi. At non Poëta illos, sed vel amanuensis, aut τυποθέτης perpetravit: quoniam, si circumspectè versus præcedentes, & sequentes considerares, affirmabis sine erroris formidine, Authorem,

De Hispanim Tetrastichorum legibus.

En un espejo contempla,

scripsisse; hic enim versus, sic restitutus, consonat primæ primo, & secundæ primo, & ultimo dissonat.



ARTICVLVS VIII.

De Significationis variatione, quæ ab Accentu procedit.

An sint vera, quæ leguntur de Accentibus?



Cripsêre de Accentibus Vetere s Iuniores que reperta apud illos incõsideratè trãscribunt. Accentum triplicem esse statuunt, Acutum, Gravem, & Circumflexum. Et pronunciant Grammatici Accentum universim sumptum esse, vocis tenorem, secundum quem syllaba pronunciatur. Si syllabam attollat, nominatur *Acutus*; si autem deprimat *Gravis*: &, si partim attollat, partim deprimat, *Circumflexus* vocatur. Ita omnes Græci, à quibus Iuniores, quæ nos docent, transcribunt. Et illorum sententiam in Grammaticæ libr. 5. cap. 9. Antonius Nebrissensis ad numeros sequentes reducit.

Quid, & quotuplex Accentus sit?

Quales singuli sint?

Accentus nobis, dicta est Prosôdia
[*] Græcis,
Atque Tonus quem Romani dixêre Tenorem.
Accentus lex est, quâ tendit syllaba sursum,
Vel quâ deprimitur, vel quâ signatur utrumque.
Primus Acutus erit, in quo syllaba surgit in altum.
Rursus, & ille gravis, quo syllaba pressa deorsum.
Est circumflexus, quo surgit, deprimiturque.

*] A Græcis τόνος & προσῳδία vocatur.

Accentuum nota quæ?

Er ego, quia cum admiratione hæc, & similia in libris lego, & hos eosdem Accentus in chartâ apicibus diversis [videlicet à acutâ grau. & â circumflex.] notari observo, peto à Grammaticis, ut eos voce distinguant; nec, qui me possit adjuvare reperio. Sanè nomen *Doctrina* sic inflectitur. N. *Doctrîna*. G. *Doctrína*, D. *Doctrinæ*, Ac. *Doctrînam*. V. *Doctrîna*. Ab. à *Doctrinâ*. Et quidem notatorum calamo Accentuum varietatem prospecto. In Nomin. & Vocat. circumflectitur *tri.* in Genit. & Dat. acuitur. In Nom. est gravis ultima, & in Abl. circumflexa. Et tamen hanc ipsã differentiam lingua nescit exprimere. Accentus ergo ad oculos spectant; non ad aures: quoniam apices, quales habent hæ literæ [á, à, â,] notasi in chartâ video, mente quid importent intelligo; lingua nescio differentiam proferre; nec, qui id possit, in Europâ reperio. Omnes *Doctrîna*, & *Doctrinâ* eodem modo pronunciant: omnes etiam *Doctrîna*, & *Doctrína*. Omnia igitur, quæ de Accentuum distinctione sunt scripta à Veteribus, vel sunt ab ipsis ficta; vel successu temporis obrunditur animalium auditus. Et illud priùs faciliùs ego crederem, sed, quia Grammaticæ Bremensis ann. 1611. impressæ Bremæ, Authores sententiæ posteriori subscribunt; eorum verba propono. *Verùm ad istam sonorum varietatem, & suavitatem* [ ] inquiunt, *Latinorum aures jam pridem obsurduerunt. Ita tamen, siquid opus est notantur: Acutus,* ' *Gravis*, ` *& Circumflexus* ^. *Acutus jampridẽ solus pronunciatur: vel potiùs pro quovis Accentu mora quadam adhibetur, quæ sanè dicatur Accentus*. Et in Philippo-Ramæâ Grammatica impressâ Herbornæ Nassoviorum ann. 1602. hæc eadem doctrina invenitur. Ergo ex illâ (doctrinâ) deducere debemus hos Canones.

Verè tota doctrina de Accentibus, quæ prolixè ab Authoribus traditur ad solum calamum, & non ad linguã spectat. Et consulto ponitur illud scire.

An tantum unicus Accentus (videlicet Acutus sit?

An nullus verò Accentus sit, sed mera productio syllabæ Accentus nomine intelligatur?

Primus. *Quæcumque de accentuũ essentia, & varietate, aut à Priscis, aut à Iunioribus scribuntur, sunt ficta.* Patet: quia nullus est, qui hos linguâ Accentus possit accuratè decernere.

De Accentu universim.

Secundus. *Abusus obtinuit, ut Accentûs, Acuti, aut Circumflexi loco, protrahatur in Linguâ Latinâ penultima, aut antepenultima syllaba: illa videlicet, quæ notatur Accentu.* Sic nos docent Bremensis, quorum scitam Resolutionem Experientia confirmat.

De Acuto, & Circumflexo.

Tertius, *Accentum, Acutum Latinus non scribit in ultimâ*. Sæpè autem Hispanus; Græcus autem ferè Gravem in fine cum Acuto confundit.

De Acuto in ultima.

Quartus, *Circumflexus adpictus ultimæ Casus discriminat*. Quoniam in Primâ Declinatione Ablativum

De Circumflexo in ultima.

(*Musæ*) à Nominativo, aut Vocativo (*Musa*) in Secunda Ablativum à Dativo (*Dominó* à *Dómino*; nec non *Templò* à *Templo*) in Quartâ Genitivum à Nominativo (*Sensûs* à *Sensus*) distinguit. Et hæc ipsa differentia, quæ est utilis, & vim habet Commentarii aliquando, oculos, & non aures concernit.

De Accentu in Syncopa.

Quintus. *Syncopa Accentum circumflexum admittit.* Scribimus enim *Divûm* pro *Divorum*; *Amârunt* pro *Amaverunt*. &c. & hic obiter nota,

Psalmi versus exponitur.

in illo Psalmi L. versu, *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* ultimam vocem non sumi ex præsenti passivo *judicor, aris.* ita ut sensus sit, *ut vincas, cùm judiceris*: sed ex futuro activo perfect. *judicavero, ris.* ut sensus sit, *ut vincas, cùm judicáveris*; & per syncopen, *cùm judicâris.*

Quid importet Gravis, si notetur in ultima?

Sextus. *Gravis in ultima distinguit Adverbium à Nomine*, ut vides in hoc versu

Omnia, Sancte Pater, Sanctè te egisse fatebor.

in quo *Sancte*, quod priùs legitur, & nullo notatur Accentu, est Vocativus, & quod posteriùs ponitur, & Accentu gravi sigillatur, Adverbium.

An Accentuum loco, & ætate mutentur?

Septimus. *Accentuum leges, quas tulere Grammatici; nam fundamento carent solido, loco, aut tempore variato mutantur.* Est certa: ait enim Cicero, *Usum loquendi concedendum esse populo, scientiam nobis reservandam.* Et quia vocum accentus ad modum usumque loquendi pertinent, ad populum pertinere censentur. Et consonuit Aristoteli Cicero, hic enim *In verborum usu esse sequendam Vulgi consuetudinem* admonet.

Quid consuetudo sit?

Consuetudinis autem usum, non abusum intelligo; usus enim *libr. 1. cap. 6.* Quintiliano asserente, *non meretur* consuetudinis *nomen, nisi careat juxta reprehensione.* Et, quia Populus Oceano similis fluit, & refluit, etiam in verbis, & vocibus, & præcipuè in Accentibus

Vulgi inconstantia, quanta?

inconstantia hæc relucet, nam habent ætatem suam Accentus; Nascuntur, adolescunt, senescunt, immò, & desinunt, & emoriuntur. Iacobus Gretserus *in Institutione*

De nomine Valerius Qualem Gen. cum & Voca. habeat?

Ling. Græc. cap. 26. pag. 253. [scribit Gellius *lib. 13. cap. 24.* hunc patrium casum *Valeri* (scribebant autem per simplex *i*, ut apud Horatium, *Culpa deterrere ingeni*) Veteres pronunciasse penultimâ acutâ, *Valéri*: vocandi autem casum antepenultimâ acutâ, *Váleri*. Et tamen consuetudine superante res aliter nunc sese habet, & verè jam ætate Gellii habebat. *Siquis jam*, inquit Gellius, *Valerium appellans, in casu vocandi acuerit primam, non abierit, quin rideatur. Dicimus enim* Valéri *penultimâ acuta in casu vocandi, & hoc propter solam consuetudinem.* &c.] Stat igitur nil esse solidi in materiâ de Accentibus; pendêre illos ab arbitrio indocti, & inconstantis Populi, & ideò cum ætate mutari.

An Græci olim Accentus in charta notarint?

Olim Græci non scribebant Accentus, & eos hodie non benè scribunt, & utrumque manifestè probabo.

Locus Sophisticus est Mutatio Accentus.

Accentus olim non scribi, colligo ex Aristotele, qui *lib. 1. de Sophistar. elench. cap. 4.* inter fallaces locos eam numerat, qui sumitur ex mutatione Accentûs. Quoniam vox, cui non adpictus est Accentus, est indifferens, ut hoc, vel illo apice notari valeat, at quæ jam est tali Accentu notata, determinata est, & indifferentiam nullam habet. Et quidem Aristotelis ævo, aut etiam multis annis post ipsum non fuisse Accentus scriptos Authores nonnulli observarunt. P. Marcus Marinus Mersenus *in ca. 1. vers. 1. Geneseos, columm.* 700. sic inquit. *Tametsi nunc in nostris Codicibus Græcis adsint, antiquitùs tamen sine Accentibus conscripti erant, teste Epiphanio Salamina Episcopo* libr. de partib. Divinæ Scripturæ, *& Francisco Ximenio* in Editione Novi Testamenti.

Audiamus igitur Aristotelem, & quo ipse modo Fallaciam ab Accentûs mutatione provenientem exponat. Videamus. Eius verba sunt hæc. Παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν, ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς Διαλεκτικοῖς, οὐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον· ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις γὰρ ποιήμασι, μᾶλλον· οἷον, γὰρ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθοῦνται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας, ὡς ἀτόπως εἰρηκότα,

— Τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ. Homerus Iliad. Ψ.

Accentum, calamus omittere potest, lingua non potest.

λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ λέγοντες τὸ οὔ, ὀξύτερον. *Ex Accentu verò non in scriptis dissertationibus, haud facile est efficere argumentationem; sed in scriptis, & Poëmatis potiùs;*

tius: sicut Homerum nonnulli tuentur adversus eos, à quibus reprehenditur, quasi absurdè dixerit.

— Τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.

hac enim per Accentum solvunt, dicentes, illud οὐ, *accentu acuto esse notandum.* Est autem syllaba juxta Accentus varietatem æquivoca; nam adspirata, & circumflexa οὗ, vel est adverbium *Vbi*, vel Genitivus Pronominis subjunctivi *Cujus* lenis autem, & acuta οὔ, sonat *non*. Accusat igitur Homeromastix illum versum, quia sensus est,

Quodnam sit inter οὗ *&* οὔ *apud Græcos discrimen?*

Illud sanè οὗ ubi *putrefacit imbrem.*

Desendunt alii, & solo Accentu variato ad sensum opportunum reducunt; legunt enim,

An, & cur possint Authores Græci citari pro sententiis contrariis?

Illud sanè οὔ non *putrefacit imbrem.*

Et hinc obiter collige in multis posse locis Authores Græcos pro oppositis sententiis citari: si enim utantur hac particula οὐ æquivocâ mutando Accentum Lector poterit negativam in affirmativam, aut è contrà convertere.

Homerus, Iliad.15.

Addi etiam potest ex eodem Homero alius versus

Ζεὺς καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ' ἀίδης ἐνέροισιν ἀνάσσων.

Iuppiter, & ego, & Tertius Inferis imperans.

Quid ἄγος: & ἀγός significent.

Loco τοῦ ἐγὼ nonnulli legunt ἀγὸς, & æquivocationem inducunt. Porrò si ultima acuatur, est *Dux*: si penultima *scelus*. Declinatur enim,

Quomodo declinentur?

ὁ ἀγός, τοῦ ἀγοῦ, *Qui alios conducit.*

τὸ ἄγος, τοῦ ἄγεος. *Enorme crimen.*

Ergo ex Lectionis Accentusque diversitate colligitur, quis sit ille, qui inter Inferni Principes secundo loco est numerandus.

Et quidem multas esse voces præcedentibus similes, constat ex illo curioso Libello, cui Epigraphe.

An significatio Accentuū mutatione mutetur.

Συναγωγὴ τῆς πρὸς Διάφορον σημασίαν διαφόρως τονουμένων λέξεων κατὰ στοιχεῖον, aut etiam.

Ὅσαι λέξεις πρὸς διάφορον σημαινόμενον διάφορον δέχονται τόνον κατὰ στοιχεῖον.

Collectio vocum, quæ pro diversa significatione Accentum diversum accipiunt.

Et hoc opusculum Philopono alii, alii Cyrillo adtribuunt.

Sanè non solùm Aristotelis, sed etiam Archimedis ævo, sine accentibus, & spiritibus scribebatur. [Porrò natus Syracusis anno ante Christum 289. Marcello Syracusas obsidenti resistit, 214. & invito Marcello necatur, 212.] Probatur ex Philandro, qui *in Comment. super Vitruvium, libr. 9. cap. 3.* sic inquit. *Hac ego scripseram, cùm beneficio Rodolphi Pii Carporum Cardinalis facta est mihi copia videndi, exscribendique (curante id Mæcenate meo) Archimedis de Sphærâ, & Cylindro cum enarratione Eutocii volumen, ornamento futurum augustissimæ illi, & instructissimæ Bibliothecæ, quam tu toto Orbe terrarum maximis sumptibus conquisitis omnium disciplinarum, & linguarum libris, Francisce Rex Regum Potentissime, & Christianissime, ad Fontem Bleeum, sive Fontem bellum, aut Callirrhoen dicere mavis, instituisti. Id volumen Georgii Vallæ fuerat, in quo præter linguæ Doricæ proprietatem, & omissionem spirituum, atque Accentuum, quæ in legendo nonnihil exhibuerunt difficultatis, occurrunt subinde syllabarum, & dictionum notæ, quæ ne à Græcis quidem ipsis satis cognoscuntur.*

Quo tempore floruerit Archimedes?

Non solùm Aristotelis, sed & Archimedis ævo Accentus, & Spiritus non scribebantur.

Habebant olim Græci syllabarum compendia quæ Græci juniores non intelligunt.

Venio ad Dictum secundum, & in Græcorum lingua Accentus malè pingi, & malè proferri persuadeo. Apud Patres Societatis Antverpiæ Linguæ Græcæ Magistri anno 1636. docebant publicè Homeri, & alios Poëtarum illius Nationis versus, juxta Prosodiæ Latinæ leges pronunciari debere. Placuit tunc iste Canon; me enim judice, si prosodiam teneamus, quam libri vulgati, & impressi præseferunt, nulla erit metri ratio in carminibus, sed in asperam prosam dissoluti decurrent. Vt autem illum propugnandum adsumerem, apud aliquem Scriptorem Classicum invenire exoptabam.

An malè notentur in libris accentuum apices? Magistrorum Antverpiensiū opinio.

Sed Dices. In suis Latini versibus aliter acuunt syllabas, quàm in prosâ Oratores. Ergo nemini mirum videri poterit, si id etiam apud Græcos contigerit. Et, ut id probes, Canones hos producis.

An in Accentuum pronunciatione ab Oratoribus Poëta differant?

Sylloba si brevis est natura, & muta sequatur

Cum liquidâ, semper breviabit sermo solutus

At Carmen poterit producere, seu breviare.

Corripit interdum steterunt, dederuntque

runtque Poëta.

Præteriti timus atque titis sit Vatibus anceps.

Orator Patria doctum ne spreverit usum.

Illos ego considero, & respondeo primò, non esse omnia certa, quæ in his Canonibus præscribuntur: multi enim, & illustres Authores asserunt *steterunt*, & *dederunt* in Virgilium, & alios Poetas Veteres irrepsisse Exscribentium errore, & debere deleri, & eorum loco *steterint*, & *dederint* legendum esse. Et subjungo illum etiam Canonem, ultimo loco adductum, ab Antonio Nebricensi in Editione Antverpiensi anni 1568. lib. 5. negari. Et condonando Canones illos nulli subjacere censuræ, respondeo secundò, esse taras has Poëtarũ licentias, & ipsos priùs secundum leges communes scripsisse, & posteà, quia vel cogebat necessitas, vel petebat ornatus, aliquando à lege communi deviasse. Verùm enim verò cur ab *interdũ* ad *semper* benè fluat consequentia, non video. Concedam ergo libetè Romanos aliquando Poëtas se ex causa à lege communi subducere, nego autem hinc inferri, Græcos in suis carminibus à vulgari pronunciandi modo semper exorbitasse.

De stéterunt dederunt, & similibus vocibus.

An ex particularibus Præmissis universalis Consequentia (adeoque, an ex Interdum semper) inferri possit?

Finem ergo huic discursui tandem impositurus, totum illum ad has lineas reduco.

Conclusionum Conclusio.

Poeta olim Græci sic sua pangebant carmina, ut mensura, & metrum Populi auribus perciperetur. Non ergo illa secundum accentuum apices, qui prostant in libris impressis, sed secundum Naturæ leges, quæ quantitatem syllabarum respiciunt, & apud Latinos in usu sunt, modulabantur.

Prætereà, *Quæ canebantur in Græcorum theatris, quæ recitabantur in Comædiis, quæ in triviis à pueris concinebantur, intelligebantur à plebe.* Poetæ ergo eodem accentu, quo Vulgus, proferebat vocabula.

De veterum Græcorum versibus.

Ergo olim tam Oratores, quàm Poetæ in Græciâ quantitatem vocalium in pronunciatione sequebantur.

De oratione soluta.

Ergo (& id benè considera) fictus est ab ociosis Novitiorum ingeniis confusus ille intricatus, & vocum naturæ dissentiens, Prosodiæ Græcæ Labyrinthus.

Authoris Judicium.

Ergo (& hîc, si Rempublicam Literariam diligis, meis votis labore, & industriâ faveto) sicut ab illis Carmina jam Gretserus eripuit, isto alius, qui possit velitque, solutam orationem subtrahito.

Authoris Votū.

NOTA

De Lineolâ subscriptâ literis
ᾳ, ῃ, ῳ.

EST similis Accentui Acuto, & tantùm loco ab ipso differt; ille enim superscribitur sic ά, έ, ή, ί, ό, ώ ύ; hæc autem subscribitur, non tamen omnibus, sed tribus vocalibus; videlicet, ᾳ, ῃ, & ῳ. Et, ut quid illa sit; intelligas, hæc pauca debebo de Diphthongis subscribere.

De subscripta in vocabulis Græcis lineola.

Duodecim apud Græcos illæ sunt: sex, quæ vocantur *propria*, sex quæ *impropria*. Illæ sunt, αι, αυ, ει, ευ, οι, ου hæ autem ᾳ, ῃ, ῳ, ηυ, υι, ωυ. Lineola illa, quæ sub prioribus tribus literis ponitur, non sonat, ergo frustrà dicetur esse *jota*, potiùs enim ad calamum, quàm ad linguam spectare videtur. Illa in primâ, secundâ, & tertiâ declinatione (ut alia loca omittam) Dativum constituit, & distinguit, Scribimus enim ὁ αἰνείας· τῷ αἰνείᾳ [ὁ χρύσης, τῷ χρύσῃ] ἡ μοῦσα, τῇ μούσῃ [ἡ τιμή. τῇ τιμῇ] ὁ λόγος, τῷ λόγῳ, [τὸ ξύλον, τῷ ξύλῳ.] Olim non necessariò scribebatur, sed intelligebatur, non secus, ac hodie apud Latinos *Musa* in ablativo habet Accentum circumflexum in ultimâ, & hoc ipsum, quod omnes subintelligunt, pauci calamo exprimunt.

Quot sint Diphthongi in Lingua Græca?

Quot Propria, & quot Impropria?

Olim jota, aut lineola infra α, η, & ω intelligebatur veriùs, quàm notabatur.

Defectu hujus lineolæ aliqui loci ambigui ante Origenem erant, qui illa subscriptâ ad sensum legitimum restricti sunt. Unicum in specimen dabo; & utar verbis Mersenni, quem paulò antè produxi.

Ex illius omissione, æquivocationes nascebantur.

Nec dubium est, inquit, in Textu Græco multos decipi posse, nisi Accentus, Puncta, Virgulæ, & cætera conjungantur: quod & in ipso Latino, Gallico, cæterisque Idiomatibus facilè contingeret Punctis ablatis. In Græcis exemplum afferunt in hoc Luc. 6. *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκία, in quo demptis punctis, nullaque distin-

stinctione interpositâ, nescias (an sensus sit, *Hominibus datam fuisse pacem ob bonam eorum voluntatem*, an verò *cum ipsâ pace bona voluntas data fuerit*? Quam Controversiam sustulit Origenes posito punctulo sub ultimâ literâ dictionis ultimæ, ut εὐδοχία, cum (punctulo) affixo legatur, sitque Dativi Casus [*] ut sensum hunc Textus efficiat, *hominibus bona voluntate præditis* [dari nimirùm pacem.]

[*] Est quæstio de Nomine, quæ interrogat, *An Græci habeant Ablativum?* Qui negant, accipiunt pro Ablativo Dativū; qui asserunt, Ablativū in omni Declinatione scribunt, sed similem semper Dativo.

ARTICVLVS IX.

De Significatione proveniente ab Spiritu.

De Hebræorum adspirationibus



Agna est varietas in Aspiratione proferendâ. Hebræi, quos Chaldæi, & Assyrii sequuntur (immò Arabes, Turcæ, & Persæ magnâ ex parte) quatuor habent Spiritus qui intenduntur per gradus. Primus vocatur ף ל א, *Aleph*, qui est remissus, & lenis. Alter (nempe ה *He*) est quodammodò fortior. Tertius dicitur ת י ח *Heth*: & tam durè profertur, ut ejus loco Græci suum χῖ, substituant, pro quo Latini scribunt *ch*. Et in toto Occidente Quarti sonus nescitur: quoniā vocatur, ן י ע *Ain*, vel ut Iudæi Germani volunt, *Gnain*. cùm tamen in Orientalium ore literæ G., aut N sonus minimè percipiatur: profertur enim rotundo gutture, & potiùs, quàm consonantem aliquam, vocalem A redolere videtur.

Sunt quatuor Aleph, He, Heth, & Ain.

Quo modo ultimo proferatur?

De Spiritibus Græcis.

Duplex est apud Græcos spiritus: Lenis, & Asper. Illum habet vox ἐγώ *ego*, istum vox ἅμα, *simul*. Iacobus Gretserus *in Grammatica Græca cap. 1 pag. 10.* (Spiritus lenis moderatiùs efferebatur olim, ut ipsum nomen significat; sed usus jam penitùs exolevit: omnes enim Græcum pronomen ἐγώ efferunt, ut Latini illud *Ego*: & tunc leni spiritu pronunciari censetur, cum non pronunciatur asperè.) Blasius Lopez Professor Linguarum Orientalium Salmanticæ docebat lenem profectò spiritum nihil aliud esse, quàm meram asperi seu densi carentiam: unde volebat eum non scribi, si enim scribi debet, ubicumque non scribitur asper, nunquam scribi debet, satis enim, si & per absentiam asperi significatur.

Quot ipsi sint?

Quid levis sit, & an scribi debeat?

Tres in Græcâ Linguâ literæ, quæ nominantur tenues; & sunt Π, Κ, Τ, quibus si addas spiritū, erunt *Ph*, *Ch*, *Th*: & scribentur sic Φ, Χ, Θ. Invenerunt igitur has tres literas φ, χ, θ; ne scriberent π῾, κ῾, τ῾.

An, & quoque Densus consonātes afficiat?

Spiritus supra ὑψιλὸν semper est densus; unde nullum est receptum à Latinis vocabulum, quod incipiat ab Υ, omnia enim Græca, quæ sunt Latio donata, ὑ convertunt in *Hy*.

Cur nullum vocabulū apud Latinos incipere possit ab Y?

Et supra nullam consonantem apud Græcos adspiratio notatur, nisi supra simplex ρ in initio, & duplex in medio: quoniam scribunt ῥώμη, *robur*, πόῤῥω, *procul*, ἄῤῥωστος, *infirmus*. Ergo Ρ in initio, denso spiritu afficitur: &, si duæ sint in medio lenem prior, & asperum posterior postulat.

De ῥῶ adspirata.

Nullam Græci vocalem Spiritu afficiunt in medio: & ideò in compositis vocibus, si incipiat a densâ vocali posterior, & prior in tenuem desinat, hæc tenuis vertitur in adspiratam, unde ab ἀντι, *contra*, & ἥλιος *Sol*, ἀνθήλιος, *qui soli est obversus* appellatur. Et tamen hac non obstante Regulâ *subsolanus* ἀπηλιώτης, & non ἀφηλιώτης vocatur: & Ionii ἀντήλιος dicunt, ubi cæteri ἀνθήλιος. Et hæc Regula nunquam in ρ observari videtur, nam à παρὰ & ἥλιος non solemus παρήλιος deducere.

ἥλιος. ἀνθήλιος. ἀντήλιος. ἀπηλιώτης παρήλιος.

Hæc lex etiam observatur in diversis dictionibus, ut καθ' ἥλιον, pro κατὰ ἥλιον *secundum solem* ἀφ' οὗ, pro ἀπὸ οὗ *à quo* νύχθ' ὅλην pro νύχτα ὅλην, *tota nocte*.

De dictionum diversarum concursu.

Cæterùm, si prior pars in literam nec tenuem, nec adspiratam desinat, adspiratio intermittitur, ut Φιλήλιος, *qui amat Solem*, προσήλιος

Ubi, & quando adspiratio omittatur?

λιος, *qui est expositus Soli*.

An Orthographia Græca nævos habeat?

Hoc ultimum attentè consideras, & inquiris, *Quale Iudicium de illo formari debeat? An eloquutionis Græcæ Nævus sit, An Gratiæ loco haberi possit?* Ego autem Græcorũ scripturam multis vitiis laborare pronuncio; & inter alias id, quod recenseo, numero: est enim compositio perfectior, quæ partes illæsas, & invariatas conservat.

An corrigendi sint, cùm scribuntur voces Græcæ charactere Latino?

Ex hujus Dubii solutione nascitur alterum, quod videtur difficile, & interrogat, *An hæc ipsa imperfectio possit, aut debeat corrigi in dictionibus Latio donatis; an verò debeant cum suis nævis ex Græcâ Lingua in Latinam transire?*

An adspiratio in media dictione poni possit?

Illud priùs videretur: quoniam Latina Lingua, quod nescit Græca, adspirat vocales in medio, ut *anhela, anhelitus, adhibeo, posthabeo*, &c. Posset ergo corrigere errores à Græcâ commissos. At, qui errorem cognoscit, & corrigere potest, etiam debet, ut omnes Prudentes admittunt.

An, qui possit, teneatur errores corrigere?

Proferendum igitur, & scribendum est *Philhelius, Parhelius, Panhelius, Hemihelius*, &c. etsi adspiratio à linguâ, & calamo Græco omittatur.

Quo modo scribi voces alienis characteribus debeant?

Sed, & videretur hoc posteriùs: nam vocabula Græca à Latino æquivalentibus literis scribi debent. Non ergo licet spiritum Latinè scribere, ubi dictio Græca illo caret.

Ricciolius, & Gassendus laudati.

Respondeo hanc ultimam esse communem Criticorum sententiam: sed tamen aliquos, eosque doctissimos (inter quos P. Ioannem Baptistã Ricciolium, & Petrum Gassendum, ut intermittam cæteros, cum laude nominare debebo) in Græcis vocibus à Latinis receptis, adspirationẽ interserere è voce enim ἡμιμερής, *semi*, Græci deducunt τριημερής τομὴ, ἐννεημιμερὴς Erythræo ἐννεαμιμερὴς) &c. ipsi autem *Trihemeres, Ennehemimeres*, &c. scribunt.

An Trihemeres, & Ennehemeres cum adspiratione scribi debeat?

Cæterùm, nam est modus in rebus, interdum inclamabo, *Ne quid nimis*. Male enim *Prohemium* nonnulli, Ricciolium imitantes, scribunt; quoniam, tametsi ὅιμη, & ὄιμος, *semita* apud Suidam, spiritu denso graventur, communis orthographia primam in ipsis syllabam leniter exprimit: ergo non est cur in linguâ Latinâ adspiratio scribatur.

De Hispanica Lingua Spiritu.

Apud Hispanos asperè, & leniter sonat R, non tamen literam *h* in consortium adsciscit, sed à loco restringitur, & paucis Regulis discerni potest. Esse poterit

An, & ubi adspiratio omittatur?

PRIMA. *Apud Hispanos Castellani non pauci tam leniter proferunt H. ut multi eam non tangi lingua judicent, & ideò in scriptione intermittant.* Scribunt enim multi, *Ombre, Onra, Vmilde*, cùm etymon postulet, ut *Hombre, Henra, Humilde* (Latinus enim habet *Homo, Honos, Humilis*) scribatur.

An, & ubi consonantis vim habeat?

SECVNDA. *Corduvenses semper adspirationem scribunt, & tam densè aliquando pronunciant, ut vim consona habeat; & in dictionis initiis posita, vocalem, in fine vocis præcedentis relictam, per synalœpham non elidat.* Placet ex D. Ludovico de Gongorâ exempla occurrentia proponere. In Panegyrico ad Ducis de Lerma laudem celebrato, hæc reperio.

Videtur D. Garzias Coronel, qui D. Ludovici de Gongora Opera collegit, & scholiis eruditissimis dilucidavit, imitari Theologos, qui secundam Angelici Doctoris partem in duas alias subdiviserunt: quoniam secundum Tomum in duas partes distribuit, & in earum secunda, pag. 176. Panegyricum, quod percurro, proponit.

Oyga el canoro huesso de la fiera &c.
Pissa glorioso porque humilde huella. &c.
Salió al fin, y hurnando con verguenza. &c.
Trompa luziente, harmonioso trueno. &c.
Con su hijo assentia en el affeto
Dignando de dos Gracias un sujeto. &c.
El immenso hará el Celestial Orbe,
Que oppresso gima, que la espalda corbe. &c.
Generosa a su Rey le hizo offrenda. &c.
En sus conchas el savo la hermosa. &c.
Dulce un dia despues la hizo Esposa. &c.
A Margaritha hizo el mejor parto. &c.
De los Philippos duramente hecho. &c.
Del Rey hizo Britano la embaxada. &c.
Que en la fiesta hizieron subsequente.
Prolixa prevencion en breve hora. &c.
Confuso hizo el Arsenal armado. &c.
Afecto, que humea, si no luze. &c.
El belicoso de la Haya seno. &c.

Ecce quoties in uno solo Poëmate lite-

literam *h* esse consonantem supposuit: at hanc legem non semper ipse observat, nam in eodem interdum Panegyrico in tali collusione synalephem admittit.

De duplici litera ch pronunciatione.

TERTIA. *C adspiratur interdum: & bifariam profertur: altero modo in vocabulis Græcis, alteroque in Hispanicis.* Sonus Græcus est in voce *Monarchia* (Græcè Μοναρχία) sonat enim ut *Monarchia*, unde ab aliquibus non per *ch*, sed per *qu* scribi solet. Sonus Hispanicus in vocibus *mucho*, *muchacho*, *achaque*, *chico*, *chiste*, & aliis non paucis sentitur. Cæterùm in nomine *Archiduque*, tametsi anterior pars ἀρχὴ, Græca sit, more Hispano profertur.

An quid debeat scribi loco chi?

De R, quando est dictionis caput.

[*] Non scriptam.

QVARTA. *Post R nunquam adspirationem scribimus, inscriptam* [*] *verò aliquandò proferimus. Quoniam in dictionis initio (quandò videlicet est prima litera) semper est aspera*, ut constat ex vocibus *Ramo*, *Remo*, *Rio*, *Roma*, *Rumor*. &c.

De eadem litera, quando occurrit in medio.

QVINTA. *R in dictionis media, si liquescat, aut vocalem sequatur est lenis; si autem consonantem sequatur, & tamen non liquescat, est aspera.* Liquescit, & leniter sonat in his vocibus, *Breve*, *Crimen*, *Frio*, *Gracia*, *Providencia*, *Tribulacion* &c. & in his, *Abrir*, *Acrimonia*, *Africa*, *Aggradar*, *Aprovechar*, *Atribular* &c. Item in his *Barbaro*, *Carbon*, *Fortuna*, *Gordo*, *Iordan*, *Marco*, *Narciso*, *Puerta*, *Quarto*, *Sordo*, *Tordo*, *Varco*. &c. Non liquescit, & asperè profertur in sequentibus. *Alredo*, *Abbad*, *Amram* Exod. 6. 18. *Henrico*, *Manrique*, *Conrado*, *Enramado*, *enriquezido*. &c.

Literam Castellanorum ñ (& idem dicito de *ll*) esse adspiratam judicat Lusitanus, & ideò loco illius scribit *nh* (& pro *ll* etiam *lh*) Audiunto Ludovicum Camoes, Portugalliæ ornamentum, qui Lusiade IV. Gangem cum Alpheo (quem Poetæ dicunt in Arcadiâ subnasci, & per occultos infra mare meatus in Siculâ Arethusâ prodire) componit, & sic inquit.

De Alpheo flumine.

Vbi nascuntur, & ubi emoneros?

De ambos a dons a frente coroada [*]

Ramos nam conhecidos e errnas tinha,

Hum delles a presenza tras cansada,

Como quem de mais longe ali caminha,

E assi a agoa com impeto alterada,

Parecia que doutra parte vinha,

Bem como Alpheo de Arcadia en Siracusa

Vay buscar os abrazos de Arethusa.

[*] Ambo; Indus videlicet, & Ganges.

Legica Moralis.

De Lingua Lusitanica.

De Latina autem Lingua nihil occurrit speciale: quo enim modo Romani sint loquuti nescimus, & ideo illam hodie unusquisque ut Maternam pronunciat: Hispani leniter, Germani asperè, & singuli Populi suo modo. Vnde cessat illa à multis proposita Controversia, quæ inquirit, *Quænam in Mundo Natio Latinam Linguam meliùs proferat?* Illa enim meliùs Latinas literas pronunciare dicenda, quæ propiùs ad Veterum Romanorum (Virgilii, & Ciceronis) accesserit pronunciationem. Igitur, donec sciverimus, quomodo illi pronunciaverint singulas, qui proximiùs accedant, non poterimus determinare.

Quo Latina Lingua modò à diversis, Europa Populis proferatur?

Quinam meliùs pronuncient?

De Restrictione quæ ab Spiritu provenit.

Venio ad Restrictionem, quæ ab Spiritu sumitur: & licèt possem uti illo exemplo, quod Articulo præcedente proposui, (nam in ὂ, non solùm Accentus, sed, & spiritus cum significatione mutatur) nihilominùs, ne repetere dicar, quæ jam semel exposui, aliud exemplum dabo.

De particula ὂ qua nacta Apices est ὂ & ὃ

Ἄδω, & ἅδω.

Ἄδω, Fut. ᾄσω, Præt. ᾖκα, *canto*, habet lenem spiritum: densum verò ἅδω, Fut. ἅσω, Præt. ἧκα: *placeo*. Et hinc Homero lux, qui in Hymno ad laudem Mercurii concinnato, sic cecinit.

Exponitur Homeri versus.

ἱμερόεν κονάβησε, θεὸς δ᾽ ὑπὸ μέλος ἄεισε.

Suaviter cecinit: Deus autem melos ἄεισε.

Versus est Hexameter: & in ipso aliqua digna notatu invenio. PRIMO enim ipsosmet Accentus considero; & confidenter assero Homerum illos non expressisse: nam, si mensuræ habeatur ratio; ipsi correspondent his notulis

Quali accentu Græca carmina legenda sint?

| - υυ - | υυ - υ | υ - | υυ | - υ | υ - υ

quas verba sequentia recipiunt.

Æthêreos celebrâre jûbet mihi Clârus Apôllo.

Ergo, si Iacobi Gretseri doctrina, quam Articulo præcedenti exposui, admittatur, & Græca carmina pangenda sint Latino more, Homeri ille

versus his accentibus notari debet.

In versu Homeri corriguntur accentus.

ἱμέρόεν κοναβῆσε, θέος δ' ὕπο μέλος ἄεισε.

aliàs enim humana auris syllabarum numerum, & harmoniam non percipiet.

Cujus quantitatis, & generis sit nomen Μέλος?

SECVNDO quantitatem syllabarum considero. In μέλος prima est ε natura brevis: & ideò illam corripit Theocritus eidyl.

Πῆ ποχ' ὁ συρικτὰ προφιλὲς ἄεισε μέλος.

Est Pentameter. Consonat Lactantius Firmianus,

Eisque repercusso dulcior aura melo.

Cur primam Homerus producat?

quem alii Latini sequuntur. Interim in versu citato Homerus protrahit P. Io. Baptista Ricciolius in Prosodiâ Reformatâ, [*Melos, odis.* τὸ μέλος & masculinè *Melus.* Homerus primam produxit ob liquidam.] Et TERTIO ad spiritum, quem præcipuè in hoc Articulo dilucido converto oculos; &, si ἄεισε spiritu leni legatur, melos Mercurius cecinit: si autem denso ἅεισε proferatur spiritu, melos ille canendo, placuit. Nec frustra hæc circumstantia exprimitur, non enim omnes, qui canunt, placent: dicit enim Horatius,

An omnes, qui modulantur, placeant?

Omnibus hoc vitium est Cantoribus, inter amicos,
Vt nunquam ponant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant. &c.

Cantorum ingenium.

Vnde *Cantar mal, y porfiar,* circumfertur inter Hispanorum Adagia.

ARTICVLVS X.

De Commate. *Quid illud sit; &, An & quomodo Orationem distinguat?*

De Commate, Colo, & Periodo.



MAjores in περιόδῳ partes κῶλα, minores verò κόμματα appellarunt Grammatici. Et quidem in Oratione circuitus ille verborum ex colis & commatibus in orbem quemdam circumductus, *Periodus* appellatur. Cicero in orat. [*Circuitus Orationis, quem Greci περίοδον, nos tum* ambitum, *tum* circuitum, *tum* comprehensionem, *aut* continuationem, *aut* circumscriptionem *dicimus*.] Et de Claris Oratoribus. [*Quin etiam comprehensio, & ambitus ille verborum (si sic περίοδον appellare places) erat apud illum contractus, & brevis.*] Est autem Periodus, Oratio, quæ integrum sensum reddit.

Quid sit Periodus; & quibus signetur à Latinis nominibus?

Colum, Græcè κῶλον à verbo κλάω *frango*, est membrum, seu periodi pars, quæ vocatur *Incisum*. Et, si adhuc debeat penultima in minora membra divisione secari, illa dicuntur ὑποκῶλα. Sicut περίοδος in κῶλα, sic κῶλον in κόμματα dividi solet.

Quid Colon, & Hypocolon sit?

Est autem Comma, minima, seu ultima periodi pars; & dicitur à verbo κόπτω, quod est *incido*.

Quid Comma sit?

Vnam periodum ab alia, & commata, & cola, & hypocola inter se, cùm loquimur, majoribus, & minoribus pausis distinguimus: punctulis, cùm scribimus, videlicet [. : ; ,] quorum primum *Finale* dicimus; illoque periodum terminamus. Cætera à membris, quæ claudunt, nomen indipiscuntur, & ideò secundum *Colum*, tertium *Hypocolon*, & ultimum *Comma* nominatur.

Et quid quæso, volebant Græci dicere cùm aliquem πονηροῦ κόμματος *mali commatis* hominem appellabant. Fuisse apud Græcos ait in Pluto Aristophanis antiquus interpres, genus vilissimum nummorum, quos appellabant *commata*. Et huc Critici respicientes, improbos, & pauperes homines hoc adagio designant. Nec mirum, si veteres Græci pecuniarum nominibus hominum qualitates expresserint, has enim voces, *Doblon, Dobla, Escudo, Real, Quarto, Ochavo, Maravedi, Blanca, Cornado,* &c. sæpè adsumunt Hispani, ut mores hominum

κόπτω κόμμα.

Minutissimi nummi: & etiam viles homines dicuntur Commata.

num corrigant, aut insinuent. Alvaradus *in sua*, El desengaño forçoso. *act.2.*

Blanca fœmina nomen propriũ est, itemque vilissimi nummi in Hispania

Mucho vale Doña Blanca
Por la riqueza, que goza:
Pero aunque parece moza,
Por si no vale una blanca.

Et apud Saavedram Fridericus Aurelio.

Escudo, significat nummum aureum, & clypeum.

Es tu casa una almoneda,
En que se vende a porfia,
Ya la hermana, ya la tia,
Y siempre corre moneda.
En ella nada se veda
A quien lo paga: y assi
De quanto se hace alli,
Es tu muger el escudo
En gruesso; mas tu en menudo
Cornado o Moravedi.

Cornado est moneta vilissima:
Cornudo *autem ille, cujus uxor adulterium commisit.*
ὁ τȣ̃ πονηρȣ̃ κόμματος ἄνθρωπος.
Mali commatis homo.

Nos autem ad rem nostram Τὸν τȣ̃ πονηρȣ̃ κόμματος ἄνθρωπον, *mali commatis hominem* ignorantem & imperitum dicimus, qui male dispescit periodos, & puncta, aut commata indebitis locis inscribit. Ut enim magnum Orationi nitorem impertitur accurata distinctio, sic illam densis offundit tenebris commatum, aut omissio, aut confusio.

Quanti intersit benè puncta distinguere?

Et id altè Libertus Houthemius perpendens, hanc Assertionem *Bona distinctio (hoc est, legitima commatum, & punctorum expressio) Commentarii vim habet*. esse Regulam voluit, quæ Eruditis serviret. Illam utraque, aut ajunt, manu Boquiesus, quem citat, & sequitur Antonius Sanderus *in Bibliotheca Belgica manuscripta pag.9.sub fin.* admisit, & exponit: eamque ego *in Scholio elim. ad Regal. S.Benedict. num.362.* & *in Theologia Fundam. 43. §. 1.* dilucido.

Sensum evertit commatis elocatio.

COmmatis profectò elocatio, aut mutatio sensum invertit, aut evertit; &, ne novis te exemplis onerem, hoc antiquum, & à multis propositum, ob tuos oculos sisto. Princeps N. in ultimis suæ voluntatis tabulis hanc lineam scripsit. *Fiat Palladis Statua auri hastam tenens*. Est æquivoca, & sensum duplicem habere potest: nam illa vox *auri* inter *statuam*, & *hastam* media, alterutram potest afficere: & hanc ob causam seduli contendunt Sacerdotes totam Statuam ex auro solido fundendam esse: & è contrà vociferatur hæres,

Dicite, Pontifices; in templo quid
Logica Moralis.
facit aurum?

& vult hastam esse debere ex auro, statuam, ex quâcumque materiâ.

Et testator amphibolologiam [*] abstulisset, & mentem suam clarissimè explicasset, si unicum comma interseruisset: nam, si scripsisset, *Fiat statua, auri hastam tenens*. Sola hasta deberet esse aurea, & consuleretur hæredi, &, si scripsisset. *Fiat statua auri, hastam tenens*. tota statua deberet fundi ex auro, & in illius conformatione profunderetur prodigè Testatoris substantia. Cæterùm, si causa ad Tribunal veniret, hæreret Iudex, & inquireret, An in dubiis, quæ legata concernunt, ad hæredem decisio, an verò ad legatarium spectet? De hac enim olim controversia Antoninus Diana cum Clemente Merlino Rotæ Romanæ Auditore disseruit, & à legatario stetit, ut *part. 11. tract. 4. miscell. resol. 19.* & post coordinationem *tom.6. tract.8. resol.114.* ipse testatur. Ego ab hærede starem, si à ratione discurrerem; sed quia Triboniano placuit colligere leges oppositas, subscribens Iuri scripto dicerem, in alternativis, & dubiis electionem pertinere ad hæredem, in genericis ad legatarium, hac tamen lege, ut neque rem optimam petat, nec pessimam acceptare cogatur.

*] *Amphibolologia*, non *Amphibologia* dicitur: nã ἀμφίβολον, *ambiguum* est, & λογία *loquela*. Ergo sicut in *Idololatria*, bis poni debet illud *lo*.

De legatis dubiis, genericis, & alternativis.

Utor debeat eligere; hæres, an legatarius?

Multa occurrunt in Sacrâ Scripturâ testimonia, in quibus de unius Commatis positione, aut omissione disputatur.

Exponitur locus Geneseos.

PRofectò locus ille *Genes. 4. 15.* obscurus est, nam Dei Cainũ alloquitur his verbis.

לכן כל-הרג קין שבעתים יקם

Laken cal-horeg Káin Sibathaim juqam.

Propterea omnis occidens Kàin septies vindicabitur.

Quæ verba sic Græcè reddunt, septuaginta. οὐχ οὕτως πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάιν, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει. *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain septem vindictas exsolvet.*

Duplex Quæstio proponitur.

Et hîc dubitas, & interrogas Primò, *Cur septuaginta Interpretes negantem fecerint propositionem, quæ in Hebræo verè est affirmativa? Cur,* inquam, NEQUAQUAM, *verterint, cùm* PROPTEREA, *aut revera deberent?* Secundò, *Quò illud* septies vindicabitur; *ad ipsummet Cainum,*

an verò ad eum, qui Cainum occiderit, referri debeat?

Judæi Novitii duplicem dictionem converterunt in unam.

Respondeo ad primum, quòd Seniorum septuaginta tempore, non לכן Laken, *propterea*, sed לא כן Lo ken, *non ita*, legebatur. Et hæc lectio convenientior videtur; nam meliùs Caini petitioni respondet.

Mutatione commatis sensus mutatur.

Respondeo ad secundum ante, vel post nomen *Cain* comma debere interseri. Si præscribatur, Cainus est, qui septies vindicabitur: si postponatur, septies puniendus erit ille, qui Cainum ausus fuerit occidere. Illa prior expositio convenientior videtur, nam supplicium est pœna peccati, illamque amplectitur Pater Marinus Mersennus, qui col. 1463. hunc locum exponens, sic scribit. [Quidam magis propriè locum istum interpretantur, dicentes, *Oportet Cainum septies puniri ob cōmissum parricidium* [ ] Aquila sic vertit, *Septies vindicabitur*. Symmachus, *Septies dabit pœnas*. id est, ut aliqui volunt, *In septem generationes pœnas pendet*. Verùm [*] Hebræus post dictionem הרג horeg, *interficiens*, punctum locat. Nam, ut quidam perhibent, Deus repetit orationem Caini, inquiens, *Non, sicut ex te audivi, omnis te interficiet. &c. nec omnis, qui te inveniet, te occidere instituet*. Et quasi ab alio principio infert. *Cain septies vindicabitur*, Et *vindicabitur* dicens, intelligit septem ultiones, quæ in caput Cain sint redundaturæ ob trucidatum Abelem.] Ecce illud comma ipsi nomini *Cain* præscriptum, ad Cainum, & non ad eum, qui occideret illum, septuplam punitionem debere referri persuadet.

Vter, Cainus, ne an qui illum occidat, septies puniendus sit?

[*] Verùm est particula adversativa, quæ hic non habet locum. Ergo Quam ob rem poterit legi.

Quid sit puniretur septies?

Sed quid importat illud *Sibathaim iuqam*? Non conveniunt Interpretes. Septuaginta ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, *Septem vindictas exsolvet*. Procopius *Septuplum* vindicabitur: alii ἑπτάκις, vel ἑπλαχῆ, *Septemplicitér* & D. Hieronymus in epist. 125. quæ est ad Damasum, sentit illo verbo *Sibathaim* septenarium numerum significari. At magis atridet Procopii Viri docti sententia, quæ asserit *septenaria pœna* nomine plenam indici: hic enim in Sacrâ Scripturâ numerus rem integram, & completam significat, ut *Refunde vicinis nostris septuplum in sinum eorum*, nec non *Percutiam vos septies pro peccatis vestris*, & in Levitico *Adjiciam, ut vos instruam, septem plagis propter peccata vestra*. Consonat Vatablus, qui sic scribit. [*Septuplùm vindicabitur*. id est, *multæ ultiones capient de eo, qui illum occiderit*: vel *gravissima vindicta sumetur de eo*. &c. Numerus certus pro incerto. q. d. *Dabit gravissimas pœnas*.]

Septenaria pœna est pœna integra, quanta ex rigore legum præscribitur.

Pro indeterminato numero interdum ponitur determinatus.

Vera Textus Hebraici interpretatio.

Tota ergo historia, si comma debito loco inseribatur, erit hæc. [Dixerat Cainus Deo, *Omnis, qui inveniet me, occidet me*. Et illi Deus, *Non ita fiet; non enim omnis homo est homicida. Cain autem (siquidem ausus fuit atrox scelus fratricidii committere) gravissimè puniendus est*.]

De Columnis Lapidea, & Lateritia à Sethi filiis ante diluvium ædificatis.

Sed unde scire potuit Iosephus illas duas fuisse, cùm tantùm lapidea ævo suo perstaret, & lateritia in diluvio perierit.

NOTA est illa de Columnis Historia, quam Iosephus *lib. 1. Iudaic. Antiquar. cap. 3.* recenset. Filii enim Sethi, cum ex revelatione præscirent, bis Mundum periturum esse; nempè, iterùm ignis violentia, & iterum undatum procellosis vorticibus; &, quia nesciebant utra deberet Ignis, an Aquæ Inundatio præcedere, duas erexerunt columnas, alteram lapideam, & alteram lateralem, & eis Cælestes & Sublunares notitias, quas consequuti fuerant, inscripserunt; ut, si Mundus submergeretur imbribus, permaneret lapidea; restaret altera, si ignibus obrueretur. Apud Getardum Ioannem Vossium *libr. 1. de Arte Gramm. cap. 9. pag. 40.* & Iosephi textum Græcum, & Latinam Rufini Interpretationem reperies; & ad rem nostram lineas has. *Sigismundus Galenius, vir alioquè doctissimus, prava distinctione deceptus, locum sic pessimè transtulit*, Ajunt lapideam illam ab ipsis dedicatam, quæ, & nostris temporibus exstat in terrâ Syriâ. *Vbi in eo quoque peccat, quòd* πλινθίνην *vertit* lapideam; & μένει *refert ad verba proximè memorata, cùm priùs Comma sit de lateritiâ, posterius de lapideâ*. Monetque Angelum Rocha in Appendice libri, quem de Vaticanâ Bibliothecâ Romæ edidit, existimasse alteram columnam fuisse æneam.

Errat Galenius ob unius Commatis elocationem.

PRoponam adhuc alium Sacræ Scripturæ Textum, in quo Viri docti de unius commatis loco hinc inde ingeniosè disceptant. Davides enim Deo sacrificaturus locum,

Quia multi sunt liberales ex alieno, David, emit priùs quæ erat sacrificaturus Domino.

eum, bov. sque, Reg. 24. 24. postulat ab Azounio. Ille recusat & omnia liberaliter offere: & ei Davides, *Nequaquã ut vis; sed emam pretio à te, & non offeram. Domino Deo meo holocausta gratuita* (aliena, seu mihi gratis oblata) *Emit ergo David aream & boves argenti siclis quinquaginta*, & Nicolaus de Lira hunc locum sic interpretatur. [Litera hæc sic debet punctari *Emit ergo David aream*. Et tacetur hic prædium, quod in Paralipomenon exprimitur, sexcentorum auri siclorum. Et sequitur. *Et boves argenti siclis quinquaginta*. scilicet pro bobus tantùm. &c.] Locus Paralipomenon, ad quem provocat est cap. 1. vers. 21. 24. & 25. ibi enim legimus, *Dixitque ei Rex David. Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Dedit ergo David Hornan pro loco, siclos auri justissimi ponderis sexcentos.* Et hæc facta à Lirano

Villalpandi, & Lirani de unius puncti sede dissertatio.

punctio non placet Ioanni Baptistæ Villalpando, qui *in Apparatu Vrbis, ac Templi part. 2. cap. 34. pag. 414.* sic scribit. [Lirani interpunctionem non admittunt Hebræa (Originalia) quæ ad verbum sic convertuntur ex Chaldæo, & Græco. *Emit David locum arearum, & boves argenti siclis quinquaginta*. Non ergo Altaris tantùm aream emptam fuisse dicunt, cùm omnia simul siclis quinquaginta coëmpta fuisse dicantur.] Ergo tota Lirani, & Villalpandi disputatio est de sede unius puncti.

N. B.
Siclus aureus, & argenteus erant ejusdem ponderis Villalpandus loc. cit. pag. 415. a. Ergo, si 50. argentei æquivalent 600. aureis, argentum auro fuerit pretiosiùs decuplo. At id dici, nõ sed potiùs contrà debet. Ergo hi loci sunt difficiles, & indigent expositione.

Porrò æquivocatio, quæ aliàs esset, adimitur, cùm historia præscitur. Et, ut id clarè ostendam, dabo illa verba, *Antequam Gallus cantet ter me negabis*. &c. Sed quo appellat (ut cum Petro Hispano loquar) illud *ter*, Petri, ne negationem, an Galli cantum? Si illud, comma pungi debet ante voculam *ter*, si hoc, post illam. At illo adverbio Petri negationes numerari, constat evidenter ex Marc. 14. Petro enim ait Iesus. *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, prius quàm Gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*. Et post pauca Historiographus, *Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, Prinsquàm Gallus cantet bis, ter me negabis: & cæpit flere*. Ergo scitur, quo in loco (ante-ne, an post voculam *ter*) Matthæus citatus illud comma pupugerit.

An Gallus cecinerit ter? an verò Christum Petrus negaverit ter?

ME IVVAT ad Græcorum Personas, & Historias transire, & hanc Assertionem proponere, *Alexander Magnus erat Musicus*, in qua inquiritur, quò magnitudo cadat? quam vocem (Alexandrum-ne, an verò Musicam afficiat? Sanè, si adhibeatur Interpunctio, Dubium dirimet: aliud enim est dicere, *Alexander Magnus, est Musicus*, & aliud, toto Cælo diversum, *Alexander, magnus est Musicus*. Interim, si puncta, quæ nos manuducere deberent, absint, aliundè Resolutionem desumemus. Sed unde. Ex Græcorum Historiis.

De Alexandro, An fuerit magnus Musicus, an magnus Miles?

Rhoterodamensis Erasmus *lib. 8. Apophth.* hanc recenset. [Alexander, etiam tunc pubescens, citharæ operam dabat: & quia à Preceptore subinde monebatur, quam, & quo chordam modo deberet pectere, parùm obsequens dixit, *Et quid, si istam pulsarem?* Et Citharœdus illi, *Si id interrogas tanquam Rex futurus, parum refert: si tanquam Artifex futurus plurimum refert*.] Ergo ex hac Historiâ constat non fuisse magnum Musicum, & cùm aliundè constet fuisse Militem magnum, dicemus magnitudinem illâm, quæ in voce *Magnus* clauditur, quæ per se latè patet, & æquè poterat ad Musicam, & Personam restringi, non citharam, sed ensem afficere: & ideò illam sub initium positam Propositionem, hunc sensum reddere, *Alexander, Magnus reverà Miles, etiam est Musicus*.

Quid inobedienti Præceptor ingenio sue dixerit?

An, & cui, hanc vel illam pulsari chordâ sit perinde?

Dilucidatæ Propositioni est similis hæc, *Alexander Magnus est Orator*, de qua P. Richardus Lynceus *in Logic. summul. lib. 3. num. 21. pag. 5. b.* hæc scribit. [Appellatio est reflexa applicatio unius termini ad alium; ut cum dicitur, *Alexander Magnus est Orator*, nam particula *Magnus* appellat supra Alexandrũ, non supra Oratorem, eaque propter Propositio est vera.] Sed quid, si aliquis contrà illud ipsum epithetum supra Oratorem appellare pronunciet? Et quid, si P. Nicolaum Causinum *de eloquent. lib. 12. cap. 8. pag. 765.* producat: ibi enim lego. [Hæc Ars fuit Alexandri Magni, nõ minùs diserti Oratoris, quàm [*] gnavi Principis; qui, cum exercitum haberet ex variis gentibus constatũ,

An Alexander fuerit magnus Orator?

variâ

variâ oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites adloquebatur. &c.] Et posteà *lib. 13. pag. 857. & 859.* duas pulchras Orationes, ad Milites ab Alexandro declamatas subjungit. Illas etiam Quintus Curtius proposuit, & alii ex illo. Non ergo benè Lynceus illam Assertionem exposuit; nam, si non minùs disertus Orator, quàm gnavus Princeps Alexander fuit, in hac Propositione *Alexander Magnus est Orator* jubere possumus, ut utrumque simul terminum (Alexandrum videlicet, & Oratorem) afficiat Magnitudo. Est ergo summè necessaria commatum, aliorumque punctorum expressio, sæpè enim illa sola (ut hîc accidit) sensum verum exponit; Æquivocationemque, quam adjacentes circumstantiæ tollere nõ potuerant, summâ eliminat felicitate.

Etiamnum exstant aliqua Orationũ fragmenta, quæ ad exercitum, & Milites habuit.

IN Pseudo-Ciceronis sui Henricus Stephanus primâ pagiŋâ. [PAVL. *Audin' Antoni Dionysium tam mane cavillari incipientem? Nisi fortè* argutari *appellare hoc malis*. DION. *Quasi verò bene mane jocari non liceat*. PAVL. *Quasi verò cavillari alicujus dicta sit jocari; aut, si jocari sit, sit bene jocari*. ANT. *At tu jam illi par pari refers, Paule, ad cavillationem quod attinet; neque enim se mane* bene jocari, *sed* bene mane *id à se fieri dixit*. *Verùm missa hæc jocularia faciamus*.] Vbi, ut vides, Propositio, de quâ contentio excitatur, est *Licet jocari bene mane* [*] & quæstio; quæ suscitatur, est. [An illud *bene* jocum, an tempus matutinum afficiat?] Et ipsam Comma dirimit: si enim pungatur sic *Licet jocari, bene mane*, pertinet ad *mane* illud *bene*: si autem pungatur sic, *Licet jocari bene, mane* illud ipsissimum *bene* ad *jocari* spectare debebit.

Examinantur verba, jocatur bene mane; & quæritur, an illud bene afficiat jocari vel mane?

*] Vbi Græcus dicit λίαν πρωΐ *valde mane* (vide Marc. 16. 1.) scribit Henricus Stephanus *bene mane* hoc est *satis mane*, quod reddit exactissimè Hispanus, inquit enim, *bien de mañana*, hoc est, *harto de mañana*.

λίαν πρωΐ Valde manè. Bene mane. *Hispanicè*, Bien de mañana.

PRoponebat nuper quidam Vir Eruditus hunc versum,

Gallia, nec latis audax Hispania terris.

Tibullus lib. 4.

& de illo *nec* sollicitus, quo referri debere (an ad vocem *latis*, an ad *audax*) Criticos interrogabat. Dubio occasionem præbuit omissio commatis; si enim illud *nec* vocem *latis* non deberet afficere, interjecto punctulo separaretur.

Voces, quas sensus non connectit, commata separat.

Ego autem, nam Patriam, diligo, bifariam hanc quæstionem dissolvi.

Dicebam primò, esse in illo versu manifestum σφάλμα; & propter similitudinem, quæ inter *n*, & *u*, nec non inter *c*, & *l*, & præcipuè in manuscriptis, reperitur, *vel* transivisse in *nec*. Et sic auferri potiùs dubium, quàm solvi.

Corrigitur, aut restituitur Tibulli versus.

Et dicebam secundò, negationem (si retineri debeat) nec super vocem *latis*, nec super *audax*, sed super vocem *Hispania* cadere: nec enim Hispaniæ Iuvenalis audaciam, nec ejus terris amplitudinem negare potest. Quoniam de gentis virtute, generositate, & audaciâ ait Cantalycius.

Idem versus neglecta correctione explicatur.

Hispaniq; tui quidquid genuere feroces.

& de regionis amplitudine Ludovicus Lazarellus cecinit.

Gaudet, & ipsa suo populosa Hispania fœtu.

De Hispania virtute, & magnitudine.

De utraque Io. Franciscus Mirandula, & Pontanus. Prior enim sic.

Illud mox vasto bellax Hispania tractu
Suspicit. Et posterior
Qua vasto circum pugnax Hispania ponto
Adluitur.

IN illo Distticho à matre Euriali ululato [*] videlicet

Aut tu magne Pater Divûm miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub tartara telo.

*] Virgilius Æneid.

etiam sensus reperitur ἀμφίβολος; illa enim vox *Divum*, aut vocem *Pater*, aut vocem *miserere* concernit, ita ut vel Iupiter vocetur *Divum Pater*; vel oretur, ut Æneæ, & Iuli, quos illa vult *Divos* vocare, misereantur. Et quidem *Divus* dicitur ἀπὸ τοῦ Διός, à *Iove*: & hoc nomen non Diis ipsis convenit, sed iis hominibus, qui ob gloriosa facinora in Deos convertebantur. Et merito potuit Æneæ, & Iulo dari, nam apud Virgilium Æneid. 9. Apollo

Evolat infelix, & fœmineo ululatu. Quid nomen. Divus sonet?

Desuper Ausonias acies, urbemque videbat
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum. &c.

An Æneas, & Iulus fuerint divi?

Diis

Dis genite, & genitura Deos, jure omnia bella

Gente sub Assaraci fato ventura residant. &c.

Nec mirum, si hîc Divi ipsi pati à Iove dicantur, nam in *Metamorph.* 13. legitur

Denegat hoc Genitor, & Divis irascitur ipsis.

An inter se inimicitias nunciant Divi?

Nulla autem intercederet æquivocatio, si inter Pater, & *Divûm*, aut inter *Divûm*, & *miserere* comma Virgilius pupugisset: si enim comma esset ibi, Iupiter esset Divûm Pater; si hîc, Divûm misereretur.

N.B. Hinc patet nõ esse audiẽdum, eruditissimum D. Ciamboli Virum aliàs ab eloquentia apud Italos, & Latinos laudatum, qui magno nisu omnia & oratione puncta conabatur proscribere: sunt enim sũmè necessaria, & dubia interdũ valde gravia decidunt.

Similes æquivocationes passim occurrunt in Authoribus; sæpè enim interest epithetum, sæpè adverbium, sæpè casus obliquus, qui possit huc, aut illuc referri, & ad sensum, quem intendimus, commatis expressione restringitur. Virgilius Æneid. 9.

Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus.

Debilitat vires animi mutatque vigorem.

& ibi illud *animi* æquè potest vires & vigorem afficere. Si dixisset Poëta,

Debilitat vires, animi mutatque vigorem,

vires corporis essent, vigor animi: si autem maluisset canere

Debilitat vires animi, mutatque vigorem,

animi essent vires, & vigor corporis. In sequenti autem versu

Iuno pulchra Venus verba hæc ex pectore promit.

si absint commata, illud adjectivum *pulchra* nescit prorsus, quod debeat substantivum afficere, nam mutatione punctuli, aut *Iuno*, aut *Venus*, aut *verba* esse *pulchra* dicentur.

Omitto Inscriptionem illam, quæ supra Monasterii, cui *Asellus* nomen, ostium prospectabatur.

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.

in quâ illud comma quidam posteà Abbas, cui erat Martino nomen, cum aliquorum risu: & aliquorum scandalo, non tamen impunè elocavit, ut sensus esset

Porta patens esto nulli, claudaris honesto.

nam fuit ob hanc causam depositus; & vexatus hoc versu.

Asellum, cujusdam monasterii fuit nomen.

Propter punctum unum perdit Martinus Asellum.

Hæc sufficiant, ut punctorum, & commatum in Oratione necessitas intelligatur; ne autem aliquis putet hîc agi de re tenui, & quæ Rhetoricæ, & Metricæ limites non prætergreditur, addam unum adhuc exemplum in re gravissimâ, & evidenter videas à rebus interdum minimis dependere res magnas.

De Michaele Bayo. Qui, & qualis fuerit?

Florebat sub annum 1560. Lovanii Michaël Bayus, etiamnum à pietate, & doctrinâ laudatus; qui scripsit, quæ reverà sentiebat, & hoc ut vir sincerus: qui & cum summâ humilitate retractavit, quæ malè scripserat, & hoc velut bonus Christianus. Aliquas in ejus Operibus Propositiones Romana Ecclesia severâ condemnavit Censurâ, ut constat ex Pii V. Bullâ, quæ Cal. Octobr. 1567. expeditur, & Bullâ alterâ à Gregorio XIII. Cal. Febr. 1579. confirmatur. Interim, quia in prædictis Bullis reperiuntur hæc verba, *Quas quidem sententias strictè coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento,* &c. *præsentium authoritate damnamus.* Et videntur æquivoca; quærunt Veritatis cultores, quo sensu sint interpretanda. Porrò, in illis ancipitem sensum includi, certum est; nam illa circumstantia *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, habet ex uno latere *sustineri possent:* & ex alio *damnamus.* Et occasionem præbet, ut investigemus, An, quæ secundum se non sunt Propositiones malæ, tamen, quamquam in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, aliquo pacto sustineri possent, nihilominùs propter scandalum, quod, etsi non daretur, ab imbecillis, & ignorantibus recipiebatur, condemnari debuerint? An verò in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento damnatæ sint, quamquam illarum aliquę in alio sensu ab Assertoribus non intento defendi, & sustineri possint, aut etiam sustineantur de facto?

Ejus doctrina condemnantur.

An in sensu à Michaele Bayo intento, an fortè in alio?

Quinam sentiant hodie pro Bayo?

Illud prius asserit Cornelius Iansenius, tum alibi, tum præcipuè in sui Augustini *tom. 2. lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 25. 26. & 27.* & *lib. 3. de stat. nat. puræ cap. 22.* unde sibi licen-

licentiam adrogat aliquas illarum asserendi, & docendi; & Pontificis Bullam à Suario, Vasquezio, Possevino, Turriano, Lorcâ, & aliis Theologis, qui illam suis scriptis inservierunt, esse conqueritur adulteratam; id-que dupliciter: Primò, quod comma (,) post illa verba *quanquā nonnulla aliquo pacto sustineri possint*, pupugerint, ut hac distinctione interposita, verba alia sequentia, *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, ad verba *hæreticas, erroneas*, &c. nec non ad verba *damnamus, circumscribimus, & abolemus* &c. referantur. Secundò quod in eumdem illi finem, licèt inadvertenter interseruerint particulam adversativam *tamen*, ut sensus ab Assertoribus intentus ad damnationem clariùs retorqueretur. Et has duas falsificationes probat, quia in ipsa Originali Bulla (quod per suam, & Dom. Ionsonii testis item ocularis fidem, asserit) post verba *sustineri possent* nullum comma invenitur, & particula illa *tamen* non legitur.

An male in Bulla apud aliquos Theologos sit Comma impressum?

An particula tamen inserit in Bulla ab aliquibus addita?

Hæc est Cornelii Iansenii Opinatio de damnatis à Sede Apostolicâ Propositionibus: quam Lovaniense Patrum Societatis Collegium *in Thesib. ann.* 1641. iterum, iterumque propugnatis. *cap. 4. pag. 96.* reijciunt impugnant his verbis. [Verùm in multis hîc, aut fallitur, aut fallit Iansenius; primò in eo quòd comma interpositum contrà fidem Bullæ accesserit. Nam (quidquid sit de ea, quam vidit Iansenius) Bulla certè Romana in ipsa Typographiâ Apostolicæ Cameræ impressa anno 1579. IV. Cal. Febr. (quæ penes nos est) tam manifestum, & genuinum habet comma (,) ut vel cœcutientibus appareat. Vocula *tamen* in solo extat Vasquezii opusculo, & Iansenio ipso teste *inadvertenter* posita) ut mirum sit, quod ad gravandam damnationem positam dicat: cum Vasquezius benignissimus sit illius damnationis interpres, ex quo non pauca ad favorem damnati Autoris spectantia Iansenius ipse didicit.

Patrum Societatis sententia.

Qualiter Bulla impressa Romæ comma exhibeat?

De particula tamen.

An Vasquez. benignè damnationem exponat?

Secundò, in re ipsa gravissimè fallitur; quod cùm Bulla dicat Propositionum damnatarum, *nonnullas aliquo pacto sustineri posse*: ipse asserat, eas *in rigore, & proprio verborum sensu posse sustineri*. Fallitur inquam, nam cum ipse Propositionum autor in Apologia, quam pro se scripsit; verba Bullæ in suum favorem hoc modo ordinasset: *Quāquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu &c. damnamus*, Vndè patet, quod hæc duo, *aliquo pacto, & in rigore, & proprio verborum sensu*, inter se distinguat, & opponat Pontifex. Et res ipsa loquitur: Si enim in rigore, & proprio verborum sensu, eoque ab Assertoribus intento sustineri possent, jam non duntaxat aliquo pacto, sed omni modo possent sustineri; nec eas deberet, vel posset Pontifex, ut hæreticas, erroneas, temerarias &c. damnare.]

Verba Pontificum diluendantur.

An sustineri possint Propositiones condemnatæ?

Et quidem Patrum Societatis sententia certa est, nam aliquæ, ut testantur Pontifices, aliquo pacto sustineri possunt, nempe in alio sensu, quem non intendit Bayus; nulla autem in illo, quem ad Bayi mentem præseferunt. Et, ut id evidenter ostendam, unam ex illis in exemplum proponam. Hæc Propositio, *Non potuisset Deus ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*. Est in Bulla quinquagesima quinta: & tamen à Patribus Franciscanis Hibernis postea Lovanii asserta, & publicæ Disputationi exposita in impressis Thesibus, Abbati Dunensi dicatis. Et eamdem posteà per eadem omninò verba Iansenius in suo Augustino *tom. 2. column.* 972. juxta editionem Lovaniensem, reposuit. At Pontifices in Bulla dicunt, *De eisdem, & similibus posthac quocumque pacto, loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint*. &c. Ergo-ne Patres Franciscani disputando, & Iansenius scribendo Apostolicam legem violarunt?

De Adamo.

An in initio creari homo potuerit, qualis nunc nascitur?

Quædam Propositio ex damnatis ab aliquibus propugnanda suscipitur.

Respondeo hanc propositionem esse æquivocam, & habere duas interpretationes. Quoniam Bayus, & illi consentiens Iansenius, agunt de morbis, & defectibus naturalibus, corporis; & quia multis infantes cùm nascuntur, laborant, exclamant, *Non potuisset Deus ab initio talem (nempe, agrotum, ignorantem, &c.) creare hominem (Adamum) qualis nunc nascitur*. At Patres Minoritæ agebant de peccatis, oculosque ad originarium convertentes, dixerunt,

Adamum Deus cæcum, aut ægrotum potuit condere; non autem originali, aut actuali peccato maculatum.

Non potuisset Deus ab initio talem (videlicet, originali labe infectum) creare hominem (Adamum) qualis nunc nascitur. Ille prior erat sensus à Bayo, & Discipulis ejus intentus: hic posterior est alius, quem non intendunt illi; & tamen hanc Propositionem, quamquam aliquo pacto (illo videlicet, quo illam Patres Hiberni exponunt) sustineri posset; in rigore tamen, & proprio verborum sensu à Bayo, & Iansenio intento (illo videlicet, quem Interpretatio prima exhibuit) quicumque Vir doctus condemnabit.

Quis-nam sensus à Bayo, & Iansenio, intendatur?

Omnia hæc poterunt ad duas Propositiones reduci. Prima est. *Non potuit Deus Adamum cæcum, mancum, aut ægrotum producere.* Secunda. *Non potuit creare Deus Adamum peccato originali maculatum.* Et quia hæc secunda est evidenter vera; primã tantummodò dilucidabo. Eã esse evidenter falsam assero: quia pœnam cum pœnalitate confundit, nec non Iustitiam cum Omnipotentia, & nascitur ex hac, *Non potest Deus animam innocentem affligere.* Eam Bayus num. LXXII. asserebat: dicebat enim, *Omnes omninò Iustorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.* Et eamdem dilucidare gliscit diversis in locis Iansenius. Tom. 2. column. 883. *Mors nequit innocenti creaturæ sine merito præcedentis iniquitatis à Deo infligi.* Et column. 938. *Ex ipsis terminis crudelitatem, & injustitiam spirat, innocentem Animam, nulli peccato obnoxiam, ad miserias status præsentis condemnare.* & column. 925. *Nullum qualecumque malum inferri à Deo potest creaturæ rationali sine culpa.* Et column. 746. *Impossibile est miseriam à Deo infligi sine culpa præcedente.* Et hinc infert, esse impossibilem Puræ Naturæ statum; &, *si illum admittimus*, ait column. 945. *cogimur ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichaismum.* &c. Et hæc ab illo scripta, quia inter Pœnam, Pœnalitatemque, nec non inter Iustitiam, & Omnipotentiam non scivit accuratè distinguere; & ideò operæ-pretium erit lineas adhuc paucas subscribere. Attende.

An possit Deus animam innocentem affligere?

Pœna distinguitur à pœnalitate.

An status puræ naturæ sit possibilis?

Pœna est correlativa, & culpam respicit; & tunc poterit sine culpâ inveniri, cum Pater sine Filio, & Numerus sine Vnitatibus. Ergo ex ipsis terminis crudelitatem, & injustitiam spirat, innocentem Animam nulli peccato obnoxiam aliquâ pœnâ condemnare. Sanè Pœna sine culpâ esse non potest: & culpa sine Pœnâ esse non solet; unde Troës in Lybiam impotentiâ tempestatum adacti, & ab indigenis abacti, solo luminis naturalis radiis ducti, ex injuriâ, quam patiebantur, inferebant, sub Diis justis, Afros supplicio carere non posse; & ideò apud Virgilium Æneid. 1. exclamabant.

Quid pœna sit?

Peccatum esse sine pœna non solet.

Quod genus hoc hominum! hospitio prohibemur arenæ!
Bella cient, primaque vetant consistere terrâ!
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi. [*]

[*] *Sperare mala*, est illa expectare, aut temere.

Et consultò, *Culpa sine pœnâ esse non solet*, dixi, & nolui dicere *esse non potest*; nam Deus, qui æquit innocentem punire; peccatori, agenti pœnitentiam ignoscit; & de absolutâ potentiâ impœnitenti potest culpam, & pœnam condonare.

An possit impœnitenti Deus condonare peccata?

Pœnalitas non supponit Culpã, & Deus innocentem Animam potest affligere variis pœnalitatibus: potest & peccatricem, quin respiciat peccata. Vt enim Statuarius marmor eligit optimum, & tamen illud multis ictibus, & plagis quassat, ut Cæsaris figuram, v. gr. conformet; sic Deus Animam etiam optimam, tribulationibus, & miseriis affligit, ut ipsam reddat Christi-formem.

An innocentem affligere?

Posse miseriis Deum Animam innocentem affligere, hoc apodictico ratiocinio persuadeo. *Beata Virgo hujus vitæ inclementias sustinuit: passa est sitim & famem; calorem, frigus, &c. tandem fuit mortua. Vnum ergo ex duobus, aut potest Deus Animam innocentem affligere, aut Beata Virgo non fuit innocens. At hoc posterius dici non potest. Ergo dici debebit illud prius.*

Hæc demonstratio perpêdatur.

Posse etiam Deum Animam peccatricem non in peccatorum pœnam, sed vel, ut ipsa convertatur, vel ipse alium finem consequatur, affligere demonstratur clarissimè ex historiâ Evangelicâ, quam cap. 9. Ioann. legimus. Nam, cùm accurreret

An possit peccatricem Deus affligere, quin ejusdem respiciat, ut causam afflictionis, peccata?

reret Christus cuiusam coeco à nativitate, devota curiositate moti interrogabant eum Apostoli. Ῥαββί, τίς ἥμαρτεν αὐτὸς, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* Considera illud *ut*; non enim quærunt, an ipse, aut ejus parentes peccaverint? sciebant enim originariam culpam universos per adere: & septies in die illius cecidisse parentes; fuerint justi, aut non fuerint. Sed culpam quærunt propter quam ille fuerit cœcitate damnatus. Respondit autem Dominus. οὔτε αὐτὸς ἥμαρτεν, οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. *Nec hic peccavit, neque parentes ejus* (nimirum, *ut cæcus nasceretur*) *sed, ut manifestentur opera Dei in illo.* Quod erat dicere. [Et hic, & ejus parentes originale in conceptione contraxere peccatum, & in peccato nati sunt; non autem in peccati originalis pœnam hic homo cœcitate punitur. Sed neque actualia hæc miseria concernit: non enim cœcus hic peccata actualia habebat antequàm nasceretur, & ei non imputantur suorum parentum culpæ. In ipso igitur non est pœna, sed pœnalitas visûs carentia; nam cœcitate affligitur, ut in ipso Dei opera manifestentur.]

De Evangelico Cæco.

Cur voluerit Deus, ut Natura illo visum in ipsa nativitate negaret?

Et hæc omnia unius punctuli occasione dici, disputari, & dilucidari debuerunt.

N O T A

De artificiosâ, & spontaneâ Punctorum, & Commatum alteratione.

An, & quando liceat, Commata, mutare, & elocare?

PRO hujus Articuli coronide subjungo, non sine gratia, & ingenii laude Scriptores, & Oratores sententias, quas, quomodo ad suorum Authorum mentem debeant dispungi, non ignorant, aliomodo, ut novos exprimant Conceptus, intercidere. Idque uno, aut altero exemplo illustrabo.

An, & qua puella vocari possit nimis virgo?

LEGIMUS in Genes. 24. 16. de Rebecca. *Puella, decôra nimis, virgoque, pulcherrima, & incognita.* Et quia *ignoti nulla cupido*, & latebat Titia modestissima, & pissima Iuvenis, (vix enim comparebat in publico) carebat procis, nec videbatur inventura maritum. Tunc de illa Arsindus, *Est puella decôra, nimis virgo, quæ pulcherrima, & incognita.* Ipse elocavit punctulum, & solius commatis transpositione præstitit, ut *nimis decôra* in *nimis virginem* converteretur. Vocavit autem illam *nimis Virginem*, quia sicut nimis pulchra, erat etiam nimis incognita; & quæ nubere vult, videri debet, proci enim non discernunt inter non visam, & invisam. Virtus viam mediam init & in extremis inconvenientia passim stabulantur.

Ignoti nulla cupido.

Adagium Nullus malus, piscis magnus *dilucidatur.*

NOTUM Adagium est, *Nullus malus piscis magnus*, quod ex Athenæo dilucidat Rhoterodamensis. Et quidem illud admittunt Physici: nam in parvos, magnos, & maximos, illi pisces dividunt: & licèt ex parvis aliquos, & ex maximis multos esui ineptos pronuncient, nullũ ex magnis interdicunt, quia sunt boni, & salubres, omnes magni. Sed & Ethici puellæ nubili dicunt, *Nullus malus piscis magnus*, parvus enim maritus (hoc est, pauper) matrimonii onera sustinere non valet: maximus (hoc est, ditissimus) uxorem non tam ducit, quàm emit. Rete ergo laxa, ut magnum piscem capias, quoniam tu magna es, &

Dicitur Virgini ut sciat, qualẽ maritum debeat quærere.

Si bene vis Virgo nubere, nube pari.

Adagii dilucidatione præmissâ ad Historiam veniamus.

Dissolvitur, & Musico malo applicatur.

Propis, Citharædus Rhodius, erat vir quidem magnus corpore, sed Arte Pusillus. Per alias Græciæ urbes Vagatus, tandem Athenas venit, & superbia tumens, concertationem cum indigenis Musicis inire voluit. Et dum alii aliter & aliter scommata in illum exploderent, Stratonicus, qui fortè aderat, rogatus qualis Propis videretur, respondit, *Nullus; malus; piscis; magnus.* Singulas dictiones quæ erant in Adagio indivisæ, lepido, & ingenioso hypostigmate separans. Sanè nomen *nullus* importat hominem, qui nihili fit: nomen *malus*, non indiget expositione: pisces non cantant: & ibi magnitudo ad corporis molem refertur.



NO-

NOTA.

De Appellatione.

De Appellationis nomine.

EX præcedenti doctrinâ nascitur Appellatio. Non agitamus de nomine, nec inquiramus, An Nomenclator Logicus Terminus, & Terminorum proprietatibus vocabula opportuna imposuerit? Scripserit P. Hurtadus, Petrum Hispanum Summulistam egregium fuisse malum Grammaticum: illum alii imitentur, nos loqui debemus cum multis; &, si aliter velimus, à Lectoribus non intelligemur. *Appellationis* ergo retineatur vocabulum, exponamusque quid illo à Logicis significetur.

An, & cur retineri illud debeat?

Quid Appellatio sit?

Profectò Appellatio est affectio; & quando unum vocabulum super aliud appellare dicimus, unum aliud afficere (unum conjungi cum altero) significamus. Et, si contingat aliquando æquivocatione laborare periodum, interpositione unius Cõmatis omnis tollitur Æquivocatio. Lalemandetius *in Apparatu Isagogico partit. 10. num. 29. column. 42.* [Definitur autem communiter Appellatio, *applicatio significati formalis unius termini ad significatum formale alterius*. Verbi gratia. *Petrus est bonus Logicus*, nomen *Bonus* applicat suum significatum ad *Logicum*, non verò ad *Petrum*. Vnde *bonus* dicitur dictio *appellans*, & *Logicus* dictio appellata.] Et statim subjungit. [Advertendum Primò Appellationem esse oppositam Ampliationi, ac proinde esse quamdam Restrictionis speciem. Secundò eam præsertim [*] in terminis adjectivis in ordine ad terminos, quibus cum junguntur, inveniri. &c.]

*] Consultò illud *præsertim* posuit: nã etiam nominibus substantivis, & verbis convenit Aplatio.

De epitheto quod potest duo nomina afficere.

Tria in appellatione reperiuntur, Amphibolologia, Causa illam auferens, & Restrictio, seu æquivocationis sublatio. Rem dilucido exemplo. Audio hanc Propositionem, *Sylla magnus fuit Politicus*. Et in ipsa amphibolologiam percipio; nescio enim, an excellentia significata voce *magnus*, Syllæ corpus, an ejus Politicam afficiat? aliud enim esset dicere, *Sylla, magnus corpore, est Politicus*, & aliud *Sylla magnus, & excellens est in Politicâ*. Vt ergo dubium auferam, lego historias, & eum reperio ignorasse vera fundamenta Politicæ: quoniam ad annum Vrbis 675. in Chronico scribit Genebrardus, *Sylla Dictaturam abdicavit, ordinatâ Republicâ, de quo Cæsar apud Suetonium, Syllam nescivisse literas, qui Dictaturã deposuisset*. Ex Dictaturæ igitur abdicatione, ut à causa colligo illum non fuisse in Politicâ magnum. Ergo dicam epitheton *magnus* cadere super nomen *Sylla*.

An Sylla ignoravit Politicã?

An in Appellatione unus terminus referatur ad proximum?

Regulariter loquendo Contextus postulat, ut voces de quarum appellatione dubitatur, referantur ad Orationem proximam; sed tamen id non habet locum, ubi obstat indubitata Veritas. Porrò in Oratione, quæ dicitur in Missa pro Papâ. *Famulum tuum, quem Pastorem Ecclesiæ Tuæ præesse voluisti, propitius respice. Da ei, quæsumus, verbo, & exemplo, quibus præest, proficere*. &c. Relego illa verba, *Da ei*. Sed cui? Vox *Ecclesiæ* est proximior, & tamen illud *Da ei*, non ad proximiorem vocem *Ecclesiæ*, sed ad remotiorem *Pastorem* refertur, non enim hîc pro Ecclesiâ, sed pro Pontifice orari, certum est. Aliud testimonium adamus. In Evangelio concionabatur Christus Dominus, dicebatque. *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me*. &c. Matth. 5. Et quò, quæsò, refertur illud *propter me*? Nihil adjacet propiùs, quã *mentientes*. An-ne mentiebantur illi propter Deum? Eo sensu, quo maledicebant, & persequebantur illos propter Christum (quia odio habebant Christum) sic posset dici mentiri propter Christum (quia odio habebant Christum) Interìm meliùs decurrit sensus, si dicatur, illud *mentientes* non restringi; & circumstantiam illam *propter me*, maledictionem, & persequutionem afficere: quoniam ex odio, quo habebant Christum, illæ suboriebantur, ait enim Dominus. *Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. &c. *Si* (siquidem) *me persequuti sunt, & vos persequentur*. &c. Ioann. 15.

An possit quis mentiri propter Deum?

Quid sit odio habere, & persequi aliquos propter Christum?

Aliquando non occurrit ratio, vel causa, ob quam appellans terminus, huc debeat potiùs, quàm aliò referri, & tunc hærent Lectores, & permanent Amphibologia; nec ideò sententia est negligenda; quoniam

An, & cur Opiniones sint accuratiùs, quàm Demonstrationes inspiciendæ?

ut apud Gretserum cap.9. ait Aristoteles ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. Sanè *attendere oportet ad sententias, & opiniones expertorum, & prudentium, quæ demonstrari nequeunt, non minùs, quàm ad demonstrationes*. Immò magis; nam, ubi est demonstratio, iam cognoscitur Veritas; &, ubi non est, quæritur, & investigatur.

Sæpè hæret Mens, quia caret ratione certa, & sæpe, quia hinc inde habet, quas certas judicet.

Hæret intellectus similiter, cùm ab utrâque parte rationes efficaces occurrunt; nam si dixerit aliquis *Pompejus magnus fuit Navarchus*, hærebit eruditus Lector, & non poterit scire, an sensus sit, *Pompejus, cognomento Magnus, fuit navarchus*, an verò *Pompejus, fuit magnus Navarchus*. Sensum priorem eligi debere affirmabit, qui in Livii epitom. 89. Vellejo, Plutarcho, Cicerone *pro lege Maniliâ*, & aliis legerit [Pompejum viginti quatuor annos natum triumphasse de Africâ, & à Syllâ fuisse *Magni* nomine condecoratum,] Et eligere secundum poterit, qui *ibid.* videat, [bellum Piraticum, quod alii appellarunt *Maritimum*, extremâ hyeme apparatum, ineunte vere susceptum, mediâ æstate à Pompejo confectum fuisse; tanta felicitate, aut à Brundusio profectus, quinquagesimo die jam totam ad imperium Ciliciam adjunxerit, piratasque omnes intercipiendo, & interficiendo deleverit.]

Cur, à quo Pompejus appellatus sit Magnus?
An, & Navarchus Magnus fuerit?

De Abrahamo, & Sara.

Similis locus occurrit in Sacra Scripturâ; ait enim *cap.* 20. 12. *Genes.* Abraham, *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ: & duxi eam in uxorem*. Nam dubitant Expositores, An illud *verè* super nomen *soror*, an super verbum *est* appellet? Sanè illud adverbium sororem afficere, Saramq; fuisse verè sororem (adeoque veram sororem) Abrahæ, docet S. Hieronymus *in traditionibus Hebraicis in Genes.* dilucidans caput XX. nec nō Clemens Alexandrinus *sub fin. lib.* 2 *Stromat.* Quibus adhærent Lippomanus *in Caten. Genes.* 20. Dominicus Soto *lib.* 2. *de Iust. & Iur. qu.* 3. & magnâ contentione Cajetanus *super caput* 11. & 28. *Genes.* At communis sententia, quam Pererius *in Genes. tom.* 2. *libr.* 16. *disp.* 14. *pag.* 217. & iterum *tom.* 4. *ad cap.* 48. *pag.* 321. *a.* doctè edisserit, Saram esse fratris filiam, & ideò *sororem* (Hisp. *prima hermana*) ab Abrahamo vocari; & illud *verè* verbum *est* afficere, ut sensus sit, *Verum quidem est, quod dixi: est enim cognata mea, & Hebræi sorores cognatas universas vocamus*. Verba autem Pererii sunt hæc

De adverbio verè; quo respiciat?

[Adverbium illud *verè* non jungitur cum sequenti vocabulo *soror*, quasi denotetur eam fuisse veram, & germanam sororem Abrahæ; sed pertinet ad veritatem sententiæ, quam dixerat Abraham; ut hic sit sensus, *Non sum mentitus, cum dixi eam sororem meam, nam secundum consuetudinem gentis nostræ, cum ea sit filia fratris mei, verè dici potuit soror mea*. Iam verò illud; *filia Patris mei, & non matris meæ*, hanc habet sententiam; Omnes qui erāt ex familia Tharæ ipsum appellabant *Patrem*, & id circò appellabant, se *Fratres*, & *Sorores*. Audi Chrysost. *in Homil.* 45. *in Genesim* hæc ipsa verba explanantem: *Quia*, inquit *eumdem illa* Patrem *vocat, quem, & ego* patrem *appello, idcircò, & ipsam ego* sororem *vocavi*. Erat præterea quædam præcipua, & propria ratio, cur Sara avum suum Thare appellaret *patrem*. Siquidem Aran pater Saræ multo tempore ante Thare mortem obierat, quapropter Sara mortuo patre ipsum Thare non solum in avi, sed etiam in patris loco habebat. Sed quid illud significat? *Filia patris mei, & non matris meæ*. Hoc videlicet: Thare aliâ uxore generasse Abrahamum, & ex alia ipsum Aran patrem Saræ, Quarè Abraham, & Sara eumdem virum idest Thare appellabant *patrem*, ille quidem, ut Genitorem suum; hæc verò, tum quia erat avus, tùm quia eum vice patris sui jam mortui, colebat. Non poterant autem similiter eamdem fæminam appellare *matrem*, cùm alia fuerit fæmina, ex quâ Thare generavit Abraham, & alia, ex qua procreavit Aran patrem Saræ.]

Qualiter Abraham, & Sara fuerint fratres?

Thare duas uxores habuit: & ex altera suscepit Abraham, & ex altera Aran, parentem Saræ.

Thare fuit realis Saræ avus & virtualiter pater. Sed cur?

Profectò æquivocationem, quæ ex Appellationis incertitudine, & varietate nascitur, Commatum tollit interpunctio: Ergo recognoscere proderit, quæ suo loco de Punctorum, virtute, & significatione dicuntur.

Cur sequens Articulus adjungendus sit?

AR-

ARTICVLVS XI.

De Continuatione sensus intercisi à Parenthesi, & Graphe.

Quid ipsa sit?



PARENTHESIS, Græcè Παρένθεσις, est Orationis clausula, tali arte contextui inserta, ut eâ deletâ sẽsus integer, & illæsus remaneat. Ratio nominis sumitur à verbo παρεντίθημι, quod est *interpono*, seu *insero*, Valla. *Parenthesis est interjectio orationis in sermone, qua remota manet sensus integer*. Duabus illa semilunulis clauditur, ut *Augustus (testatur id Suetonius) Romam venit*. Romam autem quis venit? Suetonius, an Augustus? & cur quæsò, non legimus, *Augustus testatur id; Suetonius Romam venit*? Quia aliud Interpunctio Parenthetica postulat: Augustum enim separando à Suetonio, præcipit, ut Historiographo verbum *testari*; & Imperatori verbum *venire* adhæreat. Vnde, si verba, quæ semicircellus continentur, subduxeris, ad hunc integrum in aliis sensum (nempe, *Augustus Romam venit*) invenies.

Vnde dicatur.

Quid præstet?

Esse debet breviuscula, quando enim est prolixior, aut longior, dicitur ὑπέρβασις. Et cur? Veniemus ad vocis rationem per gradus. Βάσις vox Architectis nota, columnæ significat *sustentamentum*. Deducitur à verbo Βαίνω, Fut. Βήσομαι. Præt. Βέβηκα, quod cum tempore mutat significationem. In præsenti enim motum, & in præterito dicit immobilitatem. Ioannes Scapula [Βαίνω. *gradior, incedo, eo.* &c. Præt. Βέβηκα, *Situs, & fixus sum. Fundatus, & firmatus sum*. βεβηκυίας τῆς οἰκίας ἐν δαπέδῳ. Xenophon, & βεβήκως pro *firmo, & constanti*. Vide Budæum. Et τὸ βεβηκὸς pro *firmitate, & securitate* ex Plutarcho.] Lapis igitur, qui fundat, & subcollat Columnam, quia illam immobilem reddit, appellatus fuit Βάσις. Nec mirùm, si cum tempore significationem mutet verbum Βαίνω; nam, si Rabbinis credimus, apud Hebræos ברך in Cal BARACH est *benedicere*, & BIRECH, *maledicere* in Piel. Apud Latinos etiam aliqua similis observamus; aliud enim *Lego, as*, & aliud *Lego, is* significat: aliud *redimit* si à *redimio*, & aliud, si à *redimo* sit. Sic etiam *cĕcidi* differt à *cecīdi*. Et Hispanus duo participia passiva à verbo *Yo me muero*, hoc est, *Ego morior*, deducit; nempe, *matado*, & *muerto*; quorum *exulceratum* illud, hoc *mortuum* sonat.

ὑπέρβασις ἀπὸ τοῦ ὑπερβαίνειν.

Quid Basis apud Architectos significet?

Βαίνω motum in præsenti significat constantiam, & immobilitatem in præterito.

Reperiuntur in aliis linguis similes significationes parallelæ.

136

Hinc propter similitudinem officii, Orbiculi illi, quibus vasa in mensis, ne totalia maculentur, imponebantur, dicti sint Βάσεις. Erant autem hujusmodi Orbiculi, coronæ, aut circuli, apud cives ex vimine, apud nobiliores ex ære, aut argento in modum coronæ elaborati. Eorum usus non videtur in Hispaniâ receptus: at in Belgio etiamnum conservatur, & nominantur Ringen. Trebatius IurisConf. *de leg. 3.* hinc nanciscitur lucem: scribit enim, *Cui Corinthia vasa legata essent, & bases hic quoque, horum vasorum collocandorum causa paratas, deberi respondet*. Ratio resolutionis sumi potest ex Iuridicâ Regulâ *Accessorium naturam sequi congruit Principalis*. Quam Bonifacius VIII. in Sexto num. XLII. Canonicam fecit: quamque Laymannus *libr. 4. tract. 7. cap. 2. num. 5. & 7. folio* 694. & *Syntagm. de Iusta defens. fol.* 247. & 363. & iterum *in Theol. Moral. fol.* 566. Bidermannus *de delect. moros. fol.* 408 Reginaldus *libr. 23. nu.* 117. & *seqq.* Bartholomæus à S. Fausto *in Religiosorum Thesauro libr. 2. qu.* 11. *nu.* 7. & alii Theologi dilucidarunt.

Coronula in mensis cur poni soleant?

Ringen.

An cum vasis legentur?

An principali res donata, legata, vendita legata, &c. accessorium adhæreat?

Hinc quoque Critici, quoniam Narratio, si suis numeris constet, sustinet Auditorum animos, & in consilio firmat, Figuram, Formam, & Me-

Quænam apud Rhetores figura sit Basis?

Genebrardus in Chronico ad ann. 1588. sic scribit. [Cùm Hispanica classis 30. Maji Vlyssbona solvisset, tempestate agitata quatuor actuarias triremes, & quasdam ex minoribus desideravit. Posteà non procul à Plymnutha, primùm ab Anglis cōspecta, levioribus velitationibus salutatur, & naumachiam fortunamque periclitare cœpit. Tandem (N. B.) mole sua laborans, depressa, capta, & direpta est. Constabat autem 150 navibus. Ex iis 32. perierunt, atque in manus hostiū devenerunt: atq; in iis decem millia militum. Cætera pars classis, partim lacera, partim salva, in Hispaniam denuò appulsa est. Ianfonius in *Mercurio Gallobelgic. lib. 2.* & Anton. Ciccarella *in vita Sixti V.*

præsentia solummodo consiuerat, *Invictam* pleno ore nuncupaverit. In ipsa sub D. Ludovici Perez de Guzman, Ducis de Medina Sidonia, ἀρχι ναυάρχου auspiciis Heroes nobilissimi, & fortissimi conscripti sunt. Verùm enim verò, non propter Anglorum virtutem, nec propter Hispanorum ignaviam, sed ob ventorum procellosam discordiam, summo impetu in vada hæc classis acta pereundo reliquit Politicis hoc Monitum.

Et caret effectu Spes bona sæpè suo.

Ad hujus Classis Gloriam Gongora Epinicium composuit, ex quo hos rhythmos scribo.

Levanta España tu famosa diestra
Dèl Pirene Frances al Moro Atlante
Y al ronco son de trompas belicosas
Haz envuelta en durissimo diamante,
De tus valientes hijos feroz muestra. &c.
Tu (que con zelo pio, y noble saña
El freno undoso al humido Neptuno
De selvas inquietas has poblado;
Y quantos en tus Reynos, uno a uno
Empuñan lanza contra la Bretaña,
Sin perdonar al tiempo, has embiado,
En numero de todo tan sobrado,
Que a tanto leño el humido elemento,
Y a tanta vela es poco todo el viento)
Fia, que en sangre del Ingles Pirata
Tiñira de escarlata
Su color verde y cano
El rico de ruinas Oceano:
Y aun que de lexos con rigor trebidas
Illustrará tus playas, y tus puertos:
De vanderas rompidas, [a]
De naves destrozadas, de hombres muertos.

Interjectionem hanc considera. A voce *que con zelo* ad usque *todo el viento*, per novem versus decurrit, quibus finitis verbum *fia*, pronomini, quod ante initium ponebatur, restituit.

Iuniores, ut posteriorem hanc Interpositionem (ὑπέρβασιν) à priori (παρένθεσι) alamo etiam secernant, illam sic scribunt [.....] & hæ ab Italis lineæ à γραφή, Græcâ voce, quæ est *scriptio*, nominantur *Graphetæ*.

Quid Graphe sit: & an figura differat à parenthesi?

a] Annus hic 1588. infortuniis, & calamitatibus infamis omnibus regnis, & provinciis iniquus, prævisus, & prædictus fuit ab Astrologis, & inter eos à Ioanne de Monte-Regio celeberrimo, & doctissimo Viro, qui antequā Romæ, anno Christi 1475. ætatis suæ 42. moreretur, ad syderum dispositionem elimavit hos numeros.

Ioannes de Monte-Regio laudatus.

Post mille expletos à partu Virginis annos,
Et post quingentos rursus ab Axe datos,
Octogesimus octavus mirabilis annus,
Ingruet, & secum tristia fata trahet.
Si non hoc anno totus male concidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruet.
Cuncta tamen Mundi sursum ibunt atque deorsum
Imperia: & luctus undique grandis erit.

De Astrologia Iudiciaria. An provinciarum casus occasusque ex constitutione syderum prasciri queant?

Et oculatissimè Regiomontanum, & post eum Ioannem Stofflerum, & Henricum Ramzoviū miserias prævidisse, & prædixisse ait Genebrardus: *Nam in omnibus regnis, & imperiis* (hoc anno) *maximas rerum mutationes; immò totius Orbis paroxysmos conspeximus.*

An Astrologia credendum sit?

Interim, quia Iudiciariæ Astrologiæ aliàs parùm, & nihil omninò, quando agitur de voluntate humana, defero, lineas subsequentes scribo.

Cicero *Tuscul. Quæst. lib.* 1. probaturus Rationales Hominum Animas à causis materialibus non generari, sed à solo Deo absolutè produci, sic inquit. [Si autem est quinta quædam Natura, ab Aristotele inducta, hæc & Deorum & Animorum est.] Vocum defectu *Quintam Naturam* nominat, quam jam *Immaterialem*, & *Spiritualem* appellamus. Et subjungit *ibid.* [Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in Animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur: nihilque, aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, & cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prævideat (aut provideat) & complecti possit præsentia, quæ sola Divina sunt. Nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possit, nisi à Deo.]

Quid, & qualis & quorum sit quinta natura?

An Intellectuales animæ à causis secundis producantur An à solo Deo creari debeant?

Et hinc ego per παρωδίαν contra Astrologos Argumentum desumo. Sic enim inquam. [Ad quintam Naturam, ad Immaterialium, & Spiritualium rerum Classem (in qua, & Deus constituitur; ipse enim immaterialis, & spiritualis est) pertinent Animæ Rationales. Ergo earum actuum (sive Intellectum, sive Voluntatem concernant) nulla in Cælestium Astrorum influxibus origo inveniri potest. Nā Cçlorū, & Astrorū naturæ, ut Iuniorū Observationes suadent, essentia non differunt ab Elementaribus, adeoque sunt mixtæ, atque concretæ: in Animabus verò, & eorum spiritualibus operationibus, nihil mixtum, aut ex materialibus rebus concretum, aut ex materiali Cælo natum reperiri videtur. Et cùm Astra per qualitates corporeas humectatem, & siccitatem, frigus, & igneum calorem in hæc sublunaria operentur, & liberis hominum actibus nihil humidum, nihil siccum; nihilque frigidum, & randem nihil calidum, aut igneum sit, in eos illa non influere manifestè colligitur. In Astrorum enim naturis nihil inest.

De humanorū actuum regimine, & prædeterminatione.

An Cælum sit incorruptibile?

Astra influunt primarias qualitates producendo.

quod

An in Animæ operationes vim habeant? De physicis prædeterminationibus.

quod vim memoriæ, mentis, & cogitationis habeat; nihil, quod, & præterita teneat, & futura prævideat (aut provideat) & complecti possit præsentia, quæ sola Divina sunt. Nec invenietur unquam, unde prædeterminationes physicæ infallibilitantes (necessitantes enim non admittimus) venire possint, nisi à Deo.

NOTA.

De Sectione unius Vocis in duas, & duarum in unam Consolidatione.

Quid præstet lineola posita inter duas voces.

EST, & lineola, inter literas ad longum tracta, quæ potiùs connectit, quàm dividit; & est in usu etiam apud Hebræos. Vti solemus illa in compositis verbis, ut *Res-publica*, *Græco-latinus*, *Neo-Pragensis*, &c. Quando autem volumus separare dictiones, spatium in medio relinquimus, hoc enim sufficit, ut secernantur.

An Proceritus a, um. sit nomen Latinum, & ab iis usurpari possit, qui purè scribere, & loqui desiderant?

Et quidem sæpè Exscriptores, ut scioli viderentur, aut diviserunt voces, quæ integræ remanere debebent; aut conjunxerunt, quæ debebant remanere distinctæ. Porrò in Plauti libro, quo utebatur Ambrosius Calepinus, sic legebatur hic versus.

Neque nos populus proceritis insectabit lapidibus.

& ideò in eam venit sententiam, ut crederet, *Proceritus, a, um* esse nomen satis Latinum, aliàs enim non fuisset usurpatum à Plauto. Non assentitur Passeratius, nam in Editione Lugdunensi anni 1634. lego [*Proceritus*; inquit Calepinus, *est malo spiritu afflatus*, citans locum Plauti ex Pœnulo. *Neque nos populus proceritis insectabit lapidibus.* Quo tamen in loco, qui vel primoribus labris literas degustarit, facilè deprehendet *pro ceritis* duabus dictionibus esse legendum: nempe, *tanquam ceritos*, id est *furiosos*.]

Corrigitur à Passeratio Calepinus.

An hæc Observatio sit utilis?

Non multum aliquando refert, inter voculas duas discretio, aut cōsolidatio ponatur; at aliquando mutatur orationis sensus; multùm enim distat *Respublica* à *re publica*: [*actualiter* ab *actu aliter*] *generosa* à *gena rosâ*. &c. Et Magister Roales graviter vociferabatur contra P. Pozam Salmanticæ, quòd cùm Hieronymi verba illa *Beatus, qui inculcas verbum Dei in auditum*, produceret, *in* & *auditum* consolidavit, quasi laudaverit Hieronymus eum, qui in Theologia (hanc enim scientiam importat nomen illud *Dei*) verbum inauditum, seu sententiam nunquam visam inculcet.

An S. Hieronymus commendet eos, qui Opinationes Novas invehit in Theologiam.

C A P V T III.

De Virtuali Dictionum Significatione.

Quid significent nomina Appellativa?



OMNIA Nomina Appellativa res abstractas, non autem abstractionem significant. Est doctrina communis, & certa; quando enim dico Bucephalus est Equus, & Equus est animal, non dico Bucephalum esse Equum specificum, nec Equum esse animal genericum: nam secundæ intentiones prædicantur *ut quo*, sunt enim prædicandi rationes, quæ in prædicato non clauduntur. Hæc doctrina semper fuit apud Dialecticos indubitata; &, ut putabam, à nemine negari poterat. At nuper prodiit Bona-Spes, qui *in Logic. disp. 1. num. 30.* docet vocem *Homo*, *Animal* (& idē de cæteris asserit dicendum esse) significare ex parte objecti ipsammet abstractionem; unde ait, vocem hanc *Homo* æquivalere huic *Homo abstractus*. Et, quia videbat, sibi debere statim objici, hanc Propositionem *Christus est homo*, falsam esse; falsa enim est hæc, *Christus est homo abstractus*. Respondet falsam quidem esse, si sumantur voces in figūrosâ significatione, quam habent ex instituto; esse autem veram eo sensu, quo apud Philosophos Vniversalia verificantur de Individuis. Vnde, si non essent in Mundo Philosophi, Christus non esset homo.

An, & quo sensu hæc Propositio Christus est homo sit vera?

Sententia Bonæ-Spei impugnatur.

P. Rodericus Arriaga *in Logic. disp. 6. sect. 1. n. num. 76. pag. 137. b.* hanc Bonæ-Spei Opinationem impugnat; eumq;

Præcisio Objectiva non debet cum formali confundi.

Præcisio Objectiva non debet cum formali confundi.

eumque asserit mirabiliter loquutú fuisse; ostenditque eumdem Præcisionem Objectivam, cum Formali confundere. Addo & ego, hunc Errorem ex eo nasci, quod existimet Intellectus conceptus vocibus significari. Hoc autem falsum est; nam verba Oris ad verba Mentis se habent, ut verba unius linguæ ad verba alius. Sicut enim vox Latina *Homo*, & Hispanica *Hombre*, æquè immediatè significant hominem, quin altera significet alteram; sic verbum Mentis *Homo*, & verbum Oris *Homo* æquè, & immediatè hominem significant, quin Mentale in Vocalis objecto includatur.

Voces nō significant conceptus, sed illis æquivalent

Porrò Nomenclatores, Homines Politici fuerunt, non Philosophi; non habuerunt secundarum intentionum notitiam, tametsi eas exercuerint; nam & Puer in lingua vernacula loquitur, & utitur nominibus, verbis, &c. quin sciat, quid sit Nomen, aut Verbum; Ergo impossibile est illos secundas intentiones nominibus à se inventis voluisse significare.

Non fuerunt Philosophi primi Nomenclatores.

Præterea, si Voces non significant Conceptus, sed illis æquivalent, objectum Vocis *Homo* erit idem omninò, ac objectum Verbi Mentalis *Homo*. At Verbum Mentis *Homo* non significat præcisionem, sed rationem hominis, quæ est ab individuis præcisa, Ergo similiter Vox *Homo*, nullo modo præcisionem in objecto suo includet.

Vocum, & Conceptuum objectum idem est.

ARTICVLVS I.

De Idiomate, Dialecto, & Hypodialecto universim, & in specie de Politicâ, & Nauticâ.

Quid sit ἰδίωμα, & quid διάλεκτος, & quomodo inter se distinguantur?



Ambrosius Calepinus, & ejus Auctor, & Illustrator Passeratius Idioma cum Dialecto confundunt; inquiunt enim, *Idioma est proprietas sermonis, ut sunt quinque Idiomata Græcorum, quæ, & Dialecti vocantur*. At communis Opinio asserit *Idiomata* esse linguas, quæ materiâ, & formâ distinguuntur, ut sunt Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Mexicana, &c. Additque in eodem Idiomate varias reperiri Dialectos; & has non totâ materiâ, aut formâ linguæ, sed paucarum vocum materiâ, aut inflexione differre.

Quinque Dialectos in Idiomate Græco Critici numerant; Atticam, Ionicam, Doricam, Æolicam, & Communem. Et inter eas, quia regularior est, videtur Attica universis facilior; & ob causam oppositam difficillima est Dorica; unde meritò *in Tiber. cap. 56.* Suetonius *valde molestam, Doridem æstimari* pronunciat.

An, & quot Dialecti in Græca Lingua reperiantur?

Veterum Imperatorum tempore diversæ erant Latinæ Linguæ in Italiâ Dialecti; at, quia nulli hodie in Mundo Genti est Latina vernacula, & illam arte, & labore adquirimus, mansit illa Romana, quæ Augusti Imperatoris ævo, in Senatu, & Aulâ Cæsareâ habebatur.

An suas Dialectos Idioma Latinum habuerit?

Suas Diversas Dialectos, Hispanicum, Gallicum, Belgicum, Italicum, Germanicum, & alia Idiomata præseferunt; ubi enim sunt diversæ Provinciæ, semper est inter Civitates aliqua in vocum inflexione diversitas.

An etiam alia Idiomata?

Et quod mirum videbitur, Parisiis, Leodii, Lovanii, Neapoli, (& forsitan in aliis magnis Civitatibus; recenseo enim illas tantùm, in quibus loquendi parallaxim notavi) tanta est varietas, ut qui in Orientali Civitatis plagâ habitant, voces, & phrases proprias habeant, per quas ab occidentalis plagæ incolis scerni possint.

An Dialecti in una, & eadem Civitate inveniantur?

Sicut suas Dialectos Civitates vicinæ, sic, & suas Scientiæ, & Artes habent: & quia Politica inter Practicas nobilissima est, ejus Dialectos breviter edisseramus.

SECTIO I.

De Dialecto Politicâ. *An habeat specialem Grammaticam? & , An ipsa diligentia, & studio speciali à Regum, & Principum Oratoribus sit addiscenda?*

Diversis terminis, diversæ Facultates utuntur.

SIcut una, & eadem vox aliter, & aliter accipitur in diversis provinciis, sic etiam in diversis Scientiis, & Facultatibus. Et Politica speciale habet Lexicon, quod intelligere solent valdè pauci. Tiberius præ cæteris celebratur à Tacito, in quo duæ eminuerunt præstantissimæ prærogativæ; nam & tacere politicè, hoc est, dissimulare optimè noverat, & in aliorum mentes per actuum, aut verborum rimulas ingrediebatur. Et quidem Politicum Idioma cæteris aliis certiùs est: & si non facilius, securius; quoniam in universis aliis ad placitum verba significant, & in ipso signa omnia à naturâ vim habent. Conati sunt nonnulli morum Institutores, phrases, & modos mentem exprimendi Politicè ad Grammaticam Generalem reducere; & inter ipsos D. Ioannes Antonius de Vera non infeliciter adlaboravit: nam in libro, quem *El Embaxador* inscribi voluit, *discurs.2.fol.99.a.* sub Legati nomine, his verbis Politicos universos instituit.

Tiberii ingeniũ

De Modis loquendi politicè.

Politica, seu Civilis Grammatica.

De variedad, de affectos, que conosca en varios sugetos, y tiempos el Embaxador, examinados con maduro seso, y dispierto ingenio ó de hazer una Regla cierta, y un Arte de entender palabras, y penetrar intenciones, porque de esto modo tuvieron las ciencias su principio en la prudente consideracion de las cosas particulares porque observando los hombres lo que en ellas ordinariamente succedia, y lo que taubien con certidumbre vinieron, à distinguir lo necessario de lo contingente; y de aquello hizieron Ciencia; y desto Opinion, ò Conietura, y desta misma forma de atencion de las dolencias particulares sacaron los Medicos los precetos de su arte, y hizieron las dotrinas universales, y aun para à quella admirable figura de [a] *Venus, que hizo Zeuxis se valio deste mismo copiando diferentes faciones, de diferentes rostros hermosissimos, con que hizo cosi superior a la naturaleza su pinzel, y dio un nuevo exemplar de belleza: assi el Enbaxador oiendo a muchos, y considerandolo todo, y no creiendo nada, y dando a entender que lo cree,* [adde, *y guardando para si estas noticias sin communicarselas* [b] *a nadie*] *vendrà a atinar con lo cierto, porque esperar a que succedan las cosos para advertirse es toda la miseria de la Legacia, que como dixo Quinto Fabio.* El sucesso es [c] maestro de necios, que esperan para desengañarse ver con los ojos, y tocar con las manos. *&c.*

Ars penetrandi intentiones.

Quomodo invẽtæ fuerint scientiæ, & ab Opinionibus distinctæ?

De Medicinæ inventione.

Monitum Politicum, quod debet observare Legatus.

a] In hortos curiosos, & fertiles ingredienti Reginæ, rosæ, & flores applaudunt, & Olitor, digniores, & nobiliores legens, construit fasciculum (Hisp. *haze un ramillete*) & in eo flavissas systematis vegetativi, quæ per areolas videbantur sparsæ, ad compendium reducit. Porrò faciei humanæ perfectiones (Hisp. *las faciones*) flores sunt, quas per diversas Virgines, Natura, rerum parens, dispersit. Huic frontis serenitatem, illi oculorum vitam, alii in genis ebullientem sanguinem: isti gemmas pro dentibus (Hisp. *perlas por dientes*) aliasque decori vultus gratias Nymphis cæteris communicavit, ut essent pulchræ, & speciosæ singulæ. Zeuxis Heracleotes, clarissimus, & celeberrimus Pictor, ob certamen cum Parrhasio celebratum in Orbe Literario notissimus, nam erat felicissimi ingenii, in se seductus, cogitabat, & discurrebat sic. Natura in nulla arbore diversigeneres fructus produxit, & Ars, oculos varios inserendo, præstitit, ut ex eodem trunco emergant rami, qui hinc poma, inde pyra, & illinc alios fructus exhibeant. Nullam vidimus in hortis plantam, quæ violas, flores, & rosas simul ederet; & tamen Olitoris industria, quæ per diversas areolas distribuebantur, sunt in Reginæ manu collectæ pulchritudines. Ergo & poterit Ars, si accedat diligentia, & studium, Humani vultus perfectiones, quæ sparsim suspiciuntur in multis, in unam colligere tabulam, quæ Naturam excedat, & inter homines judicetur prodigium. Hac generosa opinione præventus ad Musæum convocavit Heracleotenses Virgines, & sicut artificiosa Apis, ex singulis, quod perfectius, & pulchrius videbatur, delibans, simulachrum composuit, quo venustius in mundo, nec Mortales conspexerant, nec se visuros sperarent. Illo Zeuxim (simulachro) Venerem D. Ioannes Antonius, ut vidistis expressisse asseverat: alii ex Plinio *lib.35.cap.10.* Helenam fuisse malunt; illudque asserunt translatum Romam, in Philippi porticu collocatum à Pictoribus cum admiratione videri.

De fasciculo florum.

Ramillete.

Faciones.

Perlas.

De Zeuxi Pictore excellentissimo.

De Arte insitoria.

Quid in illa sit oculus?

De Zeuxeo Tabula.

Quam illa Deam, aut Virginem repræsentaverit?

Hac usus est Historia, ut Legatum formaret D. Ioannes Vera: sed quia accommodari omni Arti, & Facultati potest, uberiùs debuit dilucidari.

Cur fuerit hæc historia accuratè proposita?

b] Ineptus est, ut Oratorem agat, qui cordis sui cogitationes inconsideratè profundit: aptus, qui scit tacere, & rerum, quas optimè noverit, dissimulare scientiam, simulare ignorantiam. Exclamat apud Ioannem Owenum Scholasticus,

De Taciturnitate.

Scire tuum nihil est, nisi scire tuum sciat alter.

[non enim erit in pretio Vir doctus, quem esse doctum nemo sciverit] & reponit Politicus,

Si sciat hoc alter, scire tuum nihil est.

Qualis esse Scholasticus debeat?

Multa quidem audire debet Legatus, pauca ba-

Qualis autem Politicus?

credere; viri enim prudentes apud Plautum, *habent aures oculatas, credunt quod vident* [Ante non multos annos in Civitate N. mihi nostri Catholici Regis Orator, *Legatus callet venit, ut me deciperet; & deceptus discessit: asserebat enim Regem suum salia, & talia fecisse; & dicentes me jam scire, se esse virum sincerum, & à veracitate commendari, incautè, & improvidè credidit* &c.]

De Providentia. An illud prefit Latinum, vel Græcum?

c] Est imprudentium exclamatio, *Quis hoc credidisset?* & illos irridet Hispanus, cùm ait *Pensè que.* &c. Postulat Providentia, ut Politicus universa, quæ accidere possint, prævideat: ut Criticis exhibetur occasio, ut putent *Providentiam*, quasi *Providentiam* vocari, à præpositione Græcâ πρὸ, quæ significat *præ*, & verbo *video*.

SECTIO II.

De Hypodialecto. *Quid illa sit? An singula sub eadem Dialecto Facultates, Hypodialectos proprias habeant? Resolvitur affirmativè, & ponitur exemplum in Nauticâ.*

De ὑποδιαλέκτῳ. Quid sit?

Singulæ in eodem Regno Provinciæ suas Dialectos habent; at, quia in eâdem Dialecto manifesta invenitur varietas, admitti necessariò debere Hypodialectos affirmamus.

Quid terminorum nomine, in Scientiis, & Artibus intelligatur?

Est autem Hypodialectus, particulare Dictionarium; quod, aut habet specialia vocabula, aut communia accipit in significatione speciali. Et hæ Hypodialecti ad Artes, scientiasque præcipuè pertinent, utuntur enim singulæ suis propriis terminis, quo nomine propria rerum nomina, quæ in illâ occurrunt scientiâ, significantur. Ecce cur est in unâ & eâdem Linguâ, aut etiam Dialecto tanta varietas vocabulorum? Voluit enim Deus, ut vel hinc arrogantia hominum retunderetur: non enim homo, etsi se doctissimum somniet, superbiendi occasionem habebit, si tantummodò cogitet, se maternum idioma nondùm perfectè scire. Quod, si syncerus sit, nemo negare poterit; sunt enim diversæ Artes, diversæ Facultates, & Scientiæ, & singulæ utuntur diversis instrumentis, & singula vocibus opportunis denominant. Et quidem longum esset, & ab instituto nostro alienum, per singulas Artes discurrere; interim, ut Lector Candidus judicium posset ferre de cæteris, Nauticam in exemplum proponam. Ergo Isbellam audito; ipsa enim in Comœdiâ, *Veerse, y tenerse por muertos ab.*

An singula propriè utantur?

Nemo perfectè linguam maternam callet.

Logica Moralis, Emanuele Freyle de Andrade concinnatâ (que trigesimi-quarti Tomi est prima) pag. 173. tempestatem, quam fuit perpessa, sic describit.

In una descriptione specialis eruditio requiritur.

Quatro dias navegamos
Con favorable bonanza
Zaphir rompia la quilla
La proa el ayre azotaba.
Y con tal velozidad
Esse globo azul nadava,
Que de menudo baxel
Era Delfin sin escama.
Negosse el viento a las velas,
Bolviòse la furia en calma,
Y el mar sus ayradas olas
Reduxo en campaña rasa.
Mas notando (triste suerte!)
Su vengativa mudança,
Pues el viento por la proa
Contrariamente picava.
Aferraronse las velas,
Y navegando a la capa,
Barloventeando fuimos
Huyendo de la borrasca.
No nos valiò; pues creciendo
La sobervia de su saña,
Confuso el pavor lasia,
Si horrenda la Mar bramava.
Con la terrible tormenta
Las vergas se despedaçan,
Todo el govierno se rinde,
Los arboles se quebrantan!
El baxel sube a las nuves,
Y en espumosas montañas:
Ivan creciendo las olas,
Tan altivamente vanas.
Que hasta los Cielos subian
Torres de cristal formadas;
Y de essa luciente antorcha
La candidez empañavan.
El uracan a bramidos,
Sobervio nos amenaça;
La tempestad se encendia,
Las ondas mas se encrespavan.
El dia buelto en tinieblas.
Con su luz nos desampara;
El mar bramando furioso,
Ya parece que nos traga?
A qui los dos elementos
Unidamente batallan;
El ayre soplando gime,
El agua espumando brama.
La aguja perdia el tino,
El timon no governava,
El baupres se desafia,
Rendido el buque naufraga.
No ay carena, que resista,
No ay bomba, que agote el agua,
La popa sirve de proa,
El trinquete de mesana.
El estrivar es la quilla,

Qui agi de venatione, præscire debet canum, & retium genera, & armorum, quibus utuntur Venatores, vocabula.

Qui de Aucupio falconum, & accipitrum nomina, & receptas apud Aucupes phrases.

Similiter de Piscatione, cùm nec omnes sunt aptæ naves, nec omnia opportuna instrumenta.

Qui jubetur Regiam Arcê describere, loquetur impeditè, & jejunè, nisi secernat propriis numeris, & vocibus ordines columnarum; nisi internoscat earum partes sciatque singulas labii penicillo, depingere: & debitis in locis collocare.

Cui Hortos delineare præcipitur, despicietur à Criticis; nisi cognoscat arbores, quæ vel inserviunt usui, aut conveniunt ornatui: nisi fructuum, florum, & rosarû tempora, & culturam distinguat, nec enim in Octobri floribus Amygdalos ornare poterit, nec Pyros, aut Moros in Februario &c.

El babor es plaça de armas,
Las escotillas se anegan,
Todo el velamen se arrastra.
Siendo un escollo ruina
Adonde su fin remata.
Aqui los unos se arrojan
A la inclemencia del agua.
Otros sin poder valerse,
De improviso el mar los traga,
Qual a las ondas se entriega,
Qual se vale de una tabla.
Todos por salvarse lidian
Pero ninguno se salva,
Sino soy yo, gran Señor
Que de tan fuerte borrasca.
De un arca assido sali,
Arrojado en essa playa,
Sin padre me considero,
Pues le anegò mi desgracia.
Sin amparo pues, me juzgo
Tan remoto de mi Patria.
Como Principe ostentad
La grandeza que os exalta;
Como piadoso, valed
A quien oy de vos se ampara,
&c.

Cur plura? sufficiat hæc hic adnotasse in margine, ut ubi omnes fatemur totam Maternā linguam nos non scire, illam saltem, quæ est necessaria, partem accuratè discamus.

ARTICULUS II.

De Paraglossa. *Quid sint; & quomodo inter se distinguantur? De Significatione Politicâ. An liceat alicui privatâ authoritate vocum significationes mutare, aut alterare?*

Quænam sit inter γλῶσσαν, & παράγλωσσαν differentia.



IN nostrâ Metametricâ ab Idiomate Paraglossā distinguimus: illud enim consuetudine totius Populi recipitur, & conservatur: hæc ab uno, vel altero invenîtur, & à paucis admittitur. Ita Doctores omnes. Audi P. Philippum de Sanctissima Trinitate *in summ. Philosoph. part. 1. qu. 14. art. 1. pag. 96. a.* inquit enim. [Nomina non debent imponi à quolibet, sive non debent habere rationem significandi, nisi aliqua authoritate publica, & adhibito maximo consilio, ut nomina quantum fas est, rebus conveniant. Debent autem adsumi ex aliquâ proprietate, cùm rerum essentia nos lateant. &c.] Stat ergo inter Glossam, & Paraglossam notum esse discrimen.

Qua authoritate inveniantur & conserventur Lingua cujuscumque vocabula?



SECTIO I.

De Paraglossis in particulari.

HAbent sanè inter se diversas Paraglossas Latrones; & illi præcipuè, quos *Gitanos* in Hispaniâ dicimus, & possemus Latinè *Pseudo-Ægyptios* vocare: illa enim, quâ se intelligunt, quin à nostratibus intelligantur, etsi *Ægyptia* vocetur, est nullîus gentis lingua; ab ipsis ficta, & pro arbitrio alterata. Adulterini Martes, quos Hispanus *Valentones* appellat, παραγλώττιζουσι: finxerunt enim voces, quas D. Franciscus de Quevedo in curioso, & ingenioso Syntagmate, quod *La vida del gran Tacaño*] inscribi voluit, *lib. 2. cap. 10. mihi pag.* 88. dilucidat, & ego alibi expono. Paraglossizant etiam Fœminæ in Hispaniâ, qui ut videantur [Idiomatis Latini gnaræ, copiosè, & ingeniosè stultitias profundunt.] Illas collegit idem Author in curioso Libello, qui *La Culta Latini-parla* dicitur, in quo, & ipse vocari voluit *Graduada in tinieblas*, *Docto a escuras*, &c. ut sciremus, quales censeri debeant, Vates illi Novitii, qui toti sunt in-

De latronum Paraglossa.

De Hispanis Ægyptiis.

De spuriorum Martium Paraglossa.

De sciolarum Paraglossa ancillarum.

Quales sint qui in vocabulis fingendis occupantur.

fin-

De Venatorum Paraglossa.

fingendis vocabulis. Paraglossa etiam, & non Dialectus dici debet, quâ utuntur Venatores, & Aucupes; nam cornua vocant *annos*, sanguinem *sudorem*, falcones *fulmina*, aves *sagittas*, & se ipsos *Aquilas*. In navibus quoque Paraglossas reperio; & multas à Remigum vulgo introductas, quæ posteà ad Milites, & ad Proceres transeunt. Et, ut alias prætereà in ipsismet Vniversitatibus, in quibus de Scientiis, & Artibus seriò, & doctè disseritur, plerique sunt παραγλώττοντες. Notavit id vario scientiarum genere exornatus Alciatus, & de hoc argumento Epigramma XCVI. concinnavit. Illud subscribo.

De Nautarum Paraglossa.

De Academiarum Paraglossa.

Alciati de aliquorum Iuris consultorum libris & ingenio Censura.

Moris vetusti est, aliqua Professoribus
Nuper adjici cognomina.
Faciles apertos explicans tantùm locos,
Audit Canon, *ut Curtius.* [b]
Revolvitur qui eodem, & iterat qui nimis,
Mæander, *ut Parisius.* [c]
Obscurus, & confusus, ut Picus fuit,
Labyrinthus *appellabitur.* [d]
Nimis brevis, multa amputans, ut Claudius,
Mucronis *agnomen feret.* [e]
Qui vel columnas [f] *voce rumpit Parpalus,* [*]
Dictus Truo *est Scholasticis* [g]
Contrà est vocatus, tenvis esset Albius [n]
Quod voce, Vespertillo. [h]
At ultimas mutilans Κολοβέτης. *syllabas* [i]
Hirundo *crassus dicitur.* [k]
Qui surdus aliis solus ipse vult loqui,
Vt Sturnus *in proverbio est.* [l]
Hic Blæsus, ille Raucus, iste Garriens,
Hic sibilat ceu Vipera. [m]
Tumultuatur ille rictu, & naribus,
Huic lingua terebellam facit. [n]
Singultat alius, atque tussit hæsitans
At conspuit alius, ut Ψεχάς. [o]
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt Nomina.

*] In libro impresso, quo utor, legitur *voce erumpit*, sed ratio carminis postulat ut corripiatur illud *e*.

:n] Tertius pes est *tus-tenu*, ergo ne sit dactylus debet *u* transire in consonam: ita, ut proferri & scribi *tenvis* debeat.

a] In omni Republica Primoribus imponuntur cognomina: quoniam in Ecclesiastica *Divinum* Augustinum vocamus, Ioannem *Chrysostomum*, Petrum *Chrysologum*. &c. Thomam *Angelicum*, Scotum *Subtilem*. &c. Et hic mos transivit ad Politicam; nam alios Reges *Bonos*, alios *Pios*, alios *Prudentes*, aut *Sapientes*, & alios denique *Magnos* vocamus. Sed & à vitiis aliquos *Audaces*, *Temerarios*, *Crudeles*, &c. dicimus.

Patrum Doctorum, necnon Principum, & Regum cognomina.

b] Res certa, clara, & indubitata solet vocari *Canon*. Ergo hoc nomen promerebitur ille, qui ubi occurrit aliquid obscurum, & difficile (Hisp. *como Gato sobre ascuas*) festinat; & in rebus manifestis, & perviis hæret velut Anser in aqua.

Quid Canon sit?

c] *Mæander* est nomen Fluminis, quod per Mæoniam tam flexuosus decurrit, ut redire ad fontem aliquando credatur. Vide Plinium *libr. 5. cap. 29.* Columellam *lib. 8. cap. 17.* Strabonem, & alios. De illo *Metamorph. libr. 9.* Ovidius.

Fluvius Mæander, qualis?

Non secus, ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapsu refluitque, fluitque.

An fluxus sit refluxu posterior?

& eodem in Dejaniræ Epist.

Mæander toties, qui terris errat in iisdem,
Qui lapsus in se sæpè retorquet aquas.

Ergo Scriptores, qui eadem pluries reponunt, & eodem vento in ortum, & occasum se promovent, *Mæandri* meritò in Schola vocantur.

d] Sunt, & Authores, qui non te Ariadnæ filo ex ambagibus eruant, sed te perturbent, & in novos labyrinthos inducant. Cuipiam ex iis ego olim appropriavi versus illos Catulli,

De Scriptoribus confusis, & obscuris.

Non labyrintheis flexibus egredientem
Libri frustraretur inobservabilis error [*]

Nam, & Græci inextricabilem orationem λαβύρινθον appellant.

*] Catullus tecti dixit non libri.

e] *Mucro* Gladius non est, etsi metaphoricè pro Gladio aliquando sumatur. Ovidius *Metam. lib. 1.*

De gladio bono. Qualis sit?

——— *Iugulum mucrone resolvit.*

sed est acumen Gladii. Seneca ad Lucill. *Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies, & mucro munimentum omne rupturus.* Ergo, quia nomen *Mucronis* non videtur ad rem, *Falcem* cjus loco usurpabimus, dicemusque

De iis, quò sententias intercidunt.

Is Falcis *agnomen feret.*

f] Iam scimus, quæ in libris *Columnæ* dicantur: & hinc intelligemus, cur D. Roxasium, qui columnas integras ex Authoribus veteribus interserebat suis Dictatis, studiosi Salmanticenses fastidierint, mussabant enim. *Si no podemos suffrir un hecho cantos, como podremos tolerar un hecho columnas*, nam in sua lingua Hispani stultos (quod lapides passim projiciant) *hecho cantos* appellāt. Qui Roxasio similis *Truo* (fortè *Trua*) dicitur ab Alciato.

Columna in libris, quæ?

Quis sit apud Hispanos un hecha cantos?

Est autem *Truo, onis*. avis similis Cygno, Græcè Ὀνοκρόταλος, qui indigesta omnia in ventrem ingerit. Vnde, qui multa confusè didicit, irrideri solet sub hoc nomine: unde Cæcilius apud Festum.

Qualis avis sit Truo? Ὀνοκρόταλος. Verbum Truo, aliquid sit?

Proh Dii immortales, inquit, *unde hic prorepsit Truo.*

Hinc *Truo*, as ταράσσεσθαι, *liquores immisceo, vel turbo*, verbum culinæ est.

Trua verò (si sic legere placeat) est vas, quod sordes excipit Gallicè, *une sorte de vaisseau a recevoir immondices*. Ergo ille Scriptor, qui sine delectu aliorum testimonia congerit in Paraglossa Alciati, meritò poterit *Trua* denominari.

De Trua. Quale vas illa sit?

h] Hoc corrigerem Distichum, & dicerem,
Contrà est vocatus, nam pererat Albius
Obscura, Vespertilio.

Avis nocturna Vespertilio.

Est

Est enim nocturna hæc avis, & obscuritatem potiùs, & tenebras, quàm vocem tenuem indicare videtur.

Κολούω. κολοβόω. κολοβάτης. κολοβώτης

i] A verbo κολούω *amputo*, oritur κολοβόω ὦ *mutilo*: & hinc Κολοβότης ητος, ἡ *defectio*, ut apud Plutarchum de Demosthene πνεύματος κολοβότης, *Spiritus defectio*, Hispanus uno verbo *el desmayo*. Ergo, quoniam periodi mutilatæ, aut vitâ, aut sensu destituuntur, illæ ipsæ κολοβότητες, & qui illas obtruncat, κολοβώτης vocabitur; Scapula. *Dicitur de eo, qui in pronunciando, syllabas extremas curtat, & mutilat.*

Qui dictiones, aut periodos obtruncat.

k] Nescio, cur crassus debeat vocari Hirundo: & suspicor Alciatum scripsisse *Hirudo*, nam *libr. de Arte Poetic.* ait Horatius

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo. [*]

Authores, qui, quæ subtiliter ab Antiquis sunt dicta, crasso modo (vel, ut in proverbio est) pingui Minerva intelligunt, sunt hirudines, quæ vulnerant, & sanguine alieno satiantur.

Videtur Alciatus Hirudo veriùs, quàm Hirundo scripsisse.

*] *Missura* ponitur pro *dimissura*.

Ovis, ubi caterva saltarunt, saltitat.

Sunt Scriptores Ovi similes.

l] Illos, qui loquuntur cum vulgo, & quæ non audiverunt, aut legerunt ignorant *Sturnos* voco, nam libr. 10. cap. 14. inquit Plinius, Sturnorum generi proprium catervarim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus loquaces autem, & garrulos *Hirundines*, aut *Turdos* dicerem, habet enim. Georg. Virgilius

——— *ante* [*]

Garrula quam tignis nidum suspendas hirundo.

*] Intercidit vox *antequam*.

Textor in Epith. Turdi, &c. loquacissimi sunt, sed & peculiaris surditas eisdem adscribitur.

m] Quoniam vi parit, vocatur *Vipera*; & sunt aliqui, qui summo labore concipiunt, magno studio digerunt, & quasi vim passi parturiunt: & hi aptiùs *Viperæ* nominarentur.

De Vipera: Unde dicatur?

n] Vocetur Latinè *terebella*, qui scopas dissolutas loquitur: nam Hispanicè *tarabilla*, etsi in significatione alia, vocatur: terebrum enim parvum dicitur *terebellum*; & ligneolum, quod supra mollariam rotam strepitat, vocatur *Tarabilla*.

Terebellum. Tarabilla.

o] Ψεκάδες *stillicidia* sunt, & possunt sic, qui inter differendum tussiunt, aut exspuunt, nominari. Sic etiam, & delicati possent: nam, & ancillæ, quæ matronarum comas medicato fuco conspergunt, hoc à Græcis nomine indigitantur.

Ψεκάδες quæ sint?

SECTIO II.

Quatuor Quæstiones proponuntur, deciduntur, & dilucidantur.

LEgisti attentè, quæ de Paraglossâ dicta sunt in initio; & ut meliùs ejus naturam, & ingenium percalleas, quatuor Casus proponis, unde totidem Difficultates emergunt, quæ debent accuratè decidi. Quoniam (1) Petrus jussit voci *lapis*, ut significaret hominem, & tametsi hoc suum decretum non insinuasset Lælio, illi dixit *Homo est lapis*. Prætereà, in illâ Paraglossâ, quam Ægyptiã vocavimus, sit Intellectus *Adamas*, Intellectualis *Adamantinus*, Corpus *Aurum*, Sanguis *Argentum*. &c. Acciderit ergo (2) ut Arsindus, unus ex illis Gyrovagis, Livio, qui hanc prorsus Paraglossam ignorat, *Homo est Adamántinus* dixerit: (3) ut, & postridie eadem verba Cajus dixerit Clodio, socio suo, illius Paraglossæ perito. Et (4) Aurelius, qui erat verè Sacerdos, cum intẽtione consecrandi dixerit, *Hoc est enim aurum meum* &c. *Hic est enim calix argenti mei*. &c. Sic Casus proponis, & interrogas.

Cur Dubia sequentia proponantur?

Aliquarum secundum Paraglossam vocum proponitur significatio.

Primò, Quid in Petri ore significet illa Propositio, *Homo est lapis*? An vera sit, & possit juramento firmari? An verò dicenda falsa sit? &, si est falsa, An illam proferendo, Petrus commiserit reverà mendacium illamque jure-jurando fulciendo, sacrilegium?

An in Paraglossa Veritas, & Falsitas inveniatur?

Secundò, quid in Arsindi ore significet Propositio, *Homo est adamantinus*? An reddat sensum falsum, & illam fuerit proferendo mentitus?

Considerentur hi Casus, nam sæpè occurrũt, & indigent secura solutione.

Tertiò, Quid eadem importet Propositio prolata à Cajo? An à mendacii labe possit emaculari?

Quartò, An in suâ Missâ Aurelius panem, & vinum consecraverit; & præcipuè, si erant Pseudo-Ægyptii illi omnes, qui Sacro intererant?

An Sacramenta possint in Paraglossa celebrari?

CAsus, & Dubia ex illis deducta recognosco, & singula, quâ possum brevitate decido.

Primæ Difficultatis Resolutio.

Primum P. Ioannes Poncius *tom. 4. in 3. sentent. distinct. 38. quæst. unic. pag. 622. b. num. 19.* proponit, & resolvit his verbis. [Si quis (Petrus) diceret, *Homo est lapis*, volens significare per hoc, *quod esset animal*, modò sciret illam vocem *Lapis* secundum hominum acceptionem nõ habere illum sensum, verè mentiretur, aut saltem peccaret; quia licèt conceptus, quem ille vellet significare, esset verus, tamen illum non significat, sed conceptum falsum. Ergò quantumvis dicens, *quod Petrus non sit domi*, quem tamen scit esse domi, velit significare, *quod non sit domi, ut faciat Chimæram*, mentietur tamen, aut saltem peccabit, quia oratio illa non habet ex acceptione communi significare hoc,

Proponitur Responsio Poncii.

hoc, sed solùm, *quod Petrus non sit domi*.]

Paraglottus, si non mentitur, non peccat.

De mendacio Pancius, non autem de peccato dubitare videtur, inquit enim, *verè mentiretur, aut saltem peccaret*: & posteà, *mentietur tamen, aut saltem peccabit*. Cùm tamen ideò dicendus sit peccare, quia mentitur; si enim non mentitur, non peccabit. Dico ergo Primò, Petrum, si sibi soli, aut cuicumque alii suæ Paraglossæ perito, loqueretur, à mendacio, & peccato excusari; qui enim hanc ejus Paraglossam rescirent, quo ille sensu vocem *lapis* acciperet, intelligere posset. Dico secundò, Petrum, quia Lælio, suam Paraglossam ignoranti, est loquutus in illa propositione *Homo est lapis*, absolutè mentiri; non enim est ipsi liberum mutare verborum Politicam significationem; Ergo quidquid ipse velit, aut non velit, nisi aliter cum amicis conveniat, *lapis* significabit lapidem.

Quid Steganographia sit?

Confirmat Veritatem hanc Scientia Steganographica, seu Ars scribendi per ciphras. Quoniam si Clavis postulet, ut ☼ *corvum*, & ● *cygnum*: ☿ *album*, & ♀ *verbũ substantivũ* significet: & hi characteres scribũtur. ☼ ♀ ☿, & ● ♀ ☿: dicã illos nescienti Clavim nihil significare: addamque scienti Artem, & habenti Clavim priores [nempe, ☼ ♀ ☿] *Corvus est albus*: & posteriores [nempe ● ♀ ☿] *Cygnus est albus* dicere; adeoque illos enunciationem falsam, & hos veram proponere. Eodem igitur modo philosophandum est de Paraglossâ, Ciphræ enim analogiâ servatâ, sive scribantur, sive proferantur, decurrunt.

Sicut scribere, sic loqui, & possumus, & solemus in Ciphra.

Quo debeat modo verba accipere, qui alteri loquitur?

Secundum Casum eodem modo decido: nam inter Arsindum, Petrumque nullam differentiam invenio. Livio enim Arsindus loqui debet civiliter. Ergo eo sensu verba accipere, quo sunt ab illo intelligenda.

De his, qui in Paraglossa conveniunt.

In Tertio cessat difficultas ex pacto; nam, si Cajus, & Clodius in vocum significatione conveniunt, juxta Paraglossam judicari debebunt. Ergo in eorum colloquio erit verum dicere, *Homo est adamantinus*, & falsum, *Non est adamantinus*.

Sacramenta conveniunt rebus, & verbis rebus à Christo Domino determinatis: & verbis primariò positis in Dialecto Syriaca (hæc enim Christi tempore in Palæstina erat materna) & postea in Idiomata, & Dialectos varias versis, prout postulat locorum ratio. Non ergo Paraglossas tolerant.

Ad Quartum ajo, esse summè serios Sacramentalis Iuris Canones, nec posse ad nugas, quales sunt Paraglossæ, coarctari. Et, quia Sacramenta constant rebus, & verbis, assero, homines, sicut non possunt reales rerum essentias alterare pro libitu, sic nec civiles verborum essentias, quæ in significatione consistunt. Ergo in quocumque Idiomate, Sacramenta administrabuntur validè, & in quacumque Paraglossâ invalidè. Demonstratur, quia, si in Paraglossâ, aut Ciphrâ conderetur, aut scriberetur aliquod Testamentum, esset invalidum. Ergo, si in Paraglossâ administretur aliquod Sacramentum, administrabitur invalidè. Antecedens est certum, nam est res valdè seria legumlatio, nec voluerunt Imperatores in contractuum essentiis stabiliendis à privatâ singulorum voluntate pendêre. Stat ergo illata Consequentia: graviores enim, & magis seriæ sunt Divinæ Sacramentorum leges, universis humanis.

De Testamento Scripto in ciphra, An sit validum?



AR-

ARTICVLVS III.

De Idiomatis Determinatione.

Sæpè unum, & idem vocabulū spectat ad duas linguas.



Eamdem materialem vocem posse, & solere pertinere ad duas linguas, & in altera habere unā significationem, & diversam in altera, certum est. NAM nomen v. gr. *Camino* ad Linguas diversas spectat. Hebraicè enim est CHAMAM, *incalescere*, unde CHAM, *calor*, & CHAMMA, *Sol*, quod omnia calefaciat. Græcè χάμινω est *fatisco*. Latinè *Caminus* est fornax; & *Camino*, *as* per modum fornacis struo. Eamdemque significationem retinet vox *Camin* in Germaniâ. Et denique Hispanicè *Camino*, est iter, via, & *Camino*, *as*, iter ago. SIMILITER nomen, VETHVLA, si Hebraicum sit, *Virginem* sonat: Græcè autem Βάταλος est *mollis*, & *effeminatus*: & Latinè *vetula* est *anus*, & *Betula* (non autem *Betulla*) arbos, quæ σημός, aut etiam σημύδα à Theophrasto vocatur. Cortice candicat: & è Gallia in Italiam translata serviebat conficiendis fascibus, qui Magistratibus præferebantur. Voluntque Critici eam à batuendo, quod est Hisp. *Batir*, & Lat. *Percutere* dictam, & nomen ab officio fortiri. Et hinc corrigunt Matthæoli (viri aliàs eruditi, & solertis) errorem, qui Dioscoridem commentariis dilucidans, *cap. de populo* BETVLAM à bitumine deduci affirmat. Vocem Hebraicam BETHVLA, & Latinam *Betula*, quæ arboris est, ex qua sumuntur virgæ, quæ lictoribus serviunt, componens, & in Harmoniâ Linguarum Cardinalium considerans, & perpendens Georgius Cruciger, exclamat, *Qualis literarum cognatio cernitur quoque apud Latinos in vocibus* Virga, *&* Virgo; *& apud Græcos in dictionibus* χόρος *seu* κῦρος ὁ *scopa*, *&* χόρη *seu* κύρη virgo! Et quia voces BETHVLA, (Virgo) & *Petulans* etiam affines sunt, subjungit. *Nisi sub disciplinâ & virgâ cohibeantur, facillimè seductæ sunt Puellæ: unde Germanorum Rhythmus*,

Κάμινω Caminus Lat. Camino Hisp.

Βάταλος Vetula. Betula. Betulla. Batir. Hisp. Ex quibusnam ramis fasces apud Romanos olim fierent?

Vnde dicatur betula.

Vir. Virgo. Virga. Κόρος, καὶ κόρη. Κῦρος, καὶ κύρη.

Sine flagellis pueri, & puella nihil prorsus addiscunt.

> Ein Jungfraw lein, won guter art
> Verdirbt, so man die rute spart.

Cui Hispanus assonare videtur, cùm in puellarum Scholis hanc jubet Tabellam appendi,

> *La letra con sangre entra.*
> *Y la labor con dolor.*

An unus, & idem verborum contextus plurium linguarū esse possit?

Non solùm Voces seorsim sumptæ, sed & Orationes integræ formari solent, quæ ad linguas diversas pertineant. Curiosa Epigrammata (*Sonetos* appellamus Hispani) in nostrâ Metametricâ exhibet Apollo Polyglottus; è quibus istud libuit subscribere.

Hispanico-Latinum Epigrāma.

Tā est scriptura communis: et tamen Latinus legit tam, Hispanus tan.

> *Heroicos triumphos, palmas valerosas*
> *Canta, famosa Clio, dignamente*
> *De Progenie tā alta si excelente*
> *Manifestando glorias prodigiosas.*
> *Resuscita memorias generosas*
> *(Defunctas tanto quanto injustamente)*
> *Describe de tā digno, si eminente*
> *Imperio circunstancias belicosas.*
> *Contempla de los triumphos glorias tantas,*
> *Philippos de Austria, Principes Martiales.*
> *De oi excedans maritimas arenas.*
> *De los Philippos generosos cantas*
> *Lauros ilustres, triumphos immortales,*
> *Quando de Marte impetus serenas.*

Voces nonnulla notantur, & dilucidantur.

Placuit versus istos reponere. Illos Compluti juvenis, aut veriùs puer, concinnavi, ut ingenium excolerem. Notas subsequentes adscribo. Va-

Valeroso.

Valerosas.] Non est satis Latina hæc vox, tametsi Latina *Valor* sit, unde illa deducitur.

Famoso.

Famosa.] A Famâ ducitur *Famosus*, dubiæ significationis vocabulum, nam solet in bonam, & in malam partem adsumi. Et primò ad bonam illud Hispanica Lingua restringit, nos enim optimas res *famosas* nominamus. Adhuc anceps, & æquivocum manet ad Latinam restrictum, & altera Restrictione indiget, ut innotescat, ad vituperium-ne, an ad laudem pertineat. Sed unde sumi poterit secundaria hæc Restrictio? Ab ætate. Nam Ciceronis ævo dicebatur *Famosus*, homo magnæ famæ, sed malæ. Hinc *famosum adulteriis* vocat Suetonius Claudium *cap. 26.* Et Martialis *famosas meretrices* appellat. *Libr. 2. Epig. 39.*

An vox Famosus à Latinis in bonam, aut malam partem accipiatur?

Famosa meretrix.

Coccina famosa donas, & ianthyna mœcha.

Famosa mœcha.

& rursus *Epigramm. 47.*

Subdola famosa (moneo) fuge retia mœcha.

Idem autem vocabulum post Pliniū honorificum est. Ipse libr. 6. Epist. *Impensè petis, ut causam tuam, pertinentem ad curam tuam, pulchram alioqui, & famosam faciam.* Tacitus libr. 21. *Sed, quia famosa Urbis* (videlicet, Hierosolymitanæ) *supremam diem tradituri sumus, congruum videtur, primordia ejus aperire.* Et Suetonius in Caligula equos nobiles, & generosos *famosos* dixit.

Famosa civitas.

Famosus equus

Quid præstet Clio?

Clio.] Clio mihi erat tunc Musarum tertia, Virgilio prima. Heroicè res præsentes, & præteritas cōncinit Virgilius.

Unde dicatur?

Clio gesta canens transactis tempora reddit.

Gloriosum numen est, Κλεῖω enim ἀπὸ τῆς κλῆς à gloriâ nominatur.

Hispanorum adverbia, ut dignamente, justamente & similia, possunt dividi.

Dignamente.] est simplex dictio apud Hispanos, Latinè *dignè*: at apud Latinos est duplex; idem enim est *digna mente*, ac *mente digna*. Et hîc obiter nota, hujusmodi adverbia etiam apud Hispanos, illæsâ tamen significatione, dispesci; nam in Comœdiâ, quæ *La fiera, el rayo, y la piedra* inscribitur, cecinit Calderon

Sitiē el monte, porque en el
Zephiro està (porque amante
De aquella Fiera) continua-
Mente en estas soledades.

Tã.] Scribitur cum lineolâ (Hisp. *con un tilde*) supra *a*: quoniam illa lineola in Linguâ Latinâ erit *m*, & in Hispanicâ *n*; dicunt enim Latini *tam*, Hispani *tan*.

Quid virgula jacens, posita super vocalem, notet?

Resuscita.] Apud Hispanos habet accentum acutum in penultimâ, apud Latinos in antepenultimâ. Hi enim dicunt *resúscita*, illi autem *resuscíta*.

De verbi resuscito accentu.

Injustamente.] Hispanicè, & adverbium *injustè*: Latinè est in ablativo casu *mente injustâ*. Vide quæ de adverbio *dignamente* paulò ante dicebantur.

De los.] Latinè est simplex vox, notatque celeberrimam insulam Musis, & Apollini Sacram: Hispanicè est articulus Genitivi pluralis, & erit Græcè τῶν, Latinè *ipsorum*.

Quid Delos aut de los sit?

De oi.] Hispanicè est *ab hodierno die*; Latine autem *D'Eoi*, hoc est, *Dii Eoi*.

De oi. D' Eoi.

Solent voces Bilingues alteram in uno idiomate, & alteram in altero habere significationem; & quæ in uno decenter dicuntur, in altero incivilitate laborant. Tales sunt, quæ in Historiolâ sequenti proponentur. Mediolani cōsedebant duæ Nobiles; Cæcilia, & Flora; Hispana, & Itala. Corrigit autem, ut hæc alterius fimbrias ex inadvertētiâ pede premeret. Illam autem Cæcilia monet dicens. *V. S. me pissa*. Audit, & scandescit Flora, & velut injustè puncta injurias evomit. Et orta fuit animorum commotio ex varietate Idiomatis: illud enim *me pissa* in Hispanico est *pede me premit*. Et tamen apud Italos habet absonā significationem. Cæciliam igitur incriminatur Flora, quia quæ Hispanicè dicta, ipsa audivit Italicè.

Voces, quæ in una lingua nitidam non solùm diversam, sed immundā interdum in alia præ se ferunt significationem.

NOTA I.

Quā-nam Chartâ, aut Linguâ fieri debeat Contractus?

POtest Respublica jubere sub nullitatis pœna, ut instrumenta fiant in chartâ (sigillatâ videlicet) ergo, ut in tali linguâ; statuens, ut quæcumque post publicationem hujus legis in aliâ linguâ fiant, sint nulla. Hanc legem Romana Respublica pronunciare videtur, præcepit enim omnibus Proconsulibus, & Iudicibus, ut actus juridici in Linguâ Latinâ scriberentur. Et hæc lex in provinciis plurimis fuit ob-

An publicarū Scripturarum valor ad talem chartam aut linguam possit determinari?

Ipsa olim stabant in Europa Latinâ.

Logica Moralis.

ser-

servata. Et in Gallia præcipuè; primus enim, qui statuit, ut instrumenta Galliçè expedirentur, fuit Ludovicus XII. ut *cap.* 10. Franciscus Lebryer affirmat; vel Franciscus anno 1539. si Genebrardo credimus; vel denique Ludovicus XI. si Francisco Belcâii *lib.* 4. *num.* 23. assentimur. Vide D. Christophorum de Benavente in Advertenriis, quas Regibus, Principibus, & Legatis præscribit, *cap.* 26. *pag.* 622.

Qua lingua apud Mahometanos fieri debeant?

Sed, & Mahometus Pseudopropheta, & Calipha apud Asios, in Alcorano suo (qui liber est, ut nugatur, revelatus divinitùs) sub nullitatis pœna præcipit, ut omnes contractus scribantur Arabicè; jubetq; censeri in omni tribunali nullos, qui in alio expediärur idiomate. Et hoc debet ab universis, tam mercatoribus, quàm Principibus sciri; pacta enim, seu privata, seu publica, etsi jurejurando confirmata, nisi Arabicè scripta, apud Mahometanos nō obligant. Hinc multi errores à Legatis commissi: si enim hanc legem nesciunt, & in aliâ linguâ paciscuntur, oleum perdiderunt, & operam contractus enim ex parte Saracenorum claudicat: si autem habeant hujus legis notitiam, procedent valdè periculosè, nam Interpretibus debent confidere, qui pretio solent, aut passione seduci.

Noteut id Regum Christianorum Legati.

NOTA II.

Quà-nam Linguâ Judices debeant sententiam pronunciare?

De Judicum sententiis. Qua lingua pronuncianda sint?

Patriæ observare morem debent, in aliis enim provinciis in Linguâ Latinâ aguntur lites, in aliisque aguntur in lingua materna. *Quam ob rem quis non riserit Baldum, qui* leg. 12. de fe. in om. ju. *docet, Judicem posse sententiam ferre Hebraicè, Græcè, & Latinè; quoniam sic in passione Domini fuit.* inquit Albericus Gentilis de Linguarum mixtura. Et habetur *in Criticis Sacris column.* 8098.

ARTICULUS IV.

De Variis Lectionibus. *Unde erroris occasio, & unde debeat adhiberi correctio?*

Variarum Lectionum Indices in libris Classicorum Scriptorum leguntur.



Contingit aliquãdo, ut una, & eadem vox aliter, & aliter in diversis Manuscriptis, aut etiã in variis Editionibus librorum impressorum legatur. Constat id ex Classicorum Scriptorum Operibus, in quibus *Variarum Lectionum* INDICES inveniuntur. Et hanc ob rem inquirit Criticorum Curiositas, *Unde Varietas hac processerit? & Qualem medicinam requirat?* Quæstio est hæc frequentissima, non enim solùm libri impressi, sed sæpè etiam manuscripti dissentiunt.

Unde oberiatur hac varietas?

Hæc profectò varietas ab Exscribentium próvenit ignorantiâ, & incuriâ; qui morbi sunt, ut colligo, antiqui, & cum literis nati. Magno olim tædio legebat corruptos, aut incorrectos Antiquorum libros, Irenæus, Discipulus Apostolorum, ut suos, ne Lectoribus ipsi essent tædio, accuratè relegerit, & emaculatit, & juratam hanc legem, illos exscripturis indixerit: adloquitur enim singulos in particulari, & sic inquit. *Adjuro te, qui transcribis librum hunc, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos, & mortuos, ut conferas postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplar, unde scripsisti diligentissimè. Hanc quoque obtestationem, quam facio, similiter facias, & transferas, ut invenisti in Exemplari.* Est verè severa Adjuratio, at illam reponit Prosper in emendatione Chronicorum Eusebii; eamque inde Antonius Nebricensis usurpat: &, ut habeant Lectores, quo provocent, si Editiones suurum librorum differant, [Polliceor, inquit,

Irenei contra Exscriptores Adjuratio.

Antonii Nebricensis diligentia, ut de mente sua clarè constet.

atque

atque tenens aras perſanctè juro, &c. relicturum in membranis archetypa exemplaria ex authographo meo diſpuncta, interpuncta, inducta, & emendata in omnibus Bibliothecis Eccleſiarum Cathedralium totîus Hiſpaniæ, atque imprimìs Salmanticenſis Gymnaſii, (ubi contigit mihi puero erudiri, atque poſteà grandævo eruditionem acceptam referre) ut, ſi quando ſuborta fuerit dubitatio, quid ego ex ſententiâ meâ ſcriptum reliquerim, ad prototypa illa exemplaria recurratur; ſimul etiam, ut mihi nullus ad veniam regreſſus poſſet relinqui.] Et utinam ſimilem diligentiam adhibuiſſet Origenes, qui multa paſſus olim, hodie traducitur propter Amanuenſium audaciam: & utinam ſimilem etiam adhibuiſſet Hieronymus, cujus libri, ut ipſe conqueritur, ab his, qui curabant ſcribi, ne lituris ſordeſcerent, non corrigebantur: & utinam ſimilem adhibuiſſent alii Doctores, & priſcæ ætatis Patres, in quibus multa occurrunt σφάλματα, & non pauca interdum diverſa, & adverſa leguntur.

Origenis libros Amanuenſes corrumpunt.

Libros multi, ne lituris maculentur, non corrigunt.

Querimonia Hieronymi.

Eâdem profectò negligentiâ etiã tranſcripti ſunt Humani Libri, ut Collatio perſuadet. Vnum Virgilii locum in exemplum proponam.

Æneidos nono Iupiter de Æneæ navibus in procelloſo pelago periclitantibus differens, ſic ſtatuit.

Immò, ubi defunctæ ſuem portuſque tenebunt
Auſonios, olim quæcumque evaſerit undas,
Dardaniumque Ducem Laurentia vexerit arva;
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo [†]
Æquoris eſſe Deam, qualis Nereïa Clotho
Et Galatea ſecant ſpumantem pectore pontum.

†] Non ſolùm per ἀποθέωσιν homines, ſed & res inſenſibiles Cælo Sydereo donabantur.

Et hic, quia poſt Nicolaum Erythræum in aliquibus libris *Doto* legitur, inquiris, Vtrum nomen expungere, & utrum retinere debeamus?

Dico illam, ſeu Clotho, ſeu Doto, de quâ Virgilius eſſe Nereïdem: &, ſi altera, aut utraque Nereïs non eſt, obliterari, & aliam cujus nomen, & metri ratio, & characterum ſimilitudo toleret, ſubrogari debere.

An Clotho, an verò Doto apud Virgilium legendum ſit?

Logica Moralis.

Quia omnia, ex aquâ proveniſſe exiſtimabant Veteres vocabulum illi opportunum Nomenclatores impoſuerunt. Hebræus à Mi, *Quid* & in abſtracto *Quiditas*, deduxit duale nomen MA'IM, *aquas*. Et apud Latinum à *qua* cætera *Aqua* cognominatur. Et, quia Νηρός. ϐ. ὁ apud Suidam Lycophronem, & Etymol. eſt *cavus*, & *humidus*. Et apud Heſychium *humilis*. Aquarum congregatio, quæ *Mare* dicitur, & in loco humili cavo, & humido colligitur, vocatur *Nereus*. Hunc eſſe Deorum antiquiſſimum cum Orpheo *in Argonaut.* Poetæ canunt; unde ait Virgilius 4. Georgic.

Aqua eſt à qua omnia.

Mi.

Maim.

Cur Nereus Deorum antiquiſſimus ſit?

— Hunc, & Nymphæ venerantur, & ipſe
Grandævus Nereus.

Eumdem in Theogoniâ Heſiodus Doridem ſororem ſuam in uxorem duxiſse aſserit, & ſuſcepiſse filias, quæ *Nereides* vocantur. Sunt inter eas præcipuæ, Neſeæ, Cymothoe, Doto, Proto, & aliæ.

Doris, quæ?

Nereides, quæ?

Clotho cum Nereo, & Mari nihil habet commune. Vna eſt ex illa crudeliſſima Nympharum Triade, quæ quia nemini parcunt, per antiphraſin vocantur *Parcæ*. Ipſæ ſunt Clotho, Lacheſis, Atropos: & arbitrio diſpotico vitalia hominum ſtamina diſpenſare dicuntur. Vocatur Græcè κλωθω à verbo κλώθειν, *nere*, *circumvolvere*, *ſtudere*.

Clotho non eſt una ex Nereidibus, ſed ex Parcis.

Ergo, qui hæc legerit, volet adhuc in illo Virgilii verſu *Clotho* manutenere? Audire proderit Nicolaum Erithræum, qui in Virgilii Indice verb. *Doto* hæc ſcribit.

[Iam nunc tandem *Doto*, vocem genuinam, hoc loco, opera noſtra Candide Lector agnoſce, quum hactenus *Clothò* codices Vulgati omnes retinuerint. Adulterina autem vox multis ante ſæculis per imperitiam (ut credibile eſt) Librariorum ita recepta eſt, quod dum ipſi in caſtigatis exemplaribus *Dotò* legerent, verbi inſolentia offenſi, falſo (ut eſt audaculum perſepè imperitum id genus hominum, haud parvo ſanè ſtudiorum incommodo) *Clotho* non æquè inſolens, Parcæ nomen pro Nerina, in hunc locum invexere; eos etiam in id erroris *d* prima *Doto* litera facilè impellente, quæ dum minuſculo (ut appellant) Charactere,

Locus Virgilii ubique corruptus reſtituitur.

Literarum d & cl ſimilitudo.

ctere, à Scriptoribus ita *cl* notabatur, ut pars ejus circumflexa non benè, ut aliquando celeriter scribendo fit, cum recta sua linea cohæret, *cl* literas paucula illa intercapedine repræsentabat, & *clotho* pro *doto* notabat. Hujus autem mendi tam inveterati, quippe quod multis ab hinc sæculis involverit, id nos tandem admonuit, quod dum nos more, modoque nostro (absit invidia verbo) non tanquam mus super farinam, ut ita dixerim, Auctores legendo percurrimus, sed eorum præsertim optimorum, & res, & uerba penitùs rimamur, & introspicimus, mihi patùm convenire videbatur, Poëtam alioqui Galateæ Nymphæ studiosum, qui naturam etiam ipsam, ut verè dicam divino suo carmine exornaverit, ita fuisse suæ Galateæ hoc loco oblitum, ut illi sororem Parcarum Principis cognomen *Clothò* tribuerit. Quare converso ad exemplar Præcipuum Maronis studio, idest Homerum, Poëtarum omnium perennẽ fontem, invenio ipsum ubi *Nerei* complures filias connumerat, Thetim ipsam commitantes cum *Galateâ*, præter alia *Dotò*, *&* *Protò* recensentem, nulla *Clothûs* prorsus facta mentione. Ejus carmina ex ἰλιάδος σ sunt.

Quomodo libri legendi sint?

Galatea Virgilius studiosus fuit.

> Δωτώτε Πρωτώτε φερȣσάτε δυναμένητε
>
> Δωσαμένη τε, καὶ Ἀμφινόμη καὶ Καλλιάνειρα
>
> Δυρις, καὶ Πανόως, καὶ ἀγλακλειτὴ Γαλάτεια.

Quæ omnia item leges apud Hesiodum *Theogonia initio* excepto medio versu, pro quo hic Νησαίντο καὶ Ἀκταία, καὶ Πρωτομέδεια posuit: à quo, εὐειδὴς Γαλάτεια [*] mutato Homeri epitheto appellatur. Apud quem etiam quum quinquaginta *Nerei* filiæ enumerentur, nulla tamen his *Clotho* legitur, Sed opus nos quoque unius Flacci Valerii loco, integra ad hunc diem *Doto* plerisque in Codicibus Virgo servata est. Is *Argonauticon primo* eam, ut Poëta noster, *Galatea* sororem adiicit, nullis aliis interiectis, sicut apud Homerum, & Herodum, ipsæ, paucis ex multis interpositis Nymphis, proximæ sunt. Has igitur Poëta *Thetim* deducentes facit his verbis.

*] Quia θεῖος *Divinus* per θ scribitur, voluerunt aliqui Γαλάθειαν, quasi *Lacteam Deam* scribere, sed Homerus τ tenuem, & non θ aspiratâ expressit.

> *Hanc Panope, Dotoque soror, jactataque fluctu*
>
> *Prosequitur mediis pariter Galatea lacertis*
>
> *Antra petens.*

Quas socias & comites habeat Thetis?

Quamquam animadverto, hic interpretem peuriliter admodum, hæsitantem, *Vtrùm* Doto, *an* Clotho *apud utrumque Poetam Latinum magis approbet?* Vt taceam cujusdam impudentiam, qui eastam eandemque pervulgatam lectionem dissimulans, primus *Doto* apud Flaccum restituisse videri voluit.] Hæc Erythræus.

Stat ergo in illo Virgiliano versu deleri debere vocem *Clotho*, & ejus loco *Dyris*, *Proto*, aut *Doto* substitui. Et quia, ut notavit Erithræus, *doto* & *clotho* habent characteres simillimos; dicendum est, sciolos Exscriptores *doto* in manuscriptis antiquis invenisse, & legisse *clotho*, invisa sibi voce in notiorem mutata.

Quæstionis Dissolutio.



AR-

ARTICULUS V.

De Versionibus. *Quomodo, si in sensu, aut verbis occurrat Dubium, possit, aut debeat Veritas explorari?*

Cur Libri in linguas diversas transferantur?



VIA diversæ sunt in Mundo Nationes, & diversæ in eis linguæ, opus est, ut dicta, aut scripta in unâ linguâ, transferantur in alias, ut ab omnibus intelligantur. De Versionibus sanè in hoc Articulo specialiter disputaturus sum: & ut clarè procedam technologica nomina, quibus sum usurus, præmitto, & ad Logicam convertens oculos, quæ ibi de Propositionum Conversione dicuntur, præsenti materiæ adaptabo.

Lingua ex qua & in quam.

Lingua est duplex: videlicet *ex quâ*, & *in quam*. Propositio translata *Versa* dicitur; illa, in quam transfertur, *Vertens*; ipse actus transferendi *Versio*; sed, & lingua *in quam*, solet hoc vocabulo significari. Doctrinam positam illustremus exemplis. Celeberrima est Sacræ Paginæ Versio, quæ à septuaginta Senioribus fuit concinnata. In illâ Hebræus, & Græcus Textus debent considerari. Ille est *ex quo*, & hic *in quem*: ille *Versus*, & hic *Vertens*, aut etiam *Versio* nominatur. Et his præmissis subsequentes Conclusiones propono.

Quanam Oratio Versa, & quae nam Vertens sit?

Qualis Interpres esse debeat, ut ejus Versio habeat authoritatem?

PRIMA. *Debet Interpres præter voluntatem sinceram, & diligentiam opportunam, utriusque linguæ, & scientiæ, de quâ agitur, perfectam cognitionem habere.* Peto primo loco voluntatem sinceram; nam Martinus Lutherus, & alii eum eo antiquiores, & juniores Hæretici, ubi Sacræ Scripturæ Textus in linguam vernaculam reddunt, non intendunt veritatem proponere, sed errores suos roborare, unde de Francandalensi Prædicante Comes de Rebolledo,

Quò omnia tendant Hæreticorum studia?

Y estudia para ignorar,
Mas que otros para saber.

Præter voluntatem sinceram exactâ, utriusque linguæ in Interprete cognitionem requirimus; debet enim scire, quid dictum ab Authore sit, & quo modo in alterâ linguâ reddi possit. Et hujus qualitatis defectu multi Interpretes exorbitarunt: nam Galeno *lib.2.de diff.pul.cap.5.* (apud D. Christophorum de Benavente in Advertentiis, quas Regibus, Principibus, & Legatis præscripsit, *cap. 26. pag.619.*) qui benè duas percalleat linguas, est

Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno.

Et, quia voces aliter in una Facultate, & aliter accipiuntur in alterâ, debet illam Interpres Facultatem callere, de quâ in libro tractatur. Et hanc ob rem Latinæ Versiones Aristotelis interdũ claudicant, nam Philosophica edifferunt, & sunt concinnatæ à Grammaticis.

An Oratores & Legati, qui ad exteras Regiones mittuntur, debeant scire earũ linguas?

Regum, & Principum Oratores deberent eas linguas scire, quæ in Provinciâ, ad quam leguntur, sunt communes; nam, ut Antonius Molin. & Guillelmus Pos. *de Turcicis reb.* testantur, est Adagium receptũ apud Arabas,

Qui nescit linguas famulus, tot prævalet unus
Indoctis, doctis æquivaletque viris.

Et quidem gravia sæpè periclitantur negotia ob ignorantiam, aut infidelitatem Interpretum. Et, ut huic olim inconvenienti occurreret Themistocles (Tucydides *lib.1.* Plutarchus *in Apophth.Imp.*) hæsit uno anno in Perside, & noluit Regi loqui, & adventûs sui causam exponere, quousque sine interprete potuit.

An etiam Rex, Princeps, & qui gentes Regionum diversarum gubernat?

Sicut Legatus eorum linguas, ad quos mittitur deberet discere: sic & Rex aut Princeps omnium, quos aut gubernat, aut subjugare conatur. Hanc ob rem laudatur Mithridates, quod viginti duas linguas sibi paren-

parentium gentium ita sciverit, ut singulas sine Interprete audierit, & proprio idiomare respondere potuerit: & in copioso exercitu omnes milites proprio nomine distinxerit, & salutarit. Plinius *Varia Hist. lib. 7. cap. 24.* Agellius *lib. 17. cap. 17.* [Sed hæc ad pompam dicta, nam Lectores prudentes hanc ipsam Mithridatis historiam Hyperbolicā judicant, erant enim breves termini Mithridatici Regni, & illæ, quæ vocantur *Provincia* erant urbes, quæ *lingua* dialecti; & qui *milites*, Officiales (Legionarii, Centuriones, &c.) nec videbitur mirum siquis Italiæ Princeps Genuensem, Mediolanensem, Parmensem, Florentinam, Romanam, Neapolitanam, Cantabricam, Siculam, & cæteras dialectos intelligat, & in suo exercitu Officiales nominatim cognoscat. Ergo omissâ re dubiâ, ad Cleopatram oculos convertamus. Illa, ut in Antonio asseverat Plutarchus, sciebat plurimas linguas; agebat enim Æthiopicè, Trogloditicè, Ibericè, Arabicè, Assyriacè, Medicè, & Parthicè; & ideò sine Interprete Amicorum, & Hostium audiebat Oratores. Linguarum diversarum notitia Annibali in Italicâ, Ponti Regi in Græcâ expeditione multum profuit: multum in Persiâ Themistocli, & apud Parnabazum Alcibiadi. Plinius *de Viris Illustr.* Zonaras *lib. 2.* Dum in Parthos dirigeret arma Pompejus, ejus Consul Lentulus retundebat audaciam, asserens, fore ut in Asiâ periclitaretur, qui illarum gentium linguas, & mores ignorabat.

An vera sint, quæ de Mithridate leguntur?

Quàm multas linguas habuerit in usu Cleopatra?

De aliis personis polyglottis.

Si omnes essent Interpretes Senatori Cæcilio, qui Romæ tribus Atheniensibus Oratoribus adstitit; Gn. Octavio Prætori, qui in Græciâ Cõsulis L. Æmilii Pauli verba in idiomate illius regionis reddidit, aut C. Valerio Procilio nobilissimo Gallo, qui in colloquio Cæsaris, & Diviciaci intercessit, aut aliis optimis, & fidelibus similes, invidiosa querimonia cessaret, quæ illos incriminatur. Sanè Interpretes, si infidi sint, Ius Gentium violant, & crimen Læsæ Majestatis committunt. Constantinopoli ante non multos annos duo fuerunt in patibulo positi (alter Gallo Oratori, alter serviebat Veneto) quod eum Turcarum injuriâ exponerent Legatorum responsa. Et Persarum interpretem, quòd verba ad barbarorum utilitatem obtorqueret, jussit trucidari Themistocles. Hanc Historiam *libr. & cap. cit. pag. 620.* D. Christophorus recenset, & aggravat hoc Commentario, *Debia de ser subdito de los Athenienses, que de otra suerte fuera hecho injusto; y aun sin esto tiene poco de Equidad* voluit dicere; *y aun con esto tuviera poco de Equidad.* Nescit Vir Eruditus, quid sit Ius Gentium; & Legatorum privilegia, non ratione, sed exemplis metitur; & sic in multis casibus allucinatur. Et in hoc certissimè: Legati enim & illorum ministri non admittuntur, ut proditiones moliantur, sed, ut negotia tractent: & hanc ob causam Interpretem illum Themistocles, Græcus, aut Persa fuerit, ob perfidiem rerum potuit ultima sententia condemnare. Audi Antonium Cotonium *in summ. verb. Reus. nu. 3.* dicentem [Legatus Principis grave delictum committens in Territorio Legationis, evadit subditus Principis, apud quem gerit Legationem, potestque ab eo puniri. &c.] Consonat sibi, nam *ibid. verb. Princeps num. 17.* dixerat. [Princeps, etiam Legatos, & eorum famulos punire potest, si atrocia in suo territorio commiserint; quia etiam hospes, & peregrinus ejus subditus est, in cujus territorio versatur *l. 3. ff. de off. prat.* Vnde alioqui, inter quos Besoldus *in differ. polit. de leg. cap. 5. num. 19.* putant id sancitum esse in *l. non alias 24. ff. de jud.* & *in l. concessisse 2. eod.* Nam delictum Legati, & ejus famuli non debet esse impunitum ait Contzen *lib. 7. cap. 36. §. 5.* nec est ratio quare puniri debeat à proprio Principe, cùm læsus non debeat cogi ad accusandum in locis remotissimis, cum maximis periculis, & expensis; & multò minus, si proditionem, aut seditionem molitus sit, quia tunc præsumitur de hoc habuisse ab eo mandatum. Vnde multa exstant pro nobis hujus rei exempla. Nam Phileas Tarentinorum Legatus virgis Romæ cæsus, & à Saxo ejectus est Authore Livio *lib. 15.* Legati Persarum jugulati fuere ab Alexandro teste Iustino *lib. 7.* Severus apud Herodian. *lib. 6.* verbales injurias in Legatis Parthorum punivit exilio. Orator Galliarum Mediolani propter homicidiū capi-

De Senatore Cæcilio. &

C. Valerio Procilio.

Qua pœna mulctantur infideles Interpretes?

Plutarcus in Themistocl.

An, & à quo possint Oratores puniri?

De Themistocle.

An, quando, & cur, Legatus Principis ad quem reddatur subditus?

Cui peregrini subsint?

Nil debet committere impunè Legatus: & præcipuè, si proditionem aut seditionem solicitet.

Nominantur Legati aliqui, qui à Principe ad quem fuerunt puniti.

capite plexus est apud Cochier *de leg. cap.* 42. ubi multa alia congerit. Sanè Ius Legationis sanctum est, & inviolatum ex Iure Gentium, ut ait Bañez *in* 2. 2. *qu.* 57. *art.* 3. & Legati Divino, & humano præsidio vallantur, ut ait Tullius *orat.* 3. *in Verr.* Vndè in signum securitatis olim portabant sagmina, & herbas, ut patet ex *l.* 8. §. 1. *de rer. divis.* Sed quousque Legati Iura Legationis non excedunt: nam alioqui si Iura Gentium primi fregerint fide, quæ de Iure Gentium ipsis debeʃetur, indigni fiunt; reatus enim omnem Dignitatem excludit *lib.* 2. C. *ubi Senatores, vel Clarissimi.* ¶ Sed, & sub annum 1645. Legatus Cæsareus ad Pottam fuit Constantinopoli incarcerem trusus propter homicidiū commissum, ibique periit: & fuisset plexus capite, ni gravaretur ære alieno, & ereditores, ut redderentur indemnes, succlamarent. Eram Posfonii cum Internuncius Turcicus venit ad Cæsarem, qui hac fuit responsione dimissus, *Legati est pacem publicam manutenere, non perpetrare crimina. Si noster homicidium commisit, juxta leges Turcicas puniri poterit.* Et hic obiter nota, occisum, propter quem agebantur hæc omnia non fuisse aliquem Civitatis, aut Provinciæ Primatem, sed miserrimum quemdam Iudæum. Stat igitur circumscribi terminis immunitatem Legatorum: eosque, quia ut privati peccant, posse, & solere, ut privatos puniri.

Legatorum insignia.

Non debet eis fides servari, si fidem violēt.

De Legato Cæsaris ob Iudæũ occisum, Constantinopoli incarcerato.

Quid Cæsar Magno Turca responderit?

Etiam Interpres crimen Læsæ Majestatis committit, si secreta Legationis revelat. Et condemnati, si revelaris, poterit; non autem occidi, ne revelet. Et ideò offundetur perpetua Ignominia Romanorum Imperator Caracala, qui vigintisimul Interpretes occidi jussit, ne posset sciri, quid secum quidam barbari tractaverant.

An ob securitatem secreti possint Interpretes occidi?

SECVNDA. *Vbi in Versione est sensus dubius, tolli solet æquivocatio, si Prototypum recognoscamus.* Probatur clarissimè hoc exemplo Gen. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret eum.* Et interrogas, Quis-nam sit ille, qui dicitur hìc operaturus, & custoditurus? Et quid operaturus, aut custoditurus ille sit? quoniam duplex est sensus, vel enim Deus in Paradiso posuit hominem, ut Deus custodiret eum nempe, hominem: vel posuit in Paradiso hominem, ut videlicet ipsemet homo custodiret eum; nimirùm Paradisum. Ex Textu Latino nequit Dubium dissolvi, quia cum *Homo* & *Paradisus* generis masculini, & potest illud *eum* ad utrumque referri, non dissolvitur dubium. Nec juvat Textum Græcum recognoscere; quoniam ὁ ἄνθρωπος, & ὁ Παράδεισος, etiam sunt generis masc. Ergo ad Hebraicum Originale recurramus.

Æquivocatio, quæ in Versione Græca & Latina invenitur, tollit Textus Hebraicus.

ויקח יהוה אלהים את האדם וינחהו
בגן־עדן לעבדה ולשמרה

Hisp. *Tomó Dios nuestro Señor al Hombre, y dió con el en la Huerta de recreacion, para que la cultivasse, y la guardasse.* Latin. *Tulit Dominus Deus Hominem, & posuit eum in Hortis ut operaretur eos, & custodiret eos.* In Linguâ Hebrææ nomen גן GAN, *Hortus*, generis fæminini est, & affixa sunt fœmenina, & ad גן GAN, *Hortum*, & non ad אדם, ADAM, *Hominem*, referri debent. Verbum נתן NATHAN *Dare*, hic est *ponere*, & Hispanicè ad literam redditur.

גן, GAN, Hortus, Hebraicè generis est fœminini. ה fœmininũ affixum est. Non ergo ad אדם ADAM, *Hominem*, sed ad גן GAN, *Hortum*, referri poterit.

Vt hujus versus versionem Latinam intelligas, quam subjunxi, scire debes esse aliqua nomina, quæ habent formam pluralem, & tamen non nisi tem singularem significant. Talia sunt nonnulla Civitatum vocabula, ut *Athenæ*, *Thebæ*, *Burgi*, *Parisii*, &c. Prætereà, adhuc oportet scire, inter *Hortum*, & *Hortos* hanc à Criticis differentiam constitui, quod tametsi utrumque nomen hortum singularem signet, *Hortus* tamen eum proponat, qui habet olera, & fructiferas arbores, & lucro inservit; *Horti* autem vox formæ pluralis, eum designet, qui ornatur fontibus, & coronatur rosis, & floribus diversis pingitur, & ad solam recreationem colitur, & rigatur. Passeratium audimus. [Valla libr. 3. cap. 9. constituit differentiam inter *Hortum* singulari numero, & *Hortos* plurali, ut *Hortus* dicatur, ubi olera nascuntur, hoc est, quævis herbæ sativæ, quibus vescimur; *Horti* verò, qui arboribus consiti sunt, & voluptatis causâ comparati. Vnde in superiori dicendum putat *Vnum hortum, duos, aut tres hortos*: in posteriore verò per numeros distributivos loqui

Hisp. Dar con uno, es ponerle, ut si quis dicat Dió con el en tal parte.

Sunt Nomina formæ pluralis, quæ habent significationem singularem.

An, & qualem inter Huerta & Huerto *Hispani, & inter* Hortum & Hortos *Latinè differentiam adsignent?*

qui præcipit; ut scilicet *Vnos, binos, ternos, quaternos Hortos* dicamus. Hæc tamen differentia, etiamsi frequentiùs vera est, non semper tamen observatur. Testimonia vide apud Vallam loco jam citato.] Hispanicè *Hortus* est *la Huerta*, & *Horti* est *el Huerto*. Et גן־עדן GAN-EDEN, Græcè Παράδεισος, Lat. *Horti*. Hisp. *Vna huerta de recreacion*, aut absolutè, *Vn huerto*.

Quales fuerint Sacra Scriptura Interpretes?

TERTIA. *Si in Primario ipso Textu sensus ambiguus sit, proderit ad Versiones recurrere.* Patet: quia Interpretes, & præcipuè, qui Sacram Paginam in Latinam Linguam transtulerunt, fuerunt oculatissimi, & eorumdem Versiones à millenis sunt Viris Magnis recognitæ, & quia bonæ visæ retinentur, & adlegantur. Et, ut Conclusionem persuadeam hoc exemplum propono. Lucas cap. 6. vers. 19. sic scribit Ὁ ὄχλος ἐζήτει ἅπτεσθαι αὐτοῦ, ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας. *Populus quærebat tangere eum; quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Consideremus absolutè hæc verba: nam à Contextu, & à circumstantiâ Personæ, de quâ dicuntur, præscindendo, manebunt æquivoca, & novâ egebunt luce, ut ad Historiographi mentem intelligantur. Illa profectò δύναμις, (illa virtus) exibat παρ' αὐτοῦ (de illo.) Sed de quo? exibat-ne παρ' ἀνθρώπου, an verò παρ' ὄχλου? An ne de homine, qui tangebatur; an verò de populo, qui illum tangebat? Alterutrum posset ille dicere, qui periodum hanc præcisam à cæteris consideraret. Vel attende, & hunc Casum considera. Pone virtutem, qualem Hispaniæ, & Galliæ Regibus indulsisse Deus dicitur, toti Populo N. communicasse. Pone peregrinum miserrimum hærente in foro Populo supervenisse; & hunc compassione commotum accurrisse, ut tangendo eum sanaret. An-non tunc verum esset dicere, *Populus N. quærebat tangere eum* (Peregrinum; videlicet, ut sanaret eum) *quia virtus, quæ de illo* (Populo N.) *exibat, sanabat omnes.* Et invertendo hypothesim, Pone eamdem virtutem cuidam homini peregrino Dominum concessisse, & Populum M. lue aliquâ communi laborare. Et quidem in hoc casu, si ille Peregrinus adveniret, Populus M. universus accurreret: & eadem verba possent verificari. Tunc enim posset aliquis dicere, *Populus M.* (videlicet, quia ægrotus erat) *quærebat tangere eum* (Peregrinum, cui Deus gratiam sanitatum indulserat) *quia virtus de illo* (Peregrino) *exibat, & sanabat omnes.* Hæc igitur verba secundum se considerata, sunt ambigua, sensum duplicem habere possunt. Sed unde tollitur æquivocatio?

Si qualis illa virtus sit, quæ Gratia sanitatis vocatur, scire velis, duas tibi Theologi Opiniones proponēt; alii enim physicam & realem esse qualitatem respondent, & alii esse moralem. Illa autem Lucæ verba, Virtus de illo exibat, priori videtur Opinioni favere.

Ex Contextu facillimè; postulabat tamen hypothesis, quod præscinderemus à Contextu, ut clariùs hujus tertiæ Conclusionis innotesceret veritas. Ergo dico. Interpretem Latinum, quem *Vulgatum* vocamus, esse receptum ab Ecclesiâ Catholicâ, & pro Textu citari. Ad eum igitur convertam oculos, si fortè æquivocatio, quæ in Græco Textu reperitur, in Versione tollatur. Ille autem sic scribit. *Turba quærebat tangere eum* (Christum, Dominum) *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ecce *de illo* dicit, non *de illâ*. Illa ergo virtus non exibat de turbâ, sed de Christo. Latina igitur Versio, illam, quæ Græcis verbis suberat, sustulit æquivocationem.

Quanta authoritatis sit Vulgata Versio.

An Textu Græco sit restrictior & clarior?



AR-

ARTICVLVS VI.

De Versionum Restitutione. *Quo modo in dubio, quid scripserit Interpres, cognoscatur?*

De Exscribentium incuria.



Ebræorum, & Græcorũ Libri in Linguâ Latinâ translati, pluries exscribi solent, & semper ex incuriâ Exscriptorum nævos contrahunt: & occasionem præbent, ut etiam Viri docti dubitent; nesciantque veram lectionem ab spuriâ secernere. Vt quæstionem intelligas, unum aut alterum exemplum proponam, & dilucidabo.

Vera lectio unius loci Geneseos.

OCcurrunt primo loco Iacobi verba *Gen.* 27. Rebeccæ matri suæ dicentis. *Nosti, quòd frater meus Esau homo pilosus sit, & ego levis; si attrectaverit me pater meus, & senserit, timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* Et quia inter *u* & *n* non satis manuscripta distinguunt, inquiro, *An* ego lenis; *an verò* ego levis *legendum sit?*

Quid lenis, & quid levis sit?

P. Isidorus Clarius à ratione procedit, & sic inquit. [*Ego levis*, non *lenis*, nam LENIS ad animam refertur, ut *lene ingenium*; LEVIS verò primâ productâ significat *sine pilis*.

Quanta sit prima in Levis?

Virgilius. *Et s.pe in levi quæsissent cornua fronte.*] Adde, & Tibullum lib. 1. eleg. 1.

An debeat per diphthongum scribi?

Charior est auro juvenis cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

Et in hac significatione *lævis* scribitur per diphthongum *æ*.

Λεῖος Λεῖα.

Etiam à ratione septuaginta processerunt Interpretes; nam apud illos dixit Iacob, ἐγὼ ἀνὴρ λεῖος, *Ego sum homo levis*: nam λεῖος *non asperum* sonat, & λεῖα instrumentum dicitur, quo lapidicidæ saxa lævigant, & complanant.

Verùm enim verò in Vulgatâ Editione, quæ à Græcâ profluxisse videtur, non *lævis*, sed *lenis* reperio: item in Nova, quæ ex Textu Hebraico deducta fuit: sic enim habet, *Ecce, Esau frater meus, homo pilosus est, & ego homo lenis.* Vatablus ponit in margine *lævis*, *id est*, *lævi cute*. Et in scholio, *Lenis*: *glaber non pilosus*. At in textu non est *lævis*, sed *levis*: & *lenis* non glabrum, & non pilosum, sed mansuetum significat. Terentinus in Hecyr. *Ego sum animo leni natus, non possum adversari meis*, Et Cicero pro Sext. Rosc. Americ. *Vestrûm nemo est quin intelligat Populum Romanum, qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domesticâ crudelitate laborare.* Manet igitur adhuc indecisa quæstio, & ejus tandem Resolutio ab Hebraico originali desumetur.

An difficultatis resolutio possit haberi ex Græco?

Verba ipsa, quæ suo ore Iacobus pronunciavit, sunt hæc.

An ad Textum Hebraicum necessario recurrendum sit?

הן עשו אחי איש שער
ואנכי איש חלק.

Hen esa ahi is Saar, venoki is halaq
Ecce Esau frater meus homo pilosus, & ego homo lenis.

Porrò חלק *halaq*, est *lenis*, *suavis*, *dulcis*, *blandus*, *amabilis*. unde habent Græci, γλυκὺς *dulcis*, γλεῦκος τό, *vinum dulce*, & γλυκαίνω, *dulco*, *rem dulcem reddo*.

חלק halaq. lenis, blandus. γλυκύς. γλυκαίνω.

Stat igitur in Versionibus, si occurrant dubia, solvi non posse ipsa, nisi ad Originalia recurramus.

PLacet secundo loco ponere versum illum Psalmi XLI. *Sitivit Anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Relegis, & inquiris, *An* ad Deum fortem vivum, *an verò* ad Deum fontem vivum *legendum sit?*

Psalmi versus dilucidatur.

Fontem debere dici tenent Critici; vocem enim *fontem*, & non *fortem* præcedentia postulare videntur. Hoc innuit verbum illud *sitivit*; &, cùm cruciamur siti, *vivum fontem*, non autem *virum fortem* sitimus.

An ad Deum fontem vivũ, *an* ad Deum fortem vivum *legendum sit?*

Confirmat id ipsum versus immediatè præcedens, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad Te Deus.* Constat ergo Davidem fontem, & non fortem dixisse. Firmat hoc ipsum, si benè consideretur, illud epithetum *vivum*, quod Fonti, & non Forti attribuitur. Ovidius libr. 3. Metam.

Fontes vivi, qui sunt naturales vocantur.

Et petere è vivis libandas fontibus undas.

Cui consonans Lactantius ait.

Sed fons in medio est, quem vivum nomine dicunt.

Recognoscitur Textus Hebraicus.

His tamen rationibus non obstantibus Lingua Sancta, quâ usus fuit David, *Fortem* habet. Formalis vocum tenor est hic Zama Nephsi L-Elohim, Ihel Hai. *Sitivit anima mea ad Deum, ad fortem vivum.* Porro nomen *Elohim*, & *Eloha* in singulari sonat *Deum*. Et, ut sciamus quem hoc nomine David intelligat, ipse mentem suam exponit dicens, *Sitivit Anima mea ad Deum, hoc est, ad Fortem vivum:* videlicet, *ad Fortem per essentiam: ad illum scilicet, qui αὐτάρκεια, sua Fortitudo, & Omnipotentia essentialiter est.*

Fortis, & *esse*; nam æternitas est omnium fortissima, dicitur.

De Græcorum Trisagio. Quid sit, & unde sumatur?

P. Isidorus Clarius in hunc Psalmum. [*Ex verbis hujus loci; videlicet*, Deum Fortem, Viventem *existimant quidam sumptū illum Hymnum, quem Græci* Trisagion *vocant, videlicet*, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis. *&c. Nam & Græca habent* Fortem ἰσχυρὸν, *pro quo Nostri depravatè legebant* Fontem.]

Ioann. 19. 26.

An ibi in sua, an verò in suâ legendum sit?

PОnamus loco tertio Ioannis Evangelistæ verba. *Iesus ergo, cùm vidisset Matrem, & Discipulum adstantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier: ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo; Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in suam.* Sic in Vulgatâ legitur: & ita hic locus passim in Ecclesiâ, & Scholâ citatur. Biblia autem Sacra, ab Isidoro Clario Monacho Cassinensi correcta, & edita Venetiis ann. 1564. apud Iunctas, quæ doctissimi Viri sequuntur, habent, *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*. Et Tu rescire cupis, *An* in suam, *an verè* in sua *legendum sit?*

N. B. Occasione hujus dubii succurrit verborum *interest* & *Refert* constructio, nam Genitivū postulant; &, si regant Pronomina, debent sic construi: *Hoc interest, aut refert mea, tua, sua, nostra, vestra*. In quo autem casu hæc ponuntur Pronomina? In Ablativo putat Lipsius, qui circumflectit ultimam dicens, *Interest, aut refert meâ, tuâ, suâ, nostrâ, vestrâ*. At Ego, sicut, si agamus de verbo *Refert* Lipsio assentior, sic dissentio, ubi agatur de *Interest*. Tu ergo si radicitùs Grammaticorum Regulam penetrare volueris, hanc Assertionem, *Interest mea hanc domum emere*, huic *Est inter negotia mea hanc domum emere*. Æquivalere pronuncia: inferque illa ipsa Pronomina *mea, tua, sua, nostra, vostra*, esse in accusativo. Adde verbum *Refert*, passivè sumi, & hanc Propositionem *Refert mea Ludovicum invisere*, æquipollere huic, *Fertur in re* (aut *est in re*) *mea Ludovicum invisere*: & collige nunc illa ipsa pronomina *mea, tua, sua, nostra, vestra*, in ablativo collocari, & hanc ob rē debere syllabam secundam circumflectere.

Et quis erit, quæso, qui rationem sequatur, & contextum consideret, quin statim dicat *in suam* esse legendum; sic enim sensus aptiùs fluit, & clariùs Ioannis confidentia relucet? At esse legendum *in sua*, & non *in suam*, pronuncio: quoniam Vulgata Editio è Græco prodiit, & Codices Græci sic habent, Ἰησοῦς οὖν ἰδὼν τὴν μητέρα καὶ τὸν μαθητὴν παρεστῶτα, ὃν ἠγάπα, λέγει τῇ μητρὶ αὐτοῦ. γύναι ἰδοὺ ὁ υἱός σου εἶτα λέγει τῷ μαθητῇ, ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος εἰς τὰ ἴδια. *Iesus ergo videns (cùm vidisset) Matrem, & Discipulum adstantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier: ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo; Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus ille in propria* (Ergo eam accepit *in sua*.) Et Hispanicè. *Viendo pues Iesus a su Madre, y al Discipulo, que estaba constante, al que el amaba, le dixo a su Madre. Muger. Esse, que teneis junto a vos, será vuestro Hijo. Y añadió volviendo los ojos al Discipulo, esta será vuestra Madre. Y desde aquella hora a quel Discipulo la recibió por cosa suya.*

Stat igitur in Sacrâ Paginâ, ubi de verâ alicujus verbi lectione ambigitur, non à ratione, aut ex contextu procedendum, sed omninò debere à Linguâ illâ, in quâ sunt scripti Prototypi, puram Veritatem requiri.

An hæc doctrina in aliis Libris locum habeat?

ET hanc Regulam etiam ad Authores profanos extendi, evidenter ostendo, producendo Demosthenem, qui in quâdam Oratione, sic ait. *Non enim quærebant Athenienses Rhetorem, vel Ducem, per quem feliciter servirent: sed neque vivere quidem volebant, si id illis cum libertate non liceret.* Et hanc periodum Titius attentè meditatus, delendo *Rhetorem*, & substituendo *Rectorem* simillimam vocem castigat; nullam enim reperiri ait inter Rhetorem, & Ducem connexionem; cùm tamen Rectores universi sint Duces. At errat Titius, licèt rationi, & contextui confidat; non enim ἐπιστάτην *Rectorem*, sed ῥήτορα *Rhetorem* dixit Demosthenes. cujus verba Iacobus, Gretserus *lib. 2. cap. 15. pag. 116.* adducit. οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ Ἀθηναῖοι οὔτε [a] ῥήτορα, οὔτε στρατηγόν. exclamat ille, δι' ὅτου δου-

Verba Demosthenis castigare deberet Criticus, si rationem, & non Textum ipsum Græcum consuleret.

λεύ-

λεύσεσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' ὅτι ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξέςαι τοῦτο ποιεῖν. [b]

An plures negationes fortiùs negent?

a] Interim hic observet Grammaticus, tres interdum apud Græcos negationes reperiri: ut si Latinè dixeris, *Nulli, nec diviti, nec pauperi licuit hoc*.

An modus Indicativus pro Optativo: an verò tempus perfect. pro imperf. sumatur?

b] Indicativum pro Optativo aliquando eleganter adsumi, asserunt Critici, existimantes in producto loco δὴλεύσεσιν pro δὴλεύσοιεν, nec non ἐξέςαι pro ἐξεσοιτο esse posita: & hanc ob rem verba Demosthenis in hæc debere transire. *Non enim quærebant Athenai, nec Rhetorem, nec Ducem, per quem serviebant feliciter; sed neque vivere volebant, si cum libertate illis non licebat id facere*. At ego putarem Imperfectum pro perfecto esse positum: aliud enim est dicere. *Non quærebant Athenienses Oratorem, aut Ducem, cui servirent*: & aliud, *Non quæsiverunt Oratorem, aut Ducem illum, cui serviebant*.

ARTICVLVS VII.

De Interpretum adlucinationibus.

An Interpretes semper fideles sint?



NON semper est fidendum Interpretibus sæpè enim doctos illustrium Virorum audent libros in alias linguas vertere homines imperiti; qui nec scientiam, quæ tractatur, intelligunt, nec idiomata sufficienter percallent: & etiam aliquando perfidia comitatur inscitiam; & per fraudem obtorquentur sententiæ, ut in errorum præcipitia labantur. Et tametsi id interdum contingat in immediatis Translationibus, vix, aut ne vix, abesse poterit, quando unus Author in varias linguas successivè transfertur. Et, ut exemplum ponam, Librum, qui *Specimen Sapientiæ Veterum Indorum*, inscribitur, propono ob oculos. Compositus primùm fuit in linguâ Indicâ à Gymnosophistâ doctissimo, & ingeniosissimo. A Persoë Medico ex Indicâ versus in Persicam. Ex Persicâ in Arabicam ab Anonymo eloquenti, & gnaro. Ex Arabicâ in Græcam à Symeone [*] Sethio: Et tandem à P. Petro Possino S. I. novissimè ut exornaretur Pachymeres, è Græcâ in Latinam translatus. Et, quia continet multa Moralia Monita, quæ Principibus prodesse poterunt, cras, aut perindiè, transfertur in Hispanicam, Gallicam, aut Germanicam. Vix erit in Orbe Literario alius Liber, qui per tot linguas successivè decurrerit; at auderem asserere, ultimam editionem si cum Textu Indico conferatur, toto Cælo differre: nam semper à Textûs rigore abest

De Veterum Indorum Sapientia.

Fuit in diversas linguas successivè translata.

*] Latinus dicit *Simeon*, at Luc. 2. 25. & 34. Græcus habet expressè Συμεὼν, *Symeon*.

Qualis sit ultima Versio, si cum ipsomet Textu componatur?

Versio; &, si Versionum crescat numerus, etiam crescet inter Textum, & ultimam Versionem distantia. Sed, quia etiam in immediatis Translationibus interdum deformâtur Authores, oro, ut sequentes lineæ attentè, & sincerè legantur.

De Constantinopolitano Pontificiorum Legatorum Interprete.

Sanè anno DCCCLXIX. (num. 23. asserente Baronio) Apostolicæ Sedis Legati, Constantinopoli sunt interpretem nacti, qui non exprimeret, quæ ipsi dicebant, sed quæ altera pars, aut præscribebat, aut audire desiderabat. Anno M.DC.XVI. Angli Mercatores in Perside contractum inierunt cum Rege, & ut sibi consulerent, scribi jusserunt Arabicè: quoniam Mahomerus, ut notavi superiùs exsecratus Versiones, sub nullitatis pœnâ præcipit, ut nullum Instrumentum vim habeat, nisi Arabicè conscriptum sit. Interprete utebantur Christiano: & tamen miserrimè decepti sunt.

De Anglorum Interprete in Persia.

Etiam præclara Philosophorum, & Theologorum scripta ab Interpretibus desfigurantur. Et inter alios gravissimè sanè Constantinus Constantiæ in Cypro Episcopus, (cujus in *Intentional. Theolog. lib. 4. pag. 348. b. qu. 3. num. 1579.* meminerim) dedecoratur. Fuit enim Orthodoxus, & de Fide Catholicâ benè sensit, & benè Græcè scripsit; quia tamen malè fuit in linguam Latinam conversus, ab Occidentalibus condemnatur, & à Carolo Magno Imperatore Decreto publico accensetur Hæreticis. Vir Pius profectò, si superviveret, & suæ doctrinæ Latinam Versionem prospectaret, Comitis Virgilii Malvezzii verbis usus, diceret, *Non sono miei Traduttori, mà*

De Interprete secunda Synodi.

Textum Græcum non intellexit, & occasionem præbuit Carolo Magno Imperatori, & multis post illum Theologis, ut Constantinum & alios Episcopos, ibi considentes hæreses condemnarent.

Traditori: non mi traducono, mà mi tradiscono. Et id jure inculcare posset; & præcipuè, si Magni Caroli Capitulare legisset: ibi enim *libr. 3. cap. 17.* sc depictum reperisset his verbis.

Ecce quanta injuria, & à quanto Principe, & quanto Pontifici ob Interpretis allucinationem infertur!

[Quàm præcipitanter, & ut ita dixerim, insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, cæteris consentientibus, se suscepturum, & amplexurum honorabiliter, imagines dixerit, & servitium adorationis, quod consubstantiali, & vivificatrici Trinitati debetur, eis se redditurum garrierit, non est plurimum nostrâ disputatione discutiendum: quoniam omnibus, qui hoc, vel legunt, vel audiunt, liquidò patet, illum non modici erroris voraginibus immersum; quippe, qui servitium soli debitum Creatori exhibere se fatetur creaturis, & dum cupit favere picturis, reluctatur cunctis Sacris Scripturis; Qui enim unquam sani capitis talem absurditatem, vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut in tanto honore habeatur picturarum varietas, quanto Sancta vivificatrix, & omnium Creatrix Trinitas? & tale impendatur servitium picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ? aut quis illum talia nauseantem potiùs, quàm loquentem pateretur? quoniam quidem perversum est, ut quibuslibet rebus insensatis tale impendatur servitium adorationis, quale Deo Omnipotenti, cui non est similis, cui per Salomonem dicitur: *Domine non est tibi similis in Cælo* [*] *sursù, nec in terra deorsum*: Cum quâ ergo fronte, ut de cæteris taceam, hoc unum comma Divinæ Legis audit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, qui hoc spreto non solùm creaturis servit, sed earum servitium, servitio Dei æquiparare contendit. &c.] Et has exaggerationes, & execrationes confirmat, verba Dei, & Constantini componendo. [Stat namque Episcopus in Ecclesiâ, & legit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, & mox, ut in conventu sederit, dicit: *Suscipio, & amplector honorabiliter sanctas, & venerandas imagines, & illis servitium adorationis, quod consubstantiali, & vivificatrici Trinitati debetur impendo.*] Ecce contradictionem evidentem.

*] Similitudo inter Deum & creaturas à Theologis asseritur: nam vel in Similitudine æqualitas clauditur aut excluditur: si primû, in Mundo nihil est quod sit simile Deo: si secundû, omnes creaturæ, nam Dei perfectiones participant, in aliquo sunt Creatori similes.

Ecce Constantinus, & ecce cæteri Coëpiscopi, Cæsareo condemnantur Diplomate, quod dixerunt, *Se suscipere, & amplecti honorabiliter Sanctorum, & Sanctarum Imagines, illisque adorationis servitium, quod Sanctissimæ Trinitati debetur, exhibere.* An id unquam Constantinus, aut aliquis alius in consessu illo Episcopus cogitavit, aut dixit? Minimè: minimè. Quoniam secundæ Synodi Versio, quâ tunc Europæi utebantur, & juxta quam Theologi, qui Carolo Magno Imperatori adsistebant, Opus illud, quod *Capitulare* vocatur, concinnarunt, erat valde infidelis, & nigra protrudebat pro candidis. Et, ut id clarè ostendam, dabo ipsa verba Græca, quæ Constantinum, & cæteros Episcopos ei adhærentes, fuisse Orthodoxos, manifestè persuadent. Synodus itaque secunda action. 3. his verbis rem totam exponit.

Quid V... Constantino imponatur?

De Magni Caroli Capitulari.

Κωνςαντῖνος ὁ ὁσιώτατος Ἐπίσκοπος Κωνςαντείας τῆς Κύπρου εἶπεν. Ἐν μηδεμίᾳ παραλλάττοντα καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα γράμματα τὰ ἐκ τῆς ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην τοῦ ὑπὸ αὐτοῦ προομολογηθέντος ὅρου τῆς πίστεως εὑρὼν κἀγὼ ἀνάξιος, τούτοις συντίθημι. καὶ ὁμόφρον γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ Τριάδι ἀναπέμπω καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας μήτε δοξάζοντας τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποςολικῆς ἐκκλησίας ἐχχωρίζω, καὶ τῷ ἀναθέματι ὑποβάλλω. καὶ τῇ μερίδι τῶν ἀρνουμένων τὴν ἔνσαρκον καὶ σωματικὴν οἰκονομίαν χριςοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἐμῶν παραπέμπω.

Omnes olim Episcopi vocabâtur ὁσιώτατοι, *Sanctissimi, hodie autem Summus tantùm Pontifex hoc epithето cêlebratur.*

Nota illud μόνῃ, *soli. Soli ergo Trinitati, & non Diversum Imaginibus Latria adorationem Constantinus adtribuit.*

Constantissimus, Sanctissimus Episcopus Constantia Cypri urbis dixit. Siquidem illas literas, quæ ex Oriente missæ sunt ad Tarasium Sanctissimum Archiepiscopum, & [a] *Universalem Patriarcham, & modò sunt lectæ, video nihil differre à formulâ Fidei, quam ille antehac professus est, Ego quoque indignus eisdem consentio, & concors sum; suscipiens, & cum honore amplectens sanctas, & venerabiles Imagines. Adorationem verò Latriæ soli supersubstantiali, ac vivifica*

visi a Trinitati defero: quique non sic sentiunt, ac docent ab Ecclesia Catholicâ excludo, & anathemati subijcio, & parti (classi) eorum, qui negant Christi veri Dei nostri in carne, & corporalem adventum, accenseo.

Οἰκουμενικὸς, Universalis bifariâ sumitur, absolutè & relativè: & solus Papa est οἰκουμενικὸς, *Universalis primo modo appellatur; nam Patriarcha & Archiepiscopi sortiuntur hoc nomen secundò.*

a] Aliter, & aliter Romanus Pontifex, & aliter Patriarchæ vocantur οἰκουμενικοὶ, *Universales*: nam Patriarchæ singuli in suo sunt Patriarchatu OEcumenici, Romanus vero in toto Orbe Christiano Episcopus Universalis est. Et hinc excusari poterit Patriarcha Constantinopolitanus, qui post Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ unionem, Florentiæ celebratam, se adhuc οἰκουμενικὸν, *Universalem* (videlicet, suæ lineæ, & Patriarchatus respectu) subscribebat.

NOTA

De voce γυνὴ. *Quid significet? An non solùm* pro muliere, *sed etiam* pro sexu fœminino *sumatur?*

1. ad Timoth. cap. 2. vers. ultim.

SCribit suo Timotheo Paulus: Σωθήσεται (ἡ γυνὴ) διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ, μετὰ σωφροσύνης. Vulgatus. *Salvabitur (mulier) per filiorum generationem, si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Arias Montanus. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si manserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum modestiâ*. Martinus Lutherus apud Philippum Melanchthonem. *Salvatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, dilectione, castitate, & temperantia*.

Locus difficilis dilucidatur.

In epistolâ ad Iustum Ionam, Iusti Ionæ filium, quæ est Syntaxeos Præfatio, Melanchthon recognoscit hunc locum; &, ut ostendat, quàm sit necessaria penitior Meditatio Geammaticæ, in Vulgatum Interpretem, Doctorem Angelicum, & alios Viros Magnos audescit; ostenditque vera esse illa Laurentii Vallæ verba, *Inter animalia, quæ Deus condidit, Grammatico superbius nullum*. Interim, quia non contemnendam præbet huic loco lucem, dicteriis omissis, Grammaticam ejus Animadversionem proponamus.

Melanchthon, etsi in Theologia delirat, audiri utiliter potest in Grammatica.

Amice igitur Lector illud *manserint*, aut *permanserint* respice, & dicas nobis, de quibus prædicatur. De filiis, dices. Ergo durissimam proferes in Matrem familias sententiam, asserens æternam illius salutem à vitâ, & moribus suorum filiorum dependêre; ita, ut si hi in fide, & charitate permaneant, salvanda sit; & peritura, si non maneant. Portabit igitur iniquitatem filiorum suorum mater, & propter aliena peccata æternam damnationem incurret. Hæc doctrina est hæretica, & impia. Ergo aliquid latet, quod ad Grammaticam verborum acceptionem, & constructionem spectat.

An mater propter filiorum crimina condemnatur à Paulo?

Doctrina Catholica.

Dico igitur, ut hic textus intelligatur, debere Pium Lectorem ad Hebraici, aut Græci idiomatis proprietatem recurrere; erat enim Hebræus D. Paulus, & Græcè scribebat hanc Epistolam. Præmittam igitur aliquid breviter ex Linguâ Sanctâ, & posteà uberiùs ex Græca eumdem Textum dilucidabo.

Cujas fuerit Sanctus Paulus?

De Hebraica lingua conjugationibus.

An debeant Voces nominari?

Profectò in Sancta Hebræorum Lingua diversæ sunt Conjugationes, quas potiùs *Voces* dicerem, si uteret Lexico, quod Grammatici Latini præscribunt, & inter ipsas me juvant impræsentiarum tres *Cal*, *Pihel*, & *Hiphil*, quarum prima ferè est intransitiva, secunda transit (aut est activa, ut inquiunt nostri) & tertia facit, ut alter faciat. Unde LABAN in Cal est *albescere*: LIBBEN in Pihel *dealbare*, & HILBIN in Hiphil *facere, ut alius dealbet*. Hæ autem Conjugationes (Voces-ve) non semper differunt elementis, tametsi semper distinguantur virtute. Quamobrem, si ἡ γυνὴ esse nomen collectivum ponamus, ut statim dicemus; illa verba ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει. &c. accipiantur in Hyphil, reddet hunc sensum tota oratio. *Salvabitur mulier (sexus fœmineus) per filiorum generationem, si fecerit quòd permaneant in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Prima enim Parentum obligatio est, ita educare proles, ut non solùm vivant, sed etiam sanctè vivant; nam, si illud prius est matrimonii finis, hoc posterius fuit finis Dei, qui illud instituit; & esse debet hominum, qui illud celebrant.

168

Vocum Cal, Pihel, & Hiphil significatio.

Prima loci Paulini Interpretatio.

De Matrimonii fine.

Addo, ut idē locus ad Græci idiomatis proprietatem intelligatur, duo debere necessariò præsciri. Alterum nomen γυνὴ, quod vulgò *mulierem* significat pro *sexu fœmineo*, hoc est pro *collectione fœminarum* aliquando usurpari. Alterum, nomina collectiva, (Gexcè, περιληπτικὰ)

Quæ sunt ad Textus intelligentiam necessaria?

quæ

quæ in singulari multas personas continent (ut turba, civitas, exercitus. &c.) quia tametsi voce sint ἑνικὰ *singularia*, sunt nihilominùs sensu πληθυντικὰ, *pluralia*, apud Græcos cum pluralibus verbis componi.

Ut illud prius persuadeam, habeo textum pulcherrimum in Evangelio. nam *Luc.* 11.27. lego. Ἐγένετο γὰρ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπεν αὐτῷ. Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ, οὓς ἐθήλασας. Vulgatus, *Factum est autem, cùm diceret hæc* (Dominus Noster Iesus-Christus) *extollens vocem quadam mulier de turbâ dixit illi, Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Arias Montanus. *Factum est autem in dicere ipsum hæc, extollens quadam mulier vocem ex turbâ dixit illi. Beatus uterus portans te* (portaverunt [*] te) *& ubera, quæ suxisti.* Hispanicè), *Y sucedió al decir el estas palabras, el sexo femineo segun su multitud levantó la voz y le dixo. Bendito sea el vientre, que te traxo, y los pechos que te dieron leche.* hoc est, *Accidit, ut dum ipse diceret hæc verba, fœmineus sexus secundum multitudinem suam excitaret vocem, & diceret, Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Et quidem in hoc loco vocem γυνὴ non significare in singulari unam fœminam determinatam, sed in plurali fœminas, quæ interfuerant concioni constat ex Augustino, qui *tract.* 10. *in Ioannem post initium* [Et habetur *die* 14. *Augusti, lect.* 3.] hunc locum hoc scholio dilucidat. *Cùm Dominus in turbâ admirabilis videretur faciens signa, & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admirata quadam anima dixerunt, Felix venter, qui te portavit*, &c. Non ergo unica fœmina sola, sed sexus fœmineus, hoc est, fœminæ, quæ aderant, fuerunt admiratæ, & loquutæ.

*] Indiget Lingua Latina omnium temporum participiis, qualia sunt *Amans, antis. Amabans, antis. Amaverans, antis. Amaverans, antis.* sine quibus nunquam exactè poterit Scriptorum Græcorum sensum reddere.

Quid vox γυνὴ significet?

Verba collectiva regunt verbum plurale.

Ut secundum demonstrem, multa possem testimonia exhibere, è quibus unum, aut alterum saltem proponam. Pausanias τὸ ἔθνος, τὸ αἰτωλικὸν ἀπέστειλαν, *Gens Ætolica miserunt*. Homerus, ὥς φάσαν ἡ πληθύς. *Sic loquuta sunt multitudo*. Lucianus. Μηδὲν ἅτεροι θατέρῳ λέγοντες ἀκόλουθον. ἀλλὰ μαχόμενα πάντα, ὅμως πείθεσθαί με ἠξίουν καὶ πρὸς αὐτοῦ λόγον ἕκαστος ὑπάγειν ἐπειρῶντο. *Cùm nihil alter alteri consentaneum diceret, sed omninò pugnantia, nihilominùs persuadere mihi volebant, & ad suam quisque rationem me ducere conabantur*. Hoc loquendi schema Grammatici vocant *Synthesin* (&, si in unâ clausulâ accidat, Lina libr. 6. *Syllepsin*) & admittitur frequenter à Latinis Poëtis. Virgilius in hac Figurâ nimius est: nam solummodò proponam nomen *pars*, ut eruditus Lector de cæteris judicium ferat. Dixit Eclog. 1.

Sophistarum ingenium.

Synthesis. Syllepsis.

Pars Scythiam, & rapidam Cretæ veniemus Oaxem.

Georg. lib. 4. — *Pars intra septa domorum*
Prima favis ponunt fundamina. &c. Et lib. 4.
Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula. & Æneid. 1.
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt;
Littore ahena locant alii. & posteà,
Instant ardentes Tyrii. pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco,
Iura, Magistratusque legunt, sanctumque Senatum.

Et ibid. — *Pars ingentem formidine turpi*
Scandunt rursus equum, & notâ conduntur in alvo.

Æneid. 4. — *Pars grandia trudunt.*
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Castigantque moras. & Æneid. 5.
Omnibus in morem tonsâ coma [*] *pressa coronâ*
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro
Pars leves humero pharetras. Et post pauca.
Pars spoliant aras; frondem, ac virgulta, facesque
Conjiciunt. Et lib. 6.
Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Et statim. — *Pars ingenti subiere pheretro* [a]
Triste ministerium, & subjectam more parentam

*] De Restrictione, quæ à syllabarum quātitate procedit suo loco disputo, & ea quæ ibi fusiùs versus iste cōfirmat; nam in eo sunt duo substantiva, & duo adjectiva (illa *coma*, & *corona* sunt, hæc autem *tonsa* & *pressa*) & in prosa nemo posset decernere utrum in nominativo substantivum, & utrum in ablativo collocetur: nemo in prosa decidere utra *coma*, an *corona* sit *tonsa*? utra sit *pressa*? & tamen in versu dubium tollitur, illud enim quantitas syllabarum decidit.

a] Penultima acui produci debet.

Aversi

b) Quo modo faces portarẽtur in funere?

Aversi tenuere facem. [b] Et lib. 9

Quærunt pars aditum. Et lib. 11.

Pars aditus Urbis firment, turresq; capessant.

Et sub libri finem — *Pars claudere portas,*

Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent.

Et denique lib. 12. — *Accensaque luctu*

Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum

Corripiunt, cæcique ruunt.

Imitatus fuit Virgilium Ovidius, nam Metamorphoseon quarto cecinit,

Pars volucres facta. &c.

Stat ergo æquè apud Græcos, quàm apud Latinos nomina collectiva, & si in singulari ponantur, verbum plurale regere. Nunc ad Pauli locum revertamur. Illum sic reddo.

Nomen singulare collectivũ cum verbo plurali solet construi.

Salvabitur (ἡ γυνὴ, *sexus femineus*) *per filiorum generationem, si manserint* (nempe, *sexus feminens*) *in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.*

Secunda loci Paulini Interpretatio.

A propriâ ergo, & non à filiorum pietate, aut impietate mulierum salus æterna pendet.

Stat ergo multas in Theologia adlucinationes, & difficultates aliquando inveniri ob mancam imperfectamque notitiam Figuratæ Grammaticæ.

Quàm necessaria sit Theologis penitior cognitio Grammaticæ?

ARTICVLVS VIII.

De Verborum contextu. *An unum verbum restringatur per aliud? An per Præmissa subsequentia, an verò contrà? An per Interrogationem Responsio, an verò hæc per illam debeat determinari? An Hæreticorum Opiniones ex Conciliorum Definitionibus, & an istarum verus sensus, sicubi obscura sint ex illorum erroribus cognosci possit?*

De Vocis Aries æquivoca significatione.



Certa, & indubitata est asserens Resolutio; *Aries* enim est æquivocum nomen; & tamen cum aliis verbis positum determinatur. Seorsim dictum Animantem terrestrem, Machinam militarem, aut Signum Cæleste indeterminatè significat; at in sequentibus versibus caret ambiguitate. Ruffus.

Per adhærentes voces tollitur æquivocatio.

Et si persultans Aries lasciviùs herbas

Appetit. Et Ovid. lib. 11. *Ferreus olim*

Cùm laceras Aries, balista-ve concutit arces.

Et Virgilius.

Corniger in primis Aries, & corniger alter

Taurus.

In quibus statim cognoscet, qui legat, Ruffum egisse de Animante, Ovidium de militari Machinâ, & de Signo Cælesti Virgilium.

Et, ut hoc ipsum meliùs intelligatur, aliud exemplum proponamus. *Lingua* vox est æquivoca: nam significat primò illam, quam habemus in ore. Et de illâ agebat Maro, quando cecinit.

De Æquivocatione vocis Lingua.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,

Ferrea vox omnes possem comprendere formas.

Primaria vocis significatio.

Et secundò sumitur pro Idiomate. Et hoc sensu Lingua Græca à Latinâ, & aliis quibuscumque distinguitur. Lupus de Vega in Apollineâ Lauru.

Pues tantas Lenguas sabe,

Mande, que alguna dellas, nos le alabe.

Secunda & Tertia significatio.

Et tertio apud Hispanos pro maris littore, aut fluminis orâ solet suscipi.

pi, & tunc *la lengua del' agua* vocatur. Gongora

Soledad. 2. verſ. 56.

Vſando al entrar todos
Quantos les enſeño corteſes modos
En la lengua del' agua ruda eſcuela.

Agit de cæremoniis, quo ſe mutuo honorabant quidam ruſtici, antequam in naviculam ingrederentur. Quos Numeros D. Garcias Salzedo Coronel hoc ſcholio dilucidat.

La lengua del agua *quid ſit?*

La ſemejança es, que de la miſma ſuerte, que en las eſcuelas ſe ſuelen enſeñar varias doctrinas en differentes Lenguas, aſsi en la Lengua del' agua (eſto es, en la orilla del mar) les enſeñó ſu ruda Eſcuela a los Peſcadores los modos de corteſia permitidos a la ruſticidad de ſu humilde nacimiento.

Ecce latiùs patẽtes voces per alias, quæ vel præcurrunt, vel ſubſequuntur, ad ſignificationem contractam, ſpecialemque determinantur.

De Reſtitutione & Correctione. An & quo modo differant inter ſe?

Porrò adhærentes voces non ſolùm determinant, & reſtringunt plurivocas, ſed corrigunt, & interdum reſtituunt. Et reſtituunt profectò, quæ à ſuo quondam Autore benè fuerant ſcripta, & tamen ab Amanuenſi malè exſcripta: corrigunt autem, quæ fuerant ab Interprete malè translata.

An Correctio ad Reſtrictionem reducatur?

Et quidem, ſi rem benè perpendas, tam Reſtitutio, quàm Correctio pertinet ad Reſtrictionem: quoniam, ſi fortè dubites, *An ſententia aliqua bene legatur?* verborum contextus controverſiam decîdet. Pono exemplum. In S. Ioanne Chryſoſtomo *tom. 5. homil. de Pœnit.* Legebatur. *Peccaſti? Eccleſiam egredere, atque tuum dele peccatum.* Non cohærent: *egredior* enim poſtulat ablativum; & peccator non debet extra Eccleſiam quærere medicinam. Hoc conſiderans, qui Notas ſcripſit illas, quæ in Venetâ editione anni 1583. leguntur, ſic ait: *Legendum eſt*, Eccleſiam ingredere, *quod perſpicuè patet ex antecedentibus, & conſequentibus verbis: atque ita legebatur in Editione Baſileenſi anni* 1525. Prætereà, *homil.* 15. *Epiſtola ad Philippenſ. cap.* 4. ediſſerens, inquit idem Chryſoſtomus. *Iſte verò, & conſobrinum ſuum regni conſortem, in quã communicationem ipſe eum collocaverat, & uxorem cognovit à Perſis corruptam. Vt enim non pepererat mulier quædam infelix, & miſera, &c. Inſtitutis ludis corrupit Reginam, & corrupta eſt ſimul, & ipſa. Dicitur & fratrem ille ſuum occidiſſe. Rurſus, & alius poſt iſtum venenatis ſublatus eſt pharmacis, & poculum illi non ampliùs erat potus, ſed mors. Et filius ipſi oculum effoderat, metu futurorum, præter aliam injuriam.* Nomine uxoris Euſebiam Conſtantij uxorem intelligit. At hæc quomodo, & quando fuit à Perſis corrupta? an-ne malè Interpretem tranſtuliſſe dicemus? minimè: nam ὑπὸ πέρσῶν expreſsè habetur in Veronenſ. Codice. Quid ergo? Convertemus ad contextum oculos, & quia *venenata pharmaca* ſtatim legimus, & quia de Euſebiâ à Perſis corruptâ nîl habent illîus ævi Hiſtoriographi, qui tamen bella Perſica accuratè deſcribunt, & textum Græcum reſtituimus, & obliterando vocem περσῶν, reſtituimus πεσσῶν, & Euſebiam aſſerimus, non à Perſis, ſed à medicamentis corruptam. Et quia nomine *filii* Varonianum filium Ioviniani intelligimus potiùs ὑιὸς αὐτοῦ *filius ipſius*, quam αὐτῷ, *filius ipſi* eſſe legendum opinamur, ut ſenſus ſit, *& ipſius filius, & effoſſus, & privatus eſt oculis, metu ſequentis temporis, nihil tale promeritus.* Solent enim in Aſiâ Principes excœcare filium, quem timent excitaturum ſeditionem. Non ergo ſcripſerat Chryſoſtomus, *filium eruiſſe oculum patri.*

Περσοὶ, Perſæ. Πεσσοὶ, medicamenta.

N. B. Mulier illa infælix, quæ Euſebiam infecit veneno, ne pareret, & poſteà etiam ipſa eſt infecta, videtur fuiſſe Helena Iuliani uxor.

Obiit Euſebia anno 361. & ducit Fauſtinã Conſtantius.

In Chronico magno Recciolus. *Conſtantius* 29. *April.* 356. *Romam prope triũphans ingreſſus*, &c. *Euſebia Helenam Iuliani uxorem, veneno partuum perẽptore fœtuũ inficit.* Ammianus *lib.* 16. Theodoretus *libr.* 2. *cap.* 17. Socrates *libr.* 3.

Similes etiam errores, ſi occurrant in Latinorum libris, ex contextu ſecuriſſimè corrigi poſſunt. Rem exemplo dilucido. Scotus Lugduni apud Campanam editus *in* 2. *diſt.* 1. *qu.* 5. *§. Iſtud autem.* ſic ſcribit. *Eſt bene impoſſibile* (reſtituo *poſſibile*) *quod continentia aliqua differant ſpecie, & tamen contenta non differant ſpecie; ſicut Paſſiones Entis continentur per identitatem in Entibus, quantumcumque diſtinctis, & tamen illa Paſſiones in eis non diſtinguuntur ſpecie; cùm Vnitas, & Bonitas, & Veritas, in ligno, & lapide, quæ ſpecie differunt, non diſtinguuntur ſpecie, ſed tantùm numero.* Hunc Typothetæ errorem percepit, & ex cõtextu correxit P. Ioannes Pontius; nam in Scoto, quem Commentariis exornavit, & anno 1661. Pariſiis edidit, ſic habet, *Iſtud autem eſt bene poſſibile, quòd continentia aliqua* &c. Eumdem errorem indigitavit, &

An Paſſiones diſtincta puro numero poſſint ineſſe, aut etiã identificari ſubjectis diſtinctis ſpecie?

cor-

correxit P. Franciscus à S. Augustino Macedo in Collationum doctrinæ S. Thomæ, & Scoti tom. 2. ann. 1673. Patavii edito, ibi enim *collat. 1. diff. 2. sect. 3. pag. 11. b. §. Confirmat,* scribit, *Adverte textum Scoti in typis Lugdunensibus Campana, quibus utor, esse corruptum; habet enim* impossibile *pro* possibile, *ingenti errore*. Et quidem *possibile*, & non *impossibile* legendum esse, ratio adducta manifestè demonstrat, ipsa enim possibilitatem rei propositæ, & non impossibilitatem persuadet.

De expressa & implicita Restrictione.

Verba (ut dicebat) *restringuntur per verba. Et hoc bifariam: expressè, implicitè*. Expressè cùm epitheton additur, quod latiùs patentem contrahat, & determinet significationem: Implicitè, cùm verborum contextus postulat, ut subaudiatur aliquid, quod latiorem significationem restringat *Animal* genus est; & tamen in hac positione, *Animal rationale est addiscendi scientias capax*, est restrictum ad hominem per nomen *rationale*, quod adiicitur. Et *Aries* est nomen æquivocum, quod animal notum, machinam militarem, & signum cæleste significat: in hac autem positione, *Luna est ingressa Arietem*, ad signum cæleste restringitur, ut tota oratio sit, *Luna est ingressa* (subaudi, *in Zodiaci signum, quod vocamus*) *Arietem*. Etiam ex verborum contextu facili negotio colligitur, an verba in propriâ, an verò in impropriâ significatione sumantur.

Quomodo restringatur Animal per Rationale?

Quomodo Aries per Lunam?

An verba ambigua & æquivoca aliorum verborum additione determinentur?

Virgilius *Æneid. 6.*

Sic fatur lachrymans; classiq; immittit habenas.

Habenas immittere.

Ecce *immittere habenas*, quod erat equorum propriè; & per metaphoram aliis posset competere, per vocem *classi* ad naves trahitur. In illo versu,

Petere.

Graci Oratores urbem veniamque petebant.

Virgilius Æn. 1.

Cui ille Virgilianus est similis,

Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Duplicem habet significationem verbum *peto*, est enim *ire*, & *postulare*: & tametsi unica vox materialiter fit, est formaliter duplex; nam per *urbem* restricta significat *ire*; & per *veniam* contracta, est *postulare*. Apud M. Titsum de Molina *in Cigarralium quarto, lib. 1. fol. 160. col. 4.* stabularius, Tamayus nomine, sic *Logica Moralis*. ratiocinabatur.

Caballeriza vox æquivoca. An utraque significatione sumatur?

Dicen, que tiene intencion,
Armandome Caballero,
De hazerme Caballerizo
Mayor, y aunque sea postizo
El cargo, contigo quiero
Casarme, que eres rolliza.
Roscella. Con migo? Tam. *Mi fè te doy,*
Si Caballerizo soy,
Que has de ser Caballeriza.

Nomen ultimum æquivocum est, & tam *stabulum*, quàm *stabulariam* significat. Et quid vetat, ut, si à marito, qui stabularius est, vox *caballeriza* restringatur, ut sit *stabularia*: etiam restringatur à sordibus, ut sit *stabulum*. Et fol. 171. 4. Aragonum Rex Regem Castellæ adloquitur his verbis.

Valor, apud Hispanos est æquivocum nomen, & hic in utroque significatione usurpatur.

Qualquiera recibimiento,
Por mas sumptuoso y rico,
Fuera de poco valor
Para el que hemos conocido
En vuestra Alteza. Ya se, &c.

Vox *valor* est æquivoca: pretium enim, & fortitudinem generosam 130
significat. Et respectu triumphalis apparatûs ad priorem significationē: & respectu Regis Castellæ, in illo pronomine *el*, ad posteriorem restringitur. Dixerat *fol. 159. col. 4.* D. Manriquus.

Muger, & feminam & uxorem significat.

Esto importa, y me està bien,
Que si me tiene por muerto,
Es muger, y serà cierto,
El serlo de Don Guillen.

Dictio profectò *Muger*, & *mulierem* & *uxorem* sonat: & in versu tertio fœminam universim: & in quarto coniugatam significat.

Iudico.

De Animantibus agens Melleus Doctor. *Qui ratione ab eis petetur ratio de ratione, quam non acceperunt, &c. Non judicabuntur, quia non judicant, &c.* & ter vocem *ratio* posuit, & semper in significatione diversâ; ac si diceret. *Quo iure ab illis potest exigi ratio de intellectûs actibus, quem non receperunt, &c. Non judicabunt, quia carent intellectu, & judicio, &c.* Ioannes Perez Montalvan in Comœdiâ, quæ inscribitur, *El Seneca de España*. act. 3.

Ratio. Vox æquivoca.

D. Didac. *Vuestra Alteza Señor sea*

Sæpe Poeta in hoc Decastico nomina Blanco, & Blanca in diversa significatione usurpat, ut in Notis luculēter exponam,

Hoy mi Padrino, y Tercero [f]
Con su Magestad. Yo quiero
A Blanca. En Blanca se emplea [e]
Mi Amor: a Blanca desea

 Sin

Sin mas dote, que eſta Blanca [d, e]
Mi Blanco [b] *es Blanca* [a] *mas blanca* [a]
Que el Sol, y razon no es
Quedarme en blanco [c] *deſpues*
De amar ſeys años a Blanca.

Ecce eamdem vocem per varias Didacus acceptiones traducit. *Y mirad*, ſi Hiſpanicè loqui permittitur, *que Don Diego juega con gala del vocablo.*

Vndo Conciliorum, unde etiã Hæreticorum, qui in ipſis condemnantur verba deleant dilucidari?

QVando de mente, & ſententiâ Hæreſiarchæ alicujus dubitatur, ad Synodum illam recurritur, quæ fuit contra illum coacta. Et, ſi in aliquibus Synodi verbis reperiatur obſcuritas, hæc tollitur recurrendo ad Hæreſiarchæ libros, & Autores, qui ejus errores impugnarunt. Quam ob rem, ut omittam antiqua, Quo ſenſu Martinus Lutherus, & Ioannes Calvinus ſint loquuti, nos docet Tridentinum Concilium, in diverſis Canonibus, quod in eorum ſacrilegas Opinationes anathemata eſulminat. Et, ſi aliquis in illo fortè Canon diverſos habere ſenſus poteſt, ille certò eligendus, qui Lutheri, & Calvini directè Opiniones condemnet.

An Pœnitentiæ Sacramentum præſentiam Cõfeſſarii & Pœnitentis poſtulet?

Hæc doctrina etiam extendi ad Bullas debet, in quibus aliquæ Catholicorum Propoſitiones condemnantur. Rem dilucido exemplo. Erant, qui Confeſſario abſenti per epiſtolam peccata exponerent: erant, qui Pœnitenti abſenti abſolutionem per internuncium mitterent; quod, quia erat maximis expoſitum inconvenientibus, Clemens VIII. in Conſtitutione 20. Iunii 1602. editâ, ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam hanc Propoſitionem condemnavit. *Licet per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.*

Clementis VIII. Decretum.

Illud & Villalobos *tom. 1. tract. 9. diffic. 3. num. 6.* conſiderat, & ait hæc duo ſimul debere affirmari ut Propoſitio condemnetur; quia ſi alterutrum, ut condemnaretur, ſufficeret, particulam *vel*, non & potuiſſet Pontifex. Stando huic expoſitioni Villalobi, duæ Propoſitiones eſſe poſſent, quæ illa duo non conjungeret, Prima, *Licet abſenti confiteri, modò Confeſſarius præſentem Pœnitentem abſolvat.* Secunda. *Confeſſarius Pœnitentem, quem præſentem audivit, poterit abſentem abſolvere.* Et ex his poſteriorem à Clemente VIII. condemnari, *tom. 1. reſol. 13. num. 4. pag. 32. b.* Illuſtriſs. D. Acacius Marchius de Velaſco pronunciat, & ut ſuam Reſolutionem ſuadeat, ad Authores, qui à Clemente condemnantur; recurrit, & quid ipſi aſſeruerint examinat.

Quo modo ſit intelligendum.

Duæ Propoſitiones examinantur.

Doctiſſima Acacii Reſolutio.

Quoniam in illo loco Caſum iſtum propoſuit. [Titius erat ægrotus, & ad Confeſſarium miſit peccata ſua in ſchedâ deſcripta; orans, ut ſtatim accederet; venit cùm primùm potuit Confeſſarius; ſed quia ægrotum delirantem invênit, interrogat, An eum poſſit abſolvere, quin cenſuras, à Clemente fulminatas, incurrat? Et reſpondet Acacius. *No haze contra eſto el Derecho de Clemente VIII. porque en el lo que,* [*] *principalmente ſe prohibe es, no ſe de la abſolucion eſtando el Confeſſor auſente, por los muchos y graves inconvenientes, que de eſto ſe ſiguian en gran detrimento, y menoſprecio de eſte Sacramento: pues podria eſtar peccando (actualmente) el Penitente, quãdo le eſtà abſolviendo: y en nueſtro Caſo no la da el Confeſſor en auſencia, ſino eſtando real y verdaderamente preſente.*

Caſus proponitur.

Et ab eodem Acacio determinatur.

Sed eſto: condemnaverit Pontifex Abſolutionem abſenti Pœnitenti conceſſam. Sed unde ſcis, Præſul doctiſſime, non condemnaſſe pariter Confeſſionem in abſentem directam? Reſpondet, ſententiam eorum, qui condemnantur, recognoſcendo. *El ſobredicho Decreto*, ait, *ſalió ſolo contra algunos Theologos, que dezian ſe podía abſolver en auſencia; y aſsi lo que pretendió el Pontifice, fué atajar eſte grave inconveniente.* Ecce Pontificis condemnantis ambigua, obſcura, & controverſa verba, à ſententiâ Autorum, qui condemnantur, deſumptâ claritate dilucidat.

An poſſit fieri abſenti Confeſſio?

Profectò nomen *Blanco*, & *Blanca*, jam ſubſtantivum, jam adjectivum eſt, & varias acceptiones ſortitur. Neceſſarias expono.

a] *Blanco, ca*, eſt adjectivum, & Latino *Albus, a, um*, æquipollet.

b] *Blanco* ſubſt. Eſt *ſcopus*: unde *Tirar al blanco*, eſt *in ſcopum collimare*.

c] *Quedarſe en blanco*, eſt *rem optatam, & anxiè procuratam non conſequi*. Dicitur etiam, *Quedarſe en albis*, in eadem ſignificatione. Et memini olim Compluti, dum adhuc eſſem puer, P. Magiſtrum Albis. Cathedram primariam obtinuiſſe: & quia ad eamdem tres, aut quatuor Viri Magni adſpiraverant, ab Academico Vulgo dictum cum gratia fuiſſe, *Que todos ſe quedaron en albis.* [*]

d] *Blanca* apud Hiſpanos eſt quædam moneta tenuis, quæ [illegible] (ſexageſimam-octavam

*] Dignus eſt omni laude & Elogio P. Albis Ordinis S. Auguſtini Religioſus, Vir profectò doctiſſimus, cujus exemplo inceperunt nonnulli Cathedratici Auditores ſcribendi liberare moleſtia, ille enim, quæ eſſet dictaturus, foliatim typis premi curabat.

vam partem) unius Regalis, vel ſimplicis Argentei exæquat. Etiam Germani *Albos* habent, qui num[m]i minutiſſimi ſunt.

e] Et denique *Blanca* eſt nomen proprium fœminæ. rarum in Hiſpania, ſed in Gallia commune.

De Philippo Tertio.

Fuit quidem pius & bonus Vir, & Lermæ Ducem, qui pacis erat amantiſſimus, ſummum Miniſtrum habuit.

f] *Tercero* eſt vox ambigua, *Tertium* enim & *Intercessorem* ſignificat. Et utramque ſimul ſignificationem compoſuit quidam Iunior, qui dum Philippo III. Regi Hiſpaniarum, parentaret, converſus ad Hiſpaniam, lachrymis ſuffuſam, ſic dixit.

Conviertaſe la agonia
En regocijo, y conſuelo;
Pues es cauſa de alegria
El tener aqueſte dia
Tan buen Tercero en el Cielo.

Ab Spinello, qui eas invenit, Stropha hujuſmodi Spinella vocantur.

Circa Metrum Decaſtichi monendus etiam eſt Lector, in illo Spinellam recurrere: nam Spinellus has ſuis Decaſtichis conſonantias præſcripſit

ABBA. ACCDDC.

& Montalbanus inverſa via eaſdem ipſas obſervat. videlicet

CDDCCA. ABBA.

Idea Spinella Inverſa.

Et, ut conſpicis Tetraſtichum Hexaſticho Spinellus præmittit; & Montalbanus contrà; quē poteris imitari, ſi velis.

His, quæ, ut lucem quamdam generalem præberem, debuerunt neceſſariò præmitti, prælibatis ſequentem Concluſionem ſcribo.

Generalis Concluſio.

Verba reſtringuntur per Verba: & Verborum Reſtringentium vocabulo omnes octo partes Orationis intelligo.

Partes Orationis octo ſunt, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium. &c.

Ergo, ne occaſione vocis *verbum*, quæ æquivoca eſt, & jam generice ſumitur, & omnes partes orationis comprehendit, & jam ad ſpeciem reſtringitur, & eam ſignat, quæ tertio loco ſolet poni, aliqua adlucinatio ſuboriatur, eamdē Concluſionem clarioribus verbis reſcribamus.

Quid vox verbum ſignificet?

Voces per Voces in Oratione reſtringuntur.

Conſtat ex exemplis productis, & centenis, quæ paſsim in libris occurrunt.

SECTIO I.

De Significatione, quæ à voce ſuppreſsâ deſumitur. *An litera æſtimentur in Aulâ? & Quid* Horæ *ex nomine intelligatur?*

Verba, quæ ita dicuntur, ut non audiantur ab aliis, non ſunt colloquutionis pars.

TAM, quæ altâ voce, tam quæ ſuppreſſa, ſi tamen etiam hæc à circumſtantibus audiantur, ad Contextum ſpectant, & ſenſibilem Orationem componunt. [Et quidem, ut quæ proferuntur ſuppreſsè, à circumſtantibus audiantur, poſtulo; ſi enim non audirentur, non eſſent pars Orationis Vocalis, nec poſſent Orationem contrahere.] Hoc pronunciandi modo utimur cū

Logica Moralis.

verba addita, cætera alienant potiùs, quam reſtringunt; cum videlicet, voces, quæ altâ voce dicuntur, ſenſum determinatum habent, quem per ſupervenientes, & ſuppreſſiùs prolatas, amittunt. Rem exemplis dilucido. Profectò hic Lupi verſus.

Quid ſuppreſſæ vocis nomine intelligendum ſit?

An reſtringat ea, quæ alta voce dicuntur?

No ſe eſtiman las letras en Palacio.

qui ſæpè à Viris doctis ignorantis, aut neglectis repetitur, conſonat antiquo Adagio,

Ventura te de Dios, hijo,
Que el ſaber poco, te baſta.

An litera contemnantur in aula?

& ſignificat, apud Principes hodie Adulatores, & Paraſitos magni fieri Viros doctos, & literatos parvi. Illud in mentem revocans, Titio, Principi avaro, & diviti, dicebat aliquando Sempronius.

Poteſt Lupus de Vega merito Horatius Hiſpanus vocari.

Dixo allà nueſtro Eſpañol Horacio,
No ſe eſtiman las letras en Palacio.
Pero, ſi viera el tuyo
Se deſdixera, Principe Excelente,
Alabado por fuerte, y eloquente;
Y eſta Verdad arguyo,
Porque eſtimas las letras
(De cambio) *pues con ellas*
Intenciones penetras,
Y grandes difficultades atropellas.

De Cambii literis.

Et illud *de cambio*, quod parentheſis à reliquis verbis ſecernit, voce ſuppreſſiore *proferebat*.

Quid literæ, ſi nihil addatur, ſignificent?

Sanè, ſi dicas, *Pedro tiene letras*, illum Virum eſſe doctum ſignificas. Si autem dixeris, *Tiene letras de cambio.* habere chartas dices, vi quarum pecunias à campſore recipiat.

Quid Alienatio ſit?

Hac arte apud Auguſtinum Moretum æquivoca reſtringi (aut veriùs, per ſilentium, ſi nihil adderetur, eſſent uno modo reſtricta, alienari, hoc eſt, alio reſtringi modo) reperio. In Comœdiâ, cui ἐπιγραφη, *El premio en la miſma pena.* part.30. pag.96.a. Eleonoram, Martinumque colloquentes auſculto.

Quid ſignificet Iam venit mea hora!

Quomodo contrahatur?

Agneſ. *Pues buenas las dos quedamos!*
Eleon. *Martin es verdad?* Mart. *Señora*
Digo que aqui ſea mi hora.
(De comer) *ſi no nos vamos.*

Illa verba *Aqui ſea mi hora* exſecrationem continent, & quia illud *mi hora* horam mortis ſignificat, habere Iuramenti virtutem. Et in aliam diverſam ſignificationem tranſire aſſero, ſi illud *de comer* ſubjungatur.

ARTICVLVS IX.

De Sacra Scriptura. *An, & unde, sicubi obscura sit, verus in illâ sensus desumatur?*

De Fide Naturali, & Supernaturali.



Acræ Scripturæ Veritati non omnes eodem modo assentiuntur: huic enim *Deus est Trinus, & Vnus,* assentitur Hæreticus (Husita, wicleffista, Lutheranus, Calvinista &c.) assentitur Catholicus: sed diversimodè: illorum enim actus Historicæ & naturalis Fidei est, & hujus Theologicæ, Divinæ, & Supernaturalis.

Vtram Hæretici,

Ad priorem Fidem Humana argumenta sufficiunt, nam & eamdem Propositionem *Dæmones credunt, & contremiscunt*; qui tamen omni supernaturali prærogativâ, & dote carent.

utram Dæmones habeant?

Ad posteriorem Cælestis, & supernaturalis requiritur illuminatio: quoniam in Tridentino *Sess.* VI. *can.* 3. exstat hæc Sanctæ Ecclesię Definitio. *Siquis dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei Iustificationis Gratia conferatur, anathema sit.* Et patet clarissimè, & evidentissimè.

Sine Divino auxilio nemo potest credere, ut debet.

Nam Iustificationis Gratia est supernaturalis: & oportet, ut non nisi supernaturalibus Fidei, Spei, & Charitatis actibus ad eam Anima disponatur: & quia actus ipsi supernaturales supra Naturæ vires sunt, auxilium Divinum gratis datum requiritur, ut prout oportet, credamus, speremus, amemus, & debitam pœnitentiam agamus. Hæc est doctrina, quam docemus Catholici: & non illa, quam nobis Hæretici, & Schismatici adfingunt. Bellarminus apud Vander Wajen *libr.* 2. *p.* 56. asseverat, *non posse hominem sine speciali illustratione credere Mysteria Fidei; nec posse hominem solis Naturæ viribus ad Gratiam recipiendam ullo modo se preparare.* Quo respiciens Lovanii olim pro Doctorali Laureâ defendebam hanc Thesim.

Naturæ viribus nemo ad gratiam se præparare potest.

Peccati mortalis status secundum se (seu, propria merita consideratus) æternus est. Homo enim labe mortalis culpæ infectus, non habet ex se (à naturâ ipsâ) vires, ut actum veræ contritionis eliciat; nec meretur gratiam, sed pœnam. Nec ad consequendam Gratiam ad Iustificationem requisitam, aut librorum lectio, aut concionum audirio materialis sufficiet; nam & Iudæi legerunt sacros libros; Christi, & Apostolorum andiverunt conciones; & viderunt miracula; & tamen non fuerunt conversi. Ergo præter verborum sonum interna mentis requiritur illuminatio, unde ait Bellarminus, *Omnes nostræ conciones, & omnia alia nostra signa, & prodigia non sufficiunt, ut Fidem nostram Ethnicis, & Hæreticis persuadeamus, nisi Deus ipse ductor accedat, & mentem eorum Divino lumine illustret.* Sic loquimur universi, & sentimus; & Vander Wajen, quando *loc. cit. pag.* 68. ait, *Tanta hujus Veritatis vis est, ut & Pontificiis excidat aliquando,* demonstrat paucos se, aut nullos legisse libros Catholicorum; non enim excidit aliquando nonnullis, quod uno omnes animo, ore, & calamo, sentimus, loquimur, & scribimus. Ergo de illuminatione hac Divina in specie disputaturi sumus. Sit

Peccati mortalis status, ex parte hominis consideratus, perpetuus est.

Scribit contra Orthodoxos Vander Wajen, parùm in nostrorum librorum lectione versatus. Aliquibus sententiam adtribuit, quæ universorum est.

CONCLVSIO I. *Illuminatio Divina Ecclesiæ Catholicæ credendas Veritates immediatè revelat; & per eam infallibiles earumdem Veritatum notitias in mentes Fidelium singulorum instillat.* Ergo, ubi Sacræ Scripturæ textus potest habere varios sensus, non est liberum cuilibet homini privato illum ad hunc potiùs, quàm ad illum restringere; sed tenetur ad Ecclesiam recurrere, quæ est Fidelium Christianorum Magistra, & firma Columna Veritatis.

De Revelatione Divina.

CONCLVSIO II. *Quidquid præter Ecclesiæ Definitionem à Patribus, & Doctoribus dictum, etsi Sacra Pagina testimoniis, & rationibus humanis*

De authoritate Patrum.

nis confirmetur, non erit de Fide, sed erit maximæ authoritatis. De hac secundâ Conclusione dubitat Pater Marinus Mersennus, qui *in Genes. cap. vers. 1. qu. 19. art. 2. col* 1088. (quę malè pręfert numerum 1080.) differens de Mundi Vnitate, sic scribit.

An Mundus sit unicus?

[Dicendum est ergo sententiam illam (quæ plures, aut infinitos Mundos protrudit) erroneam esse, & temerariam, quia Patres omnes, qui hanc quæstionem attigerunt, non minùs certò mundum unicũ à Deo factum credere videntur, quàm alia,

An, qui plures admitteret, esset hæreticus?

quæ jam definita sunt, adeò ut illud de fide esse ausim affirmare, si Patrum omnium, qui de re aliquâ ad religionem pertinente egerunt, consensus efficiat, ut aliquid de fide esse credatur, quod hucusque in controversiâ positum fuit (Si tamen unicũ esse Mundum, & non plures, ad Religionem attinet, alioqui, si inter res purè Philosophicas numeremus, non ita definio, quandoquidem nemo temerarius dicetur, aut in hæreseos

An Patres Veteres negarint Antipodas?

suspicionem meritò veniet, qui Patres non fuerit secutus: exempli causâ, tametsi Patres omnes sensissent cum D. Augustino non esse Antipodas: cum D. Chrysostomo cœlos es-

An Cœlos liquidos esse docuerint?

se liquidos, & aëris instar permeabiles, & cum aliis alia multa, non ideò teneremur eos sequi: tum quia res istas non ex professo discusserũt, imò potiùs neglexerunt, & perfunctoriè, fortèque sæpiùs ex aliorum opinione dixerunt: tum quia non sunt nobis præceptores constituti in iis, quæ ad Philosophiam, & cæteras disciplinas, & artes pertinent: tum quia ratio, & experientia permultis ex prædictis adversantur. &c.] Ergo Mersennus duo nos do-

Quanta in rebus purè Philosophicis sit Patrum Antiquorum authoritas?

cet: Alterum, *Patrum consensum in merè Philosophicis Dubiis non esse sufficientem, ut aliqua Propositio velut certa admittatur*. Alterum, *Se dubitare, an in materiâ Fidei Patrum consensus ad constituendum Articulum Fidei sufficiat*. Et à duabus propositionibus rationem dubi-

Quanta in rebus Theologicis?

tandi desumit, quoniam *Non esse antipodas*, & *Cœlos esse liquidos*, docuerunt Patres, & tamen in illo erravisse America evidenter demonstrat: in hoc autem benè sensisse hodie Astronomi universi fatentur. At tu dubium depone, & ut Pro-

De Propositione Hæretica, Quæ talis sit?

positio aliqua de Fide sit, Patrum consensum minimè sufficere affirma: Propositio enim de Fide debet esse revelata divinitùs, quod in consensu Patrum præsumitur, non tamen manifestè percipitur; & hanc ob rem Propositionem Canus, Corduba, Simancas, & Soarez apud Oviedum *tract. de Fide contr. 12. punct. 4. §. 2. num. 59. pag. 105. a.*

Quid, ut sit erronea, requiratur?

inquiunt [erroneam esse, quæ negat doctrinam, ita receptam communi consensu Ecclesiæ, ut nullus pius, aut verè doctus de eâ dubitare audeat, quod non ità absolutè verificari potest, quia nullus pius, ac Catholicus dubitare audet de doctrinâ, cujus opposita est tantùm scandalosa. Intelligi tamen potest de propositione oppositâ doctrinæ, de quâ nullus pius, ac Catholicus audet dubitare propter maximã affinitatem, quam in ea invenit cum doctrinâ fidei. Exemplum adducitur

An Beata Virgo in corpore, & anima sit ad Cœlos adsumpta?

in doctrinâ affirmante *B. V. Mariam resurrexisse, & in corpore, & animâ esse assumptam*, quod expresè non inveniatur revelatum, aut definitum, 152
pertinet tamen ad Doctrinã Catholicam. Aliud exemplum fit in pro-

An aliquod peccatum veniale aliquando commiserit?

positione affirmante *B. V. Deiparam nullam actualem culpam venialẽ commisisse*, quod jam definitum est in Tridentino, at verò, neq; ante Tridentinum hoc pius aliquis Catholicus auderet negare, & ita tunc hanc propositionem negare, & modò negare B. V. Deiparam esse assumptam in corpore, & animâ erroneum esset, propter nimiam connexionem, quam hæc privilegia habent cum maternitate propriâ in B. V. Deiparâ; quæ

De doctrina erronea.

definita est. Vnde ex hac propositione, *Virgo Maria est vera Mater Christi*. Subsumpto alio principio moraliter certo, & evidenti nempe

An dentur evidentia Moralis?

Deum non permissurũ in actuale aliquod labi fœminam illã, quæ esset Mater Christi, neque corpus, quod intra sua viscera Verbum hominem gestavit, mortuum ad finem usq; sæculi permanere, infertur legitimè *Beatã Virginem Deiparã his prærogativis fuisse donatam*, ita ut oppositum asserere esset erroneum seclusâ definitione Tridentini circa immunitatem Beatæ Virginis ab omni peccato personali, etiam veniali, post Tridentinum enim hoc negare hæreticũ esset. &c.]

An, & in quibus, Hæreticis sit condescendendum?

Conclusio III. *In rebus, quæ ad Fidem, aut ad mores non pertinent, nõ est cur acriter de alicujus Testimonii sensu, & intelligentia cum Heterodo-*

xis.

xis disputemus. Patet, quia intercidentes hæ Quæstiones principalem aliquando perturbant, exhauriunt tempus, & ut ad difficultatis punctũ perveniamus, impediunt. Sed in D. Thomâ, & Scoto, quid faciendũ est, ubi eorum mens latet, & verba, quæ hinc inde adducuntur, oppositas interpretationes pari possunt?

Hæc doctrina etiam aliis Patribus, & Doctoribus applicari potest.

Quid faciendũ sit, si res sit certa?

CONCLUSIO IV. *Si ex duobus sensibus, quos subire possunt alterutrius Doctoris verba, alter est certò verus, & alter certò falsus, ad priorem verba sunt restringenda.* Patet, quia & nunc benè scripsisse sentiam, quos aliàs reperi in cæteris benè scripsisse: quoniam est incredibile Viros judicio omnium doctissimos in rebus manifestis errasse.

Quid, si dubia, aut merè probabilis?

CONCLUSIO V. *Si ex duobus sensibus, uterq; probabilis sit, verba ad illum restringe, qui ab opposita schola negetur*. Ostenditur, quia plurimum scientias universas promovit Scholarum contentio; nam, dum unaquæque suas sentẽtias tuetur, omnes laborant, & student, & acuuntur ingenia. Et ut Conclusionem dilucidem unum exemplum propono.

De motu locali Angelorum.

In Quæstione, quæ inquirit, *An Angeli localiter moveri possint?* est Thomistarum Opinio, motum localẽ non nisi æquivocè Angelis convenire, & est Scotistarum opposita. Unde Cajetanus *in 1. part. quæst. 53. §. circa prædicta*. sic scribit. *Mens D. Thomæ expressè, & absque dubitatione sentit motum localem propriè loquendo non convenire substantiis spiritualibus, sed quodammodo abusivè, & æquivocè nominibus utendo*. &c. & P. Franciscus Macedo *in tom. 2. coll. 2. sect. 1. pag. 61. b* sic ait. *Scotus verò contrà sentit moveri Angelum localiter propriè adquirendo ubi, sive novam præsentiam intrinsecam*. Ecce oppositæ sunt duarũ celeberrimarum Scholarum sententiæ; Ergo, quia cũ summo profectu illarum manutenetur dispntatio, assero D. Thomæ locos, in quibus, aut obscurè loquitur, aut verbis utitur, quæ duplicem habere sensũ possunt, debere per clariora in ejus Scholâ restringi. Quod si non succurrant clariora, & ignoretur quid teneat Thomistarũ Schola, quid teneat Scotistica examinandũ est, & est à Thomista asserendũ oppositum. Et eodem modo de locis obscuris, quę occurrunt in Scoto statuendũ: censendus enim est contradicere Doctori Angelico, ubi non constet de contrario. Et hanc Resolutionem duplici hoc argumento confirmo.

Quid Thomistæ sentiant?

Quid Scotistæ?

Quid dicendũ sit si D. Thomæ aut Scoti loci dubii, & obscuri sint?

Et primò, à priori discurrendo sic inquam. Ex oppositis fundamentis regulariter loquendo oppositæ educuntur sententiæ. At Thomistica, & Scotistica [*] Schola oppositis fundamentis insistunt; (illa enim Realis est, hæc Formalis) Ergo regulariter loquendo, oppositas in probabili, & disputabili materiâ opiniones tuentur. Ergo, si Thomisticâ sciam affirmativæ ex gr. adhærere sententiæ, & testimonia Scoti sint ambigua, & me possint ad alterurram ducere, ratione fundamentali ductus, illa ad negatricem restringam, asseramq; eamdem illam, quam S. Thomas asseverat ab Scoto negari.]

[*] Thomistæ, & Scotistæ oppositis fundamentis inhærent: multa enim, ad quæ illi reales formas requirunt, hi salvant per formalitates.

Et discurrẽdo à posteriori sic statuam. (Impensis gravibus in gloriosissimis Academiis publici Professores, qui Thomisticas, & Scotisticas doctrinas doceant, tolerantur. Ergo judicavit Respublica, cùm hujusmodi cathedras erexit, & dotavit, studia dissensione foveri, ingenia acui, calamos elimari. Ergo servio Reipublicę cùm ejusdem Providentię cooperior. At igitur de Quæstione A. in quą PP. Franciscani circa Scoti mentem conveniunt, & tamen PP. Dominicani in vera S. Thomæ intelligentia nõ conveniunt: quia obscuri sunt omnes loci, qui de hac re in libris S. Thomæ leguntur. Quid ergo mihi Politica imprǽsentiarũ præcipit, ut de Divo Thoma pronunciem? Oppositam eum habuisse, & docuisse sententiam. Sic enim Scholarum conservo, aut promoveo dissensum, quem conatur Respublica manutenere; nam experientia didicit, summa laborare ignorantia Philosophos, ubi omnes sunt *labii unius, & sermonum eorundem*.

Cur in Universitatibus alia D. Thomæ cathedra, alia Scoto, & alia aliis Scholarchis adsignatur?

An, & cur hæc sit manutenenda Scholarum dissensio?



AR-

ARTICULUS X.

De sensu Vero, Apparenti, & Præsumpto. *An, non solùm in communi colloquio, sed etiam in scriptis seriis Humanis; immò, & in Sacra Scriptura Interpretatione, admittendus sit Sensus Apparens; & quid de Præsumpto dicendum sit?*

Quid sensus apparens, aut sensibilis sit?



Ræter Verum, & Realē Sensum, quem nos docent Grammatici, est alius, qui vocatur *Apparens*, quoniam denominat res, non ut sunt, sed ut nobis apparent. Et hic poterit appellari *Sensibilis*, quoniam essentiæ veræ, & apparentis differentia præcipuè consistit in sensu.

De apparentibus coloribus maris.

Mare vocamus *Caruleum, Viride, Lucidum*, *Cavum*: dixit enim Seneca in Hippol.

Monstra Carulei Maris emitte.

& lib. 2. Agellius, *Spumas virtutis maris flavo marmore* appellavit. Et Seneca in Thyeste.

Aut gemmis mare lucidum.

& Ovidius libr. 3. de Arte.

Quisve cavum vastas in mare servas aquas.

De Mari Erythrao, sive Rubro.

Et his epithetis denominatur Mare, quia tale apparet: quod etiam apud Ægyptum Lat. *Rubrum*, & Græcè ἐρυθραῖον dicitur; non, quòd aquæ sint rubræ, sed quòd (ita sentiunt nonnulli) quoad apparentiam purpurescant. Lucidum profectò non est; at Solis radios refringens splendescit: & quia (N.B.) vapores limbos horizontis attollunt, convexum non videtur, sed concavum.

Cur sic dicatur?

An Mare sit concavum?

Gloriosa, qua Calo, ac conferuntur, epitheta.

In Cælo etiam præclaras prærogativas Scriptores reperiunt, propter quas *Purum, Pulchrum, Nitidum, Fulgens, Splendidum, Rutilum, Coruscum*, *Gemmaum*, & aliis epithetis denominatur. Lucanus lib. 2.

In faciem puri redeunt languentia Cali.

Et Marullus

Semina de pulchro revocato imitamine Calo.

Virgilius:

Et nitidum obscura Calum caligine torquet.

An, quando, & cur Calum sit lucidum?

Ovidius libr. 2. Metamorph.

Hac super imposita est Cali fulgentis imago.

An aliquem colorē habeat?

Manilius.

Atque refulgenti sequitur fastidia Calo.

Mirandula.

Sed postquam tempus rutilo succedere Calo.

Ecce omnes hi Authores lucem, & splendorem Cælo adtribuunt, cùm tamen illud ex se omni splendore careat, nec coruscet, nisi priùs inficiatur vaporibus, qui posteà solaribus radiis illustrentur. Præterea nullum colorem habet, & tamen quia varios habere apparet, variis in carminibus pingitur. Ovidius libr. 2, eleg. [*].

Quale coloratum Tithoni conjuge Calum.

& Fastor. 3.

Iamque ubi caeruleum variabunt Sydera Calum.

Statius lib. 1. Theb.

Sed nec puniceo rediturum nubila Calo.

Ergo in profanis libris admittendus est sensus apparens.

Transeamus ad Sacram Scripturam, & videamus, An etiam in ipsâ Sensus Apparens locum habeat?

Sanè multos Bibliorũ locos possem adducere, sed unicum, quod clarissimum est, intento meo demonstrando sufficiet. Geneseos primo scribit Moyses. *Fecitque Deus duo Luminaria Magna. Luminare majus* (Solem), *ut praesset diei: & Luminare minus* (Lunam) *ut praesset nocti: & Stellas. Et posuit eas in Firmamento Cali.* &c. Ecce Lunam Lumina-

De Sole, & Luna.

An Luminaria Magna sint?

[*] Vox *Colo*r idem Hispanicè, & Latinè significat: & ab ea habet latinus *Coloratus, a, um*, & Hispanus *Colorado*, quæ differunt significatione: nam *Coloratus* est, qui colorem habet: *Colorado*, verò qui rubrum.

minare Magnum appellat. Et est-ne illa Luminare post Solem maximũ? Negant omnes Astronomi, & inter eos Tycho Brahæus, qui apud Petrum Gassendum in Institutione Astronom. libr. 3. cap. 15. pag. 64. & 65. has stellis accenset magnitudines.

De Planetarũ magnitudine.

Ex Planetis est totâ Tellure Major.

Sol	139	vicibus.
Iupiter	14	
Saturnus	22	

Quot Canis Major vicibus sit Luna major?

Et veniens ad Stellas Fixas, illas per ordines, & gradus distribuit; & quia quæ in eumdem ponuntur, differentes magnitudine, Luces honoris primi dividit in tres classes. In primâ Canem Majorem, Lyramque collocat, & centies majores esse Tellure affirmat: medias sexagies-octies; & minimas quadragies-quinquies. Si enim 42. Lunæ unicam Terram, & 100. Terræ unicum Σείριον (Canem Majorem) mole exæquant; hujusce magnitudo Lunas 4200. complectetur. Ergo, si hoc verum est, quâ loquitur sinceritate; qui Lunam *Luminare Magnum* appellat?

An, & cur Luna Magnum Luminare dicatur?

Respondeo Moysem, non fuisse in Vero, & Astronomico sensu, sed in Apparenti loquutum; quoniam tametsi Luna Stellis fixis, & aliquibus Planetis minor sit, apparet tamen major, & ideò absolutè debuit *Magnum Luminare* vocari.

SECTIO I.

An pernitiosa, aut saltem periculosa sint, quæ de sensu Apparente dicuntur?

Ex Vero sequi non potest Falsum.

SED dices. Omnes doctrinæ, & sententiarum fundamenta, ex quibus hæreses, & absurda sequuntur, sunt falsa: nam ex veris falsa sequi non possunt. At in apparenti sensu multæ Opinationes, & Errores fundantur. Ergo falsa sunt, quæ de sensu apparenti dicuntur. Probatur Minor:

De Terra motu diurno, & annuo.

Et primò, quoniam Copernicæi, qui motu totam Tellurem annuo élocant, & annuâ illam periodo per Eclipticam, & Zodiacum propellũt: & Longomontanæi, inter quos præter Davidem Origanum plurimi numerantur, qui Tellurem non elocant aut aliò transferunt, sed in Mundiali machinæ centro relictam, supra suũ proprium axem motu diurno convolvunt, quando Sacræ Scripturæ testimoniis stringuntur, ne nobis cõcedant Terram quiescere, Sacram Paginam asserunt, loqui sensu apparente, & sensibili. Et sanè loci, qui ad probandam Terræ quietem ex Sacrâ Scripturâ adducuntur, sunt multi: & ex iis alii expressi, ut *Terra in æternum stat*, & *Fundasti Terram super stabilitatem suam*, & alii taciti, qui quatenus Solem, & Sydera moveri dicunt, Terram quiescere certò supponunt. Et tales sunt, *Oritur Sol, & occidit*. & *Regressus est Sol decem lineis*. Et tandem *Sol contra Gabaon ne movearis*. &c. His autem & aliis similibus sacræ scripturæ locis, apud Petrum Gassendum *tom. 4. in Institutione astronom. lib. 3. cap. 4. pag. 59. b.* Adversarii respondent (scripturæ sacræ scopum non esse, ut homines aut, Physicos, aut Mathematicos efficiat, sed ut pios, & ad salutem, seu gratiam gloriamque supernaturalem comparatos reddat. Quare loqui eam de rebus, quatenus apparent omnibus vulgò hominibus; ut quoniam sua salus omnium interest, intelligi ab omnibus possit.) Et statim. (Nisi pleraque loca hoc modo exposuerimus, hoc est, dixerimus, Scripturam ad vulgi captum se dimisisse; Scriptores-ve Sacros sese temperasse, accommodasseque rudi populo; futuros nos procul à germano sensu, quo Spiritussanctus intelligi voluit.) Et posteà addit singulorum locorum expositiones, quę illos in apparenti, & sensibili sensu interpretantur.

Sit-ne vera, an tantùm apparens Terræ quies.

Quomodo exponant Adversarii locos, quibus quies Telluris probatur?

Intentum Sacræ Paginæ.

An ipsa in sensu apparenti, & vulgari loquatur?

De Sacramento Eucharistiæ.

Secundò, omnes Sacramentarii, qui negant veram panis, & vini in Domini Nostri Iesu-Christi Corpus, & Sanguinem transsubstantiationem: assertam à Catholicis negant, sunt Hæretici; quoniam relicto sensu reali, ad apparentem, & significativum recurrunt: & in eo Consecrationis verba exponunt: dicunt enim, *Hoc est corpus meum*. id est, *Hoc apparet, & significat corpus meum*. Et similiter *Hic est calix sanguinis mei*, id est, *Hic calix apparet, & significat calicem sanguinis mei*.

Sit-ne vera in ipso, an apparẽt solũmodò Trãsubstantiatio?

Rebus bonis abutũtur Mortales.

Respondeo hoc argumento, non suaderi negandum esse in Sacrâ Paginâ Apparentis sensus usum, sed abusum; multis enim rebus bonis abutuntur Mortales: & non ideò illę con-

An, & quomodo, Scientia Media, & Conditionata distinguantur?

condemnari debebunt Scientia conditionatâ (distinguo illam à Media: nemo enim conditionatam in Deo negare potest; & tamen cum Thomistis, & multis aliis nos scientiam Mediam negamus) abutebantur Pelagiani dicentes suffocari in matris utero multos, alios ante usum rationis auferri in peccatorũ pœnam, quæ erant commissuri, si viverent.

Pelagiani Scientia Dei Conditionata abutebantur.

Et interrogo, An propter exorbitantem hanc Pelagianorum Opinationem debeamus negare Deo conditionatorum futurorum notitiam? Præterea, ut instantiam generalem proponam, Dei Clementiâ, & Misericordiâ omnes abutimur. Et statim interrogo, an propter hunc cõmunem, & universalem abusum debeamus Deo Misericordiam, & Clementiam negare?

An Deus Conditionatã Scientiam habeat?

Hinc venio ad Argumentum §. *Sed dices* propositum: & illam Majorem, *Omnes doctrinæ, & sententiarum fundamenta, ex quibus hæreses, & absurda sequuntur, sunt falsa.* distinguo. Si sequantur per se, & vi bonæ Dialecticæ, concedo: si sequantur per accidens, propter ignorationẽ Logicæ, & malè inferentium abusum, nego. Venio ad Minorẽ. Erat illa, *At in apparenti sensu multæ Opinationes, & Errores fundantur.* Rideo: nam obludirur Logica: quoniã debebat subsumi, *At ex apparenti sensu multæ Opinationes, & Errores sequuntur*: & hanc eodẽ modo distinguo. Sequuntur per se, & Dialecticæ bonæ virtute, nego: sequuntur per accidens, ob Dialecticę ignorantiam, concedo. Et, ut palpetis manibus, volo advocare Copetnicæos, qui annuo Tellurem motu circumvolvunt. Longomontanios, qui diurno peragunt: Et, si grandiora velis, Calvinianos, & cæteros Sacramentarios, qui verum Christi Corpus, & Sanguinem esse in Eucharistiâ negant: & postulare, ut ex doctrinâ de sensu apparente suas in bonâ Logicâ Conclusiones deducant Quoniam vel argumentabuntur sic.

Quales sint Propositiones, ex quibus absurda inferuntur?

An ex sensu apparenti Dialecticus hæreses aut absurdas Conclusiones deducat?

Omnes Sacræ Scripturæ Textus sunt in sensu apparenti (& non in reali, & vero) exponendi.

At hi, quibus, aut moveri Tellurem, aut Christi verum Corpus, & Sanguinem sub Eucharisticis speciebus non esse, conantur suadere Adversarii, Textus Sacræ Scripturæ sunt.

Consideretur Syllogistica forma: an videlicet Major, quæ præmittitur, Universalis sit, aut Particularis.

Ergo ipsi in sensu apparenti (& non in reali, & vero) sunt exponendi.

Vel, si contrahere vela velint, sic

Aliqui Sacræ Scripturæ Textus, sunt in sensu apparenti (& non in vero, & reali) exponendi.

At hi, quibus. & cætera, quæ sequuntur ut antea.

Ergo ipsi in sensu apparenti (& non in reali, & vero) sunt exponendi.

Ex puris Particularibus nihil omninò sequitur.

Sic illis argumentari placuit: & modò inquam Ego,

Numquid Ego auditor tantùm, numquam-ne reponam?

Igitur me repono. Sedeo pro tribunali, & sic judico.

Primus syllogismus in Darii est, legesque Dialecticæ Perfectæ observat. Ejus forma est methodica, & habet Conclusionem legitimã. Ejusdem Minor est certa, & indubitata. Ergo de solâ Majori est videndum. Rotundè pronuncio illam falsam, & hæreticam esse, plerique enim Sacræ Scripturæ Textus in sensu reali sunt intelligendi: non enim apparenter, sed realiter creavit Deus Cælum, & Terram: non apparenter, sed verè Adamus comedit vetitum pomum & peccavit: non apparenter natus, passus est Christus. &c. Ergo, quia Major falsa est, in Consequentiam falsitatem derivat.

Syllogismus primus in examen vocatur.

Multa sunt in Sacra Scriptura, quæ sensum apparentẽ non tolerant.

In secundo Major est vera, & indubitata, Minor est etiam certa; eadem enim est, quæ in præcedenti ponebatur: & tamen Consequentia est falsa; nam peccatur in Logica; est enim iste secundus syllogismus similis huic.

Aliqui homines sunt nigri.

Milites Germani sunt homines.

Ergo Milites Germani sunt nigri.

Qui in nullo utili Primæ Figuræ Modo est concinnatus, nam ex purè particularibus nihil sequitur.

Nullus Modus utilis ex Particularibus componi potest.

Ergo colligamus ex dictis hanc Generalem Regulam, quæ in Sacrarum Literarum expositione poterit universis prodesse.

Ubi ex sensu Grammatico sequitur manifestum absurdum, tunc, & non alias, ad Apparentem, aut Metaphoricum est recurrendum.

De Apparente & Metaphorico sensu Regula Generalis.

Est certissima, & ad rem præsentem scitè à P. Marino Mersenno in Gen. cap. 1. ver. 10. columm. 917. dilucidatur. inquit enim, *Scio quidem eos respondere Scripturam Sacram se-*

De Tellure. An moveatur, an quiescat?

se nostris sensibus accommodare, dum juxta opiniones de stabilitate terræ, & motu Solis, atque stellarum loquitur, ut videre est in eorum objectionibus relatis. Verùm sicut hæc solutio valet, ubi alioquin aliquod absurdum sequeretur, aut evidens ratio contradicere videtur, ita neque id temerè passim afferendum est, neque recipi debet ubi nulla necessitas cogit, neque quidquam infertur, quod rationi opponatur; ut reverà hic nihil opponitur, quod nos ab immobilitate terræ recedere cogat. &c.

Lutherani, & Calvinistæ quales?

Et hæc uberiùs edisserere volui; sumus enim in miserrimo sæculo, in quo Heretici, penitùs ignorāt Theologiam Scholasticam, Dialecticum rigorem fastidiunt, & ut videantur docti, multi sunt in Grammaticâ, & sensu Apparenti, & Metaphorico abutuntur frequenter, ut vel hoc modo possint suas Opiniones aliqua Veritatis apparentiâ exornare.

SECTIO II.

De Sensu Præsumpto. *Quid ille sit; & ubi, aut quando admitti debeat?*

De Sensu Vero, & Apparente.

HÆC inter Sensum Verum, Apparentem, & Præsumptum, ut sub initium dicebamus, differentia invenitur. Sensus verus postulat, ut à forma, seu re, quæ reverà existit, denominatio sumatur. Et sic vocamus *Solem lucidum*, *Nivem candidam*, *Gigantem magnum*, &c. quia reverà lux Soli inest, candor Nivi, magnitudo Giganti. Cum autem *Lunam majorem Marte, Iove, aut Saturno* dicimus, secundum Apparentem sensum loquimur; Luna enim, tametsi videatur multò major, est reverà Tellure minor vicibus 39. & hæc est Marte 1 $\frac{1}{2}$; Iove 81. & Saturno 79. vicibus minor est. Sequor numeros à Petro Gassendo *in Astronomia lib. 2. cap. 14. pag. 39.* determinatos.

Superiorum Planetarum quanta sit magnitudo?

Regula 45. *Quid sit Sensus Præsūptus?*

Sensus autem Præsumptus, ut nomen ipsum sonat, est qui præsumitur, & fundatur illâ Regulâ Iuris Canonici, *Inspicimus in obscuris, quod est, verisimilius, aut plerumque fieri consuevit.* A formâ ergo hic sensus, quæ inesse subjecto præsumitur, procedit: & in esse ea præsumitur, quæ solet, aut debet inesse. Quoniam hæ Consequentiæ, *Solet esse, Ergo est. Debet esse, Ergo est.* donec constet de opposito, probabiles censendæ sunt.

An dentur Consequentia Probabiles?

Sic in Hebraica Lingua, & tota Sacra Pagina *pueri* vocantur famuli, quòd servire aliis non senum, sed puerorum sit: quò respiciens Hispanus famulos, etiam *moços*, hoc est, *Iuvenes*, vocat.

Cur famulos Hebræus pueros, & moços Hispanus appellet?

Heroidis cujuscumque pedissequas Latini *Virgines*, Hispani *Doncellas* appellat: quòd non deceat corruptas ad tale ministerium admitti.

Cur doncellas pedissequas?

Pro eodem accipitur *Monialis*, & *Sanctimonialis*: non, quòd omnes Moniales sanctæ sint, sed quòd sanctæ esse debeant. Et huc respiciebant antiqui, cùm Presbyteros, & præcipuè Episcopos vocabant *Sanctos*: & hinc habemus, ut Summum Pontificem *Sanctissimum* hodie dicamus.

Et cur Sanctas moniales? Cur Sacerdotes & Episcopos sanctos, & sāctissimum Sūmum Pontificem?

Magister dicitur, qui *Magis ter*, non quòd omnes, qui docent, triplò semper sint suis doctiores discipulis, sed quòd triplò debeant esse doctiores.

Magister unde dicatur?

Quicumque exercet Artem Medicam, etsi ne Baccalaureus quidem sit, vocatur *Doctor*, ut moueantur, qui gubernant Rempublicam, non nisi viris doctis posse curam ægrotorum concredi. Et cur Hispanus (tametsi Latinus æquè in Iure, ac in Medicina ad Lauream supremam promotos *Doctores* nominet: nam Theologos *Magistros* dicit) cùm aliquem vocari Doctorem audit, non Iuristam, aut Canonistam, sed Medicum statim intelligit? Nam præfertur valetudo divitiis; & ideò illa majori cura diligentia, & studio est conservanda.

Cur Doctoris nomine Medicus intelligatur?

Eques ab equo nomen ducit, & tamen equites, & nobiles multi inveniuntur, qui equum non habent. At Nomenclator nobilium qualitatem respiciens, & quòd indigeant equis, ut decentiùs procedant, eos voluit *Equites* nominare. Eamdem ob causam eos Hispanus *Caballeros* appellat.

Eques, quis sit: & cur ita vocetur?

Computuum revisores Itali *Rationales* appellant, & bene, nam & computus *rationes* vocantur. At, quia vox ratio alias significationes sortitur, invenimus interdum revisores iniquos, & irrationales.

An & cur computuum Revisores Rationales dicantur?

SECTIO III.

De Veri Sensus in Literalem, Allegoricum, Moralem, Anagogicumque Ecclesiasticâ subdivisione.

Porphyrii error.
An nullus sensus præter Literalem in Sacra Scriptura admittatur?

Possem hîc sub initiũ cum Porphyrio disserere; nam asserente Eusebio *lib. 6. Hist. cap. 15.* omnes Sacræ Scripturæ locos exponebat in Sensu Literali, & Grammatico. Abstineo tamen ab inutili disputatione; universi enim sciunt in omni Linguâ esse dicendi modos, qui in Figurato sensu veri sunt, & exorbitarent in rigore Grammatico, ut ostendam inferiùs. Omissa igitur Hæreticâ Porphyrii Opinatione, quæ sua ipsa mole corruit, veram sententiam, quâ potero brevitate, proponam.

Sanè in Historicum, & Spiritualem Sensus Verus à Theologis Eruditis dividitur: nam hæc videtur Distributio sufficiens, ut omnia, quæ in Sacrâ Scriptura leguntur, ab hominibus intelligantur. Probavit, & dilucidavit hanc sententiam S. Gregorius Papa *hom. 9. in Ezech.* & ante eũ S. Hieronymus *cap. 2. Ezech.* illustrans, Librum ponens ob oculos, qui Ezechieli Prophetæ fuit ostensus divinitùs.

Ezech. 2.

De Sensu Historico & Spirituali.

Textus Sacer sic habet. *Et dixit ad me Fili Adam (fili hominis) sta super pedes tuos, & loquar tecum. &c. Loqueris ergo verba mea ad eos si fortè audiant, & quiescant (adquiescant) quamquam irritatores sunt. Tu autem Fili Adam (fili hominis) audi quæcumque loquor ad te; & noli esse exasperans, sicut Domus exasperatrix est. Aperi os tuum, & comede quæcumque do tibi. Et vidi: & ecce Manus missa ad me, in quâ erat involutus Liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris; & scriptæ erant in eo lamentationes, carmina (gemitus) & væ.*

Sacra Pagina est Liber scriptus intus & foris.

Bonus-ne, an malus fuerit Angelus, qui loquutus fuit Ezechieli?

Et tu interrogas Primò, *Quis est, qui hic loquatur, & Librum aperiat, & ostendat?* P. Marcus Marinus Mersennus *in Genesim. cap. 1. vers. 1. qu. 4. art. 1. columna 693.* putat Dæmonem fuisse; inquit enim, [Omnes Scripturæ Sacræ sensus ad duos revocati possunt: Literalem, videlicet, & Spiritualem: qui *Ezech. 2.* comprehendi videntur, cùm malus Angelus Librum aperuisse dicitur, qui scriptus erat intus & foris.] At adlucinatur Mersennus; & nescio unde hanc opinationem hausit; nam textus literam non legisse videtur, εὐάγγελος enim est, qui Prophetam instruit.

Legica Moralis.

Secundò etiam interrogas, *Qualis sit, & quid contineat iste Liber?* Respondeo. Liber iste, qui ostenditur; continet Sacra Biblia: & est scriptus intùs, & foris: quia præter sensum Historicum, qui est externus, & pervius, & verbis ipsis significatur; continet adhuc alterum nobiliorem: nempe Spiritualem, qui à rerum, & actuum symbolis promanare videtur. Et, ut id exponam, & persuadeam, ipsamet Prophetæ verba, quæ dedi recognoscam, & duplicem in eis sensum, & expositionẽ inveniam.

Quis ille Liber fuerit, qui fuit in ecstasi Propheta ostensus?

Fili Adam.] אדם Adam, *hominem* sonat, κατ' ἐξοχὴν hoc nomen *Homo* duobus præcipuè in Sacrâ Scriptura adtribuitur, videlicet Adamo, & Christo. Vnde Gentium Apostolus sic Corinthios instituit. *Scriptum est. Factus est primus homo* (Adam) *in Animam viventem: novissimus Adam* (Christus) *in spiritum vivificantem. Sed non prius Spirituale, sed Animale. Primus homo* (Adam) *de terrâ terrenus, secundus* (Christus) *de Cœlo Cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis Cælestis, tales & Cælestes.* &c. Ergo in Textu Prophetico illud *Fili Adam*, aut *Fili hominis*, bifariam (id est, Historicè, & Spiritualiter) debet interpretari, ut sensus sit, [O tu Ezechiel, qui per naturam filius hominis terreni es, & terrenas pateris passiones, & perturbationes, ut ipse; audi dicentem, *Qui stat, videat ne cadat*, & hanc ob rem sta super pedes tuos, ut fias filius Cælestis hominis, & sicut ipse, sic & tu suffulciaris Cœlestibus prærogativis.] Hunc in præsenti Textu sensum cognovit, & expressit D. Isidorus Clarius, illum enim hoc Scholio dilucidat [Hic legitur *Filius Adam*, cujus effigiem similitudo animalium omnium referebat. Et cum primus Adam typus sit secundi, audit (Propheta) se esse filium, non tam prioris, quàm posterioris. &c.]

אדם, ADAM significat hominem universum.

1. Corinth. 15. 47.

Homo duplex; Terrenus, & Cælestis. Ille fuit Adam; hic est Christus. 155

Quid significet verba, Fili hominis?

Aperi os tuum, & comede.] Sensus Grammaticus locum non habet hîc;

Nam liber in Lyceis editur, haud editur. [*]

[*] Edere, si prima sit brevis, est Comedere; &, si lõga, in lucem emittere.

Lite-

Literalis ergo ſenſus eſt, quem præbet Metaphora: quoniam, ut monet in Calepino Paſſeratius, *librorum beluonem, ſeu voratorem* vocat Cicero, eum qui multos legebat, & quæ in eis legerat, meditabatur. Et hic ipſe Metaphoricus ſenſus duplex eſt, Hiſtoricus, & Spiritualis. In Hiſtorico verba illa, *Aperi os suum, & comede*, ſunt *Aperi os suum, & lege*. & in ſpirituali, *Lege, intellige; ut quæ legeris, facias.* Et utrumque ſenſum (Hiſtoricum, & Spiritualem) Pontifex dilucidat in Ordinatione Lectorum. Nempe Hiſtoricum dicens. *Studete verba Dei (videlicet, Lectiones Sacras diſtinctè, & apertè ad intelligentiam, & ædificationem Fidelium, abſque omni mendacio falſitatis proferre; ne Veritas Divinarum Lectionum incuriâ veſtrâ ad inſtructionem Audientium corrumpatur.* Et Spiritualem ſubjiciens. *Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus Auditores veſtros verbo pariter, & exemplo veſtro docere poſſitis.*

Quid in Eccleſia Lector debeat facere?

Poſteà Senſus Spiritualis in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum ſubdividitur: ut omnes ſimul ſenſus quinque ſint, ut in Schemate ſubjecto conſpicis.

Senſus Sacræ Scripturæ; qui, & quot ſint?

Sacræ Scripturæ ſenſus	*Hiſtoricus, ſeu Literalis.*	*Humanus.*
		Divinus.
	Spiritualis.	*Allegoricus*
		Moralis.
		Anagogicus

Vt iſti ſenſus facilius retineantur, expoſitores Veteres nobis propoſuerunt hoc Diſtichum.

Litera geſta docet; quid credas Allegoria.
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia.

Merſennus columna 695.

Con queritur Merſennus, quem paulò ante citabam, illud ametriâ: & meritò, nam *Allegoria & Anagogia* Dactylum & Spondeum (quod deberent) non exæquant; quoniam ἀλληγορία duas priores protrahit; & tres poſteriores abbreviat: & ἀναγωγία ſolũ tertiã producit. Vt ergo errores, contra ſyllabarum quantitatem commiſſi, auferantur, ſcribamus.

Quantæ ſint ſyllabæ in vocibus Allegoria, & Anagogia?

Dicitur Hiſtoricus, *quem verba expreſſa reſignant.*
Eſt Allegoricus, *qui priſcis ludit in umbris.*
Moralis, *per quem Legum præcepta docemur.* [*]

Quid verò ſperes, Anagogicus altiùs effert.

*] Tertius apud Merſennum erat,
Moralis per quod vivendi norma docetur.
duplici ſolæciſmo; *per quod* enim ponit, cùm deberet *per quem*: & in conſtructione verbi *doceo* exorbitat: vivendi enim normam docentur homines, illa autem non docetur.

De conſtructione verbi Doceo.

SECTIO IV.

De Senſu Literali in ſpecie.

ILLE eſt, qui primariò intenditur: ubi enim dictiones figuratè accipiuntur, ſenſus Grammaticalis non attenditur, ſed Literalis ſolus dicitur, qui Rhetoricus, & Figuratus. Sic, qui Petrum aut *arare littus*, aut *Æthiopem lavare* dicit, nec de littore, nec de Æthiope cogitat, nam Senſus Literalis Petrum in caſſum, & fruſtra laborare ſignificat. Ergo cùm Eccleſia inclamat, *Vicit Leo de Tribu Iuda*. Senſus literalis poſtulat ut *Leonis* nomine non jam aliquam animantem rugibilem, ſed Chriſtum Dominum intelligamus. Ergo ſimiliter ubi Angelicum Doctorem *Scholæ Solem* dicimus, Literalis ſenſus, Metaphoricus eſt, & ratio non habetur Grammatici.

Quid ſint in ſenſu Primario & Literali Arare littus. Æthiopem lavare, Eſſe Leonẽ de Tribu Iuda, & Eſſe Scholæ Solem?

Quia interdum prudens dubitatio ſuccurrit, & ambigitur, *An verba Grammaticè* (in ſenſu riguroſo) *An Rhetoricè* (in figurato) *debeant accipi?* ne poſſint errare Expoſitores, hunc Canonem *libr. 3. de Doctrin. Chriſt. cap. 10. & 16.* S. Auguſtinus præſcripſit. *Vbi ſenſus Grammaticus, aut Fidei Veritati, aut morum puritati diſſonare videtur, ad Metaphorum, aut aliam Oratoriam Figuram recurrendum eſt.* Et in legum materiâ, *Præceptum, ſi vel flagitium vetat, aut beneficium præcipit, accipi debet in rigore Grammatico: ſi contrà debet in Metaphorico.*

An, & quando Senſus Metaphoricus ſit admittendus?

Poteſt, & ſolet eadem litera plures ſimul Senſus Literales habere: in illis enim verbis *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*. D. Auguſtinus 1. *de Geneſ. ad liter.* & *Imperfect. Operis cap. 2.* tres ſenſus Literarios ediſſerit. PRIMO enim ibi PRINCIPIVM, *temporis initium* ſignificat; quando enim Divina Omnipotentia Mundum condidit, tempus etiam, & locum comproduxit. SECVNDO idem ibi nomen ſignificat *Verbum Divinum*, nam litera præpoſitiva ב, *Beth*, ſonat etiam *per*, & ut *Ioann. 1.*

An in uno & eodem Textu plures ſint Senſus Literales?

Quid ſit In principio?

dici-

dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. TERTIO idem nomen exprimit ibi dignitatem, nam inter corpora dignissimum est Cælum; in eo enim Deus gloriã suam Sanctis manifestat, & post Cælum dignior est Terra aliis universis corporibus; illam enim Dominus Noster Iesus-Christus Nativitate, Vitâ, Prædicatione, Passione, Sepulturâ, Resurrectioneque condecoravit.

Et quidem, tametsi authoritas Augustini sufficeret, ut cum illo posse, & solere in eisdem verbis reperiri duplicem sensum Historicum, & Literalem, probabo adhuc id ipsum Græcum septuaginta Seniorum, Latinumque nostri Vulgati testimonium adducens. Psalmo, ut numetamus nos vigesimo-octavo, & undetrigesimo, ut Hebræi numerant, cecinit David.

Quid in singulari אל, *El, & in plurali* אלים *Elim, significet?*

Habnl-Adonai benei Elim.

Et quia אל El, *Deum, Virum fortem, & Arietem* significat, LXXII. Interpretes bifariam exposuerunt hunc versum, videlicet.

Ε'νίγκατε τῷ Κυρίῳ. ὑιοὶ Θεῶ.

Septuaginta.

Ενίγκατε τῷ Κυρίῳ ὑιὲς κριῶν.

Et eorum verba Latinè reddidit noster Vulgatus dicens.

Afferte Domino Filii Dei.

Afferte Domino filios Arietum.

Nova Versio ex Hebræo.

Et aliam significationem, quam septuaginta, & Vulgatus omiserat, Nova ex Hebræo translatio expressit dicens.

Date Iehova Filii Fortium.

Stat igitur in eisdem Sacræ Scripturæ verbis plures latêre sensus Historicos, & literales.

An uterque simul in eodem texts inveniatur?

Sensus literalis adhuc in Humanum, & Divinum, seu Philosophicũ & Theologicum dividi debet. Ille prior reperîtur in verbis ab homine, & iste in verbis prolatis à Deo, & in utroque respicitur intellectus loquentis.

Sensus Literalis in Humanũ & Divinum dividitur.

Et quia interrogas, *Vtrùm in eâdem Propositione uterque simul sensus (Humanus, & Divinus) aliquando concurrat?* hoc est, *An eadem omninò verba in uno sensu ab homine, & in altero diverso à Deo proferri possint?* assertivè respondeo, & illa Caiphæ, quæ *Ioann.* 11. 47. recensentur, produco; scribit enim Evangelista. (*Collegerunt ergo Principes Sacerdotum, & Pharisæi Concilium, & dicebant.* Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. *Vnus autem quidem ex ipsis Caiphas, Princeps Sacerdotum existens anni illius dixit eis.* Vos nescitis quidquam; nec cogitatis; Quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed Princeps existens anni illius prophetavit, quia futurus esset Iesus mori pro gente. Et non pro gente tantùm, sed ut & natos Dei dispersos cogeret in unum.* Ecce eadem materialia verba dicta sunt à Caiphâ, & ab SpirituSancto (hoc est, à Caiphâ, velut ab homine privato; & ut ab ipso, velut à Summo Pontifice) & priori illa modo considerata habent sensum Philosophicum, Humanumque, & posteriori Theologicum, & Divinum. Erant ipsa iniqua & sacrilega in consideratione priori: æstuans enim rabie, & furore Caiphas, trepidabat, ubi non erat timor, nam erat prorsus falsum, populum Iudaicum periturum, si in Christum crederet. Et quid si verum esset? 156 Adhuc Christus defendi ab inimicis debuit: quoniam propter aliorum salutem non potest innocens condemnari, & occidi: At erant eadem verba sanctissima, & verissima in alterâ consideratione; non enim redempti fuissent homines, nisi patiendo, & moriendo Fidejussor, licèt insons, & innocens lytrum solveret nostræ captivitatis.

Dilucidantur verba Caiphæ.

Et nota hic contra Hæreticos Caiphâ, licèt sceleratissimum, quia illo anno erat Summus Pontifex prophetavisse. Summus igitur Pôtifex habet assistentiam Spiritusancto.

NOTA.

De Allegorico sensu.

NON est, cur hîc Allegoriam dilucidemus, est enim, ut monet Quintilianus, quædam continuata Metaphora, & exponetur in Rhetorico hujus Operis Libro, quãdo de Schematis Figurati Sermonis differamus. Et Ioannes Henricus Alstedius *Encyclopedia tom. 1. libr. 6. cap. 9. §. 2. pag.* 379. quanta sit inter Metaphoram, & Allegoriam insinuavit his verbis. *Metaphora est,* inquit, *Tropus luculentissimus, frequentissimus, & floritissimus. Nam & facile dijudicari potest, & sapissimè occurrit; & denique habet florentissimas, Hyperbolas, Allegorias, Periphrases, & Epitheta.*

An, & quo modo Allegoria differat à Metaphora?

SE-

SECTIO V.

De Morali Sensu.

MOraliter Sacri Eloquii exponuntur sententiæ, cum ex illis deducuntur Doctrinæ, quæ mores humanos reforment. Et quidem juxta hunc sensum Patres Sacram Paginam passim interpretantur; & S. Gregorius præcipuè, nam *homil.* 21. *in Evang.* illa Evangelii verba, *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum*, &c. illustraturus, sic declamat. *Audistis Fratres Charissimi, quòd sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant sequutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt; & ei, quem viventem dilexerant, etiam mortuo, studio humanitatis obsequuntur. Sed res gesta, aliquid in Sanctâ Ecclesiâ signat gerendum. Sic quippe necesse est, ut audiamus, quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam, quæ nobis sint ex eorum imitatione facienda.* Ecce pulchrè, & exactè, Qualis Moralis sensus sit, pietate eruditâ dilucidat: nam ex singulis Circumstantiis Consequentias doctrinales exhaurit. Et loquendo in specie, ex Aromatibus, quæ ab Sanctis illis Mulieribus empta sunt, & allata, hanc deducit. *Et nos ergo in eum, qui est mortuus, credentes, si odore Virtutum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profectò illius cum aromatibus venimus.* Et ulteriùs progressus, singula, quæ in Sancto illo Evangelio leguntur, ad morum reformationem, & exornationem reducit.

Marc. 16. 2. 1.

Legitur hæc Homilia die Paschatis, in tertio Nocturno.

An semper Sacra Litera nos dirigant? Quid facere debeamus, ut earum monitis obtemperemus?

Et quidem nostri Concionatores, si semel Moralem hanc Sacræ Scripturæ Interpretationem addiscant, ubi Moralia Protheoremata legerint, qualia sunt, *Non alligabis os bovi trituranti. Dignus est mercenarius mercede suâ. Qui altari servit, de altari vivat.* &c. Statim Consequentias præclaras inferent, quibus Iustitiam Commutativam explicent, & exornent, Et qui audiunt dicentem, *Non arabis in bove, & asino.* Discent superiorum præcepta inferiorum attemperanda viribus; nec posse Titium odio Semphronii prægravari; & quia hominum sunt inæqualia talenta, non posse à paupere, quæ à divite; ab indocto, quæ à docto; à debili, quæ à forti, exigi, aut postulari.

Quid sit sensus Moralis?

Moralia quædam Monita dilucidantur.

Non diffundor ulteriùs: rem enim perviam tracto, quam universi noscunt Concionatores; qui, etsi Oratores veteres dixerint, *Non posse Mercurium ex omni ligno fieri*, ex omni ipsi ligno Mercurium faciunt: hoc est, ex omni Sacræ Scripturæ Textu ad morum reformationem, & ornatū Conceptus opportunos educunt. Huc spectant omnes Veterum Patrum Homiliæ, huc Ecclesiastarum recentiorum Conciones, huc etiam Conceptus Evangelici, à nobis olim in Templo dicti, dudum scripti, & nuper in lucem emissi.

An ex omni ligno possit Mercurius dedolari?

Interim, ut aliquo exemplo juvetur eruditio Ecclesiastæ, nonnullos paragraphos exscribam ex Sancti Ambrosii libro, qui inscribitur *de S. Ioseph*: quoniam in ipso initio Lectores instruit, ut discant ex Veterum Patriarcharum virtutibus, quæ in Sanctis Novi Testamenti excelluerunt; & quas ipsi, & adquirere sibi, & suis debeant persuadere Auditoribus. Audiunto attentè: Sanctus enim Doctor sic incipit.

Legitur in Ecclesia, Dominica III. Quadragesimæ in secūdo Nocturno.

[Sanctorum vita cæteris norma vivendi est: ideoque digestam pleniùs accepimus seriem scripturarū ut dum Abraham, Isaac, & Iacob, cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem, virtute eorum reseratum imitantibus vestigijs persequamur. De quibus mihi cùm frequens tractatus fuerit, hodie Sancti Ioseph historia occurrit: in quo cum plurima fuerint genera virtutum, præcipuè tamen insigne effulsit castimoniæ. Iustum est igitur, & cùm in Abraham didiceritis impigram fidei deuotionem, in Isaac sinceræ mentis puritatem, in Iacob singularem animi laborumque patientiam: ex illâ generalitate virtutum in ipsas species disciplinarum intendatis animum. Sit igitur nobis propositus Sanctus Ioseph tamquam speculum castitatis. In ejus enim moribus, in eius actibus lucet pudicitia, & quidam splendor castimoniæ comes, nitor gratiæ. Vnde etiam à parentibus plusquam cæteri filii diligebatur. Sed ea res invidiæ fuit: quod silentio prætereundū non fuit. Hinc enim argumentum totius historiæ processit: simul ut cognoscamus perfectum virum non mo-

Sanctorum vitas, ut illas imitemur, Viri devoti scribunt.

S. Ioseph Veterū Patriarcharum Virtutes consequutus est.

Qualis Vir Perfectus esse debeat?

moveri vlciſcendi doloris invidia, nec malorum rependere vicem. Vnde & Dauid ait: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Quid autem eſſet, quod præferri Ioſeph mereretur cæteris, ſi aut lædentes læſiſſet, aut diligentes dilexiſſet? Hoc enim pleriq; faciunt: ſed illud mirabile, ſi diligas inimicum tuum: quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Evangelium, vt læſus parceret, appetitus ignoſceret, venditus non referret injuriam, ſed gratiam pro contumeliâ ſolveret: quod poſt Evangelium omnes didicimus, & ſervare [*] non poſſumus. Diſcamus ergo & Sanctorum invidiam, vt imitemur patientiam: & cognoſcamus illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris: nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe. Quod ſi invidia etiam Sanctos aduſſit, quantò magis cavendum eſt, ne inflammet peccatores?

Debemus inimicos diligere.

*] *Non poſſumus*, inquit, nō quòd careamus potētia, ſed quòd mala voluntate ducamur.

SECTIO VI.

De Anagogico ſenſu.

ANA'ΓΩ, quaſi ἄνω ἄγω, eſt attollere ſurſum, & præcipuè ponitur, cùm agitur de rebus Divinis. Iſocrates in Helene εἰς Θεὺς ἀνήγαγε, *Ad Deos extulit.* Hinc ἀναγωγὴ, ῆς, ἡ. eleuatio. Hac voce vtitur ſæpe S. Gregorius Nazianzenus. Hinc ἀναγωγία, Ioannes Scapula. [Peculiariter ſic appellatur à Theologis intellectûs noſtri veluti ſubvectio ad inveſtigādum reconditiorem alicujus loci ſenſum. Hinc apud S. Dionyſium, qui ſublimi dicendi modo delectatur, Α'ναγωγὸς ζωὴ, eſt *vita ſublimia appetens*: & Δύναμις ἀναγωγὸς, *Virtus, quæ ad cæleſtia & ſublimia hominem ſubrigit*, In Balthaſaris Corderii Onomaſtico Dionyſiano. [Α'ναγωγὴ, *anagoge*. id eſt, ſenſus Oraculorum myſticus & reconditus, qui nos in Cælum meditando ſubvehit, propeq; Deum ad Cæleſtia cernenda contemplantibus præber. Cæleſt. Hierarch. cap. 1. & alibi ſæpe.] & ſtatim. [Α'ναγωγικῶς, *anagogicè*. id eſt, ſurſum agendo ſeu impellendo, & à terrenis ad cæleſtia adducendo. Hinc ſenſus Sacræ Scripturæ *anagogicus* appellatur, qui Cæleſte quidpiam inſinuat. Cæleſt. Hierarch. cap. 1. §. 2. & paſsim alibi.]

Quid ſit ἀνάγω?

Quid & ἀναγωγὴ?

Et quid ἀναγωγός?

Onomaſticum Dionyſianum continet voces particulares, quæ in aliis Authoribus non reperiuntur.

Quid ſit ἀναγωγικῶς?

Ad Α'ναγωγικὴν ſpecialiter pertinent omnes Eccleſiæ cœremoniæ, quas multi Viri docti Commentariis erudiiſſimis dilucidarunt. Illas præter alios S. Auguſtinus *cap. 2. de Geneſ. ad lit.* S. Hieronymus *in cap. 26. Ezech.* Caſſianus *collat. 14. cap. 8.* Sixtus Senenſis *Biblioth. Sanctorum libr. 3.* piis & eruditis exornarunt Scholiis: & nuper Cæremonias, quibus vtimur in Sacrificio Miſſæ Illuſtriſs. D. Carolus Septalius, Dertonenſium Epiſcopus, doctiſſimo Volumine expoſuit: & alias alii diverſis Syntagmatis explicaverunt. Quia autem longus eſſet labor recenſere vniuerſas, de aliquibus, quæ in ſuſceptione Ordinum fiunt, breviter diſſeramus.

De Eccleſiæ cæremoniis. Quid ſignificant?

D. Carolus Septala laudatus.

Pleræq; omnes, vt video, exponuntur in Pontificali. Quoniam quid ſignificet ſignum Crucis in Confirmationis Sacramento declarat Epiſcopus, dicens, *Deus, & c. præſta, vt eorum corda, quorum frontes ſacro Chriſmate delinivimus, & ſigno Sanctæ Crucis ſignavimus, idem Spiritus Sanctus in eis ſuperveniens, Templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat.*

De Crucis Signo. Quid in Confirmatione ſignificat?

In primâ Tonſurâ, quando ſuperpelliceum imponit, quid Epiſcopus faciat, exponit dicens, *Induat te Deus novum hominem, qui ſecundum Deū creatus eſt, in Iuſtitia, & Sanctitate Veritatis.* Agens de æternâ gloriâ, dicebat aliquando Paulus, *Repoſita eſt mihi Corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus Iuſtus Iudex.* Et hujus Coronæ typus eſt, quam geſtant Clerici, vnde ab Omnipotente Deo poſtulant ſub finem Epiſcopi, *vt ſicut ſimilitudinem Coronæ ejus Clericos geſtare faciunt in capitibus, ſic ejuſdem virtute hæreditatem* (perennem beatitudinem) *conſequi mereantur in cordibus.*

Cur ſuperpelliceum in prima tonſura tradatur?

Quid Corona Clericorum ſignificet?

Traduntur Oſtiariis Templi claves, & hæc ipſa traditio anagogicam habet ſignificationem; illis enim ait Pontifex, *Studete, vt ſicut materialibus clavibus Eccleſiam viſibilem aperitis & clauditis; ſic & inviſibilē Dei domum (corda ſcilicet Fidelium) dictis & exemplis veſtris claudatis Diabolo & aperiatis Deo.*

De Clavium ſignificatione.

Lectoribus Vita Æterna promittitur illis verbis, *Habituri* (eſtis) *ſi fideliter, & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui*

ute-

Quid Lectoribus promittatur.

verbum Dei bene administrarunt ab initio.

Exorcistarum Officium.

Exorcistis ad expellendos Dæmones authoritas & potestas confertur; &, vt illa ad gloriam sempiternam conducat, eos monet Episcopus dicens, *Discite per Officium vestrum vitijs imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vendicare. Tunc enim rectè in aliis Dæmonibus imperabitis, cùm priùs in vobis eorum multimodam nequitiam superabitis.*

De Acolytis.

Et Acolytis dicit, *Tunc enim in sacrificio dignè vinum suggeretis & aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam, & bona opera oblati fueritis.*

Qualiter procedere debeant? De Amictus & Manipuli significatione.

In Hypodia conorum ordinatione *Amictus* vocis castigationem; & *Manipulum* bonorum operum fructus significat. Et orat Pontifex Dominum, *vt eos Spiritu Sancto impleat, & in Divino ministerio confirmet, vt obedientes facto & dicto parentes gratiam* (& gloriam) *consequantur.*

Quid manus impositio significet?

In Diaconi Consecratione manum dexteram imponit super capita singulorum Episcopus, & quid præstet manûs hæc impositio, exponit dicens, *accipe Spiritum Sanctum ad resistendum Diabolo & tentationibus eius.*

De Stola & Casula.

Et denique in Presbyteri consecratione *Stola*, vt in Pontificali exponitur, legis Divinæ jugum, & *Casula* Charitatē & Gratiam in hac vitâ, & in aliâ Beatitudinem finis nesciam significat. Et illa verba, *accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis*, panem in

Quanta sit potentia & potestas Sacerdotū?

Christi corpus, & vinum in ejusdem sanguinem conuertendi virtutem & potentiam concedunt; & non solùm super vivos jurisdictionem indulgent; sed ipsummet Purgatorium suffragijs Sacerdotum aperiunt. Et reverà, non nisi cum tremore reverentiali audiri possunt, altera, quæ sub Missæ finem à Pontifice consecrante dicuntur; videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Per illa

An Spiritum Sanctum stupiant?

enim potestas, quâ carent glorificati in Cælo Angeli, quâ caret Angelorū Regina, certò & infallibiliter ab homine peccatore homini peccatori confertur. Et, si admirabundus dicat, & interroget aliquis, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Est quidam apud Mortales Prodeus, (inquam ego) Summi Numinis in Conscientiæ Tribunali Vicarius, qui Iustitiæ Omnipotentis nomine pronunciat, & captivas hominum animas à Dæmonis tyranide eripit, restituit Gratiæ, & ad Beatitudinem æternam dirigit.

De potestate remittendi peccata.

An Sensus Moralis, Anagogicusque distinguantur?

NOTA. Et hîc fortasse aliquis dicet, sensum hunc Anagogicum non distingui à Morali, adeoq; frustra à nobis, vt diversum, exponi. Sic enim Moralis ad Virtutes nos dirigit, Virtutes nos ad Gratiam in hac vitâ conducunt, & ad Gloriam in alterâ.

Virtutes, Philosophicè & Theologicè possunt considerari.

Fatebor sanè posse dici, vnum & eumdem sensum, jam ethicum, & jam anagogicum denominari. Subjungam tamen, posse & debere manuteneri distinctionem, si Virtutes Philosophicè & Theologicè consideremus; tunc enim vt Philosophicæ pertinebunt ad Ἠθικῶ, vt Theologicæ verò ad Ἀναγωγικῶ. Accipiuntur Virtutes Philosophicè, cùm propter naturalem Honestatē, quam habent; Theologicè verò, cùm in illis Divinæ Gratiæ auxiliū, à quo proveniunt; Habitualis Gratia, si illam concomitatur; & jus ad æternam Beatitudinem, quod Habitualis Gratia includit, considerantur.



AR-

ARTICVLVS XI.

De Signorum Distributione. *An, & quando simplici Apprehensioni; aut Iudicio, aut etiam Discursui signa naturalia correspondeant? Quid simulatio sit: & an, & quando Mendacii malitiâ inficiatur?*



SVmmè necessariam Quæstionem excito: quia, cùm non reperiatur in simplici Apprehensione mendacium, oportet scire, *an, quando Petrus accendens ignem fumum excitat, solus fumus loquatur, & non Petrus: &, si Petrus, an proferendo simpliciter, & nihil asserendo aut negando, Ignis, dicat, an verè affirmativè, Hic est ignis, pronunciet?* ex hujus enim Dubii dissolutione pendent omnia quæ à Viris doctis de simulatione aut Dissimulatione dicuntur. Ergo ante Resolutionem de simulationis essentiâ, passionibus, & attributis, à quorum cognitione bonitas aut malitia Restrictæ Orationis depēdet, breviter disseramus.

SECTIO I.

De Simulatione. *Quid, & quotuplex sit?*

Cur priùs dividatur, quàm definiatur Simulatio?

TAM variè & æquivocè accipitur, vt eam præstet dividere, antequam definiamus. Communi sententiæ hæret Scotus *in 3. dist. 38. quæst. vnic.* & Scotistæ *ibid.* Malderus *in libell. de abusu Restrictionum mental.* Pererius *in cap. 27. Genes.* quinque simulationis species numerant, quas mutato tantisper modo loquendi hîc proponemus.

Prima simulationis species.

Prima est, *quando aliquis adsumit aliquod signum, aut facit aliquam rem, quæ significet bonū, quod non habet*, puta, si nullam habeat devotionē & tamen manu habeat Rosarium, aut coram Cruce genuflectat; nam & Rosarium, & genuflexio regulariter devotionem significant. Et *boni* hîc nomen tam realiter, quàm moraliter sumo. Dixi, me tantisper modum loquendi alterare, nam P. Ioannes Poncius his verbis proponit hanc simulationis speciem. [Prima est, quando quis per aliqua signa significaret, se habere bona, quæ non habet.] Et supponit, quod quæritur: nam mihi hæ Positiones, *Petrus per signa significat se habere devotionem*, & *Petrus habet aut facit rem, quæ significat illum habere devotionem*. differunt inter se.

Nomen autem Species non debet hic strictè sumi.

Secunda.

Secunda, *quando quis adsumit aliquod signum aut facit aliquam rem, quæ significet absentiam mali, quod reverà adest*. Vt, si pauper induat vestes pretiosas, aut eroget eleemosinam avarus.

Tertia.

Tertia. *Quando quis non præ se fert signum, nec facit aliquam rem, quæ significat malum, quod habet*. Puta, si Petrus ab inimico occidi timeat; & consultus, aut secum famulos armatos conducere, aut fugiendo suæ saluti consulere, nec illos circumferat, nec abeat.

An & quo modo Simulatio à Dissimulatione distinguatur?

Et hæc simulationis species est verè negatina, & ad Dissimulationem spectat, & nota eam secundæ simulationis respondere speciei, & posse addi alteram Dissimulationem, quæ respondeat tertiæ, quæ contingeret, *quando quis non vteretur aliquo signo, vel non faceret aliquam rem, quæ significat bonum, quod habet*.

Quarta Simulationis species. An de rebus indifferentibus esse possit Dissimulatio, aut Simulatio?

Quarta, *quando aliquis vtitur signo, vel facit rem, quæ aliquam qualitatem indifferentem significat, quam tamen non habet*. Indifferentē illam voco, quæ nec sit bona nec mala politicè, nec moraliter. Si exemplum petas, dicam, hominibus naturalia, nec esse merito, nec demerito, & ideò huc pertinere cœcum, qui oculis artificialibus; claudum,

maneumve, qui ligneo pede aut brachio vteretur.

Quinta species.

Quinta. *Quando quis vtitur signo, aut facit rem, qua tametsi ex natura sua non habeat significationem, qua in examen veniat, ex vsu, consuetudine aut circumstantijs habet, quod aliquam qualitatem significet, bonam aut malam, quam non habet.* Puta, si in Republicâ nostrâ nobilibus & plebeis habitus diuersi præscribantur, & Lælius qui nobilis non est, induat Nobilium habitum.

Et non à natura, sed abusu aut institutione dependet.

Tandem exponitur, quid Simulatio sit?

Et omnes has simulationis species, & alias, quæ designari possent, hac ego breui descriptione comprehendo. Sic inquam. *Simulatio contingit, quando quis, rem facit vel omittit, cujus admissio aut omissio realiter aut moraliter significat, rem bonam, malam, indifferentem-ve, quando non est, esse, aut etiam quando est, non esse.*

Sexta species.

Potest quis ex duabus rebus alteram dicere, & tacere alteram.

ET addi huc debet sexta, quæ contingit, quandò reuerà aliquis facturus est duo, quorum alterum est placiturum Principi, alterum displiciturum: & interrogatus quid sit facturus: illud prius dicit, posterius tacet. Hujus simulationis, pulchrum exemplum legitur *lib. 1. Reg. cap. 16.* ibi enim narratur, quo Samuel modo Bethlehemium venerit, immolaturus vitulum, & nouum inuncturus Regem: & dicitur, quòd idem interrogatus, ad quid venerit? responderit, se ad immolandum venisse. Et de noui Regis creatione & vnctione nihil prorsus aut negasse, aut dixisse. Reperio 4. *Regum*. 9. Simulationem similem, nam Elisæus misit quemdam ex Prophetarum filiis (hos Chaldæus Paraphrastes vocat *discipulos*; & nonnulli eredunt illum, quem misit, fuisse Ionam) ad Iehu, vnum ex præcipuis Magnatibus in aulâ impii Regis Achab; & jubet illi duo; alterum, vt Iehu vngat in Regem, alterum, vt ei de delendâ domo Achabi Diuinum præceptum notificet. Venit ὑποκριτικῶς in Galaadiæ Ramothum, vbi cum aliis militiæ Principibus sedebat Iehu. Duo erat erga Iehu præstiturus; alterum factò, alterum verbo. Venit ad eum & ait, *Verbum mihi ad te ò Princeps*. Hispanicè breuiùs, *Vna palabra*. Est Hebraismus: Latinè enim, vt ait Vatablus, dixisset. *Habeo, qua tibi dicam*. At etiam habebat, quæ eidem faceret. Ergo dissimulavit, & ex duobus (faciendo & dicendo) illud subticuit, & hoc in genere significavit. An-ne mentitus fuit? minimè. Dixit enim se habere, quod ipsi loqueretur: & hoc erat verum. Non dixit, se habere, quod eidem faceret; & potuit sine mendacio tacere; nam Abstractio in mente est idem ac Silentium in ore, & vt scitè Aristoteles inquit, *Abstrahentium non est mendacium*.

Samuel.

Filii Prophetarum, qui fuerint?

An Ionas Iehu in Regem unxerit?

Quid Hispanicè una palabra sit?

Intellectus abstrahens est similis lingua tacenti.

Non est in abstractione mendacium.

Quid sit pia fraus: & quando commissi contingat?

Dices, te fateri, non mentiri eum, qui non omnia, quæ vult facere, dicit: addis tamen hujus silentium non bene *Simulationem* appellari. Et ego nego hoc vltimum: & assero, in hoc partiali silentio consistere selectissimum dissimulandi modum, neminem enim decipit, & tamen sibi consulit, præbens occasionem, vt alter adlucinetur & decipiatur. Vnde hujusmodi silentium meritò *piam fraudem, simulationem, & delusionem* S. Gregorius Papa appellat, cujus verba & dilucidarionem cap. . art. . num. . datuti sumus.

SECTIO II.

De Mentis Operationibus. *Qua, quot, & quales ipsa sint.*

De Intellectus Operationum numero.

COmmunis & in Scholis receptissima Opinio, tres esse asserit: simplicem apprehensionem, Iudicium & Discursum. Aristoteles 3. *de Anim.* apud Lalemandetium *in Log. disp. 1. partit. 1. clyp. 1. col. 3. num. 2.* quem posteà *num. 7. col. 9.* sequitur, esse duas ingeniosè contendit; nam Discursum ad Iudicium reducit.

Quid sit Simplex Apprehensio?

Apprehensio est simplex quædam sui objecti cognitio, qualis est actus, quo cognosco Franciscum, (actus enim, qui huic nomini *Franciscus* in intellectu correspondet, est ille, quem apprehensionē nominamus.] Et est simplex cognitio, non simplicium cognitio: quoniam simplici actu composita cognoscere possumus.

Quid Iudiciū?

Iudicium connectit duos terminos affirmando aut negando: & talis ille actus, qui his verbis, *Franciscus est homo*, correspondet. Priùs enim Franciscum & Hominem Intellectus cognoscit: & posteà hunc de illo prædicat.

Dis-

Et quid Discursus?

Discursus ex unâ aut pluribus Propositionibus aliam infert: ut, si dicas, *Franciscus est homo: At homo est animal: Ergo Franciscus est animal*. Et tota difficultas concernit illud *ergo*: nescimus enim, an sit aliquid cognitum in Intellectu: an verò illationis exprimat necessitatē.

Quid significet Ergo?

Quid in Syllogismo liberum, & quid necessarium reperiatur?

Omnes tres in syllogismo Propositiones, esse vera Iudicia, Aristoteles asserit; sed duas priores liberè, tertiam necessariò produci. Nam, sicut in Geometriâ est Euclidi liberum ducere duas lineas quantas voluerit, & illis comprehendere angulum, quantum placeat: at duabus lineis & angulo comprehenso positis non potest aliter Triangulum absolvere, quàm tantam (non autem majorem aut minorem) trahendo lineam, cui adjacet hinc & inde tantus & tantus angulus. Et tamen hæc necessitas non præstat, ut tertia linea specie differat à prioribus. Ergo dici debet similiter positis juxta leges Dialecticas duabus Propositionibus, quas volueris, te non posse aliter syllogismum absolvere quàm talem eliciendo & non aliam: Et debet etiam addi, hanc necessitatem non prestare, ut tertium Iudicium (Conclusio) à duobus (Præmissis) specie distinguatur. Ergo Discursus nō est Mentis Operatio à secundâ diversa, sed importat tria Iudicia secundum aliquem ordinata.

An Conclusio à Præmissis specie distinguatur?

Opinio communis quid dicat?

At communis sententia asserit Discursum non esse Iudicium ex necessitate promanantem à Iudiciis præmissis, sed esse mentis actum uno intuitu cognoscentem præmissas, & , quia illæ sunt latæ Conclusionis causa, etiam Conclusionem ponentem. Et, si hoc est verum, debet Conclusio genere à Præmissis distingui, & constituere tertiam Operationem. Et hanc sententiam esse commodiorem in praxi, ipsimet Adversarij fatentur; quoniam Lalemandetius, qui pro numero Binario militat, *ubi supr. col.* 10. sic inquit. [Si dicas, communiter dividi Logicam in tres partes propter tres Operationes. Respondebo, illam Logices divisionem, esse potiùs commodam, & majoris claritatis gratiâ, quàm veram.]

Ternarius Intellectualium Operationum numerus est commodior in praxi.

Et placet similitudo, quam *col.* 4. *num.* 3. idem Author edisserit, ut modo facili has ipsas Operationes Intellectûs exponat. Apprehensio enim assimilatur Oculis, Iudicium Manibus, Discursus Pedibus. Objecta sua intuentur oculi, & nobilissima Intellectûs apprehensio dicitur *intuitiva*. Manus in horto legunt flores & à plantis divisos colligunt & in sertum componunt; & nobis repræsentant Iudicium: nam terminos componit & dividit: illud nempe asserendo, hoc negando. Tandem quia pedibus currimus, currendoq; è loco in locum promovemur, tertia Operatio mentis à cursu nominatur *Discursus*, nam illa præcurrente Aristotele per Dialecticos & Philosophicos, & Cano duce per Theologicos locos decurrit.

Est similis Oculis Apprehensio; Iudicium Manibus; Discursus Pedibus.

Et hæc de Intellectualium Operationum numero quiditate, & qualitate prælibasse sufficiat. Syntagma hoc uberiori disquisitione non indiget. Qui plura & profundiora scire velit, nostras consulat Logicas, duas enim (Realem & Moralem) edidimus.

De Logica Reali & Morali.

SECTIO III.

Iterum de simulatione. Ad quam Operationem Intellectûs pertinat?

Sicut verbis, sic etiam signis mentis conceptus explicamus. Et hinc nascitur Dubium, an singulæ Mentis Operationes nactæ sint propria signa, quibus manifestentur: an verò id non conveniat omnibus, sed aliquibus tantum, & quibus? Grandia & gravia ab hujus Quæstionis solutione dependent, & ideò attentè Conclusiones sequentes meditantor. Sit ergo

Controversia proponitur.

Prima. *Non omnes voces significativa sunt Propositiones*. Corollarium. *Ergo illa, in quibus ratio Propositionis non invenitur, nec Assertiones, nec Negationes erunt, adeoq; nec Veracitatis aut Mendacij capaces*. Patet; quia multæ sunt simplices termini, & ad primam Operationem Mentis pertinent: quoniam ista vox *Homo* non est Propositio, nec in eâ, aut per eam secunda Mentis Operatio aliquid operatur.

De Vocibus. Non omnes affirmant, aut negant.

Secunda, quæ à Primâ necessariò deducitur. *Dantur signa externa simplicia, quæ nec propositiones sunt, nec ad secundam Mentis pertinent Operationem*. Corollarium. *Illa igitur, siquidem nec Assertiones,*

An idem dicendum sit de Signis?

Logica Moralis.

nec Negationes sunt, nec erunt Veracitatis aut mendacii capaces. Et talia sunt præter Interrogationes & Admirationes, etiam signa simplicia, quibus solemus uti, judicare debemus. Apud Nos Cistertienses, (non enim in choro aut Ecclesiâ loqui licet) dantur signa specialia, quibus necessaria postulantur. Nam Manus pansa, verb. gr. leniter huc illuc agitata, Librum universìm significat: &, quia multi sunt libri, si addatur huic signo benedictio, erit Liber Missarum: &, si tangatur frons, erit Liber Psalmorum: nam Sancta Regula præscribit, ut memoriter (Hisp. *de Cabeça*) discantur. Ergo ista Signa, & alia his similia, quæ in libro Usuum ponuntur, & ad primam Mentis Operationem pertinent; aliquid profectò significant, & tamen nîl affirmant aut negant. Ergo, qui ubi nullum Psalterium est, manu illa signa facit, quæ Librum Psalmorum significant, non mentitur. Et dignetur id bene notare Lector; Theologi enim, qui de hoc Argumento scripserunt, in Signis, quæ vocalia non sunt, Significationem cum Affirmatione confundunt.

Apud Cistercienses sunt loca, in quibus observatur silentium: & in ipsis quæ necessaria, non verbis, sed signis petuntur.

Aliud est significare, & aliud diversum affirmare.

Ad primam Mentis Operationem suspiria, gemitus, & lachrymæ pertinere videntur; illis enim emissis cor afflicti hominis levamen recipit: non tamen aliquid alicui dicit affirmando, aut negando.

De suspiriis & lachrymis.

TERTIA. *Dantur Signa externa, quæ ad secundam Mentis Operationem pertinent, & habent vim affirmandi & negandi.* Ostenditur: quoniam caput inclinare est adnuere, illud supra collum tantisper huc illuc torquere, est negare.

Dantur Signa affirmantia & negantia.

Inter *nutare, nuere & nictare*, hanc differentiam statuit Nonius, quòd *nutare* capitis sit, *nuere* narium vel labiorum, *nictare* autem oculorum, patefaciendo eos aut claudendo, vel utrumque, vel alterum. Plautus in Asin. *Nec illa ulli homini nutet, nictet, adnuat* hoc est, *nec faciat signum capite, nec facienti assentiatur, nec oculis aliquid indicet.* Prima verbi *nuo* significatio est vacillare & moveri: *nuto* est ejus frequentativum: & ideò nutare ædificia dicuntur; quæ, quia male fundata, minantur ruinam. Illud Metaphora ad significandam voluntatem seu noluntatem trahit. Simplex etiam sumitur pro despectu. Suetonius in Vespasiano. *Adolescentulum* [*] *fragrantem unguento, cùm pro impetratâ Præfecturâ gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissimâ increpuit, Maluissem allium oboluisses.* Composita negationem ab affirmatione secernunt: *adnutu* enim & *innutu* asserimus; *abnutu* verò & *renutu* negamus. Et quidem interdum & conjugatione & acceptione exorbitat, nã *Abnueo* dicebant in secundâ Veteres. Ennius 8. Annal. *Certare abnueo, metuo legionibus labem.* Et Virgilius Æneid. 10. verbum sumpsit activè dicens, *Abnueram Italiam bello concurrere Teucris.* hoc est, ut Servius explicat, *Prohibueram Italiam contra Teucros bella suscipere.*

Quo modo nutare, nuere, & nictare differãt inter se?

Quid significet nuo? quid nuto?

*] Ab *adolesco* dicimus *adolescentem*: & ab *adulesco* hic Suetonius dixit *adulescentem*.

Antiqui dicebant nueo.

Sumi potest activè.

Tota etiam manu, aut etiam solo indice dextrorsum sinistrorsum moto, falsa esse, quæ dicuntur, indicare solemus.

Manu etiam renuimus & adnuimus.

Et hîc non specialem Opinionem, sed communem doctrinam, quam passim amplectuntur Authores in Scholis, tradidimus: P. Ioannes Poncius *ubi supr. pag. 647. b. nu.* 202. [Ex his habetur, quòd qui adnuit nutu interroganti, An aliquis sit domi? quem scit non esse domi: aut qui renuit nutu sic interroganti, cùm scit eum esse domi, peccet peccato mendacii: Nam aliàs certè muti non possent, quamvis vellent, mentiri: quod absurdum est.] & paulò antè dixerat, [aliàs Angeli non possent mentiri, quia non utuntur signis vocalibus; aut saltem, si mentirentur, non peccarent, quo nihil est absurdius &c.]

An possint mentire muti?

An & Angeli?

Et hîc obiter nota, me nescire *An hæc Affirmationes signa debeant, naturalia vocari?* Qui enim ea naturalia esse velit, nunquam ostendet cur non potuerint homines postulata caput intorquendo concedere, aut illud inclinando negare? Qui autem ea artificialium censui adscribat, nunquam ostendet, cur in toto terrarum orbe apud diversas regiones homines, tametsi variis utantur linguis, omnes adnutu asserant, omnes renutu negent; quæ enim ad placitum signa significant, mutatis regnis aut prouinciis mutantur.

An adnutus & renutus naturalia, an verò artificialia signa sint?

QUARTA. *Signa præcipua naturalia in Similitudine aut in Productione consistunt; illa ad primam, hæc ad tertiam Mentis pertinent Operationem.* Prioris generis est Imago Cæsaris, nam in illa ego Cæsarem can-

De Signis, quæ in similitudine fundantur.

tanquam in speculo video; & non indigeo discursu, ut id faciam. Et huc pertinet Parrhasii & Zeuxidis à priscis celebratum certamen: nam Zeuxis detulit uvas pictas tam felici successu, ut aves illas comesturæ advolarent. At pictam supra picturam cortinam tulit alter; tunc Zeuxis judicio alitum tumens, Parrhasio imperat, ut cortinam recurrat, & Picturam exhibeat. Sed postmodum errore suo percepto, ingenuo pudore palmam Parrhasio accensuit: ipse enim aves, at hic decepit excellentem artificem. Et in neutro Iudicio quæri Discursus debet; nam ratione aves carent; & error Zeuxidis rationem, seu discursum prævenit. Generis autem posterioris est Fumus; cùm enim à solo igne fiat, qui fumum conspicit, hunc syllogismum realiter aut virtualiter mente concinnat.

Reflectur Zeuxeos & Parrhasii cer. amē.

De Signis, quæ in productione fundantur.

Vbi est Fumus est Ignis:
At in tali loco fumus est:
Ibi ergo, à quo ipse provenit,
Ignis est.

Et huc pertinent Indicia & Præsumptiones quæ à Iurisconsultis edifferuntur prudentissimè. Talia sunt Signa aut Galli auditi, aut Turres visæ. Apud Lupum de Vega Deiparæ S. Iosephus.

De Indiciis & Præsumptionibus in Iure admissis.

N. B.
Qui in vasto mari navigant, antequam terram videant, esse prope illā inferunt, si aves in aere volitantes suspectent: nō enim hæ se longè à litoribus amovent.

Caminad Señora:
Paciencia y andar:
Que los Gallos cantan,
Cerca esta el lugar.

Et, si candida nigris immisceri liceat: Pantaleo pag. 261. b.

Ya sè por quien me desprecias.
La consequencia es forçosa,
Que no esta la villa lexos,
Quando se vee la Picota.

Hanc Dialecticam inferendi Consequentias ex Signis in Evangelio à Domino nostro docemur. Matth. 24. 32. *Ab arbore autem fici discite parabolam. Cùm jā ramus ejus fuerit tener & folia germinaverint, scitis quia prope est æstas. Sic & vos, cùm videritis hæc omnia quia prope est in januis.* &c. & Marc. 13. 28. *A ficu autem discite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & germinet folia, cognoscitis, quia prope æstas est, sic & vos cùm hæc videritis facta cognoscite quod prope est ad fores*, & Luc. 21. 30. *Videte ficum & omnes arbores, cùm protulerint, jam videntes à vobis ipsis agnoscitis, quoniam jam prope æstas est, sic & vos, cùm videritis hæc omnia facta, scitote quoniam prope est regnum Dei.*

Arborum folia anni tempestates distinguunt.

Ad tertiam etiam Mentis Operationem spectant Beneficia, & Injuriæ; & generaliter loquendo Virtutes & Vitia; illa enim præmia, hæc pœnas & supplicia apud Prudentes inferunt. Cicero de amicit. *Odiosum sanè genus hominum, Officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.* Hispanicè, *Son personas molestias las que hazen cargo de los beneficios: porque los favores los ha de reconocer y celebrar el que los recibiò; y no dar con ellos en cara, el que los hizo.* In Comœdiâ, quam D. Ioannes Baptista Diamante scripsit, & *El Baquero de Granada* inscripsit. act. 1. rapit Isabellam Paschasius; &, ne se insequatur Ferdinandus, raptæ pater, claudit fores extrinsecùs. Et Ferdinandus inclamat:

De injuriis, & beneficiis.

A quibus dici, & à quibus subtiicere ista debeant?

La puerta me cierras (Cielos!)
Porque seguirte no pueda?
Seguro vas [*] *que no sabes,*
Lo que una deshonra pessa.
Pero arrastrando (ay de mi!)
Te alcançarè, que la affrenta,
Como vive en el Discurso,
A qual quiera parte llega.

Honoris pldus.

[*] Ironicè.

Huc etiam variæ hominum Conditiones, aut etiam professiones spectant: sæpe enim Iudices ex officiis indicia, aut etiam præsumptiones deducunt.

An Tibicines improbi sint?

Hæc Consequentia, *Est Tibicen, ergo improbus*, erat legitima opinione Antistenis: quoniam admirantibus omnibus harmonicos numeros, quos tibia exprimebat Ismenias, *Nequam*, inquit, *hominem esse oportet; nam si bonæ frugis esset, non esset tam egregius Tibicen.* Plutarchus in vitâ *Perill.* Pontanus *libr. 1. cap. 5. de Prudente.*

Et hæc, *Est Vaccarum Pastor, ergo & latro*, D. Ioannis Baptistæ Diamante sententiâ, quoniam in Comœdiâ citata sic scribit.

An ne bubulci sint latrones?

Zar. *Padre.* Barth. *No me llame*
assi.
Zar. *No estèmos agora en esso,*
Sino tomemos. Barth. *Que hermano*
Diga. Zar. *Eras de Villa-diego.*
Que de Bandoleros toda
La montaña, ò de Baqueros:
(Que todo para con Dios
En esta sierra es lo mesmo)

Quinam sint quos Hispani Bandoleros appellant?

Se-

Se cubre y a este lugar
Llegan por esse sendero.

De indiciis, quæ à Patria sumuntur.

Huc tandem loca (Provinciæ, Regna, Civitates, &c.) de quibus Cap. .artic. .num. .disputabo.

Signa ad Tertiã Mentis Operationem spectantia Aristoteles, & alii cognoverunt, & admiserunt.

Et quidem esse signa illativa cognovit & docuit Aristoteles; *libri* enim *Rhetoric. ad Alexandr. cap.* 12. ait. *Signa: alia efficiunt opinionem, alia scientiam.* Opinione, quæ regulariter, & vt plurimum; scientiam, quæ semper sunt cum effectu conjuncta. Et *cap.* 14. subjungit. *Signa à probabili, & ab argumento, conjecturâ, & sententiâ differunt: quia reliqua opinionem faciunt; signorum autem quædam, vt etiam perspicuè hi cognoscant, efficiunt: & signa plurima suppeditare solent, quod reliqua facere non possunt. Signa opinionem faciunt aliquam: argumenta omnem Veritatem docent.* Et Alex. & Eust. in 2. Poster. *Signum semper rem cõsequitur: accidens potest etiam extrinsecùs advenire.* Et Magnus Albertus *in* 2. *Post. cap.* 27. Philosophi mentem dilucidat, & ait. *Signum colligimus ex naturalibus passionibus; loco medicorum* (lego, *mediorum*) *enthymmatibus positis.* Et rursus. *Signum ostenditur per passionem, & per viam sensûs.*

De Signis Ambiguis, æquivocis, & Metaphoricis.

Ad Tertiam similiter Mentis Operationem pertinent Signa Ambigua & Metaphorica. Ioannes Grammaticus in 2. Prior. cap. 27. *Signum in conjecturam, & æquivocum Signum dividitur; & est, vel rei existentis vel cum re simul vel posterius.* A quo non multum abest Albertus Magnus *in Prior.* dicens. *Signum dicitur propriè & metaphoricè. Propriè est idem quod imago: metaphoricè dicitur ad imaginis similitudinem.* Et quidem Signa Ambigua (quæ, si non propriissimè, nam insensibilia voce carent; tamen significantissimè nominantur *æquivoca*) illa nimirùm, quæ sunt effectus, qui possunt à causis diversis procedere.

Quænam signa æquivoca vocari possint?

Tale est Iejunium, aliqui enim ex devotione, alii ob gloriam vanam, & non pauci propter avaritiam jejunant. Ergo, qui Iejunium videt, & inuestigat causam, in discursu, si non aperiat oculos, & alias circumstantias adjacentes perpendat, poterit adlucinari. Morale Monitum exhibitum à Domino nostro Iesu-

De Iejunio.

Christo auscultanto. *Cùm jejunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant jejunantes, &c. Matth. 6. Omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth.* 13.

Significare, & habere rem significantem non est idem.

QVINTA. *Non est idem* Titius rem hoc significantem habet aut facit, *ac* Titius hoc significat: *Sed nec est idem* Titius hominem mentientem succollat, *ac* Titius mentitur. *Sicut nec idem est*, Fumus ignẽ significat; Ergo, Titius, quando fumum excitat, ignem desiderat significare, *&c.*

An loqui sit liberum?

Patet prima pars Conclusionis: quia significare & loqui per signa est actus liber: & tamen habere aut facere homo potest signa, quorum significationem non percalleat.

Vt secundam persuadeam, pono Anchisen humeris Æneæ sustineri, & eis insistens mendacium pronunciare: & dico in casu, quod Æneas habebit mentientem Anchisen, non autem ideo dicetur protulisse mendacium. Vectum humeris Æneæ Parentem fatetur Pius Æneas dicens

Virgilius Æneid. 2.

Hæc fatus latos humeros subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis.
Succedoque oneri.

Hunc paragraphum attentè lege, multi enim omnia hęc confundunt & graviter adlucinantur.

At dicebat Anchises vitæ tædio, *Ipse manu mortem inveniam.* &c. & quia vita universis est chara, loquutum fuisse contra dictamen recor. His tamen positis nego esse bonam consequentiam, *Æneas loquentem Anchisen succollat. Ergo per eum realiter aut saltem moraliter loquitur.* Ergo (1) *non erit idem succollare mentientem, pejerantem, blasphemantem*, &c. *ac mentiri, pejerare, blasphemare*, &c. Ergo (2) *universaliter loquendo, non erit idem habere signum, quod rem talem significet, ac eam significare.*

Doctrina valde considerãda.

DIGNERIS quæso hanc Conclusionem bene considerare; nam gravissimæ ab illâ Illationes & Resolutiones ducuntur. Iterum ergo dico, hæ duæ Propositiones, *Petrus habet vestem significantem eum esse Religiosum*, & *Petrus per vestem loquitur, & se esse Religiosum affirmat*, non sunt æquivalentes. Et id manifestè demonstraturus sum.

De bello inter Ephraim & Galaad.

Historia de Ephrathæorum cæde, qui *Iudic.* 12. fuerunt percussi à Galaaditis, est notabilis: nam quadraginta duo hominum millium severissi-

rissimè interficit: Et similis ei est, quæ Vesperas Sicilianas edisserit, & anno 1281. vt Genebrardus habet, supra octo millia Gallorum interemit. Vtramq; breuiter, edisseramus.

Sanè Ephrathæi, Galaaditas inuaserant imprudenti, & injusto consilio: & ideò à quibus erat Iustitia, Victoria gloriosissima stetit. Vt vitæ consulerent, Galaaditas fugiebant victi, & fusi & transituri fluvium iterum in illos inciderunt: & se esse Galaaditas simulantes volebant transire pacificè. At Galaaditæ, ne deciperentur, elegerunt vnam proprij Alephbethi syllabam, quam sciebant ab Ephratheis pessimè pronunciari, & hoc fuit ש *Scin*, & ex illa judicium formabant hoc modo.

Qua arte Galaadita Ephrathaos dignoscerent?

Præoccupaverũt fluvium, & vnumquemq; ex supervenientibus interrogabant, dicentes. *Nunquid Ephrathaus es tu?* & quia ille respondebat, *Non sum*. instabant. *Vt dignoscamus ergo, An Ephrathaus sis, an non sis, dic* שבלת SCIBBOLETH. *hoc est* SPICA. Et, si dictionem illam perfectè proferebat, sciebant eum esse ex suis, illumque permittebant transire; si imperfectè, & imputè, esse illum Ephrathæum ex pronunciatione colligebant, & eumdem occidebant statim.

שבלת *Sciboleth spica.*

Simili modo in Siciliâ; quia multi, ut evaderent mortem, negabant se esse Gallos, & se esse Siculos protestabantur, recurrerunt Victores ad literam Siculi Abecedarii, quam sciebant à Gallis perperam pronunciari; & hanc ob rem, ubi videbant aliquem, qui simulabat se esse Siculum, interrogabant eum dicentes, *Numquid Gallus es tu?* & quia ille respondebat *Non sum*. instabant, *Vt dignoscamus ergo, An Gallus sis, an non, dic nobis* CICERE. Et, si dictionem perfectè proferebat, sciebant eum esse Siculum, & illum permittebant evadete; si imperfectè, & impnrè, esse eum Gallum ex pronunciatione colligebant, & eumdem occidebant statim.

De Vesperis Siculis.

Hac vox Cicere more Siculo non profertur à Gallis.

Et quidem non est ovum ovo similius, quàm istæ Historiæ; tametsi prior illa acciderit sedente in Iudicis solio Iephte hoc est sub annũ Mundi 2980. hæc autem sedente in Petri throno Nicolao III. sub annum Mundl 5368: unde anni quasi 2388: interfuerint. Modò illas consideremus, & accuratè perpendamus.

2980
5368
2388
Hi numeri desumpti sunt ex Genebrardo.

Ephrathæus in ultimo vitæ constitutus discrimine, quando dicebat סבלת SCIBBOLETH, & tamen שבלת SIBBOLETH, si esser Galaadites dixisser, habebat in linguâ pronunciationẽ, quæ illum prodebat, & esse Ephrathæum indicabat. At ipse per imperfectam hujus literæ pronunciationem non dicebat *Ego sum Ephrathaus*: nemo enim invitus loquitur; & ille nunquam volebat id fateri, siquidem illud verbis, & distinctis absolutè negabat.

Hac Historia nostram Conclusionem persuadet.

Idem argumento poterit de Gallis formari. Qui enim in Siciliâ vocem *Cicere* perperam proferebat, volebat illam proferre benè, & sicut verbis, sic & accentu & prolationis modo se esse Gallum negare: & tamen contra intentionem habebat illud signum, quod se esse Gallum indicabat.

Et hac eamdem confirmat.

Majoris claritatis gratiâ, sive in Palæstinâ, sive in Siciliâ simus aliud exemplum proponamus. Agendo ergo de Hebræis dicamus, & majoris claritatis gratia pone Tatium, & Augium (vocentur sic) cum cæteris pervenisse ad Iordanem. Prior ille erat reverâ Galaadita, sed blæsus, & labii vitio סבלת SCIBBOLETH dixit, & cum cæteris occisus fuit; & posterior, tametsi Ephrathæus, aure pollebat securissimâ, & literam ש, *Scin*, proferebat exactè. An ne Tatius, cùm protulit סבלת, dixit tacitè, *Ego sum Ephrathaus*? minimè: nam fuisset mentitus, & ei sua mors imputaretur. Ergo, siquidem, nec mentitus est, nec voluit occidi, non dixit tacitè *Ego sum Ephrathaus*; sed volens nolens ita literam ש, *Scin*, pronunciavit, ut eum esse Ephrathæum Auditores ex imperfectâ prolatione colligerent. Ergo sine mendacio, & cum damno proprio, etiam nolens posuit aliquid (nempe, illam malam pronunciationem) ob quam deciperentur auditores. Ergo nec Augius, tametsi fuerit Ephraitha, bene proferendo illam literam mentiebatur, dicebatque *Ego sum Galaadita*; sed ponebat circumstantiam, (literam bene pronunciatam) ex quâ illum esse ex suis (hoc est, Galaaditam) circumstantes colligerent.

Proponitur Casus, in quo aliquis Ephraitha proferret vocem Sciboleth bene, & aliquis Galaadita male. Et tamen neuter per bonam aut malam pronunciationem loqueretur, aut mentiretur.

Et transeundo ad Siciliam, eodem prorsus modo philosophaberis: potuit enim contingere, ut accurreret Siculus, qui vocem *Cicere* proferret male,

Et idem dicendum est de Siculis & Gallis.

male, & esset ibi aliquis Gallus, qui illam proferret benè; & tamen, licèt neuter per accentum, & pronunciandi modum loqueretur, & mentiretur, periret in illâ tumultuantis populi conturbatione Siculus, & mortem evaderet Gallus.

Qui aliquid bonum, malumve facit, quod, qui in tali hominum ordine sunt, solent facere, per hanc operationem nō asserit, se esse in tali ordine, ac propterea non mentitur.

Sexta. *Qui non habet aliquam qualitatem, & tamen praestat omnes illas operationes bonas, quas faciunt, qui talem qualitatem habent, non mentitur.* Patet, quoniam vir saecularis, qui nullo voto obstringitur, & tamen jejunia observat, & horas Canonicas legit, prout D. Benedicti Sancta Regula indicit, non mentitur.

Corollarium I. *Ergo, qui non habet aliquam qualitatem, & tamen praestat illas omnes operationes malas, quas faciunt, qui talem qualitatem habent, ut ut peccet in illis omnibus operationibus, non tamen mentitur.* Patet: quoniam hoc exulcerato aevo milites perditissimè vivunt, & in specie blasphemant, pejerant, libidinantur. Et quid, si Petrus, qui non est miles, blasphemet, pejeret, libidinetur, an ideò dicetur mentiri? Respondeo pejerando, & blasphemando illum in secundum Decalogi praeceptum; libidinando in sextum delinquere: non autem in octavum peccare; aliud enim est facere, unde caeteri illum esse militem credant, & aliud omninò diversum, *Ego sum miles* dicere. Et, quia Hyperbole Hispanica, ut aliquem multa afferat juramenta effutire, dicit, *Que jura como un carretero*. non tamen ideò, qui multa juramenta profundit, per illa loquitur, & dicit, *Yo soy un carretero*.

Exaggeratio Hispanica.

Aliud est se non esse Religiosū, & aliud se esse malum Religiosum asserere.

Corollarium II. *Ergo qui habet aliquam qualitatem, & tamen non praestat omnes illas operationes bonas, quas faciunt caeteri, ut ut in illis omissionibus peccet, non tamen in illis mentitur.* Pono exemplum. Sit Ioannes Monachus, & tamen Regulae praecepta non observet. Dico illum peccare in Regulam poenaliter aut moraliter, videlicet prout illa obliget. Et addo eumdem per has inobservantias non mentiri, nec se esse Religiosum negare, sed verius, si per illas loquitur, se esse malum Religiosum asserere.

Obiectio ex Regula S. Benedicti desumpta.

Si contra objicias D. Benedictum in primo Sanctae Regulae capite dicentem, *Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nullâ Regulâ approbati* (nec) *experientia Magistri sicut aurū fornacis, sed in plumbi naturâ molliti, adhuc operibus servantes saeculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Si inquam asseras ex his verbis colligi Monachos per solum habitum, & coronam loqui; &, si male vivant, mentiri. Respondebo Sanctum Patriarcham non loqui formaliter, sed concomitanter: non enim Sarabaitae portando tonsuram, & habitum, vota, & juramenta praestita Deo (quae per tonsuram, & habitum significantur) temerando, mentiuntur: loquendo enim formaliter, corona, & habitus non dicit illos esse bonos Religiosos tantummodò. Et hoc est verum.

An, & quo modo mali Religiosi mentiantur?

Septima. *Qui aliquam ponit rē, ex quâ diversae possint illationes deduci, etsi praevideat aliquos, aut omnes falsum inde suspicaturos, non mentitur.* * Et, *si desideres quod universi adlucinentur, modo iste error non sit illis peccaminosus, & tibi prosit, non peccas.* Et quoad priorem partem persuadetur clarissimè: quia illam rem apponendo, nihil negas, aut asseris; immò nīl dicis. Et suadetur etiam quoad posteriorem partem: nam aliud est proximum fallere, & aliud desiderare ut ipse adlucinetur: nam, si ejus error non est contra Deum, non teneberis eum impedire: &, si tibi sit utilis, poteris illum desiderare.

An, & quando, ut erront aliī possis desiderare?

Corollarium. *Qui facit externè illa omnia, quae ex. gr. solent facere metu perculsi, & tamen timorem nullum habet, etsi praevideat omnes esse judicaturos se metuere, nō mētitur.* ita P. Io. Poncius *pag. 648. b.* qui tria specialiter praestat: Primò enim ostendit, cur nō mentiatur, qui metū, fugam, tristitiam, laetitiā (adde paupertatem, divitias, corporis proceritatem) &c. simulat: Secundò adducit exemplū de Cane & Hero, quod est appositissimum: & Tertiò exponit, quid requiratur, ut aliquis dicatur in signorum positione mentiri. Verba ejus praemittam, ut jacent: sed quia saepe ad Significationem convertit oculos, & ad Affirmationem deberet, ejusdem iterū verba paucis alteratis reponā, ut curiosus & ingeniosus Lector videat, uter in Asserto, in quo convenimus, accuratiùs ratiocinetur aut loquatur. Ejus verba sunt haec.

An mentiatur, qui metum simulat?

Quid dicat, & intendat Poncius?

[Ille

Quis, & quādo loquendo per signa loquatur?

[*Ille solus mentitur, qui significat aliud, quàm habeat in mente: sed, qui componit se externè eo modo, quo solent metuentes, etiam quando non metuit, non significat metum propriè: Ergò non mentitur. Et idem est de simulantibus fugam, & tristitiam, aut lætitiam, aut similia. Probatur Minor; quia, qui verè metuit, & habet illam compositionem externam, non significat propriè suum metum, Ergò nec sic componens secum non metuit, significat metum. Probatur secundò eadem Minor, & ultimum Antecedens. Quia illa compositio non est imposita ad significandum metum, sed significat tantum ex se illum impropriè, quatenùs deducit in cognitionem metus, quemadmodum effectus deducit in cognitionem sua causa, & quemadmodum, si duo aliqua soleant connecti, aut semper, aut communiter, unum ex ipsis significat alterum, ut verbi gratiâ si canis aliquis semper comitetur aliquem hominē, ex ipsò quo videretur Canis, colligeretur esse vicinus Dominus: & è contrà, etsi canis significaret aliquo modo adventū istius hominis, & istius etiā adventus, advētum canis; sed certū est hoc non esse significare nisi valdè impropriè: unde nemo diceret, quod qui talem canem proponeret alicui per hoc significaret illi adventum hominis illius, quem tamen canis significaret, nec ullus diceret, quod, si non adveniret iste homo, is qui proponeret canem, mentiretur; licet deciperet, si ex proposito saltem id faceret, & ratio à priori est, quod ut aliquis significet aliquid sic, ut mentiri dicendus sit, si id non ita se habeat, quemadmodum significatur, debeat uti signis, quibus utuntur homines ad significandum, unde quia non utuntur homines ad significandū adventum hominis propositione canis, aut ad significandum ignem propositione caloris, v. gr. ideò si proponant canem, aut calorem, non debent dici sic significare hominem, aut ignem, ut mentiri dicendi sint, nisi proposito cane, aut calore, adsit homo, aut ignis; At quia solēt homines significare quod aliquid sit, vel nō sit per nutus determinatos capitis, aut manûs præterea si talibus nutibus factis, res non sit conformis, mentiretur utens illis nutibus, non minus quàm si uteretur verbis.*]

An effectus significet impropriè causam?

De signis, quæ ex concomitantia significāt.

An, & quando canis adventū sui heri significet?

Nec canis ad domini adventum significādum, nec fumus ad ignem denotandum assumitur.

Scitè, & ingeniosè Vir doctissimus ratiocinatur; sed, quia inter *significare*, & *affirmare* non distinguit, & hac distinctione præmissâ proceditur efficaciùs, & clariùs idem argumentum rescribam, meis ideis illud attemperando. Sic ergo dicam.

Inter significare & affirmare debemus necessariò distinguere.

[Ille solus mentitur; qui aliter rem esse asserit, quàm habet in mente. Sed qui componit se externè eo modo, quo solent metuentes, etiam quando non metuit, non asserit se habere metum, immò nīl prorsus asserit. Ergo non mentitur. Patet Consequentia; quia etsi illa externa corporis compositio significaret metum, modò per illam nihil affirmaretur, ad Primā Mentis Operationē reduceretur, mendaciū continere non posset. Et idem est de simulantibus fugā, tristitiā, lætitiam, paupertatem, divitias, procceritatem corporis, & similia. QUONIAM miles quando se subtrahit, & idem facit, ac si obrutus terrore fugeret, non dicit *Ego timeo*, aut *Ego fugio*, sed ponit effectum æquivocum, qui possit provenire à duabus, vel pluribus causis. At desideras, ais, quod hostis erret. Et quid mali? Hostem ego decipere non possum, at quod erret, & fallatur, possum desiderare: quando enim in me ille jaculum dirigit, licitè desidero, ut exorbitet, & me non tangat: & quando domi meas absconditas pecunias investigat, ne illas inveniat, opto. Ergo, & quando discurrit, si ex ejus discursu mihi immineat periculum, ut malè discurrat, possum licitè desiderare. Non solùm aliena ignorantia potest mihi esse utilis, sed etiam propria: nam utiliter nescio, quæ mihi nocerent, si scirem. Ergo in similibus ignorantiam licitè procurabo. *Libr. de mendac.* Augustinus. *Nonnulli, qui sibi mortem intulissent, si aliquid mali, quod verè contigerat de charis suis cognovissent, falsò putando sibi pepercerunt: atque ita fallì iis profuit, sicut aliis obfuit vera cognoscere.* Et quia multa ignorantur utiliter, monet universos Apostolus, *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. PRAETEREA, si Aurelius Ioannem, quem odio habebat, occidit, & posteà vultum mœstum præ se fert: si adhuc adit Prætorem, & obnixè postulat, ut homicida quæratur, & homicidium vindicetur; & tandem, si ea omnia facit, quæ faceret, si esset Ioannis amicus; ponit unum effectum, qui verè po-

Quid requiratur, ut aliquis sit dicendus mentiri.

Qui, quando metum non habet, metum simulat, non mentitur.

Possum desiderare, ut alius erret.

Ignorantia, aliquando, tam aliena, quàm propria, potest mihi prodesse.

An possit quis simulare tristitiam?

Quanam sine mendacia poterit dicere, & solicitare homicida?

test à dolore, & à cautâ providentiâ procedere; & desideratur Prætor, & universi existiment, se demissos oculos, pallidam faciem, & solicitudinem illam habere, quia amabat, & etiam num post fata Ioannem amat; & hoc desiderium non est deordinatum, tendit enim in rem licitam, & sibi utilem. Et absolutè loquendo non mentitur; ipse enim licèt ponat circumstantias ex quibus possint alii deducere Propositionem hanc, *Ioannem non occidit Aurelius*, aut præpediri veriùs, ne in hujus *Ioannem occidit Aurelius* opinionem, aut suspicionem veniant, ipse autem, *Ego Ioannem non occidi*, non dicit. TERTIO: si indicia in Isidorum caderent, & propter Ioannis mortem truderetur Isidorus in carcerem posset licitè Aurelius, etsi illum esse innocentem sciat, signa lætitiæ ostendere: quoniam per ista signa, nec *Isidorus Ioannem non occidit* diceret, nec *Ioannem non occidit Aurelius*. Sed de re, sibi bonâ, gauderet. Si autem interroges, An damna, quæ ob Aurelii peccatum Isidorus perpetitur, Aurelius resarcire teneatur? Respondebit Antonius Cotonius, qui *in summ. verb. restitut. nu. 11. & 12.* asserit homicidam non teneri restituere damna, quæ ex homicidio subsequuntur per accidens, & citat Lessium *lib. 2. cap. 9. nu. 154. dub. 26.* & Dianam *par. 3. tract. 6. resol. 54. §. Notandum est.* & *part. 5. tract. 4. resol. 56.* contra Azorium *par. 3. lib. 5. cap. 3. qu. 11.* Et subjungit (Immò nec tenetur restituere damnum sequutum innocenti, cui inimicitiæ titulo impositum sit suum homicidium, etiam si id prævidisset: quia hoc etiam damnũ per accidens cum homicidio connexum est; ac proinde occisor non tenebatur ex Iustitiâ præcavere. Ita Lessius *dub. 16. à num. 120.* contra eumdem *quæst. 10.* QVARTO, quia in provincia A. Regulus à divitibus, aut mutui titulo, aut tributi jure pecunias immensas extorquet, Vigilantius nummosus & opulentus vir, ut censeretur pauper, vestes gestabat humiles, & erat cibo tenui contentus: & modo, Verũ sic procedendo commiserit mendacium, interrogat. Respondeo indui vestibus laceris, & solo pane vivere, non esse paupertatem asserere: sed circumstantiam ponere, quæ sicut à paupertate, sic etiam à devotione, immò etiam possit, vel ab avaritiâ, vel à prudentiâ, & à cautelâ procedere, cum desiderio, ut à paupertate, & non aliunde provenire putetur. QVINTO, volunt videri divites patres familias, ut vel sic suis filiabus generos nobiliores inveniant. Et ipsi, ubi supra vires, vel equos nutriunt, vel servos alunt, non mentiuntur; non enim dicunt *Sumus divites*, sed circumstantias ponunt, ex quibus, sicut incautus divitias, & opulentiam infert, sic cautus artificium aliquod latère inferet. SEXTO, & hic hærere volo, ut præcedentia omnia novis radiis dilucidem. Attende. Cloris, nam erat parvula, *Purpureo suras cæpit vincire cothurno*, & sic videri magna: & interrogas, Verum vinciri cothurnis sit mentiri? Videretur, quòd sic; nam cothurnis illa inductis mentitur proceritatem, quam non habet. Videretur quod non, nam Cloris nihil asserit, nihil affirmat: & cothurnus, nec naturaliter, nec artificialiter est signum affirmandi, aut negandi. Respondeo itaque Clorida inductis cothurnis præstare, ut procera in oculis omnium appareat. Et quia nihil negat, aut asserit, non mentiri. Cæterùm, quia hæc proceritas est æquivoca, & potest, tam naturam, quam artem concernere: exhibet Cloris circumstantiam ancipitem, ex quâ aliter, & aliter possint circumstantes discurrere: nam alii possunt esse naturalem asserere, alii opinari oppositum: interim tacet Cloris, & illos qualiter velint, opinari permittit. ERGO, sicut de Proceritate, sic de Fugâ, Tristitiâ, Lætitiâ, Paupertate, Divitiis, & similibus philosophare.

An homicida, si innocens trudatur in carcerem, cogaturque molestias & expensas subire, si non illum liberet, mentiatur, aut teneatur ad aliquam restitutionem?

An mentiretur dives, qui paupertatem simularet?

Vestibus indui laceris, &c. est signum æquivocum.

De illo, qui divitias affectat.

An mentiatur, si pauper sit?

An fœmina, quæ utuntur cothurnis (in multis erant similes, quos Hispanicè Chapines dicimus) mentiantur.

An sine mendacio animi affectus, quos non habemus, exhibeamus?

Venio ad Canis exemplum; &, ut clariùs procedam, ne mutentur vocabula, *Canis* suppono nomine famulum significari. Addo illum esse comitem individuum Francisci; suũ dominum nunquam deserere, semper concomitari: & significationem ab Affirmatione distinguendo, dico Canis præsentiam non longè abesse suum dominum innuere; Canem verò nihil affirmare, aut asserere; & hanc ob rem, si hodie adsit, quin herus adsit, eum non mentiri, non enim mendacium invenitur, ubi non est affirmatio, aut negatio. Et quid si in tuam Artemidorus domum Canem bipedem (famulum) aut si velis

An Canis aut Famuli præsentia significet adventum Domini?

lis quadrupedem (latrabilem bestiā) induceret ? an-ne eum inducendo mentiretur ? An hæc ipsa Canis inductio æquivalet huic propositioni *Franciscus adest* ? minimè : sed ob oculos tuos rem poneret Artemidorus, quâ visâ non certò, sed probabiliter posses inferre : *Ergo Franciscus adest*. [Nemo ergo diceret, quod, qui talem Canem tibi proponeret, per hoc tibi affirmaret adesse Franciscum, quem Canis semper concomitatur. Ergo, nec ullus diceret, quod si non adveniret Franciscus, is, qui tibi Canem proponeret, mentiretur ; aut falleret. Et quidē non mentiretur ; nam ille nil assereret ; & ubi nil asseritur, mendacium reperiri non potest. Sed neque te falleret, aut deciperet (quidquid contrà statuat Poncius) non enim decipit, qui non mentitur : & ille licitè potest proponere circumstantiam æquivocam. Et licitè desiderare, ubi error tuus contra Deum non militat, & sibi prodest, ut adlucineris, & exorbites.]

Canem aut Famulum inducere, non est rem aliquam affirmare aut negare.

Et tandem venio ad rationem formalem, ob quam, qui signis abutitur, aliquando mentitur. [Quia ; ut aliquis significet aliquid sic, ut mentiatur, si id non ita se habeat, quemadmodum significatur, debet uti signis, quibus utuntur homines ad affirmandum aut negandum : unde quia non utuntur homines ad affirmandum adventum Francisci Canis aut Famuli propositione ; ita, qui quando non venit Franciscus, Canem proponit, non mentitur. At quia solent homines affirmare & negare inclinando aut vibrando caput, qui interrogatus, An sit in foro Titius, quando ipse scit eū esse domi, adnuat capite, mentietur & peccabit, non minùs ac si uteretur verbis, ac esse illum in foro expressè diceret.]

Quid requiratur, ut aliquis per signa mentiatur ?

Ecce Ioannes interrogatus, An Petrus in foro sit ? si capite renuat (hoc est, si illud leviter in lævam & dexteram vibret) censebitur illo ipso motu dicere, *Petrus non est in foro* : si autem capite adnuat (hoc est, illud inclinet) censebitur illo ipso motu dicere, *Petrus est in foro*. Et hæc sunt, ut paulò ante monebamus, signa generalissima affirmandi & negandi ; quæ ad secundā mentis operationem pertinent. Et his præmissis pergis ulteriùs & inquiris, *An hæc duo sola signa*. (*Adnutus & Renutus : hoc est, capitis Inclinatio & Vibratio*) *ad secundam Operationem Intellectus pertineant : an verò sint & alia, quibus affirmare, aut negare possimus ?*

Quid, ut affirmet, neget-ve ?

An sint plura signa affirmādi & negandi ?

Respondeo, præter hæc duo signa, quæ in familiari colloquio locum habent (non enim in tribunali Civili aut Ecclesiastico testes adnutu aut renutu respondent) sunt gestus aliqui, qui integram exprimunt propositionem. Alia inferiùs locis opportunis succurrent, unicū exempli gratiā subscribo impræsentiarùm. Attende.

An testes, vel, &c. in tribunalibus per signa jusjurandum emittant ?

In Episcopali Cōsistorio ob causam gravem testes aliqui examinabantur : & Cancellario dicente & scribente, *Comparuit Presbyter Isidorus, & præmisso more Sacerdotali de Veritate dicenda juramento*, &c. Episcopus conversis ad Isidorum oculis manu dexterâ suum pectus tetigit, & Isidorus illicò dexteram similiter proprio pectori applicuit. Et posteà fuit examinatus. Ubi hic absolvit, advocatus fuit Lælius homo laicus, Cancellariusque sic scribit & dicit, *Eidem die comparuit Lælius & præmisso juramento de dicendā Veritate*. &c. Et Episcopus interim Crucifixum, qui in mensā jacet, ad testem promovet ; & hic dexterā Crucifixi pedes tangit, & ori admovet. &c. Et Tu, quia interfuisti, & has cæremonias non percalles, quid illæ significent, postulas.

Formulæ quibus Notarii utuntur sunt uberiores, sed Ego verba minus mihi necessaria præcido.

463

Respondeo in illo Consistorio manu Episcopum loqui : manu testem Presbyterum, & manu laicum. Porrò Episcopus quando ad Isidorum versus pectori manum applicat, hoc gestu loquitur, aitque *De dicenda Veritate jusjurandum emitte*. Et Isidorus suum more Sacerdotali pectus tangens, etsi nullum labiis verbum proferat, dicit *Iuro per Iesum-Christum me ad articulos omnes super quibus examinabor, Veritatem dicturum*. Similiter etiam Episcopus, ubi Crucifixum ad Lælium promovet, præceptum imponit de Iurejurando emittendo : & Lælius, ubi manu ejus pedes tangit, de dicendā Veritate juramentum emittit : & ubi manum exosculatur, reverentiam debitam exhibet, & labia promissioni, quam manus præstitit, satisfactura pollicetur. Ergo Episcopus (& id observa benè) sive pe-

Quomodo jurent Sacerdotes ?
Quid significet tangere pectus Sacerdotale ?

Quomodo jurent Seculares ?

Logica Moralis. Cccc 2

Quid importet pedes Crucifixi manu tangere? De tacita professione.

pectus tangat, sive Crucifixum exhibeat, jubet, non asserit: & hanc ob rem mentiri nequit. Ergo Sacerdos pectus suum, & Laicus Crucifixi pedes tangens virtualiter loquitur, ut propositionem dicit affirmativam; videlicet, *Iuro Deum me Veritatem ad interroganda dicturum*. &c. mentieturque primò, & erit perjurus, si Verum dicendi voluntatem non habeat: & iterū mentietur, & erit perjurus, si voluntatem mutet, & quod sanctè juraverat, perfidè posteà adimplere noluerit.

An suscipiendo professorum habitum Novitii loquantur & profiteantur?

Huc in Religiosorum Ordinibus illa omnia pertinent, quæ de tacitā Professione leguntur. Quoniam in Monasteriis, in quibus elapso tyrocinii tempore Professorum habitum recipiebat Novitius, hæc ipsa receptio erat Professio; recipiens enim sacras vestes, quæ Professos à Novitiis secernunt, censebatur dicere, *Omnipotenti Deo, Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem me fore observaturum polliceor*. Antiquatæ jam sunt tacitæ Professiones, erant enim expositæ difficultatibus: at nescirem dicere, An Cisterciensium vota expressa dici debeant, an tacita? Tres sunt, quæ cadunt, sub vorum solenne Virtutes: & tamen sola Obedientia auditur, & ad ejus nomen Castitas, & paupertas subintelligi debent. Vnde hæc Novitii verba, *Ego N. promitto stabilitatem meam, conversionem morum meorum, & Obedientiam*. &c. per Ordinis ab Ecclesiā approbati, ætatis legitimæ, & anni Noviciatus elapsi, & siquæ sunt aliæ necessariæ, circumstantias restricta, æquivalent his, *Ego N. stabilitatem meam, conversionem morum meorum, & Obedientiam; nec non cum ipsâ Castitatem, & Paupertatem promitto*. Sunt enim hæ tres Virtutes in solenni Professione necessariò connexæ, adeoque ubi una verè promittitur, aliæ compromittuntur.

An Benedictinorum professio sit implicita?

Vnde teneantur Subdiaconi castitatem servare?

Hypodiaconi tenentur Virgineam Castitatem servare; Sed quo jure? Scitè aliqui ad præceptum solenne recurrunt: sed communis sententia eos voto obstringit. Sed quando, quæso, & quomodo, solenne hoc ipsi emittunt votum? Quando jussi ad Episcopum accedunt: tunc non verbo, sed facto; non expressè, sed tacitè, votum Castitatis distinguunt. Illis in Ordinatione dicit Pontifex: *Filii dilectissimi ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attentè, quod onus hodie ultrò appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire, quod si hunc Ordinem susceperitis, ampliùs non licebit à proposito resilire, sed Deo cui servire regnare est, perpetuò famulari, & Castitatem illo adjuvante servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate, & si in sancto proposito perseverare placet, huc accedite*. Nil Ordinandi dicunt, sed ad Ordinem suscipiendū accedunt. Ergo ille in unoquoque accessus per præcedentia Pontificis verba restrictus, æquipollet his verbis *Ego voto solenni castitatem promitto*.

An vi præcepti, an vi voti solennis?

An accedere vovere sit?

De discretione Signorum.

Cur plura? Ponam igitur calamum; hæc enim, quæ produxi manifestè demonstrant multa tacita signa, non tamen universa ad secundam pertinere Mentis operationem, & in eis posse reperiri mendacium: cætera autem, quæ ad primam pertinent, nihil affirmare, aut negare. In illis autem, quæ adnumerantur tertiæ debere à Consequenti Consequentiam distingui, & hanc posse esse malam, sed non falsam.

De Consequentia.

An sicut mala, sic etiam possit esse falsa?

SECTIO IV.

Profertur de quinque simulationum ab Scoto assertarum, & expositarum innocentiā, aut malitiā Iudicium.

An, & quale peccatum simulatio prima sit?

HINC redeamus ad simulationes, quas Scotus proposuit, & quales sint, aut non sint, breviter examinemus.

[Dico igitur simulationem primā *loc. cit. pag.* 649. *a. nu.* 207. inquit Poncius) quā quis per signa aliqua concomitantia Bonitatem, vult alios perducere ad opinionem de suā bonitate concipiendam, quam tamen non habet, esse peccatum, non tamen mendacii, sed hypocrisis.]

An, & quale secunda?

Addit statim. [Dico simulationē secundam quā quis scilicet simulatet mala sibi non inesse per signa illa positiva, quæ solent comitari Virtutes oppositas, esse etiam peccatum hypocrisis; quia reverā sic significat inesse sibi Virtutes, quæ sibi non insunt

sunt: & consequenter tam mala erit ista Simulatio, quam præcedens. &c.] Ergo neque hæc erit mendacium.

An prima & secunda Simulatio, si proximo non noceant, sint peccata?

Ego autem Poncio non libenter subscriberem, non enim scio, cur peccatum admittatur Hypocrisis, ubi non est mendacium, nam illa in mẽdacio consistit; præterea homo debet sibi & proximo vivere; nam debet & vitam Christianam agere & neminẽ scandalizare: unde circumfertur Adagium *Si non castè, saltem cautè*. Ergo, qui malus est, & tamen vult bonus videri, aufert occasioem scãdali, & non peccat in proximum. Ergo, ut prima aut secunda simulatio contra Deum & proximum militet, debet nocere alicui proximo & nocebit, si fictâ pietate & paupertate eleemosynas Titius extorqueat, quæ debebantur vero pauperi.

De tertia: An bona & laudabilis sit?

Subjungit. [Dico Simulationem tertiam, quâ quis cooperiret sua mala, non exhibendo illa signa, quæ concomitantur mala, non esse peccaminosam, sed potiùs esse bonam: &c.] Et meritò sic concludit: nam hæc Dissimulatio propriè est, & impropriè dicitur Simulatio.

A Simulatione differt Dissimulatio.

De quarta. An, & quando sit bona?

Et posteà. [Simulatio quartâ (quâ quis exhiberet signa naturalia alicujus rei indifferentis, in ordine ad significandnm præsentiam istius rei, cùm tamen non esset præsens: ut, si quis procuraret sudorem ad significandam fatigationem, quæ non esset) aliquando potest esse bona, aliquando mala; secundum scilicet quòd ordinatur ad bonum, aut malum. &c.] Ergo neque hæc Simulatio est mendacium. Patet: quia, si illud esset, nunquam bona esse posset. Interim hujusmodi simulationem, quam D. Paulo accenset Poncius, nec in illis verbis Rom. 12. 15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, idipsum invicem sentientes*, nec in illis 1. Corinth. 9. 20. *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer*. &c. *Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus factus sum omnia, ut omnes facerem salvos*. &c. reperio: amabat enim tenerrimè suos discipulos, & filios Apostolus, & reverà, si illos pati videbat, moerebat; &, si illos gaudere, lætabatur: unde 2. Corinth. 11. 29. ait. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Non ergo Paulus passiones (gaudii, aut tristitiæ, &c.) simulasse dicendus est, siquidem illis realiter afficiebatur.

An gaudium, mœrorem-ve Apostolus interdũ simulaverit?

De quinta Simulatione. An sit mendacium?

Et denique. [Simulatio quinta (quâ quis per signum indifferens simularet aliquem effectum indifferentem, ut si per ejectionem spumarum, aut salivarum, alios-ve motus, & gesticulationes præ se ferret quis insaniam, quam non haberet, non est peccatum, nisi ordinetur ad malum. &c.], Ergo non est mendacium: id enim, etsi ordinetur ad bonum, malum est.

Ad quam Mentis operationem Simulatio pertineat?

Et ecce ad P. Ioannis Poncii mentem, quinque illæ simulationes, quas Scotus posuerat, signa præbent, quę ad primam Operationem Intellectus spectant; signa, inquam, per quæ nil omninò afferatur.

De Syllogismis, qui in Barbara & Baralipton conformantur.

Sed, & hæc ipsa signa, ab audientibus, aut videntibus cognita, assumi velut Præmissæ solent, ut variæ Consequentiæ inferantur. Easdem fanè Propositiones præmittunt *Barbara*, & *Baralipton*. Si syllogismus in *Barbara* sit præmittenti utilior, & tamen alter in *Baralipton* eum conformet, sibi uni errorem, & non præmittenti imputare debebit.



AR-

ARTICVLVS XII.

De Vocibus significantibus indefinitè; ac propterea, de Aequivocis, Vnivocis, & Analogis. ***Quid Aequivocum sit; & an plura actu, aut sententiâ, copulativè, aut tantùm disjunctivè significet? Quid etiam Vnivocum, & quotuplex sit? De Vniversali, & Prædicabili. De Distinctionibus, & Prioritatibus. An-ne Nominalium Schola in Philosophicis, aut etiam in Theologicis Thomistica, & Scotistica sit præferenda? Tandem de Analogis. Quid ipsa sint, & quomodo ab Aequivocis, Vnivocisque distinguantur?***



ON benè de hoc argumẽmẽto scripserunt Politici; non benè etiam Grammatici; nec semper Scholastici benè; nam, & ipsi passim adlucinantur. Ego nunc à Definitionibus incipio, & posteà illas breviter dilucidabo. Attende.

Quid Univoca, & Aequivoca, & Analoga sint?

Vnivocata sunt, quorum nomen est commune, ratio verò per illud significata est in singulis eadem.

Æquivocata sunt, quorum nomen est commune, ratio verò per illud significata in singulis est omninò diversa.

Analogata sunt, quorum nomen est commune, ratio verò per illud significata, eadem in singulis est, sed diversimodè.

Quid significet vox ratio?

In his autem definitionibus vox illa *ratio* objectum, seu definitionem objectivam importat, ut constat ex Aristotele 4. *Metaph. text.* 28.

Proderit audire Damascenum, qui *cap.* 8. *Dialect.* sic scribit. *Vnivoca Prædicatio est, quando, & nomen, & definitionem nominis* (subjectum) *suscipit, ut* Animal *prædicatur de Homine, & suscipit Homo, & nomen & definitionem Animalis: nam Animal est substantia animata sensibilis, & homo suscipit definitionem hanc, substantia enim* [a] *est homo, & animata, & sensibilis. Æquivoca autem Prædicatio est, quando nomen quidem suscipit; definitionem autem nominis non suscipit: definitio enim Hominis est*, Animal rationale, mortale [b] intellectivum, & disciplinæ susceptivum. *Imago autem* (hominis) *neq; animal est, non enim animata est; neque rationalis; neque intellectus, & disciplinæ susceptiva.*

a] In hac Propositione subjectum est *Homo, non substantia.*

b] Sic Hominem definiebant Veteres, quia putabant Angelum esse *Animal rationale immortale.*

SECTIO I.

De Æquivocis. *Quomodo significent: copulativè, an disjunctivè?*

Cur tam breviter hæ Quæstiones, quæ sic gravissimæ, expediantur?

NON mihi impræsentiarũm prosunt longæ de Indefinitis Vocibus Disputationes; nam *ὁμωνυμίαν* (æquivocationem) specialiter expositurus sum, quæ brevioribus indiget Commentariis. Agamus igitur in hac Primâ Sectione de Æquivocis, & in secundâ de Vnivocis, & in Tertiâ disseremus de Analogis.

Quid sit Amphibologia.

D. Christophorus de Benavente in Advertentiis, quas Regibus Principibus, & Legatis præscribit, cap. 22. pag. 499. sic statuit. *Amphibologia, y Equivoco no es otra cosa, que ha-*

hablar con palabras, que tengan dos significados; de suerte, que se aventure a que diziendo en el uno, el que lo oye, lo entienda en el otro. Non observat rigorem Dialecticũ: quoniam subjectum, quod in hac Definitione dilucidatur, non est ipsa Amphibologia, aut nomen Æquivocum, sed Amphibologare, & Æquivocare. Præteteà, in simplici nomine Æquivocatio, Amphibologia in integrâ oratione consistit. Et denique nec Propositio Amphibologa, nec Æquivocum nomen habet actu significationes differentes, sed potentiâ tantummodo, & ad hanc potiùs, quàm ad alteram à circumstantiis restringitur, & determinatur. Sic nomen equus diversissimè accipitur. Primò enim pro inhinnibili animante supponitur. Politianus.

An, & quo modo ab æquivocatione distinguatur?

Nomen æquivocum non habet plures significationes actu.

Explicatur Equus.

Vel inhinniente per forum vehi capax
Equo.

Præterea est signum militare, apud quod milites lustrabantur, & rescribebantur. Quintilianus. *Ad Equum legionem rescribere.* Tertiò, est militaris machina, quâ tunduntur, & prosternuntur muri. Plinius libr. 7. cap. 56. *Equum, qui nunc* Aries *appellatur, in muralibus machinis Epeum ad Trojam.* subaudi, *invenisse dicunt.* Vnde lux Lucano libt. 1. canenti.

Qui à militibus postea Aries fuit dictus, olim Equus *nominabatur.*

—— Quantum clamore juvatur
Epaus sonipes.

Elaus ne, an Epæus Equus iste dicatur?

Ravisius Textor in Epith. verb. Equus legit *Elaus.* Tandem Equus est Astrum, de quo Cicero 2. de natur. Deor.

Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput alvo stellaque jungens
Vna &c.

De Cælesti Equi constellatione.

Sunt, & alia plurima nomina præcedenti similia, quæ multas significationes habent. Et inter alia *Taurus*, quod primò notam animantem significat. Ovidius eleg. 9. libr. 4. Trist.

Circus adhuc cessat, spargit tamen acer arenam
Taurus.

Varia significationes vocis Taurus.

item secundum Asterismum Zodiaci. 1. Georg. Virgilius.

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus.

Illa etiam Navis, quæ Europam transvexit in Cretam Iovis jussu *Taurus* nominabatur: & inde locum habuit fabula, quæ Iovem in Taurum transformatum edisserit. Lege Hyginum Strozius pater.

—— Fert tumidam Taurus Agenorida.

& ipse Taurus apud Pamphilum Saxonem,

Europam vexi roseo, quia tergore, dixit.

Est etiam *Taurus* nomen Montis, qui ab Indico mari surgit, & ubi in maximam sublimitatem se attollit, *Caucasus* nominatur. Sillius libr. 13.

Hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina vises. [*]

Seneca

Inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes. &c.
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens.

*] Notat illud *Hinc* Geometra, & asserit, se mentium altitudines determinare posse, si designetur in libero horizonte distantia, ex qua culmina illorum perspiciantur. Sed de hoc in mea Mathesi habes speciale Syntagma.

Et habet adhuc alias significationes: est enim *Taurus* radix arboris; passer cardueli similis; item Scarabeus, quem κάραβον Aristoteles nominat. Plinius *libr.* 30. *cap.* 30. Et sonat tandem partem illam obscœnã, quæ exciditur in castratione. Festus. Fuerunt etiam homines, immò & familiæ, quæ hoc nomine decorabantur. His ergo præmissis interrogas, *An res has omnes, an aliquas? & cur has, & non illas importet nomen* Taurus? Respondeo debere actum à potentiâ secerni: hoc enim nomen potentiâ omnes has simul significationes habet: actu autem nullam nisi accedat circumstantia restringens; & tunc eam tantùm rem, ad quam restrictione contrahitur. Aptissimè *libr.* 8. *cap.* 2. Quintilianus. *Sicut in his, quæ homonyma dicuntur, ut* Taurus: *animal ne sit, an mons, an signum in Cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur.* distinguitur autem per consignificantes particulas, aut circumstantias. Ita Scotus *qu.* 12. & 13. & 14. de quo Lalemandetius *in Logic. disp.* 6. *part.* 1. *column.* 198.

Quomodo nomen Æquivocum res diversas significet?

Est nomen Æquivocum simillimum syllabæ indifferenti: nam potentiâ est indifferens, non actu. Vox enim *tenebræ* antequam proferatur, habet incertum, & ancipitem in syllabâ modulum: longum autem, aut brevem cùm profertur: immò etiam,

Æquivocum cum Indifferenti syllaba comparatum.

cùm

cū scribitur, & præcipuè in Heroico poëmate. In hoc illa versu necessariò corripitur,

Virgilius Æn. 9.

Euryalum tenebræ ramorum, onerosaque præda
Impediunt.

Et in isto protrahitur.

Georgic. 1.

Semper, & obtentâ densantur noctè tenebræ.

De Æquivocatis. Quænam ea sint?

Æquivocum distinguitur ab Æquivocatis. Æquivocum est, ipsummet nomen; Æquivocata autem sunt illa, quæ ipsomet nomine significantur. Et ideò paulò antè, ut vidisti, in Definitionibus, non *Univoca, Æquivoca, Analoga*, sed *Univocata, Æquivocata, & Analogata* Subjecti,& Definiti loco collocavimus. Et his præmissis.

An, & quando, sit vitanda Homonymia?

QUAERIS PRIMO, *An Homonymia Orationis sit vitium, an verè gratia?*

Respondeo illam in præceptis, & legibus vitandam esse; debent enim subditi scire certissimè, quid debeant facere, & esset magna in quâcumque Communitate confusio, si regeretur æquivocis constitutionibus.

Quando admissi?

Addo extra vivendi Regulas Homonymiam inter Charites habere locum, & ab Eruditis commendari. Aliqua exempla proponamus.

Campi, in quo erant sepulchra, apud Veteres non arabantur.

Ager, in quo Majores fuerant sepulti, & conditi, religiosè à posteris apud Ethnicos observabatur: & in profanos usus non permittebatur transire. Interim, Audentium (fuerit id ipsi nomen) quia contra communes mores campum, in quo ejus sepultus erat pater, vomere proscindebat, sub laudis specie, increpavit Imperator Augustus: dixit enim. *Hoc verè est patrem colere.* Quoniam

Verbum Colo, is, explicatur.

Colo, is. æquivocum est, significatq; *honorare, & arare.* Macrobius *lib. 2. Saturn. cap. 4.*

Etiam Sapio, is. exponitur.

Sapio, is, etiam verbum est æquivocæ significationis, sapiunt enim palato cibi, & qui aliquid agunt prudenter sapiunt. Et huc Plautus in Milite glorioso respiciens, dixit.

——— *Sat adepol scio,*
Occisam sæpè sapere plus multò suem.

Addam ex Martiale unum Distichum: *libri* enim 11. *epigr.* 68. cecinit.

Liber homo es nimium mibi Charile semper;
In te qui dicit, Charile, liber homo est.

Quis sit Homo liber?

Nomen *liber* duplicem significationem habet: *liberos* enim dicimus, mordaces, audaces, & qui evomunt, quidquid in buccam venit: & etiam otiosos, & qui à negotiis vacant, *liberos* appellamus. Unde est sensus Epigrammatis. *Me reprehendis, Charile, quod nimiùm sim liber in dicendo. Id non audeo negare; sed dicam obiter, à negotiis valde liberum fore, qui velis, in te loquendo tempus perdere.* Hoc Distichum adducit D. Garzias Salzedo Coronel, & in ejus expositione adlucinatur. scribit enim *Tu dices, o Cherilo, que eres libre demasiadamente en el hablar. Pero el que habla de ti es hombre libre; esto es, desembarazado, pues se occupa en hablar de un hombre obscuro, y indigno de que se acuerden de el, aun para la detraccion.* Debuit autem scribere, *Tu dices, o Cherilo, que yo soy libre demasiadamente en el hablar.* &c.

Vel libera lingua Græcis est παῤῥησιάζειν. Plautus in Cistell. Cùm adeò me complevi flore Liberi, Magis libera uti lingua collibitum est mihi.

Cicero 4. in Verrem. Soluto liberoque animo esse. Et 1. Offic. Si ab omni animi perturbatione liber sit.

Subjicit statim hoc Distichum, quod ex eodem Martiale *lib. 3. Epigramm.* 15. desumpsit.

Quid sit credere?

Plus credit nemo, quàm totâ Codrus in Urbe;
Cùm sit tam pauper, Quomodo? Cæcus amat.

Verbum *Credo* est æquivocum; sonat enim, & assensum præbere, & mutuas consignare pecunias: & tamensi in hoc universi conveniant, aliter, & aliter hoc Epigramma exponunt.

An Codrus verè cæcus fuerit?

D. Laurentius Ramirez de Prado, cui summos honores Musæ debent, supponit Codrum fuisse cœcum; & amare, quam audiebat esse pulchrā; volebat enim credere, quod non videbat.

An Amor ingredi debeat per oculos, an per aures?

Thomas Famabius Martialis mentem hoc Scholio dilucidat. [Ludit in ambigua significatione τοῦ *credit* quoniam dicenti, *Mirum est Codrum. pecunias credere, qui ipse miserrime pauper sit.* Poëta respondet, *Supra fidem Codrum credere; credit enim illam castam, vel formosam, cujus amore cæcus est; idque contra famam populi.*] & debuit dicere, *Cujus amore cæcus & surdus est.* Cœcus; quia Phyllis illa, quam ardet, non est pulchra; & tamen, ut ait Hispanus, *tiene ojos de enamorar*, est enim certum illud axioma, *Hay ojos, que de lagañas se enamoran.* Surdus; quia tametsi populus occinat propudiosam

ſam Phyllidos incontinentiam, Codrus hace *orejas de mercader*, ut dici ſolet.

An multum, aut verius minimum credat pauper, qui ſe credit poſſe amari à muliere, ſiquidem fœmina ſolos divites amãt.

D. Garcias Salzedo Coronel librum Gongoræ, qui *Soledad* inſcribitur Commentario illuſtravit, & in Proœmio aliter intelligit hoc Apophthegma. *Yo entiendo*, ait, *que lo dixo el Poëta, porque* (Codro) *amoba ſiendo pobre, que es la mayor ceguedad de un amante.* At non tangit ipſum nodum difficultatis: non enim hìc Cœcitatis, ſed Credulitatis gradus in examen, & menſuram vocantur: quoniam Poëta non dixit,

Nemo magis cæcus, quàm totâ Codrus in urbe.

Sed potiùs,

Plus credit nemo, &c.

Credunt pecuniam mercatores.

Tu igitur Conceptum Garciæ retine, ſed tantiſper dedola; & ſic Caſum propone. Claudio, qui indigebat pecuniis, & quiſnam illas ſibi poſſet credere, interrogabat; Poëta reſpondet, neminem Romæ eſſe, qui plus credat, quàm Codrus. Quia autem Claudius poterat dicere, Quomodò poteſt credere, qui pauperrimus eſt; huic Objectioni ſatisfacit Martialis, & ait. Ex eodem fundamento, mi Claudi, ex quo nil poſſe Codrum credere, perſuadere volebas; neminem in tota eſſe hodie urbe, qui plus quàm Codrus credat, demonſtraturus ſum: ſic enim inquã, Aſcendit per ſuos gradus Credulitas, primum ei præſcribit ordinaria prudentia, altiorem generoſa animoſitas, ſummum præceps temeritas. Et quia in hoc conſtituitur, qui audet amare cœcè, cùm ſit pauper, & eſt Codrus pauperrimus; erit ſanè dicendus ad ſummum perveniſſe apicem credulitatis. Non ergo ſum falſus, aut deceptus, cùm dixi,

Credunt, quæ dicuntur, diſcipuli.

Credunt & alii quæ opinãtur.

Gradus Credulitatis.

Plus credit nemo, totâ quàm Codrus in urbe.

Verbo, ſuffero, *& tollo exponuntur.*

Occurrit, & aliud Diſtichum, quod Auſonio attribuitur, & à diverſis aliter, & aliter proponi ſolet. Modò exhibeatur ſic.

Quis, quaſo, Ænea ſimilem neget eſſe Neronem.
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Quoniam *tollere de medio* eſt occidere; & *ſufferre* eſt *ferre ſub*. &, ſi pius Æneas Patrem humeris ex flammis ſuſtulit, Matrem impius Nero è vivis ſuſtulit.

Logica Moralis.

QUÆRIS SECUNDÒ, *An Vox Æquivoca, una vel plures ſit?*

De Vocis Æquivocæ unitate.

Eſſe una videretur: quoniam in hac dictione *Taurus*, etſi mutentur ſignificationes, nulla litera omninò alteratur. Et videretur eſſe multiplex, quoniam æquivocum nomen eſt dictio; dictio autem conſtituitur formaliter ſignificatione, & in æquivoco plures ſunt ſignificationes. Et huic ſententiæ Martinus adhærere videtur, qui *Plurivocum* illud appellat. Tu autem, ut rem benè intelligas, adnotato, Sonum, Vocem, & Dictionem differre, ſonat aër fractus: & qualitas illa audibilis, quæ ex fractione reſultat, *Sonus* eſt. Aër ille, qui ore animantis frangitur, eſt *Vox*. Vox autem, quæ aliquid ex inſtituto ſignificat, vocatur *Dictio*.

Quid Plurivocum ſit?

Reſpondet ad Quæſtionem principalem Scotus *quæſt. 8. ſuper libr. Elench.* nomen æquivocum nec eſſe ſimpliciter unum, nec ſimpliciter plura, ſed multiplex. Albertus bene inter ſonum articulatum, hoc eſt, vocem, & ſignificationem diſtinguit. Malè autem ſtatuit vocem eſſe ipſum nomen formaliter. Nos ergo dicimus, Æquivocum dictionem eſſe: adeoque pro materiali vocem dicere, & ſignificationem pro formali: & concludimus Æquivocum unum nomen materialiter eſſe, plura formaliter. [Hinc verbum *æquivocor*, eodem nomine vocor. Flodoardus lib. 3. cap. 13. *Filius ejus, atque æquivocus* (eodem nomine vocatus) *Carolus*.]

Quodnam ſit inter Sonum, Vocem, *&* Dictionem *diſcrimen?*

*Quid ſignificet verbum Æ*quivocor?

Quis ille, qui æquivocus *dicitur?*

Quæris etiam, *Cur* ὁμώνυμα λέγεται, *hoc eſt*, æquivoca dicitur, *&* *non* ὁμώνυμα λέγονται, æquivoca dicuntur *ſcripſerit Ariſtoteles?* Ubi nullum latet, Ammonius *lib. de æquivoc.* myſterium quæris; inquit enim [Æquivoca, etſi multa ſint, in nominis ratione unum eſſe; ac proinde *dicitur*, non autem *dicuntur* in eorum legi definitione.] Et quidem, me judice, nodum in ſcirpo quærit, quia Ariſtoteles juxta leges dialecti Atticæ ſcribit. Ioannes Alſtedius *Encyclopediæ tom. 1. lib. 6. ſect. 4. cap. 13. §. 2. nu. 6. pag. 325. a.* de concordantiâ nominis, & verbi, ſic ſtatuit. *Neutrum plurale Atticè convenit cum verbo ſingulari.* & Bremenſes *in Grãmat. Græc. lib. 2. cap. 3. pag. 183.* conſonant, ſcribunt enim *Atticè neutrũ plurale convenit cum verbo ſingulari.*

Cur æquivoca dicitur, *&* non æquivoca dicuntur, *in Ariſtotelis textu legatur?*

De Amphibologia.

Α᾽μφίβολον, ambiguum dicitur, ἀπὸ τῦ ἀμφὶ καὶ βάλλεσθαι. Et hîc Α᾽μφιβολογία est *ambigua sententia, quæ aliter & aliter exponi potest*. Et multis modis fieri solet.

Primus Modus.

PRIMO per duos Accusativos & verbo Infinito. ut

Ajo te Aeacida Romanos vincere posse.

manet enim in dubio, an Romanos victurus sit Æacides, an Romani Æacidem.

Secundus Modus.

SECVNDÒ, per similes Casus, quando Accusativus non distinguitur à Nominativo. ut si dicas,

Mancipia in castris Cæsaris arma timent.

nesciam exponere, An mancipia sint, quibus timorem Imperatoris arma incutiant; an verò ipsa armis Cæsaris timori sint. Et huc pertinet illa verissima sententia, quam Terentius *in Hecyrâ, act. 2. scen. 1.* proponit.

Dicit Hispanus. *Nunca la Suegra y Nuera saber pudieron en una casa entera.*

Itaque adeò uno animo omnes Socrus oderunt nurus.

Duos sensus habet, & regulariter loquendo, certissimos: ut enim socrus nurum, sic etiam socrum nurus odio habet. Et hæc Amphibologia in Linguâ Hispanicâ, & aliis, in quibus eodem prorsus modo omnes casus desinunt, locum habere frequentissimè solet. Agens de vanis Aulæ cæremoniis Gongora.

Soledad. 1. vers. 156.

Ceremonia profana,
Que la sinceridad burla villana:

ex quibus verbis, An sinceritatem cœremonia, an verò rideat cœremoniam sinceritas definire non valeas. Et inferiùs.

Ibid. vers. 180.

Dexa el albergue, y sale acompañado
De quien lo lleva, donde levantado,
Distante pocos passos del camino,
Imperioso mira la campaña
Vn scollo.

Et statim interrogas, An-ne campū scopulus, an scopulum campus respiciat? TERTIÒ per Verbum Commune. ut *Cato incriminatur*, incertum enim est, An ipse accuset aliquem, an potiùs ab alio accusetur.

Tertius Modus.

Quartus Modus.

QVARTÒ per participium, ut *Offerat meus heres Iovi statuam auream hastam tenentem*. Quoniam, si epithetum *Auream* afficiat statuam, hæc erit aurea; si hastam, hæc sola, esse aurea debebit.

De Brachylogia, sive sermonis Brevitate.

SEnsus etiam ambiguus interdū oritur à Βραχυλογίᾳ, quâ Lacones delectabantur. Vide Quintilianum libr. 9. cap. 3. Est autem Brachylogia brevis sermo; qui, si careat obscuritate, commendatur. Horatius de Art. Poët.

Quidquid præcipias esto brevis, ut citò dicta
Percipiant Animi dociles, teneantq; fideles.

An, & quando vitium, aut gratia sit?

Hic videtur Canon valde necessarius Scriptoribus, & Oratoribus. Tertullianus *libr. de velandis Virginib.* appositissimè. *Naturaliter compendium sermonis, & gratum, & necessarium est: quoniam sermo laciniosus, & onerosus, vanus est*. Consonat Pindaro, qui *in Pith. ode 1.* sic inquit. *Quisquis res multas dicendo in pauca verba opportunè contrahit, in nullam hominum reprehensionem incidit. Sed verborum copia, & Orationis prolixitas est fastidiosa, celeresque hominum mentes obtundit*. Et videretur audivisse. Zapatam nostri Oratorem ævi, cujus eloquentia à plurimis laudabatur Romæ, quod eamdem rem ter, quater-ve, per diversas phrases reponeret, mihi tam fastidiosum, ut suâ meam mentem prolixitate, & verborum prodigalitate obtunderet. Quam ob rem sine causâ hærere, & repetere, me judice tolerari non potest. Et consultò *sine causa* dixerim; nam, si sententia nondum est perspicuè explicata, per verba clariora debet repeti. quoniam *loc. cit.* inquit Horatius.

De eloquentia Zapatæ celeberrimi Concionatoris.

Maxima pars Vatum, Pater, & Iuvenes Patre digni
Decipimur specie Recti. Brevis esse laboro,
Obscurus fio. &c.

Brevitas nimia condemnatur.

In quo discurrit prudentissimè Cicero, qui *libr. 2. de Orator.* sic scribit. *Narrare verò rem, quod breviter jubent, si brevitas appellanda est, cùm nullum verbum redundat, brevis est L. Crassi Oratio, si tum est brevitas, cùm tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est. Sed sæpè obest, vel maximè in narrando, non solùm, quòd obscuritatem offert; sed etiam, quòd eam Virtutem, quæ Narrationis est maxima, ut jucunda, & ad persuadendum accommodata sit, tollit.*

Et præcipuè, si reddat orationem obscuram.

ETiam Sermonis Ambiguitas nascitur ex Α᾽ναςροφῇ. Et contingit Anastrophe, cùm vocum ordo

De Anastrophe. Quid ipsa sit?

ordo ordinarius mutatur. Et hanc Figuram in Virgilio *libr. 1. Æneid.* reperio.

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;
Saxa, vocant Itali mediis in fluctibus Aras.

Quid in mari apud Italos vocetur Ara?

Verborum enim ordo ita turbatur, ut nescias, An saxa Itali *Aras*; an verò Aras appellent *Saxa*. Ordo enim legitimus esset. *Quæ saxa latentia in mediis fluctibus Itali vocant Aras.* Et hunc esse verum verborum ordinem affirmat Servius.

Quando, & ubi Anastrophe laudanda sit?

Hæc vocum perturbatio gratiam habet, cùm perturbationem, quæ reperitur in objecto, significat. *Ubi supr.* Virgilius his numeris Animum perturbatum depingit.

Atque Animum nunc huc celerem, nunc dividis illuc,
In partesque rapit varias;

Per hanc Figuram animus perturbatus à Virgilio depingitur.

Et à consilio voces ipsas perturbat: quoniam posset, si vellet, dicere.

Atque Animum celerem, nunc huc, nunc dividis illuc. &c.

Quem imitatur sæpè Gongora, nam *in Sol. 1.* ut arborum ramorumque, qui plateam cujusdam Oppidi exornabant, indigestionem, & confusionem ingeniosè describeret, sic cecinit.

Per eamdem à Gongora arborum & ramorum confusio.

— *Admira Cortesano,*
A pesar del estambre, y de la seda,
El que tapiz frondoso
Texia de verdes ojas la arboleda:
Y *los que por las calles espaciosas*
Fabrican arcos rosas,
Obliquos nuevos pensiles jardines
De tantos, coma violas, jazmines.

& in illo versu

Fabrican arcos rosas.

Inversio manifestè committitur: non enim arcus rosas, sed rosæ arcus conformant.

Et in eodem loco, ut ambiguam Orationem relinqueret, sic idem cecinit.

El juizio al de todos indeciso
Del concurso ligero
El Padrino con tres de limpio azero [*]
Cuchillos corvos absolverlo quiso.

[*] Volunt aliqui *cultros curvos* pro gladiis lunatis, quos vocamus *alfanges* hic accipi, at ego *falces* intelligerem veriùs, has enim habent rustici, illos non habent.

Et sensus est, *Patrinus cum tribus cultris curvis controversiam diremit, quam rusticorum velociter accurrentium judicium indecisam reliquerat.*

De Synonymia.

SANE ὁμωνυμία opponi videtur συνωνυμία: sicut enim Homonymia postulat, ut una materialiter vox ad plura significata referatur; ita contrà requirit synonymia ut eadem res vocibus pluribus significetur. Homonyma, ut dicebamus, unitatem materialem componunt cum pluralitate formali. Et nunc synonyma pluralitatem materialem cum unitate formali. Quoniam *Gladius*, & *Ensis*, duæ voces sunt, si materialiter considerentur: at cùm importent eamdem rem, coincidunt, si sumantur formaliter.

An, & quomodo Homonymia opponatur?

An dentur revera Synonyma?

Iuniores dubitare occœperunt, *An voces reperiantur synonyma?* illæ enim, quæ vulgò videntur coincidere, semper differunt si perpendantur. In octolingui Dictionario, Lugduni ann. 1634. edito Latinæ *Ensis*, Hispanicæ istæ voces *cuchillo, espada, daga* respondere, in quibus tantam ego differentiam reperio, ut pro *cuchillo* cultrum, pro *espada* gladium, & pro *daga* pugionem mallem dicere.

An voces cuchillo, espada, daga, apud Hispanos differant?

Philo apud Pererium to. 4. ad cap. 43. disp. 2. pag. 379.

Philo in eruditâ illâ Disputatione *de Ebrietate*, quam P. Benedictus Pererius suis in Genesim copiosis Commentariis inseruit, his verbis Homonyma à synonymis separat. *Quadam esse Homonyma alia autem synonyma vocabula constat. Hæc sunt multa voces, sed eamdem rem significantes, ut* Sagitta, Telum, Pisculum, *item* Scipio, Virga, Baculus. *Homonyma vox, una quidem est, sed diversas admodum res* (potentiâ) *significans, ut vocabulum* Canis *est Homonymum; nam & terrestre, latrans animal* Canis *dicitur, & marina bestia, & Celeste sydus, quod* autumnale *Poëta vocant, quòd ineunte autumno exoriatur maturandis perficiendisque fructibus. Aristippus quoque, & Diogenes, atque horum Disciplinæ Sectatores,* Cynici, *id est* Canes *dicti sunt.* &c.

Autumnale Sydus: quodnam sit, & cur sic vocetur?

Cynicorum, seu Canum secta, quæ?

An Synonimum *sit nomen æquivocum?*

Et hîc proderit audire Lalemandetium, qui *loc. cit. columm.* 190. monet Lectorem Eruditum his verbis. [Adverte synonymum aliò modo sumi apud Philosophos, & apud Oratores, & Poëtas. Nam Philosophi per *Synonymum* Univocum intelligunt: at Oratores, & Poëtæ synonyma volunt esse plura nomina rem eamdem significantia; ut *Marcus*, & *Tullius*, & *Princeps Romana Elaqueu-*

quentia, aut *Ensis*, & *Gladius*.] At in Hispaniâ hodie cum Oratoribus, & Poëtis Philosophi universi loquuntur.

SECTIO II.

De Vnivocis. *Exponitur, quid, & quotuplex sit Vniversale: & quo modo prædicetur, contrahatur, & restringatur.*

Sicut ab Æquivocatis Æquivoca, sic & Vnivocum ab Vnivocatis secerno; & has Definitiones propono.

Quid Vnivocata sint; & quid Vnivocum?

Vnivocata sunt, quorum nomen est commune, & ratio per nomen significata est omninò eadem.

Vnivocum est unum nomen, quod diversis adtribuitur subjectis; quæ in ratione per nomen significatâ sine ullâ differentiâ conveniunt,

An Vnivocum sit unum formaliter & materialiter?

Et hic non est cur quæratur, *An nomen Vnivocum unum, aut plura sit?* est enim materialiter unicum, nam *Homo*, v.gt. materialiter non multiplicatur: & est formaliter unicum, nam unicam significationem habet: *Animal* enim in variis Animalium speciebus, & *Homo* in variis Hominum individuis, non plures rationes, sed unam communem significat.

Vniversalis species.

Vnivocum est idem, ac Vniversale, & quinque dicitur habere Species: videlicet, *Genus, Speciem, Differentiam, Proprium*, & *Accidens*. Considera Definitiones subsequentes.

De Metaphysica & Logica Vniversalitate.

Vniversale Metaphysicè sumptū est *unum in multis*: & sumptum Logicè *unum de multis*: hoc est, *unum quod potest prædicari de multis*. Vnde

Quid Genus sit?

Genus est, *quod prædicatur intrinsecè materialiter de pluribus differentibus specie; & hoc immediatè: mediatè autem de omnibus contentis sub illâ*, ut *Animal* de Homine, Equo, Leone, & similibus. ¶ Quando prædicatum clauditur in subjecto de illo intrinsecè dicitur: aliàs extrinsecè.] Prædicationem intrinsecam vocant Logici *in quid*: extrinsecam autem *in quale*.

De intrinseca & extrinseca prædicatione.

Quid sit Species?

Species est, *quæ prædicatur intrinsecè materialiter de pluribus differentibus numero*. ut *Homo* de Petro Ferdinando & Francisco.

Quid Differentia?

Differentia est, *quæ intrinsecè & formaliter prædicatur de Specie, quā constituit; & hoc immediatè; mediatè verò de pluribus de quibus illa ipsa prædicatur Species*. Rem expono. *Homo est animal rationale*. Ergo importat duas formalitates, Animalitatem & Rationalitatem: illam materialiter, hanc formaliter.

Genus prædicatur materialiter.

Igitur Primò hæc Propositio *Homo est animal* est primi Prædicabilis; quia prædicatum clauditur in subjecto, & est pars materialis illius.

Et contra Peripateticos etiam Species.

Igitur Secundò hæc, *Petrus est homo*, est secundi Prædicabilis; quia prædicatum clauditur in subjecto & est pars materialis illius: nam *Petrus est homo habens Petreitatem*. Dicunt Peripatetici in specie totam essentiam prædicari, & per meram repetitionem individua multiplicari; at ego sic contra ratiocinor. Petreitas, quidquid illa sit, vel est de essentiâ Petri, vel non. Si primum, hæc Propositio, *Petrus est homo*, nō est adæquata: si secundum, Petrus potest Petreitate carere, à Paulo non distinguitur; & in mundo non sunt plures homines, sed unus homo.

Adæquatè contra Peripateticos prædicatur.

Differentia prædicatur formaliter.

Igitur Tertiò, hæc, *Homo est rationalis* est tertii Prædicabilis; quia prædicatum clauditur in subjecto, ut pars formalis. Ajunt Logici Differentiam prædicari *in quale quid*. Et his verbis significare volunt, quod eorumdem acceptio non permittit. Huic Propositioni, *Homo est rationalis*, esset similis hæc, *Petrus est habens Petreitatem*, quam si admittas, subdivides tertium Prædicabile.

Accidens in Proprium & Commune dividitur.

Accidentia Propria sunt vel Communia. Communia dicuntur quæ solent adesse & abesse ut Albedo. Propria autem substantiæ inhærent uno ex quatuor modis; vel enim conveniunt soli, sed non omni; vel omni sed non soli: vel omni & soli, sed non semper; vel tandem omni, soli, & semper. Vnde Proprium in primo modo est *esse Philosophum*, quod soli convenit homini, sed non omni, multi enim sunt homines, qui Philosophiam prorsus ignorant. Proprium in secūdo est *esse bipedem*, omnis enim homo ex vi naturæ suæ bipes est; & tamen aves etiam sunt bipedes. Proprium in tertio modo est *canescere* [*] omnes enim & soli homines, sed non semper, canescūt. Proprium denique in quatto modo est [*] *esse risibilem* convenit enim omni

*] Si corvi & canes canescant, si canes, equi, & elephantes rideant, alia exempla à Peripateticis quærenda sūt.

omni & soli homini, ubique & semper. [Doctrina vera est; si exempla à Porphyrio, & ejus Asseclis adducta non placeant, substitue aptiora, si reperias] Propria secundū primum & tertium modum non possunt servire Dialecticæ; possent juxta secundum: at jam constans omnium Logicorum Opinio Proprium quarti modi in quarto Prædicabili collocat. Dicamus ergo,

De Accidente Proprio.

Proprium est, *quod toti speciei convenit ubique & semper: & prædicatur extrinsecè; immediatè de specie, & mediatè de omnibus contentis sub illâ*, ut risibile.

De Accidente Communi.

Accidens est, *quod prædicatur extrinsecè; immediatè de specie; & mediatè de aliquibus, & interdum de omnibus contentis sub illâ*. ut *habere albedinem*, hæc enim Propositio *Homo est albus*, aut etiam hæc, *Aliquis homo est albus*, est vera: & hæc, *Omnis homo est albus*, in aliquo loco & tempore potest verificari.

SECTIO III.

De Vniversalium, Particularium, & Singularium Distinctione. *Et, ut ipsa liquidiùs innotescat, de Distinctionibus, & Prioritatibus proponuntur generales doctrinæ.*

De Platonis ideis, seu doctrina de Vniversalitate.

Plato, quem plerique omnes rejiciunt, & impugnant, & paucissimi intelligunt, inter Humanitatem universim sumptam, & Petreitatem v. gr. quæ constituit hunc singularem hominem, nimirum Petrum, realem intercesse distinctionem asseruit. Quam ego Opinionem exercitii gratiâ aliquando in publicâ Disputatione propugnavi.

An Scholastici olim platonici?

Videtur hæc Sententia aliquibus in primitivâ Ecclesiâ perplacuisse, quoniã celebriores inter Antiquos Patres, fuerunt Platonici. Immò Angelici Doctoris tempore apud aliquos obtinuisse videtur, quoniam Sanctus Doctor 3.part.qu.4.art.4. interrogat, *Vtrùm Filius Dei naturam humanam assumere debuerit abstractam ab omnibus individuis?* quam frustrà quæstionem proponeret, si omnes dicerent, talem repugnare naturam. Pater Dn. Carolus de Thomasiis, Doctiss. & Severissimus Thomisticæ Scholæ Propugnator, verbis his hanc Quæstionem decidit.

An Verbum sumpserit Naturam Hominis Vniversalem?

Nec debuit, immò nec potuit illam (humanam naturam) adsumere ab omnibus individuis abstractam, vel scilicet separatam (lege, *realiter distinctam*: illam enim ab individuis distinguebat, non autem separabat Plato) *à singularibus materialibus, sicut Platonici posuerunt: vel sicut in intellectu existentem, vel Humano, vel Divino. Non primum*, (videlicet, à singularibus realiter distinctam) *quia non datur talis natura; nam ad naturam rerum sensibilium ex Philosopho* 7. Metaphys. *pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in ejus definitione; sicut carnes, & ossa in definitione hominis. Nec, si daretur, fuisset conveniens* (eam) *adsumi; quia adsumptio ista terminatur ad Personam, hoc autem est contra rationem formæ communis, ut sit in Personâ; quia in Personâ individuatur. Non secundum* (nimirùm, prout in mente existentem) *quia Natura Humana, prout est in intellectu Divino, nihil aliud* [*] *est quàm Natura Divina; & prout est in intellectu humano, non realiter adsumeretur, sed intelligeretur tantùm adsumi: quæ non esset vera adsumptio, sed cogitatio quædam adsumptionis* (aut quædam cogitata adsumptio) *nec esset aliud ista Natura Humana adsumptio, quam fictio quædam Incarnationis*. Hæc est vera & communis doctrina: at multa D. Carolus dicit, & supponit, quæ non probat; quæ suo ego loco manifestè persuadeo.

Latet in verbis his æquivocatio. Etsi universalem sumpsisset, possemus dicere, nonnisi singularem sumpsisse, si quidem eam sumendo redderet singularem.

*] Ego etiamnum sum in mente Divina, & non sum Natura Divina. Ergo loquamur sic. Deus cognoscit perfectiones suas, universim: cognoscit, ut cõmunicabiles, & cognoscit has ut cõmunicatas, & illas ut non cõmunicatas. Prima est sui, secunda Possibilium, tertia Futurorum cognitio. Res ergo omnes, sed diversimode sunt in mente Divina.

De doctrina Aristotelis. An Platonica sit?

Hanc eamdem Opinionem videtur habere Aristoteles in Physica, ubi disputat de Materiâ-Primâ. Et ut id bene intelligas, adnotato, Aristotelem Platoni olim, dum viveret, fuisse discipulum charissimum, & fidelissimum. Scripsit, vivente adhuc Platone, octo de mirabili auscultatione libros, quibus omnes Naturalis Philosophiæ Controversias exposuit. Habebat Condiscipulum nomine Xenocratem, quem cum ipso Aristotele comparans dicebat Plato, *Xenocratis ingenium indigere calcaribus, Aristotelis ingenium fræno*. Cùm post Platonis mortem Academia (se neglecto, aut contempto) Xenocrati concederetur, in eum exarsit; &, ut eumdem efficaciùs invaderet, calamum in Platonem strinxit. Et, ne ingratitudinis incriminaretur, succlamabat, *Amicus Plato, sed magis amica Veritas*.

De Xenocrate.

Cur contra Platonem Aristoteles scripsit

An Materia Prima, quæ hodie defenditur in Schola Thomistica, sit Platonicum Universale?

De Distinctione ex natura rei.

De ratione ratiocinata.

tas. Hinc indignatione succrescente, suas contexit Acroases, & Platoni oppositas sententias interseruit. Sed, quia aliud est Librum novum scribere, & aliud jam scriptum & absolutum reformare, multas veteris ædificii in eo patietinas reliquit, in quibus etiamnum relucent Opiniones Platonis. Et inter alias mihi impræsentiarum recensenda est doctrina de Materiâ Primâ. Aristotelei, quos hodie sequûtur D. Thomæ discipuli, asserunt (1) Materiam esse realiter puram potentiam (2) realiter carêre unitate genericâ, specificâ, individuali. &c. (3) realiter individuari à Quantitate; & ex se non esse istam, aut illam. Asserunt ergo Materiam Primam esse Vniversalem à parte rei. Et volui hæc hîc insinuare breviter; nam eadem uberiùs propono, dilucido, & persuadeo in meâ Physicâ.

Quia hæc realis distinctio non poterat per omnia deduci, nam Spirituale systema illam videbatur respuere, Ioannes Duns Scotus invênit quamdam aliam minorem, quam dixit *Distinctionem ex natura rei*. Et hæc hodie à multis Philosophis defendi solet.

Verùm enim verò hæc in Divinis cespitare censetur, & hanc ob rem Thomistæ aliam minorem cogitant, quam *rationis ratiocinatæ* vulgò appellitant. & hac in Systemate rerum Corporeo Vniversalia ab Individuis; in Incorporeo (nam est incapax numericæ multiplicationis) Naturam ab Vnitate; & in Divino à Relationibus Essentiam, & Attributa à Naturâ secernunt. At sunt obnoxii Objectioni, quam non bene resolvunt: quoniam sic argumentor. [Huic Syllogismo, *Quod habet albedinem est album. Sed ego cogito murum habere albedinem. Ergo cogito murum esse albû*. est similis hic. *Quod habet reales distinctiones, aut prioritates, est imperfectum. Sed Thomista cogitat in* [*] *Deo reales distinctiones & prioritates. Ergo cogitat Deum esse imperfectum*. At ille prior est bonus. Ergo & posterior. Intolerabilis autem est Consequentia secundi. Ergo non est admittenda in Divinis rationis ratiocinatæ distinctio. &c.]

[*] Dicunt aliqui se in Deo non realem, sed rationis distinctionem cogitare. Sunt verba. Nam rationis distinctio est distinctio realis cogitata.

Hue respicientes Nominales, ne indigna loquerentur de Deo, invenêre distinctiones, prioritates, & multiplicationes extrinsecas; nimirùm positas in terminis & connotatis. Et his admissis nihil dicunt de Deo, quod infinitam ejus Simplicitatem, & Immaterialitatem dedeceat. Has ipsi distinctiones & prioritates *rationis ratiocinantis* nominant; quia non in objecto, sed vel in ipsis Humanæ Mentis actibus, qui illud concipiunt vel in terminis, ad quos illud Mens refert, collocantur. Aliud est enim cogitare Divinitatem & Paternitatem esse distinctas: & aliud Divinitatem & Paternitatem actibus distinctis (uno hanc, alteroque illam) cogitare. Quoniam in primo casu inter ipsasmet Divinas formalitates intrinseca intelligitur esse distinctio: & in secundo nulla in Deo ponitur, sed omnis distinctio in hominis actibus constituitur, & consideratur. Nec aliter de Prioritatibus philosophantur. Est enim, ut asseverant, aliud concipere & cogitare Patrem esse priorem Filio; & aliud, toto cælo diversum, cogitare priùs Patrem & posteà Filium: nam illa prima prioritas ipsas Divinas Personas, hæc autem nostros actus concernit.

De extrinsecis Distinctionibus & Prioritatibus.

Vel à mentis actibus, quibus intelliguntur, vel à connotatis, ad quæ referuntur, sumi debent.

De Nominalibus.

Cur Nominales dicti, quando de re ipsa tam subtiliter philosophâtur.

Hujus doctrinæ Authores *Nominales* dicuntur, quòd omnia ad diversorum conceptuum expressiones reducant: & illos ex analogiâ nominum diversorum exponant. Vt igitur rem meliùs intelligamus Nominalium sententiam subsequentem considera, quæ Grammatica est, & tamen in Philosophiâ & Theologiâ doctrinam Nominalium succollat.

SECTIO IV.

De Analogis. *Quid ipsa sint, & quomodo ab Vnivocis, Aequivocisque distinguantur?*

Quo modo Analogum ab Analogato distinguatur?

Ante definitionem & resolutionem, ut analogia observetur doctrinæ, Analoga ab analogatis, sicut Vnivoca ab univocatis, & Æquivoca ab æquivocatis secernemus, dicemusque *Analogum* esse ipsum nomen, *Analogata* verò, quæ illo nomine significantur. Ergo

Quid Analogum sit?

Analogum est *unum nomen, rebus multis conveniens, quod significat rationem aliquam quam omnes illæ res, sed modo diverso participant*.

Analogata autem sunt, *quorum ne-*

Quid sint Analogata?

nomen est commune, ratio autem per illud significata est eadem in singulis, sed diversimodè. Et ideò non malè vulgò dicitur, *partim eadem, & partim diversa.*

Quo in illis modo Identitas cum Diversitate componatur?

Quam ob rem in Analogiâ simul Identitas & Diversitas veniunt cõsiderandæ. Nam Identitas jubet, ut eadem forma (realis, materialis, spiritualis, &c. virtualis, moralis, &c.) Analogata universa denominet: & in hujus ipsius denominationis modo constituit magnam differentiam Diversitas. Porrò Diversitatem Integritatis potest in Sensibilitate inveniri: non enim ea ab omnibus Animalibus æqualiter participatur; aliqua enim quinque, alia quatuor & alia tribus, aut etiam duobus sunt sensibus prædita, & aliquo vel aliquibus carent. Diversitatem autem Modi præsefert nobis Sanitas, quæ Animal, Pulsum, & Medicinam denominat. Dicitur sanum Animal, cùm habet humores in debito temperamento. Pulsus dicitur sanus, cum sanitatem indicat: & Medicina vocatur sana, quæ est apta sanitatem conservare, si perstet; aut, si fuerit amissa, restituere.

Analogia quoad Integritatē.

Analogia quoad Modum.

An ad Analogiam reducantur Metaphoræ?

Solent aliqui addere Metaphoræ Analogiam; sed existimo nec debere nec posse à Modi Analogiâ distingui, lætæ enim segetes & ridentes dicuntur, quod risus lætitiæ signum sit, & segetum adspectu lætemur.

An, & ubi forma Analogatis intrinsecè & extrinsecè reperiatur?

Et hîc obiter notandum est, in Analogatis quoad modum formam, quæ ab omnibus, sed diversimodè participatur, uni inesse intrinsecè & alia extrinsecè denominare: nam Sanitas, quæ pro exemplo fuit posita, afficit animantem intrinsecè, extrinsecèque denominat medicinam & pulsum.

An voces communes interdū per Restrictionis carentiam restringantur?

Occurrunt aliquę ingeniosæ Quęstiones, quas potest nostra Haploses nescire, sed quia ipsa differit de Restrictionibus, proponam unam, quæ de Analogorum Restrictione specialiter tractat; & interrogat, *An Analogum non solùm per vocabuli contrahentis positionem, sed etiam per ejus carentiam restringatur? An ipsum per se & solitariè sumptum stet pro famosiori significato?* hoc est, *An κατ' ἐξοχὴν* (per excellentiam) *ad nobilius Analogatum restringatur?* Et, si in particulari loqui placeat, *An nomen* Sanum, *si absolutè dicatur, aut scribatur, non Pulsum aut Pharmacum, sed Animal tantùm significet?* Et quia hæc Quæstio etiam locum in Univocis & Aequivocis habere potest, quæritur, *Quid sit ἀντονομασία?* Et *An semper nomen commune, si restrictio desit, per se ipsum ad nobilius significatum restringatur?*

Quid importet Analogum, si solitariè sumatur?

Si de Analogatis disputetur, Affirmativa Resolutio est communis. Lalemandetius *in Logic. disp. 6. part. 4. col. 212.* [Respondeo in nostra Opinione de numero Analogorum (illud Dictum) habere omnimodam Veritatem; & quidem in Analogis Attributionis, quandoquidem forma tantùm participatur ab uno intrinsecè, dum absolutè nomen significans illam formam profertur, debet tantùm sumi pro eo, quod participat illam formam intrinsecè; & de aliis Analogatis extrinsecè, & cum adjuncto. Verbi gratiâ; Pulsus est sanus, non simpliciter, sed in signo. Medicina est sana, quia efficit Sanitatem. At formaliter & secundum se, & absque addito Animal sanum est.]

Quid Sani nomine, absolutè posito, significetur?

Agit posteà de Analogiâ Attributionis Intrinsecæ, quam *column. 205. §. Intrinseca.* pro solo Ente fuisse inventam à Philosophis asserit, & ait [Non habere locum illam Regulam.] Sed allucinatur Vir Sapiens, nam *Ens* absolutè positum, pro Substantia, quæ est membrum nobilius, accipitur. Hoc nomen habere locum in Thesauro Latino *libr. 8. cap. 9.* Quintilianus testatur. *Multa ex Græco formata nova, ac plurima à Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur ut* Ens, & Essentia, *quæ cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quòd iniqui judices nos sumus, adeoq; paupertate sermonis laboramus.* Sumi pro significato excellentiori illa Aristotelis Exclamatio demonstrat, si enim moribundus, *Ens Entium miserere mei*, dixit (quod asserunt Peripatetici) non Accidentium, sed nobilissimæ Substantiæ, videlicet Dei, favorem & misericordiam imploravit. Sed interrogas, An historia hæc sit vera?

An Ens & Essentia voces Latinæ sint?

An Ens absolutè positum, signet Substantiam?

Tantisper, ut tibi satisfaciam, à scopo digrediar, & exponam, quid in hac possit re prudenter affirmari, aut negari. Attende. Fuit profectò Aristoteles, Vir summi ingenii & judicii;

An Entium Ens in mortis extremo Aristoteles potuerit invocare?

judicii; ait enim Quintilianus. *Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an Scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an variorum Operum, clariorem putem.* Contra mores & leges patrias in Lycæo tredecim annis unum esse Deum docuit; & ob id impietatis accusatus, Invidiæ cedens, abiit in Chalcidem, ibique reliquum vitæ transegit. Obiit ætatis anno sexagesimo tertio, sub idem ferè tempus, quo & Demosthenes. Ergo, quia Deum cognoscebat, honorabat; ejusque unitatem docebat, auxiliis Divinis, quæ universis cælitùs conceduntur, oportunè uti potuit, & in mortis articulo Entis Entium Clementiæ Animam suam (si esse immortalem sciebat) commendare.

Auxilia sua Deus universis concedit.

Subjungit deniq; Lalemandetius *ubi supr.* [Quoad Analogiam proportionis Metaphoricæ evidens est verissimam esse illam Regulam: *Risus* enim absolutè prolatus intelligitur de risu hominis. &c.]

De Analogia Metaphorica.

Hoc Axioma ad Vnivoca etiam Rhetores propagarunt: unde & dicere possumus. *Vnivocum per se & solitariè positum, stat pro famosiore significato.* Hinc orta est illa Oratoriæ Artis Gratia, quam ἀντωνομασίαν appellant Græci, hoc est, nominis communis vice nominis proprii positionem. nam in illo Virgilii versu, *Arma, Virumque cano*, Aeneas intelligitur *Viri* nomine; & *Orator* significat apud Græcos Demosthenem, apud Latinos Tullium; & *Poeta* apud illos Homerum, apud istos Virgilium: & *Apostolus* Paulũ apud Scriptores Christianos.

De Vnivoco per se sumpto. Quid significet?

Quid sit Antonomasia?

Scias tamen loquendi usum in nonnullis prævaluisse vocabulis, & invertisse legem, jussisseque, *ut nomen commune per se positum pro ignobiliori significato accipiatur.* Ita nomen *Animal* in aliquibus linguis, aut forte in omnibus, solitariè positum accipitur pro irrationali. Esto in Latinâ linguâ apud Philosophos *Vivens sensibile* sit, & à differentiis præscindatur; apud Cives in colloquio communi *brutum* significat, ut Versus sequentes persuadent. Virgilius Eclog. 6.

An aliquando Vnivocum solitariè positum, pro ignobiliori significato accipiatur?

Quid importet vox Animal?

Rara per ignotos errent Animalia montes,

& Georgicor. lib. 4.

Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat, & visenda modis Animalia miris
Trunca pedum primo, mox & stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt.

Sic in linguâ Hispanicâ, qui *Pedro es un animal*, aut in Italicâ *Pietro è un'animale* diceret, eum esse stupidum, & mente carere affirmaret.

Et huc respiciens non sine gratia dicebat olim Titius, *Sum quidem* ánimal, *non autem* animál. nam Philosophi Latini, cùm abstractim hoc nomen sumunt, acuunt primã; & Hispani, qui illud pro bruto accipiunt, acuunt ultimã.

Sic etiam *Venenum*, si vocis rigor consideretur, est commune, & abstractum vocabulum: & ut *libr.* 12. *cap.* 9. loquitur Agellius medium, quod tam in bonam, quàm in malam partem sumi potest, quemadmodum & φάρμακον apud Græcos: unde salutaria medicamenta *venena* poterunt appellari. Huc Cajus Iurisconsultus *de verb. signific.* respiciens scripsit, *Qui igitur* venenum *dicit, adjicere debet, utrùm bonum, an malum.* &c. Verum ad malum contrahitur in sermone communi. Ovidius *libr.* 4. *Trist. eleg.* 1. cecinit *Imbutaque tela veneno*, & Cicero *de Clar. Orat.* scribit; *Fuit suspicio Themistoclem veneno sibi mortem conscivisse.* Etiam appellantur *Venena* pharmaca Magica, & quæ illa impertiuntur, *Venefica.* Plautus in Pseud. scen 2. act. 3. *Medicamento & venenis suis fecit ex sene adolescentulum.* Ovidius epist. 6.

De vocibus Venenum & Pharmacum.

An in malam partem sumantur?

Pharmaca Magica, quæ?

Barbara narratur venisse Venefica tecum.

Veneficus, quid?

Cicero Philipp. 13. *Nimirùm, rectè Veneficum appellas, à quo tibi præsentẽ pestem vides comparatã.* &c.

Etiam *Dolus* esse verbum medium *lib.* 9. *cap.* 18. asseverat Agellius, & ideò per epitheta *bonum*, & *malum*, si adjiciantur, restringitur. Terentius in Eunuch. *Iam sum erat suspicio, dolo malo hæc fieri omnia.* Cicero Offic. 3. *Nondum Aquilius Collega, & familiaris meus pertulerat formulas, in quibus ipsis cum ex eo quæretur, quid esse dolus malus? respondebat, cum aliud simulatum est, aliud factum.* Vnde ait Vlpianus de dolo malo l. 1. *Dolum malum servius quidem ita definit: Machinationẽ quandam, alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, & aliud agitur.*

De voce Græca δόλος.

Donata est Latio.

At nomen *Dolus*, cùm solitariè ponitur, quid significat? In bonam illud partem accepit Paulus ad Corinthios scribens. Ἐγὼ ȣ̓ κατεβάρησα ὑμᾶς, ἀλλ' ὑπάρχων πανȣ̃ργος δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον. Ego

2. Corinth. 12. 16.

Quid solitariè sumpta significet?

non

non gravavi vos; sed existens astutus dolo vos cepi. Et hunc ipsum dolum fuisse religiosum, & pium demonstraturus ait, *Numquid per aliquem, quem misi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, & misi cum illo Fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus? non-ne iisdem vestigiis?* Ecce dolus, quo usus est Paulus, ut ut solers sit, innocens est. Et fortè eodem sensu apud Plautum in Capt. sc. 3. Act. 3. loquebatur, qui dixit *Facetiis & doctis dolis.* At idem nomen in malam passim partem Scriptores usurpant. Virgilius Georg. 2.

Nescio Virgilii summam scientiam cum summa ejusdē ignorantia cōponere. Deos ipse imperitos impotentes, perfidos, adulteros, & omni scelerum labe commaculatos introducit, & occasionem præbet, ut interrogem, quid in ejus Lexico, Dei vocabulo significetur? videtur enim intelligere Impotentem Tyrannum, & nil aliud.

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta.

Et Æneid. 1. introducit Venerem loquentem Cupidini his verbis.

Nate Patris Summi, qui tela Typhoëa temnis
Ad te confugio, & supplex tua Numina posco. &c.
Quo circa, capere antè dolis, & cingere flammâ
Reginam meditor. &c.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium sacratâ sede recondam,
Nequà scire dolos, medius-ve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus. &c.

Et sæpè alibi hoc usurpat vocabulū, & fraudem illo ingeniosam significat.

SECTIO V.

De Æquivocatione, & Adlucinatione Politicâ. *Omnes humanos actus ab hominibus, qui res non nisi superficie tenus cognoscimus, in malam, etsi optimi sint; in bonam, etsi pessimi; posse censuram trahi.*

De hominum actibus.

An tabulis striatis sint similes?

HAbeo hîc in meo Musæo striatam Tabulam, intercisam canalibus, quæ hinc prospecta Deam Venerem, & inde repræsentat Satyrum. Et re benè perspectâ, illi sunt similes omnes actus humani. Solus Deus illos penetrat, & cognoscit intrinsecùs: homines verò, quia cos-

dem contemplamur extrinsecùs, in illorum judicio passim adlucinamur. Quoniam qualescumque ipsi sint, hinc erunt nigri, & inde suspecti erunt candidi. [Appositè ad rem, de qua hic agimus, dixisse mihi visus est Epictetus unamquamque rem habere ansam suam, eaque apprehendendam esse ei, qui feliciter hac uti velit; scire enim quorsum quæq; res spectet, & quis ejus sit usus, non minima pars est civilis Prudentiæ.

An suas ipsi habeant ansas; & ideò si hinc capiantur, placeant; &, si inde absolutè displiceant?

De Ape.

Apis ex Thymo, herba amarissima, suavissimum mel extrahit; Hirudo contra ex sano corpore vitiosum sanguinem.

De Hirudine.

Sapiunt, mea quidem sententia, non qui ex lætis tristia, sed qui ex tristibus læta volunt elicere. Echini semper spinis involuti sunt, quid mirum cùm eas ex sese gignāt. Magna pars hominū misera est, non aliâ de causâ, quàm quia querulus ipsis est animus.

Sunt multi infelices, quia volunt

Melius Cæsar, qui in terram prolapsus, etiam casum suum benignè interpretatus est, *Teneo*, inquit, *te Terra mater*; quodqi morosior aliquis mali præsagii loco habuisset, ille in victoriæ bonum omen, non minùs lepidè, quam animosè, convertit. Et Zeno omnibus rebus naufragio amissis, *Iubet me Fortuna*, inquit, *expeditiùs philosophari.*] Iacobi Catzii verba sunt in secundi emblematis expositione pag. 21.

Prudentes ex infortuniis ipsis viri faustum omen suscipiūt: ut fecit olim lapsus Cæsar, & Zeno naufragans.

Vt præcedens doctrina meliùs intelligatur, addam unum exemplum, & inquiram, *An sit Clementia, an veriùs Crudelitatis actus, sceleratis hominibus, & Reipublica perniciosis ignoscere?* Et ante Resolutionem Casum ipsum propono.

In Comœdiâ, quæ inscribitur, *El Señor Don Iuan de Austria*, quam Doctor Ioannes Pereius Montalvanius composuit, & in Madritensi Theatro exhiberi curavit, hos numeros dignissimos lego.

An possit ex angoribus aliqua quinta essentia deduci.

Rey; *Venid sobrino.* Vie. *Señor*, *Señor*. Rey. *Que es lo que quereis?*
Vie. *Que mis quexas escucheis,*
Si no quereis mi dolor.
Vereis la pena mas fuerte,
Que en pecho humano se pinta,
Vereis una essencia quinta
De las ansias de la muerte.
Rey. *Ya os escucho* Vie. *Y ya me aliento*
Rey. *Prosequid.* Vie. *Yo tuve un hijo*

Titius Matricidinm commisit.

Tan travieſſo, tan prolixo,
Tan barbaro, y tan ſangriento,
Que diò la muerte (que horror!)
A ſu madre, y a mi eſpoſa?
Tragedia tan laſtimoſa,
Que no me matò el dolor,
Porque con afecto fuerte
El amor quiſo tambien,
Mirando muerto ſu bien
Darme la muerte, de ſuerte,
Que como en mal tan eſquivo,
Los dos ſu poder juntaron,
Vno a otro ſe eſtorvaron,
Y aſſi me dexaron vivo,
Vivo al fin (fuerte violencia)
Llorè con diſtintos ojos,
Ya del hijo los enojos,
Ya de la madre la auſencia,
Y al cabo (ay Dios) de tres años,
(Ved ſi con razon me aflijo,)
Me prendieron a mi hijo,
juntando daños a daños,
El delito es tan atroz,
Que en todo el lugar es ya.
Voz comun que morirà.
Quien fuera ſordo a eſta voz?
Si con ſu muerte pudiera
Redimir la muerta vida,
Yo fuera, yo, ſu homicida,
Y aun de ſu ſangre beviera,
Mas ſi no tiene remedio
Ya la vida de mi eſpoſa,
Que en mejor ſueño repoſa,
buſcad ſeñor otro medio
Paraque no muera yo:
Pues fuera verle morir
Acabarme de partir
El alma que me quedò:
Y aſſi os ſuplico arrojado
A vueſtra heroica clemencia
Suſpendaès eſsa ſentencia,
Que contra mi ſolo han dado,
Paraque en mal tan prolijo
El Alma que afectuoſa
Quedò Señor ſin eſpoſa,
No quede tambien ſin hijo.
Rey. *Notable temeridad.* A parte.
Es poſſible que ha nacido [*]
Monſtruo tan deſconocido,
Y tan lleno de crueldad
Que mataſſe, que quitaſſe
La vida, a quien ſe la dio?
Y es poſſible que lo viò
El cielo, y que no arrojaſſe
Vn rayo? Mas no me eſpanto,
Que como el hombre en efeto
Aunque por ſi ſea imperfeto
Al Cielo le coſto tanto,
Tan amante, tan amigo,
Solicita ſu diſculpa,
Que dà licencia a la culpa, [a]
Y tira el freno al caſtigo,
Mirad. Vie. *Ya eſcucho Señor*
Rey. *Yo he ſentido vueſtra pena,*
Como propia, aunque es agena
Y en premio de vueſtro amor,
Que es muy grande, pues pedis
Por un hombre que matò
A quien dolores coſtò,
Ya quien como vos dezis
Trataſtes con voluntad,
Quiero con vos, y con migo
Vſar en vez de caſtigo
Vna liberalidad,
Hija de mi ſentimiento.
Vie. *Serà darme nuevo ſer,*
Pero que ha de ſer. Rey. *Hazer*
Que le ahorquen al momento.
Vie. *Pues eſſo llamais piedad,* [b]
Para con migo, y con vos.
Rey. *Piedad es para los dos,*
Aunque es parece crueldad:
Porque quien con mano ingrata
Llegò a matar ſu madre,
Tambien matarà a ſu padre:
Y quien a ſus padres mata
En quien ſe retrata Dios,
Tambien, ſin Dios ni ſin Ley [c]
Podrà matar a ſu Rey,
Que aun es menos que los dos.
Y aſſi para aſſegurar,
Yo mi ſer, y vos la vida,
Es traça bien advertida
Que le ſaquen luego a horcar
Pues viviendo eſte cruel
En aggravio de los dos [d]
Por Dios, que ni yo, ni vos
Eſtamos ſeguros del

Ecce eadem actio (criminis condonatio) ſub diverſis modis poteſt conſiderari. Advocatus, quoniam illam, ut à Clementiâ procedentem, conſiderat, glorioſam eſſe, & laudabilem aſſerit. At Iudex, quia omnia cauſæ momenta meditatur, eſſe imprudentem, & inclementem hanc ipſam Clementiam inclamat; fovet enim criminoſos impunitas; & quia illos tolerat, in Rempublicam peccat. Scita, & ad rem illa Lycurgi vox. *Aut jam perit, aut citò peritura eſt Reſpublica, in quâ alicui quantumvis magno liceat peccare impune.* Primum ſanè homicidium imputatur Sicario; ſecundum debet Principi: ſi enim ob primum ille crimen fuiſſet in crucem actus, non potuiſſet perpetrare ſecundum.

Scio apud Latinos vocem *parricidium* ampliari, ut cujuſcumque cognati cædem ſignificet; ſed nemini inferet injuriam, qui diſtinctè loquatur.

Capitur Titius.

Conſtrur ultima ſententia condemnandus.

An per condemnationem homicida, qui injuſtè occiſus, poſſit ad vitam revocari?

[*] Non homo, ſed generis humani monſtrum eſt, qui parentem occidit. Scelus eſt rationi contrarium, ut illi Legislatores Veteres nullâ pœnam præſcripſerint, aſſerentes, eſſe tale, ut humanitùs nequeat committi.

a] Cautè legẽda ſunt, quæ a Poetis Theologiæ imperitis dicuntur; Cælum enim, ut peccent homines, non dat licentiam, ſed permittit.

b] Ecce condemnationem Matricidæ. Illam ex uno latere ſupplicãs proſpectabat, ex alio Rex. & quæ illi ſæva, & crudelis viſa, huic clemẽs & benigna videtur.

c] In verbis, *ſin Dios, ni ſin Ley*, conjunctio eſt illud, *ni*, & in *y* poſſet, aut deberet converti.

d] Vbi toleratur impius, pius periclitatur; nam, ut ait Hiſpanus. *No vive mas el leal, que quiere el traydor.*

Clementia inclemens, quæ?

Fovet crimina impunitas.

De ſecundo homicidio.

Quis illud perpetret?

ARTICVLVS XIII.

De Primaria, & Secundaria Aequivocorum Nominum significatione. *Unde prodierit, quod Nomen unius rei adsumptum sit ad aliam significandam?*



QVIA non bene Scriptores intelligũt unde vocibus accidit, quod in duabus, aut pluribus significationibus possint accipi, volui rem edissercre; &, ut dignè possim, Poëtæ veteris Epigramma præmitto.

De antiquis Clypeis.

Ἰκδίȣ Διοραȣ̃ς.

Οὐκ οἶδ' εἴτε σάκος λέξαιμί σε τὴν ἀπὶ πολλȣ̀ς
Ἀντι πάλȣς πιςὴν σύμμαχον ὡπλισάμην.
Εἴτε γὰρ βαιόν ἐμοὶ πόντȣ σκάφος ἦ μ' ἀπὸ νηὸς
ὀλλυμένης, γόμισας νηκτὸν ἐπ' ἠϊόνας.
Ἄρεος ἐν πολέμοις ἔφυγον χόλον. ἐν δὲ θαλάσσῃ
Νηρῆος. σὺ δ' ἄρ' ἦς ὅπλον ἐν ἀμφοτέροις.

Erant olim tã magni, ut super eos jacentes quæcunq; flumina tranare possent.

Milites in Clypeo olim sepeliebantur. Vnde Lucæna suo filio in bellum ituro clypeum tradidit dicens, Aut cum hoc, aut in hoc.

Interpretatio.

Nescio num clypeum te dicam, cujus in hostes
Sum fida & socia sæpius usus ope.
An potius cymbam, qui, fracta, turbine, navi,
Me nexti madidum litus ad usque ferens.
In bello Martis, Neptuni in gurgite fugi
Iram, tu dederas arma in utroq; mihi.

Simile quid de Gneji gregarii commilitonis gladio, olim cecini: nam cùm haberet carnes, nec suppeteret veru, evaginavit ensem militaris μάγειρος, cumq; jussit illâ pro veru die in culina fervire. Versus subjicio.

An usum veru possit habere gladius?

Nescio num gladium liceat dixisse, veru-ve,
Vsum quod Gnejo prabuit ancipitem.
Hoc ferrum vibrans ferus in certamine pugnat;
Logira Moralis.
Hoc torquens ferrum torret, & ille dapes.

Et contraria est omninò præcedenti, Amphilochi, Coci insignis, Historia, quam his numeris complexus sum.

An gladii usũ possit habere veru?

Dum parat Amphilochus tibi Cassiodore perita
Arte peregrinos Ambrosiosq; cibos,
Hostibus impletur (patet hinc nam porta) culina,
Contra aggressores, sed capit ille veru.
Trajicit hos, illosque veru prosternit; & inquit,
Id gladii formam prabet, & officium.

Nec mirum, si veru Amphilochus sit victoriam indeptus, nam Sabelli olim in bello verubus utebantur. Virgilius Æneid. 7.

Fustibus in bello invadebant inimicos Sabelli.

Et teretis pugnant mucrone, veruq; Sabello.

Porrò plantas primùm Natura rerũ mater progenuit, Ars perfecit, & coluit: sudes postea ad rem Nauticam transtulit, & tandem illis ferro armatis in militiâ usa est. Docet omnia Virgilius, qui Georgicωn secundo sic cecinit.

Pars autem posito surgunt de semine; ut alta
Castanea, nemorumque Iovi, qua maxima frondet
Æsculus, atque habita Grajis Oracula quercus:

Artes sunt promota paulatim.

Pullulat ab radice aliis densissima sylva:
Vt cerasis, ulmisq; etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti Matris se subjicit umbra.
Hos Natura modos primum dedit: his genus omne
Sylvarum, fruticumq; viret, nemorumq; sacrorum.

De Arte Rustica.
Quid Natura ipsa debeat?

Hæc, & alia similia obtinuit à

 Na-

Natura Res Rustica: quia tamen Naturam Ars propagat, & perficit, varia perpetravit miracula in ordine Vegetativo. Idem Author.

Quid industria & ingenio!

Sunt alii, quos ipse via sibi reperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis, hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, & acuto robore vallos. &c.

Et extrinsecus juvari debent rami sudibus. Iterum libr. 2. Georg.

In hortis sudibus utuntur Olitores.

Tum leves calamos, & rasa hastilia virga
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.

Sudes, quibus utebamur in hortis, necessitas utilitasque ad naves transtulit. Æneid. lib. 5. agens de Sergesto, quæ classis ab Æneâ exornatæ navis erat, idem scribit Author.

Nautæ illas ad naves transferunt.

Concussæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit:
Consurgunt Nautæ, & magno clamore morantur:
Ferratasque sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt, fractosq; legunt in gurgite remos.

Ad aciemque & conflictum Milites.

Et tamen eadem necessitate, & utilitate postulante, qui erant hastis, & lanceis destituti, sudibus in conflictu utebantur. Livius belli Punici sexto. *Tertio die sudibus inter se in modum justa pugna concurrerunt, prælatisque missilibus jaculati sunt.* Vnde

—— Sudem torquere juventus
Olim discebat.

nempe olim in Germania.

Apud Senecam epist. 89. legitur. Et Dominus D.T.V.Y. in libro, quem *Les Estats, Empires, Royaumes, & Principautez du Monde*, inscripsit, pag. 438. agens de Populis Germanis asserit fuisse etiam olim bellicosos, at rudi illo ævo, quo adhuc Mars in illis Provinciis balbutiebat, non ensibus, quos nesciebant elimare, temperare, & torquere, sed sudibus præustis, aut etiam ferratis concurrere. In bello etiam Latinos usos ævo antiquo fuisse sudibus, colligunt nonnulli ex illo Virgilii Æneid. 11.

Erant sudes ferratæ.

Præfodiunt alii portas, aut saxa, sudesque.
Subvectant: bello dat signum rauca cruentum
Buccina.

Nicolaus enim Erythræus in Indice hunc locum citans ait, *Sudes &c. rei hæ militari idonea.*

De primaria & secundaria significatione æquivocorum.

Recognoscentes igitur horum, & aliorum similiũ instrumẽtorum usũ primariũ à secundario, aut etiam à tertiario secernimus: & dicimus illã, de cujus meminit Epigrammatistes Græcus tabulam, esse primariò Clypeum, Cymbamque secundariò. Addimus Gneji ferrum esse primariò Gladium, & secundariò Veru: ferrum autem Amphilochi esse primariò Veru, & secundariò Gladium. Et denique Sudem Rustico servire primariò, & esse in ejus manu Perticam: & in Phaselum vectam, in manibus Nautæ esse Contum: & hunc esse ejusdem usum secundarium: & tertiarium accidere quando Navis invaditur, tunc enim, si arma aptiora deficiant, arripiunt Sudes milites, & illis utuntur loco Hastarum.

Primariam & Secundariam significationem habet æquivocatio.

His præmissis transeamus ad Voces, & in illis attentione speciali meditemur æquivocas, quas Iuniores in æquivocas à casu, & æquivocas à consilio dispescunt. Porrò æquivocæ à casu, si tales darentur, illæ essent, quæ duas res nullo modo similes, aut connexas significarent: at antequam illas admittas, jube tibi exempla opportuna produci. In Æquivocis à consilio primarias, & secundarias significationes reperimus. Primaria est, quam liberè Nomenclator imposuit, antequam Vox quidquam aliud significaret. Secundaria est Vocis ejusdem ob accidentium, aut operationũ similitudinem ad aliam rem significandam usurpatio. Vt enim Clypeus, ubi cogit necessitas, gerit officium Cymbæ: & Gladius servit in culina pro Veru, & Veru in conflictu pro Gladio: & ut Sudes, cæsæ, & dedolatæ sunt, ut in vineis sarmenta, & in hortis ramos fructibus oneratos sustineant, & tamen ad phaselum translatæ vices contorum subeunt: &, ubi enses desunt, & arma non habentur meliora, serviunt militibus, ut, si cæsim agantur, hostes, excipiant fustibus; &, si

De Clypei, Gladii, Veru, & Sudium usu Primario & Secundario.

&, si torqueantur punctim, ac si essent hastæ, aut lanceæ, inimicos trāsverberent, sic etiam voces præter significationem primariam, quam sunt in nativitate fortitæ, habent aliam, aut alias secundarias, quas adipiscuntur adultæ. Doctrinam hanc exemplo aliquo dilucidemus.

De voce Aries.

Aries videtur esse vox primaria, non enim placent Etymologiæ, quæ à Criticis proponi solent. Docent enim nonnulli ab *Ara* deduci nomen *Aries*, quod Arietes à Veteribus passim immolarentur: & alii eamdem vocem ab *errando* derivant; nam dixit David, *Erravi sicut ovis, quæ periit*. Et neutrum approbo: puto enim *Arietes* non dici ab *Ara*; cùm, quia antequam sacrificio dedicarentur, erant, & proculdubio habebant nomen, & non ab usu contingente, & futuro: tum, quia & Tauri, & aliæ sacrificabantur animantes, & universæ ab arâ nomen possent, aut deberent deducere. Sed neque ab *errando* nomen *Aries* deduco, nam est in literis manifestum discrimen: & Psalmistæ Regis nil evincit authoritas, Hebraicè enim cecinit, & non Latinè. Manet igitur *Aries* esse primitivum vocabulum. Et quid, si ab aliquo derivaretur? Perindè mihi esset impræsentiarum; singula enim nomina primitiva, aut derivativa illa sint, debent habere significationem primariam, & possunt donari secundariâ.

Ejus etymon. — *An ab ara dicatur?* — *An ab errando?* — *An primaria vox sit?*

Quænam sit primaria hujus nominis significatio?

Aries itaque secundum primariam suam significationem, est nomen satis noti animantis: unde Virgilius, qui *in Bucol.* dixerat, *Vir gregis ipse Caper*, si de ovibus loqueretur, diceret *Vir gregis ipse Aries*, aut etiam, *Dux Ovium ipse Aries*. quoniam

Sicut oves Aries, capras, sic Hirce gubernas.

An in mari animantes terrestribus similes adnatent?

Sunt Arietes marini.

In mari prostant multæ terrestribus animantes assimiles, & ad eas transmittit nomina similitudo. Sed usus in hujusmodi translatione adhuc videtur timidus, nam tametsi *Homines, Canes, Lupos, Equos, Tauros, Arietes*, &c. in terrâ, & in mari inveniamus, eorum nomina simpliciter posita, terrestres absolutè significant: cùm enim pisces signare volumus, addimus epithetum, illosque *Homines marinos*, *Canes marinos*, aut *Arietes marinos* nominamus Plinius lib. 9. cap. 44. *Grassatur Aries, ut latro, & nunc grandium navium in salo stantium occultatur umbra: si quem nandi voluptas invitet, expectat, nunc elatu extra aquam capite piscantium cymbas speculatur, occultusque adnatans mergit.* Vox ergo *Aries* habet secundariam significationem, quæ in connaturali similitudine terrestris, & marini fundatur.

Cur illa machina, quæ muros diruit, vocatur Aries?

Petulci, & petulantes sunt Arietes, & capite petunt, quem invadunt: [Columella lib. 8. *Itaque Caprè, vel Arietis petulci sævitiam Pastores hac astutia repellunt*. &c.] quia tamen Militares ἀρχιτέκτονες trabes ferratas invenerunt, quibus muros oppeterent, & propulsarent, debuerunt nomen novo Instrumento ponere; & quia trabes hujusmodi capite armato feriebant, velut arietes, muros, illas nominarunt *Arietes*, & muros *arietari* dixerunt, quando hujusmodi trabibus (arietibus bellicis) oppetebantur.

Cur Aries machinam militarem secundaria, & non tertiaria denotet significatione?

Ovidius lib. 11. —— *Ferreus olim*
Cùm laceras Aries, Balista-ve concutit arces.

Sillius lib. 5. —— *Duroq; resolvere muros*
Ariete [*]

Et Plautus in Trucul. *Quis proterve nostras ædes arietat.*

*] Si ariete est Dactylus; debet esse consonans: aut aliàs erit Proceleusmaticus

Ne autem æquivocationum numero adlucinëris adnotato hanc vocis *Aries* acceptionem, secundariam, & non tertiariam esse: quia, tametsi antiquiores militaribus sint marini Arietes, non à marinis, sed à terrestribus desumpta est immediatè metaphora. Et minimè videtur absonum, unum, & idem nomen, habere duas, vel plures significationes secundarias.

Majoris claritatis gratiâ unum etiam nomen Hispanicum consideremus.

Cur tam multæ sint voces peregrinæ in lingua Hispanica?

Quia Græci, & Latini exercitus contra Hispanos interdum, & cum Hispanis nonnunquam militarunt, voces plurimas à suâ deductas patriâ apud nos reliquerunt. Et contingit interdum unam, & eamdem vocem, quia utrimque prövenit, habere duplicem significationem, ex duplici radice desumptam. Pono exemplum. Κόνις, εος, ἡ, *pulverem*, & *lapides parvos* significat. & *Cantus* à *cano* est *modulatio*. Utrimq; Hispanus deduxit vocem *Canto*, & utramq; significationem retinuit.

An una & eadem vox possit à duplici lingua & radice procedere?

Sanè

Canto vox agarena.

Sanè in Comœdia, quæ *Amor de razon venado* inscribitur [part. 34. num. 11. pag. 412.] Agnere coneinente dulcissimè, Auditores sic inquiunt.

Azucar piedra.

Ventura. *Llegad; que ya nos avisa*
Ines con dulces accentos,
Morconius. *Cantos hay, que descalabran;*
Mas el suyo por lo tierno,
Puede sêr azucar piedra,
Y servir de caramelo.

Caramelo.

Radix כנה *CANA.*

Ecce duas habet significationes vox *Canto*. Addo, & tertiam. כנה CANA, Hebraicè, & Arabicè est *tegere* & quia extremitates ferro teguntur כנה, CINE est *extremitas*. Vnde habet Græeus Κανθός. Quintilianus *lib. 1. cap. 9.* ait *canthum* esse ferrum, quo extremitates rotæ vinciuntur. Persius

Κανθός.

Vertentem sese frustrà sectabere canthum.

Cùm hæ in eadem voce significationes conjunguntur per accidens, poterunt ordinem à radicibus sumere.

Et hinc habet Hispanus *el canto de una tabla*, extremitatem tabulæ.

Si ordinem harum significationum in voce *Canto* vis rescire, dicam cum Phœnicibus Græcam, cum Romanis Latinam, & denique cum Mauris Arabicam linguam, quæ Hebraicæ est soboles, devenisse in Hispaniam. Vox ergo *Canto*, significabit primo *lapidem*, secundò *concentum*, tertioque *extremitatem*.

EXEMPLVM aliud subscribamus. In eâdem Comœdiâ *pag. 416. a* Parmæ Dux Alexander Morconium occidi præcipiebat; & ille Duci,

De nomine barranco. Quid Madriti illud, & quid in oppidis aliis significet?

Mira Duque soberano,
Que dos hijas, que engendrè,
Y son la nata del Mayo,
Al punto del sentimiento
Se echaran en un barranco.

Latet sub æquivoco sensus. Nomen enim *barranco*, quod totâ Hispaniâ locum cœno plenum significat, Madriti lupanar importat.

Vberioris doctrinæ gratia Notulas sequentes subscribamus.

De Equo Epao. An ab Ariete distinguatur?

a] Quem ab impetendi modum *Arietem*, ob fortitudinem *Equum*, ab Inventore *Epaum* Veteres vocaverunt. Plinius lib. 7. cap. 56. *Equum, qui nunc* Aries *appellatur, in muralibus machinis Epaum ad Trojam ferunt invenisse.* Abeat ergo pulchris numeris cantata à Marone Equi Trojani Fabula; Troes enim non erant iosensati, qui tam stopidè potuerint decipi: machina igitur illa militaris (quam tunc *Equum*, nunc *Arietem* appellant Architecti) muro admota, mœnia diruit, & viam in Civitatem Græco aperuit.

Sunt fabulosa omnia, quæ de Equo Trojano dicuntur.

De Zodiaco.

Zona per cujus medium transit Ecliptica, quia erat exornanda Animalibus, Astronomi Antiqui ἀπὸ τῶν ζώων vocaverunt Ζωδιακόν. Et quia, ut paulò antè dicebamus, *Dux gregis ipse Aries*, primam Animalium imaginem *Arietem* nominarunt.

Quid sit, & unde dicatur?

Virgilius.

Corniger in primis Aries, & corniger alter Taurus.

Manilius.

Vt Leo, & Arcitenens, Ariesque in cornua tortus.

Ruffus. ——— *Nam quà se laniger alto Cælo Aries tollit.*

Pontanus ——— *Nepheleius ut se Exserit e pelago Quadrupes.*

Sed quando inceperunt Astronomi Cælo adpingere Stellatas Animalium Imagines.

De Firmamenti imaginibus.

Videbitur primo adspectu temeritas, velle determinare annum, quo fuerunt Cæléstes Imagines denominatæ, est enim illarum delineatio, & denominatio antiquissima: &, qui dicat Omnipotentem Deum, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, Adamo illarum numerum, nomina, & classes revelasse, nihil absurdum asseret. Respondeo autem, alias olim apud Hebræus, & Indos fuisse Cælestium Stellarum imagines, & circa nomina Astrorum, quæ leguntur in Sacra Scriptura intelligentiam; esse dissentientes expositorum opiniones. Nos de illis impræsentiarum non disserimus, sed de figuris, & nominibus, quæ Græci recepere ab Ægyptiis, & ad Latinos transmiserunt. De illis loquam, quæ his Ausonii versibus significantur.

Alias Hebræi, & alias Indi, & alias Græci, à quibus suas usurparũt Latini, in Cælo delinearunt.

Signifer inde subest his sex qui sydera complet
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & urnam
Qui tenet, & Pisces.

Quænam in Zodiaco ponantur, recensentur.

A prima Arietis stella (ab ea scilicet, Australi, quæ in cornu præcedente pingitur) longitudines numerabant Astronomi, & Firmamenti Sydera vocarunt *fixa*, quia immobilia putarunt, & hoc illa nomine à septem mobilibus, quæ ab errando Latinus *Erratica*, Græcusque ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι nominavit Πλανήτας. Ergo, quando ab Arietis cornu Astronomi numerare inceperunt, in Æquinoctiorum Coluro illud erat. At nunc anno Christi 1600. est in grad. 27. min. 36. Ergo, si detur motus annuus, intercapedo temporis ignorari non poterit. Sed quanta est annua illorum progressio. Longomontanus *lib. 2. Theorices. in Comment. de stellis pag. 198.* respondet dicens. *Ex his post præmissam emendationem diligenter inter se collatis, & soleter limitatis, ratione tum longioris temporis intervalli, tum potioris observationis semper habita, non major emerget promotio Stellæ Fixæ mediæ, quæ in Cælo uno anno æqualis apparet, quam 49. sec. 45. tert. qua annis 72. $\frac{1}{3}$ † unum gradũ perficiunt.*

Vnde Astronomi inciperent longitudinem Cæli numerare?

Cur aliæ Stellæ Fixæ, & aliæ nominentur Erraticæ?

Vbinam fuerit Cornu Arietis, cùm primùm inventæ sunt imagines?

Annuus Stellarum motus quantus sit?

217
27
1519
434
1859

Ergo 217. quadrimensibus peragont unom gradum. Duco igitur 217. per 27. & adquiro 1859. quadrimestres, qui divisi per 3. dant annus 1953. Tanto ergo tempore confecit Firmamentum gradus 27. minuta autem 36. dant annos 43 $\frac{1}{3}$. Anno ergo Christi 1600. Cælestes illæ Imagines, quæ hodie in usu, annos 1996. ætatis numerabant. Inventæ igitur sunt 396. aut, si velis 400. annis ante Christum. Anno Christi 154. sic scribit Genebrardus in Chronico. *Ptolomæus* [a] *Alexandrinus post Milleum Mathematicum ann. 41. post Hipparchum* [b] *265. ante Alphonsum 1119. fere* Hipparchi igitur tempore plus citra 300. ætatis annis Animantes Zodiaci numerabant.

Quanta sit Cælestium Imaginum ætas?

a] Alii enim Ptolemeum *vocari debere contendunt.*
b] Id ipse septima Almagesti *fatetur.*

AR-

ARTICVLVS XIV.

De Nominibus compositæ Significationis. *An bene ab Aequivocis secerni soleant? An, & quo modo in eis possit alterius partis significatio elidi, aut supprimi, quin altera elidatur, aut supprimatur?*

Quid, & quotuplex sit composita significatio?



SVNT quędam nomina duplici significatione prædita: & hoc cōtingit duobus modis: vel enim illæ significationes sunt partiales, vel totales. Si primum, sunt simul in eodem vocabulo, ejusque totalem significationem velut partes componunt: ut patet in sequentibus vocibus, *Puer*, *Senex*, *Pygmaus*, *Gigas*; &c. *Rex*, *Episcopus*, *Abbas*. &c. nam, etsi omnes hominem primariò significent, aliud etiam indigitant, quod accenseant homini significato: nam homo, qui à paucis annis natus *Puer*; qui à multis, *Senex*: qui parvâ corporis mole præditus, *Pygmaus*; qui magnâ *Gigas* nominatur. Et veniendo ad Moralia, qui est absolutus Princeps, Deo soli subditus, qualitercumque vocetur, *Rex* est: *Episcopum* Regale Sacerdotium constituit: *Abbatem* Monachalis authoritas.

Exponuntur nonnulla vocabula.

Divisio compositæ significationis.

Hæc compositio aliquando est in significatione tantùm, aliquando in pronunciatione tantùm, & aliquando in utrâque. Significationem solam afficit compositio, cùm vox est simplex, & habet compositam significationem: & talia sunt nomina, *Puer*, *Senex*, *Pygmeus*, *Gigas*, &c. quæ exponebamus. Pronunciationem solam, cùm vox est composita & habet simplicem significationem. Talia sunt multa locorum nomina; nam *Clara vallis*, *Aurea vallis*, *Mons de ramo*. &c. nomina Cisterciensium Monasteriorum sunt: *Colonia Agrippina*, *Haga Comitis*, *Maina Carpentana*. &c. oppidorum: & hæc denique *Theophilus*, *Theodorus*, *Aristoteles*, *Chrisostomus*, *Chrysologus*, &c. hominum; & hæc Hispanica, *Espuela de Caballero*, *Lengua de buey*, *Rosa de Alexandria*, &c. florum sunt nomina. Et tamen materialiter componuntur, ut vides non formaliter; non enim una pars nominis correspondet uni parti significationis, & altera pars alteri parti. Vtramque denique (pronunciationem, & significationem) afficit compositio, quando vox ita est composita, ut singulæ partes seorsim habeant suam significationem, & simul compositam illam constituant: & tales sunt *Leopardus*, qui est genitus ex Leænâ, & Pardo; *Equiferus*, qui est Equus ferus; *Mulomedicus*, qui est mulorum (aut etiam aliorum animalium) medicus. Et hæc omnia nomina partiales suas significationes habent simul.

Voces compositæ significationem simplicem habere possunt.

De Vocibus, quæ materialiter, & formaliter compositæ sunt.

Non autem illas simul, quæ habent significationes totales; non enim, regulariter loquendo, habent alteram, quando habent alteram; quam ob rem dici illa possunt *Plurium significationum conjunctivè*, & hæc *Plurium significationum disjunctivè*. Et hæc posteriora sunt, quæ ὁμώνυμα Græcus, *Æquivoca* Latinus nominat. Cùm autem dicimus, signa æquivoca habere significationē disjunctivam, & hoc non ita intellige, ut nomen æquivocum, ex. gr. actu unum, aut alterum significare dicatur: potentiâ enim alterutrum; & ante quàm determinetur, neutrū significat, ut *Aries*: nam potentiâ, vel animal, vel astrum, vel instrumentum militare significat: actu extra orationem nihil: in oratione autem unam tantùm ex illis rem, nam ab aliis vocibus determinationem, & restrictionem patitur, quoniam in hac oratione, v. gr. *Sol est in Ariete*, vox *Aries* est determinata, ut tantùm significet primum signum Zodiaci. Et, ut hoc ipsum meliùs intelligatur, addantur adhuc aliquæ

De significatione conjunctiva, & disjunctiva.

Æquivoca multa disjunctivè in potentia, & nihil actu significant.

Con-

Conclusiones. Sic ergo

De indifferenti syllaba.

An sit similis nomini aequivoco?

PRIMA. *Vox aequivoca, si attentè consideretur, est similis syllaba indifferenti*: nam in nomine *tenebra*, illud *ne* est indifferens. Sed quomodo est indifferens? Est potentiâ, non actu: videlicet antequam proferatur: qui enim hanc vocem proferat, vel *tènebra* dicet, vel *tenèbra*; non enim est in mundo lingua, quae *tenebra*, ita ut illud *ne*, nec longum, nec breve sit, proferre possit. Sic etiam in versu Heroico, ex. gr. ut apud Virgilium.

Æneid. lib. 9.
Hetrusci socios, tènebras *& inertia furta*, &c.

Ibid.
Euryalum tènebris *ramorum, onerosaque prada*, &c.

Georg. lib. 1.
Semper & obtenta densatur nocte tenèbrae, *&c.*

Æneid. lib. 3.
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit unda tenèbris, *&c.*

Ecce in prioribus illa syllaba *ne* versibus non est indifferens, sed brevis: & in posterioribus non est indifferens, sed longa. Dices, jam iterum fuisse positam hanc Conclusionem. Fateor: sed addo non ideò falsam esse, quòd pluries repetatur. Est profectò certissima, & debet haberi prae oculis; nam dilucidat hanc Difficultatem. [Et hîc obiter nota, in nostris Breviariis, & Diurnalibus Monasticis (utor impressis Venetiis apud Baba 1658.) vocem *tènebra* habere accentum acutum in primâ, cùm in secundâ debeat, ut patet in hoc versu,

Ignorabat Metricam, qui expressit accentus in Hymnis.

Cedant tènebra lumini,

Cujus symmetria postulat, ut *tenèbra*, & non *tènebra* proferatur.] Ergo eodem prorsus modo de Aequivocis agendum est. Nam nomen *Aries* seorsim sumptum, est aequivocum: nihil actu, & multa potentiâ significans. Ubi autem in Oratione ponitur, & per circumstantias, & voces adjacentes restringitur, cessat aequivocatio. Considera versus sequentes.

De Restrictione Aequivocorū.

Taurus, quid significet?

Ovid. lib. 4. Fast.
Cum mare trux Aries cornu decertat v - -

Rust.
Et si persultans Aries lasciviùs herbas
Appetit.

Pontanus.
Bellator cornuque ferox defertur in hostem.

Virgilius.
Corniger in primis Aries, & corniger alter
Taurus.

Manilius.
Ut Leo, & Arcitenens, Ariesque in cornua tortus,

Seneca.
——— Aries praeceps ibat in undas.

Ovid. lib. 11.
——— *Ferreus olim*
Cùm laceras Aries, balista-ve concutit arces.

Pamphilus.
Non Aries fortis, non huic Balearica plumbum.

Syl. lib. 5.
——— *Duroque resolvere muros*
Ariete. [*]

In his enim versibus restringitur significatio: nam in prioribus *Aries* sumitur pro Animali, in mediis pro Signo Caelesti, & in posterioribus pro Militari machinâ.

*] Si i sit consona, arjete erit dactylus.

Duae proponuntur Quaestiones.

Petis, *An una, & eadem in versu collocata syllaba indifferens, possit simul esse brevis, & longa?* & ad aequivocas voces subveniens, interrogas, *An una, & eadem vox in Oratione constituta possit simul habere plures significationes?*

De indifferenti syllaba.

Respondeo ad Primum, esse in versibus sedes, in quibus indifferens determinatae vocis syllaba sit, vel longa, vel brevis; non autem longa, & brevis. Iambicos subsequentes considera.

De syllabarum in voce latro modulo.

Latronis infidelis insolentia
Vincit per horridum latronis spiculum;
Latrone namque latro sape pejor est.

Profectò in voce *latro* utraque syllaba est indifferens: & tamen in tertio versu prima producitur, & secunda corripitur. In secundo breviatur illud *la*. In vocibus autem *latronis* & *latrone*, primi & ultimi versûs, quanta erit prima? Brevis quidem, aut longa; nam illi à Iambo aut Spondeo versus possunt exordium sumere.

Prima aliquando est brevis, aliquando longa; & aliquando longa vel brevis; sed numquam simul longa & brevis.

Ad Secundum respondeo copulativè & disjunctivè posse vocem aequivocam plures significationes indipisci. Suadet id vox *Taurus*, quae est aequivoca: quoniam

Homerus apud Cicer.
Aurigeris Divûm placantes Numina Tauris.

Sillius lib. 13.
Hinc Cilicis Tauri Saxosa cacumina viset.

Virgilius de Signis.
Dux Aries, & frons Tauri metuenda minacis.

De significatione vocis Taurus.

In primo versu *Taurus* est notum in pratis Animal; in secundo est altus & inhospitalis apud Iberos, Asiae populos, mons: & Astrum Caeleste est in tertio: interim in hoc Strozii Patris carmine

Ante oculos surgit dubio sub lumine Taurus.

Si

Si nihil addatur, vox *Taurus* erit dubia, poteritque pro animante, monte, & signo cælesti supponi.

De verbo Peto.

Sicut disjunctivè plures significationes habebat nomen *Taurus*, sic simul plures in versu sequenti verbum *Peto*.

Virgilius Æn. libr. 1.

Orantes veniam & Templum clamore petebant.

D. Gaspar de la Figuera laudatus.

nam *petere veniam* est orare, & *petere templum* est ire: & tamen in *petebat* utraque simul actu significatio reperitur. Difficilem hunc & ingeniosum loquendi (aut veriùs, eloquendi) modum, interdum imitantur Hispani, quoniam D. Gaspar de la Figuera Cuberus in suo *Orientis Sole*. libr. 5. pag. 68. postquam gloriosum S. Pauli, Primi Eremitæ, transitum recensuerat, ait,

De verbo Hispanico Tomar.

Al siguiente dia (Antonio) *para quedar con algo del intestado Amigo* (Paulo) *tomó la tunica de palma, que el Santo se havia labrado y texido, y con esto el camino de su Monasterio; en donde refirió todo lo sucedido*. Ecce, tametsi aliud sit *tomar la tunica*, & aliud *tomar el camino*, utraque simul significatio in illo *tomó* repetitur.

De signis significationis conjunctiva.

SECUNDA. *Signa conjunctiva significationis sunt, quæ simul duas res significant: & materialiter solent esse composita, & sunt aliquando simplicia*. Talia sunt nomina *Equiferus*, *Homo*, *Gigas*, *Pygmæus*. Prima vox est composita, & significat *equum ferum*: cæteræ sunt simplices, & significant, *Animal rationale*, *Hominem nimis magnum*, *Hominem nimis parvum*, &c.

An ab acceptione differat significatio?

TERTIA. *Differt à significatione acceptio, & non illam, sed hanc respicit verificatio*. Significationis nomine intelligimus primariam vocis acceptionem, quæ Nomenclatorem concernit; aut illum saltem, qui priùs illa voce fuit usus: nam acceptiones posteriores ad Metaphoram, Accommodationem, Paraglossam, aut aliam similem Figurā pertinent. Rem exemplo dilucido.

Quid sit Fingere?

Figuli qui?

Plastica inventor.

Verbum *Fingo* primaria sua significatione est *formo*, πλάττω, σχηματίζω. Hisp. *Hazer, formar, o componer*. Et hinc dicuntur *Figuli*, qui ex argilla, aut creta vasa formant: Græcè χυτροπλάσται. Plinius libr. 35. cap. 12. *Dibutades Sicyonius primus Plasticen invenit Corinthi, filia opera*. Colum. libr. 11. cap. 1. [a] *Tam docendus est futurus villicus, quàm futurus figulus, aut faber*.

a] Ergo à fortiori in aliis facultatibus docendi sunt, qui illas sint professuri.

Vasa fictilia.

Hinc etiam dicuntur *Fictilia*, vasa ex argillâ, aut cretâ formata. Ausonius.

Fictilibus cænasse ferunt Agathoclea Regem.

An magni habeantur?

Seneca cap. 12. de consol. ad Helviam. *Fictilibus tantùm certo die divites utebantur*. Et Plinius libr. 35. cap. 13. *Quoniam eò pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina*. Et hinc patet verbum *Fingo* esse generale ad omnia, quæ manu, & ingenio formantur. Quam ob rem Natura res dicitur fingere, Sal. in Catil. *Quæ Natura ventri prona atque obedientia finxit*.

An Natura fingat?

An, & cur Apes favos fingant?

Apes etiam dicuntur favos fingere. Cicero libr. 1. Offic. *Apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cùm congregabilia natura sint, fingunt favos*. Et Georg. 4. Virgilius,

Non aliter, si parva licet componere magnis,
Cecropias innatus, apes amor urget habendi
Munere quamque suo, grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.

An artefacta homines: Cur finxerint Majorum imagines?

Et tandem etiam homines artefacta dicuntur fingere. Lactantius libr. 1. *Itaque homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium*.

An fingere pro mentiri ponatur?

Secundaria verbi significatio est *simulare & mentiri*, quoniam multa aliqui ingenio & verbis fingunt (formant) quæ in rerum natura non sunt. Cicero de Amicitia. *Hos delectat assentatio, his fictus ad ipsorum voluptatem sermo, cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant*. Terentius in Eunuch. *Postquā sentit me tecum quoque Rem habere, finxit causas, ne det, sedulò*.

Quid fingere apud Theologos sit?

Tertia vocis significatio, quæ intra Theologorum se Scholam continet, & significat Sacramentū sine debita dispositione suscipere: & præcipuè contingit, cùm quis est in actuali peccato mortali illud suscipit. At in hac significatione non tam verbo *Fingo*, quàm nomine *Fictio*. uti solent Theologi: puta, cùm investigant, *An Baptismus cum fictione* (*hoc est cum actuali*

peccato susceptus) sit validus?

Et quid deniq; apud Arithmeticos & Iurisperitos?

Quarta ad Mathematicos & Iuristas spectat: illi enim in Arithmeticâ Hypotheses *Falsas positiones* appellãt,& Politicas à Legislatoribus institutas Hypotheses *Iuris fictiones* nominanrat utrosque ego suis in locis male loqui persuadeo.

In hac significationum varietate Acceptio vocem,quæ quodammodo potest vocari æquivoca, ad aliquam determinatam restringit & contrahit: Vnde in illis numeris, quibus Poëta asserit,

Virgilius *Aen.* 8.

Vrsa (an & lupa etiam?) fœtus fingunt: hoc est, formãt.

> *Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum*
> *Ludere pendentes pueros, & lambere matrem*
> *Impavidos, illam tereti cervice reflexam*
> *Mulcere alternos, & corpora fingere linguâ.*

An sint scriptores Vrsæ similes?

Verbum *fingo* est *conformo*. Et adtribuitur Lupæ, quod de Vrsâ recenset Naturalis historia: nam *lib.* 10. *cap.* 63. ait Plinius. *Informia etiam magis quam supradicta, Vrsæ pariunt*, &c. de quo vide Agelium *lib.* 17. *cap.* 10. notat enim *Virgilium solitum fuisse dicere, se versus parere more atque ritu ursino*.

Cùm autem idem Poëta Æneid. XI. cecinit.

> *Vel cùm se pavidum contra mea jurgia fingit.*

Fingo, *hoc est*, mentior.

Verbum *fingit* idem est, ac *mentitur*.

Fictio apud Theologos quid sit?

In illis Augustini verbis: *Tunc valère incipit ad salutem Baptismus, cùm fictio veraci confessione recesserit.* Quæ *in lib.* 1. *de Baptismo cap.* 12. & etiam *de consecr. dist.* 4. *cap.* 42. leguntur; nomen *fictio* Theologicè sumitur, & actuale peccatum significat. Et sub hac vocis acceptione propositio illa verificatur.

De Ampliatione & Restrictione dictionũ.

QVARTA. *Significationi accidit Ampliatio, & Restrictio*. Nempe Ampliatio, *cùm significatio prior ad plura extenditur*: Restrictio autem *cum eadem prior significatio ad pauciora contrahitur*. In voce *Flandro*, & *Franco* exemplum Ampliationis habemus: Flandria enim est una ex septemdecim provinciis Belgicis: & Francia est unum ex Christianorum regnis: & tamen sic obtinuit usus, ut Hispani, omnes Belgas nominemus *Flamencos*: & Turcæ, ac Persæ omnes Christianos vocent *Francos*. Habemus autem Re-

Flandria. Belgium. Francia. Christianus.

strictionis exemplum in vocibus *Christianus*, *Nestorianus*, *Iacobita*, quæ tametsi Religionum sint, & latissimè ex vi primariæ significationis extendantur, in Oriente sunt ad locum restricta, & Religionem non videntur concernere. Hodie *Nestorianus*, *Iacobita*, &c. obliteratis antiquorum erroribus esse nationum in Orientem nomina P. Philippus de Sanctissimâ Trinitat. & Petrus della Valle diversis in locis testantur: & similiter nomen *Christianus*, quod apud plerosque omnes Orthodoxam Religionem concernit, apud Americanos, ad quos, primi Christiani qui appulerunt, Hispani fuerunt, significat Hispanũ, non Christianum. Thomas Tamburious *in Decal. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *Casu* 1. *pag.* 113. *num.* 3. [Certum est id (negare se esse Catholicum) licere nunquam, etiam siquis fictè, hoc est, animo retinendo, Fidem neget: siquidem id esset absolutè exteriùs negare. Quoniam verò aliquando contingere posset, ut nomen hoc *Christianus* apud aliquas gentes non sit significativum Religionis, sed Nationis, ut in Indiâ Occidentali contigisse testis est Bañes *in* 1. 2 *qu* 3. *art.* 2. *d.* 2. ubi nomine *Christiani* intelligebant Hispanum: ideò tunc posset quis sine mortali negare *se esse Christianum*, quia non negaret, nisi *se esse Hispanum*, quod esset leve mendaciũ, &c.]

Christianus. Nestorianus. Iacobita.

An Hispanum vox Christianus significet?

Hispani sunt primi, qui detexere Americam.

An possit aliquis negare se esse Christianum?

Et, ut hanc doctrinam bene intelligas, ponis ob oculos Averroëm, qui natus Corduvæ, & Mahometanus fuit: Petrum, natum Madriti: & Ausonium Gallum, ab Indis interrogari, *Quales sint?* ponis unumquemque eorum respondisse. *Ego non sum Christianus*. Et interrogas, quâ sint sententiâ absolvendi, aut damnandi? Respondeo Averroëm, tametsi Mahometanum, negando se esse Christianum, mentitum fuisse; quia stando vocis acceptioni se esse Hispanum negavit. Addo Petrum etiam mentitum fuisse: sed leviter, quia non Religionem, sed Nationem negavit: nam responsionis verba restringit interrogationis acceptio; & ut monebamus Indi illi, qui interrogarunt Petrum, voce illa *Christianus*, non intelligebant Christianum, sed Hispanum. Subjungo, Ausonium, quem esse Christianum suppono, dixisse verum, fuisset

Averroes Aristotelis commẽtator, Corduvensis, Mahometanam fuit Religionem professus.

An, & quo sensu Averroes sit Christianus?

Interrogatio Responsionem restringit: & contrà.

fet enim mentitus, si respondisset, *Sum Christianus*, nam per hæc verba diceret, *Sum Hispanus*.

Quomodo una & eadem vox significet in diversis linguis?

QVINTA. *Sicut una & eadem vox in unâ linguâ habere potest diversam significationem, quam in alia sic similiter signa, quæ in una regione, aut apud tales homines habent talem significationem, poterunt in aliâ, & apud alios diversam, aut adversam sortiri.* Patet: quia LARGO v. gr. apud Hisp. *longum* est, apud Italos *latum*. *Aceyte* apud Hisp. *oleum* est, & *aceto* apud Italos est *acetum*, quod Hispani *Vinagre*, id est, *Vinum acre* vocamus. Et *camino* apud Hisp. *via* est, apud Latin. verò *fornax*, &c. Præterea hoc signum (;) in linguâ Græcâ est interrogatio, & in Latinâ divisio. Ergo eodem modo in Deorum Ethnicorũ statuis tametsi Gentiles Divinitatem adorent, Christiani nullam esse supponimus, & solam Artificum industriam, & diligentiam collaudamus. Audi Laymannem: agens enim de his, qui gerunt signa, quæ apud aliquos falsam Religionem significant, sic ait. *Hanc professionem falsi cultûs generatim loquendo non cogimur agnoscere, cùm etiam apud Christianos ejusmodi signa, puta Mercurii, Veneris, &c. tanquam fabulosa, ornatus gratiâ adhibeantur. Igitur non damnarem milites nostros si his* (signis) *tanquam indifferentibus insidiarum causâ in bello uterentur*. Ita ille *libr. 2. tract. 2. cap. 11. num. 4.* cujus sententiam Castropalaus *tom. 1. tract. 4. disp. 1. p. 17. num. 7.* Azorius, Coninch. & alii probabilem esse fatentur.

Largo.

Aceyte. Vinagre.

Camino.

Quid character (;) sit?

De Idolorum statuis.

An possimus signa falsa Religionis habere?

An expandere vexilla Turcica?

An-ne Christiani Musas invocare possimus?

Hinc patet nostros hodie Poëtas sine ulla superstitione Apollinem & Musas invocare: nam tametsi Deum, & Deas illos crediderit Romanorũ, & Græcorum antiquitas, nos illorum nominibus utimur, ut nostra ornemus carmina eorumdem Poëticâ (seu à Poëtis fictâ) Divinitate.

De occulto scribendi, & loquendi genere.

Non sufficit ut in paraglossa loquaris, sed necessarium est, ut ille, cui loqueris, ea uti paraglossa cognoscat?

SEXTA. *Sine mendacio uti solemus ciphris & paraglossis*. Si duo amici conveniant, ut character ✱ significet summum Pontificem, & ♋ Romam, qui scribat, [*in fine Decembris ✱ erat ♋*] non mentietur. Ergo, quia paraglossa est quædam vocalis ciphra: qui Regem Hispaniæ velint vocare *Magnum Ducem*, Madritum *Mexicum*: matrem *militem*, &c. hanc Propositionem, *Hispania Logica Moralis*. *Rex cum matre sua manent Madriti*, reddent hoc modo. *Magnus Dux cum milite suo manet Mexici*. Anne sic loquendo mentientur? Minimè: si illi, quibuscum loquentur, sciant hæc verba in paraglossâ proferri. Et quid, si alii audiant, qui paraglossam nesciant? ais: Et quid si Epistola in ciphra scripta ad ejus manus venerit, qui clavi careat? inquam Ego. Porrò nemo illi mentiri poterit, cui nihil scribit: ergo nec illum fallere poterit, cui nihil dicit: & illi, cui non loquor, etsi fortè me audiat, nihil dico. Cùm igitur vexilla in navibus ornent, & significent: quid vetat, ut ad solum ornatum expandantur, & jubeantur nihil significare? Et quid vetat, ut existentibus in navi, & non aliis significent? nam, si Navarchus speculatoribus, qui sunt in carchesiis, præcipiat, ut visis navibus Turcicis labarum lunis ornatũ pandant, tunc illi existentibus in hac navi, & non aliis, loquentur, & expandendo lunatam telam illis dicent: non quidem, *Hæc navis, quæ hoc labarum fert, est Turcica*: sed *Ex hujus navis carchesio Turcarũ naves deteguntur*. Et hæc doctrina, si semel bene intelligatur, dissolvet nodos gravium Difficultatum.

Nemo mentitur illi, cui nihil scribit aut dicit.

Quid præstent in navi vexilla?

Quid, & quibus significent?

Cur hic tradã Grammaticam?

DEBVI profectò (Erudite & Ingeniose Lector) hanc Quæstionem Logicam, aut Metagrammaticam, veriùs, aut si malueris Criticam, uberiùs edisserere: nam multi Theologi inferiores has Facultates negligunt, & illarum defectu in Quæstionibus gravissimis adlucinantur: & me Iudice non debent parvi illæ res parvæ fieri, sine quibus magnæ haberi non possunt. Capite sanè sunt nonnullas Practicas propositurus & dilucidaturus Controversias, & quia earumdem aliquæ vestes concernent, & una erit de *Tag*, qui est quidam pileus ruber, oportebit hîc fundamenta necessaria præmittere, quibus securè Resolutio innitatur.

Non semper parvi sunt habendæ res parvæ.

An, & cur Pileus ruber sit signum æquivocum?

Sanè purpureus hodie Pileus à figurâ nomina sortitur in maternâ, quæ nequeunt in linguâ Latinâ distingui: [non enim *bonetillo*, *bonete*, *montera*, *sombrero*, &c. synonyma sunt apud Hispanos:] & hoc vel illo modo conformatur (nam in hoc est varietas) à Cardinalibus, Theologiæ Doctoribus, Iudæis, Qi-

zilbasciis, Armenis, Nautis, Mechanicis, & aliis gestatur, & universim sumptus est signum æquivocum, nã est signum commune pluribus, ratio autem per illud significata in singulis est omninò diversa: non enim Pileus ille sumptus ut sic habet aliquam significationem generalem, quæ universis illis, à quibus gestatur, conveniat. Ergo ante contractionem nihil actu significat, potentiâ tamen significat Cardinalem, Theologiæ Doctorem, Iudæum, Qizilbasciium, & cæteros: post contractionem autem, unicam tantùm rem, & non plures. Sed quo modo contrahitur? Locus, figura, & persona ad significationis restrictionem concurrunt. Figura ipsum in simplicem, alatum, & quadratum dividit. Quocumque ex istis utuntur Cardinales Romæ; quadrato S. Theologiæ Doctores Viennæ; alato Iudæi in Republicâ Veneta; simplici, sed magno, & infra turbantum Qizilbascij in Perside: simplici parvo Nautæ, Mechanici, & cæteri. Et in istorum capite nihil prorsus significat. Quo enim pauperes & ignobiles, etiam Proceres & Principes ad ornatum aut commoditatem utuntur. Petrus della Valle *in sua India Epist. VII. datâ Goa. 31. Ianuar. 1624. num. 4. pag. 262.* agens de Rege Cioghio (qui est quidam Ecclesiasticus Princeps) sic inquit. *In testa teneva un berrettino rosso, di quei, che portano i nostri Galeotti, che fina in India si portava à vendere con guadagno*. Et hîc obiter nota nomen *Aries* v. gr. ante divisionem esse æquivocum, nam animal notum, instrumentum bellicum, & signum Cæleste, quibus nullus est conceptus communis, significat: post divisionem autem esse univocũ: nam Aries animal de multis arietibus; & Aries machina de multis similibus machinis; & Aries signũ de multis similibus signis, saltẽ in Mũdis possibilibus, univocè prædicatur. Ergo singuli post divisionem Pilei ad determinatam significationem redacti sunt signa univoca in suâ classe: nam Romæ convenit univocè omnibus Cardinalibus, Viennæ omnibus Theologiæ Doctoribus, Venetiis Iudæis, & Sphahanii omnibus Qizilbasciis, &c.

S. Theologiæ Doctores pileo rubro quadrato.

Viennæ utuntur.

Cioghi sunt Monachi notissimi in India, quorum Abbas vocatur Rex.

Æquivoca post divisionem, singula in sua propria serie sunt univoca.

Porrò Pileus ruber in Qizilbascii capite duo simul significat: nempè Nobilitatem, & hæresim Ismaëliticam, quæ à Turcicâ differt, quod aliter sit Mahometana. Si superponatur huic *Tag*, seu rubro Pileo Crux, supprimitur sacrilega ejus significatio, & solam Nobilitatem importat. Et hoc persuasurus, hanc Conclusionem generalem propono.

Quid significet Tag?

Persarum Religio, qualis sit?

Septima. *Quotiescumque signo cõposita significationis addatur aliud signum alteri significationi contrariũ, in ipso altera propter contrariũ illud signum sibi appositum supprimitur significatio.*

Generalis Hypothesis.

Possem à Variis signorum generibus exempla petere: sed quia vocum significatio est magis nota, & acuratiùs elimata, & examinata, aliqua Nomina composita significationis proponamus.

Proponuntur nonnulla voces, conjunctiva significatione prædita.

Herradura. Hierro. Herraduras de plata, y de oro. Ferri. Ferri d'argento.

Herradura vox Hispanica est; equi soleam significat, dicitque ferrum (Hisp. *el hierro*) ut materiam, figuram, & usum, ut formam. [Et hîc prorsus hærebo, & Hispanorum generositatem admirabor. Nihil profectò ineptiùs auro, & argento, ut soleæ equorum conformentur. Interim in solenni pompâ, quâ Romã Excellentissimus D. D. Petrus de Aragoniâ, Segorbiæ Dux, &c. Prorex Neapolitanus, Orator, ut vocant Obedientiæ est ingressus, onerarii septuaginta quatuor muli (Hisp. *acemilas*) & Sociorum equi argenteas; & Oratorum (tam Proregis, quàm Marchionis de Astorga) equi, aureas habuerunt soleas: & eò pervênit magnificentiæ gloria, ut non defuerint, qui in meridie mero noctem quærerent; & ausi fuerint Pietatem Aragoniam prodigalitatis inculare.] Porrò cùm *Herraduras de oro* dicimus, aut etiam *Herraduras de plata*, tunc in voce *Herraduras* altera significatio (quæ erat præcipua; nam ab ipsâ Etymon desumebatur) tollitur, & elidirur: nam in hac voce *Herraduras de plata* Latinè *solea equi argentea*, nulla ferri manet significatio. Et hoc clariùs conspicitur in Linguâ Italicâ; quæ, ut vocem Hispanam *Herraduras* exprimat, nomen speciale non habet; & ideò communi utitur dicens, *Ferri d'argento*. Latinè *Ferra argentea*, ubi evidenter vides Ital. *Ferro*, quod significabat, primatiò materiam, secundariò figuram, usumq; illa voce *d'argento* superveniente pri-

Quanta pompa Prorex Neapolis anno, ut Sedi Apostolicæ Regis Hispaniæ nomine obedientiam præstaret, Romam ingressus est.

N. B. Steterunt quaternę equorum singulorum soleæ, quæ argenteę 100. & quæ aureæ 1200. ducatis.

Aureæ, & argenteæ ferra calcant Equi Hispani, ut serviant in pompa solemni.

Ferrata. Vna rexa. Ferrata di legno. Palo. Palo di bronzo.

primariam perdere significationem, & retinere secundariam.

Similiter *Ferrata* Italicè est *transenna ferrea*. Hisp. *una rexa*: ubi autem dicitur *Ferrata di legno*, tunc vox *Ferrata* non jam *ferream*, sed solum *transennam* significat. Sic etiam, quoniam superindusiū (Hisp. *la almilla*) ex pāno albo sub initium fiebat, *bianchetta* vocatur ab Italis; & hodie, quia sarātur ex purpurā, vox *bianchetta* vestem illam interiorem præcisam ab omni colore significat, & ideò apud illos *una bianchetta rossa* dicitur, quæ *una almilla roxa* in Hispaniā vocatur. Huc pertinent verba Episcopi Prudentii Sandoval ad ann. 1525. pag. 606. a dicentis. *El assiento, que trahia* (Atabaliva, Emperador del Perú) *era un bermoso tablon de oro; que pesió veinticinco mill ducados*.

Bianchetta rossa.

In voce hodie Bianchetta figura vestis, non autem color significatur.

Tablon de oro.

Nec aliter voci *Palo* contingit. Ipsa Latinè est *palus* Hisp. *un palo*. Ergo *lignum*: & tamen *un palo di ferro*, aut *un palo di bronzo* ad literam est *lignum ferreum*, aut *lignum areum*, ad sensum verò est *stylus ferreus*, aut *stylus areus*. Ergo vox *palo*, quæ materiam & figuram importat, addita voce, quæ metallum significet, amittit priorem significationem, & posteriorem tantùm retinet. Petrus della Valle *Epistola citata num. 2. pag. 260.* describit templum Gioghiorum, & Æneum candelabrum, quod ante illud prostat his formalibus verbis depingit. *La dove la scala comincia, incontro alla porta del Tempio, stà piantato un' alto, e dritto palo di bronzo rotondo, rigato à luogo, à luogo, à cordoncini: può esser alto circa à sessanta palmi, grosso circa d'un palmo, e mezo di diametro*, &c. *Nella cima finisce il palo in un candelabro del medesimo bronzo, di cinque lumi; de quali quel di mezo è il più alto, e gl' altri quatro più bassi egualmente*, &c.

Candelabri Ænei, quod ante Gioghiorū templum erigitur magnitudo.

Hispanis *dorar* est inaurare: & *platear* argentare: at verò *argentear* (quod præcipuè dicitur de coreis, quæ nos vocabulo à Mauris relicto, *guadameciles* nominamus) est argenteo colore tingere. Cùm autem dicimus, *Que un borcegui estaba argenteado con oro*, hoc est *Cothurnum auro argenteatum fuisse* (Et volo *Borcegui* non multum differre à *Cothurno*, nam hic tegebat pedem, & ad suram obligabatur.) Tunc Hispanicum verbum *argentear* (Latinè *argentare*) restringimus, ita ut tingere tantum significet; & argenti, quod priùs significabat, ne quidem, suspicionem retineat. Firmat hoc Aurifices Argentificesque *Plateros* ab Hispanis vocari: & adhuc inter se distingui; illi enim *Plateros de oro*, hi verò *Plateros de plata* vocantur. [Et, si vocem Platero à *plato* (hoc est, disco) deducas, figulum (Hisp. *El que haze platos*) significabit.

Dorar, Platear, Argentear.

Guadameciles *sunt aulea ex coreo.*

Borceguies *sunt tibialia etiam ex coreo. An Borceguies & Cothurni multùm differant?*

Plateros de oro.

Plateros de plata.

Plateros de barro. Los que hazen platos.

Et hic alienandi vocem à propria & primaria significatione modus, quem in lingua Hispanica & Italica inveniri norabam, est & fuit in universis communis. Exemplum aliquod ex linguā Græcā postulemus Ἀλαβαστρίτης, est lapis, humani unguis candorem referens, unde & *Onyx* appellatur. Et hic lapis ab Hispanis *Alabastro* vocatur. Est autem ἀλάβαστρος, aut ἀλάβαστρον, apud Græcos vasis genus ex alabastrite lapide torno excavatum, ad conservanda unguenta maximè idoneum. Martialis.

Hac voci alienatio etiā apud Authores Græcos legitur.

Quid sit ἀλαβαστρίτης? *Quid* ἀλάβαστρος? *Quid* Onyx?

Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum.

Et hîc vox *alabastra* dicit duo: videlicet, materiam, & figuram, seu usum: illam primariò, hanc secundariò. Et videtur paulatim primariam significationem perdidisse, & retinere secundariam. Apud Anton. & Maxim. *serm. de Pulchritudine* inquit Diogenes, *Pulchros, & eosdem imperitos alabastris acetum continentibus similes esse* perhibebat. *& alabastrorum* nomine intelligebat *vasa pulchra* cujuscumque materiæ illa sint. Et hæc significationis Alienatio clariùs adhuc apud alios Authores reperitur; quoniam apud Theocritum *Idyll. 15. vers. 113.* ita extinguitur significatio illa primaria, ut ne quidem illius ulla perseveret suspicio. Sic ille cecinit.

Aliud pro materiali, & aliud pro formali significat.

An Alabastrū *pro vase cujuscumque materia sumatur?*

Παρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι, πεφυλασμένοι ἐν ταλαρίσκοις
Ἀργυρέοις. Συρίω γὰρ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα.
Adsunt, & molles hortuli inclusi calathis
Argenteis, & aurea alabastra plena Syrio unguento.

Ecce ἀλάβαστρον pro materiali dicit lapidem, & pro formali vasis figuram, at verò, cùm ἀλάβαστρα χρύσεα, *alabastra aurea*, inquit Theo-

Χρύσεα ἀλάβαστρα, *quæ sint?*

Theocritus, transmaterializatur significatio illius vocis, ita ut tota lapidis ratio convertatur in aurum, quin aliquid remaneat lapidis.

Quando aurum pro vino sumitur, essentiam, & substantiam amittit, & solummodò colorem retinet.

Pulchram etiam Alienationem apud Virgilium in voce *aurum* reperio; vina enim *aurea* propter colorem passim dicimus. Strozius Pater

> *Vina quidem Musas aurea sæpè juvant.*

Et Ioannes Perczius Montalvanius.

> *Y despues de la cena,*
> *Dissimulando su dolor y pena,*
> *Brindó a todo el Senado*
> *En taza de crystal liquor dorado.*

Virgilius autem 1. Æneid. illo in versu

> —— *Impiger hausit*
> *Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.*

ab auro totam substantiam abstulit: *aurum* enim pro vino accipiens, tantummodò colorem considerat. Dicit in eodem libro

> *Implevitque mero pateram.* &c.

ut videas in ejus Lexico *merum*, & *aurum* idem esse.

Scriptores, qui de Eucharistia tractant, cum vocibus panis, & vinum Epithetasanto mysterio convenientia addunt, illa nomina substantiali significatione spoliant.

Sed cur profanos authores produco, cùm rem quæ ad Virtutem Religionis spectat, & est purè Theologica, debeo dilucidare? In Eucharistia non est substantia panis, non est substantia vini. Ergo cum *panem consecratum*, aut *vinum consecratum* dicimus, illud Epitheton *consecratum* à nominibus *panis*, & *vini* substantialem aufert significationem; quia panis consecratus nō est reverà panis: & vinum consecratum non est reverà vinum. Sic similiter in illis versibus,

> *Panis Angelicus fit panis hominū,*
> *Dat panis Cœlicus figuris terminum, &c.*

Et in illis verbis Apostoli 1. Corinth. 11. 26. & 27. *Quotiescumque manducabitis panem hunc*. Et in illo versu, *Panem Angelorum manducabit homo*, &c. adjectivæ, & adhærentes voces, [*Angelicus Cœlicus, hic. Angelorum*, &c.] sunt alienativæ; nam nomen *panis* à suâ significatione substantiali & propriâ alienant.



NOTA.

An Vocum Acceptio, Ampliatio, Restrictio, & Alienatio sit libera?

MONITVM Inscriptū, Poetis, & Grammaticis, qui Patres dilucidant, & Theologicè audent

NEc ex his locis inferas, licère cuicumque verba ita accipere, ut verâ significatione exuantur, & aliam diversam recipiant. Quod enim S. Thomæ aut aliis Patribus Ecclesiæ licuit, non debet permitti juniori & indocto Poëtastro. Contra me Eximius Dominus N. semel argumentabatur; &, cum Ego vocabulorum insolentiam, & significationum parallaxes reiicerem, se opposuit dicens, *An-non possum voces recipere in significatione, quâ voluero?* & respondi. *Si male loqui velis, potes: sed, si bene, non potes.* Id etiam impræsentiarùm dico: nā loqui debemus ut coætanei, & voces in sensu communi & præscripto recipere. Quòd, si in Veterum Patrum lectione sit ambigua aliqua verborum significatio, homonymia tollετur, si ad personam loquentem recurramus. Vt doctrinam hanc aliquo pulchro exemplo illustrem, istud producam ex Hymno S. Thomæ Tetrastichum.

An unicuique liceat voces sumere in significatione qua velit?

> *Verbum-Caro panem verum*
> *Verbo carnem efficit:*
> *Fitque sanguis Christi merum:*
> *Et, si sensus deficit,*
> *Ad firmandum cor sincerum*
> *Sola Fides sufficit.*

De tertio versu. An possit bifariam exponi?

Tertius versus sensum duplicem habere potest; continet enim propositionem, quæ, si subiiciat sanguinem, est hæretica; &, si merum, seu vinum, Catholica. Sed utro sensu debet accipi? Non est dubii suspicio; nam hæc verba, quæ in lucem duplicem exire possunt, à persona, à quâ sunt dicta, à causâ etiam restricta, significationem hæreticam incriminantur: Doctor enim Angelicus, fuit sanctissimus, & doctissimus Vir, & hoc Hymno Dei voluit Omnipotentiam, & Misericordiam celebrare, dilucidare Dogma Fidei, & nos instituere, & docere. Ergo hæc verba, *Fitque sanguis Christi merum*, non æquivalent his, *sanguis Christi convertitur in merum*, sed his *Merum convertitur in Christi sanguinem*. Nam subjectum hujus propositionis est *merum*, & non *sanguis*. [Et hîc obiter

Quo sensu sit interpretandus

Qua vox sit subjectum, & qua prædicatum?

po-

poterit notare Concionator hujus Sacramenti umbras in Veteri Testamento inveniri; unde, & Ethnici in sua illas scripta derivarunt. *De Claris Oratoribus* Cicero. *Mercurius è paterâ sanguinem visus est fundere*. Et in Paradox. *Excipere sanguinem pateri*. }

Illud Evangelii, & Deus erat Verbum, *dilucidatur*.

Et huic S. Thomæ propositioni similis illa Sancti Evangelii, *Et Deus erat Verbum*. Ioann. 1. 1. in quâ *Verbum* subjectum est, & *Deus* est prædicatum: quoniam homologia, si qua esset, tolleretur per Restrictionem, quæ à personis, contra quas scripsit S. Ioannes, desumitur? non enim Ebion, Cherintus, & alii Hæretici, qui turbarunt primitivã Ecclesiam, *Deum esse Verbum*, sed *Verbum esse Deum* negabant. Ergo Latinus Textus per personas contractus, nõ est æquivocus. Sed neque Græcus est æquivocus, etsi suscipiatur, ut jacet, nam articulus, quo caret Latinus, constituit subjectum, & tollit omnem æquivocationem. Ait enim Textus sacer Καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, & quia nõn possum Latinè verborum rigorem exprimere, dicam Hispanicè, *Y Dios era el Verbo*. nam articulus (Græcè ὁ, & Hisp. *el*) afficit subjectum, & à prædicato illud secernit: ut in hac, *Grande era el Rey*, quæ æquivalet huic, *Rex erat magnus*, non autem huic. *Magnus erat Rex*. Vnde illa Angelici Doctoris verba, *Fitque Sanguis Christi merum*, erunt Græcè Γέγονεν αἷμα χριςοῦ ὁ οἶνος: non verò Γέγονε τὸ αἷμα χριςοῦ οἶνος: eruntque Hispanicè, *Se haze sangre de Christo el vino*, & non, *La sangre de Christo se haze vino*.

Scripserunt etiam contra hos illo tempore Hæreticos SS. Ignatius & Dionysius, ut Irenæus *lib. 1. c. 25. & lib. 3. c. 3.* testatur.

Articulus in propositione subjectum afficit, & non prædicatum.

Huius doctrinæ veritas in lingua Hispanica manifestè conspicitur.



ARTICVLVS XV.

De Onomatomantica. *An Propria Hominum Nomina, aut juxta significationem siquam habent; aut juxta literarum potestatem Arithmeticam considerata, eisdem fata imminentia prædicant?*



Nter Divinatorias Inertias, quibus multi desudant, non videtur Onomatomantica (quam *Onomantiam* Mersennus vocitat) loco in infimo constitui posse. Inventam eam, aut saltem promotam, & Auguribus traditam à Numâ Pompilio, & post eum ab Accio Nævio, & denique ab Spurina cultam, qui ejus ope multa, & mirabilia prædixerunt. Illam hodie otiosa Ingenia exercent, & sic definiunt, *Onomatomantica est Ars audiendi & intelligendi, qua Nomina Propria de fatis futuris prædicunt*. Et est duplex: Altera enim nominum formam (significationem) Altera materiam (syllabas & literas) meditatur, & inde Prophetias deducit. De utrâque breviter disputabo.

ὄνος Græcè est *asinus*. Ergo ὀνομαντία *Divinatio per asinos*. Debet igitur ὀνοματομαντική dici, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, quod significat *nomen*.

Exponitur, quid ipsa sit?

SECTIO I.

De Divinatione Sphragisticâ, quæ Nominum significationem contemplatur.

SAnè ὀνοματομαντία σφραγιστική, Facultas est, quæ Nominum considerat significationem. Et consultò *siquam habent* posui in Articuli titulo, non enim omnia hominum nomina possunt fieri communia & rem aliquam specificam significare. Et quidem, ut existimo, omnia, quæ possunt de Nominibus Hominum dici, in Tanchumâ *in Exodum fol. 23. b.* leguntur: ibi enim his pulchris verbis ὀνοματοθεσίας dilucidatur. *Dixit Rabbi Iose, filius Hanania. (1) Sunt homines, quorum Nomina pulchra sunt, sed facta turpia. (2) Sunt, quorum Nomina turpia sunt, sed facta pulchra. (3) Rursus, sunt, quorum Nomina & facta turpia sunt. (4) Et denique, sunt, quorum Nomina & facta sunt pulchra.*

An omnia nomina propria sint significativa & communia?

Quæ aliquam significationem habent in quatuor classes debent dividi.

Nec

Easdem Latinus ad duas tantùm reducit.

Nec est ullum Nomen Proprium significatione præditum, quod ad unum ex his capitibus non reducatur. Tertium & Quartum ob oculos habebat, qui dixit;

Magna sunt deliria, quæ Agareni de sui Muhammedis nomine comminiscuntur.

Conveniunt rebus Nomina sæpe suis.

& Primum, Secundumque, qui reposuit.

Discordant rebus Nomina sæpe suis.

Vide Ioannem Henricum Hottingerum *in Orientalis Historia libr. 1. cap. 2. De Etymologiâ & Synonymiâ Muhammedis.*

Nomenclator esse debet doctissimus?

Et quidem primus profectò ὀνοματθεγός (Nominum Fabricator & Conformator) sapientissimus fuit; petit enim ὀνοματοποιία exactissimas rerum notitias. In Linguâ Sanctâ prima rerum vocabula divinitùs inventa sunt: cætera non tam Adamus imposuit, quam à primis deduxit. Sunt primitivæ voces, *lux, dies, firmamentum, expansio, Cœlum; arida; terra; terra rubra: homo*; & aliæ, quę in prioribus Capitibus Geneseos inveniuntur. De nominibus autem ab Adamo impositis lego in Genesi. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia & omnia volatilia cœli & omnes bestias terræ.* Et mox, *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ* חוה Heva, *eò quod mater esset cunctorum viventium.*

Genes. 2.

Prima nomina imposuit Deus; cætera Adamus.

Genes. 3.

Cur nominum rationes aliquando nos lateant?

Voluit & Dominus, ut interdum lateret aliquorum Nominum Etymologia, aut esset varia, ut diligentiùs inquireretur, fructuosiusque reperiretur. Et nomen נח *Noë*; in exemplum produco. Communis Sententia illud à radice נוח, Noah, *quiescere* educit. Ioannes Leusden in Onomastico Sacræ Scripturæ. [Nöë, נח, νῶε. *Cessatio*, vel *Requies*. filius Lamech, filii Mathusale. *Genes. 5. 29. Luc. 3. 36.*] At clarioribus oculis rem consideravit Genebrardus, qui in Chronologiæ suæ libr. 1. pag. 16. ad annum Mundi 874. sic inquit [In utrâque progenie est Lamech & eodem sæculo: quorum ille est sextus à Cain, uxorius & gladiator, hic nonus ab Adã, à sanctitate, Propheticâ facultate, & futurorum prænotione commendatus. Nam prædixit Diluvium, & filii sui futuram virtutem, eumque נח, Noah, id est *Consolatorem* (nam נחם, Naham, *consolatus est*) per Apocopen [*] appellavit, non autem à נוח Noah, *quievit*, ut fere censent, ut qui Humanum genus esset consolaturus, illud videlicet cõservando, & reparando. *Quia* (inquit) *ipse consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terrâ, cui maledixit Dominus.* Genes. 5. Quin & respiciebat ad promissionem de Christo, quæ minus fuisset expleta, si filius Noah cum cæteris diluvio periisset. Sic se spe futuri Christi Patres in his mysteriis consolabantur. Alii significationem *quietis* retinent, & *Quietatorem* interpretantur, quasi placarit iram Dei, eumque generi humano conciliarit. &c.] Isidorus Clarius illud consolabitur satis materialiter interpretatur, scribit enim [Ferunt, hunc primum levasse agriculturæ molestias, jungendo aratro animalia.] Interim, quia Sacer Textus rationem ob quam Noah, hoc nomen obtinuerit, exponit, & ait, Ce ienahamenv, *Ipse consolabitur nos*. Stabo à Genebrardo contra communem opinionem, & nomen Noah, non à Noah, quiescendo, sed à Naham, *consolando* deducam.

De Nomine נח, Noe; Unde dicatur?

*] Apocope est figura, quæ literam in fine dictionis decircinat: ut continetur in hoc versu. *Quod de Apo fine cope demit, iungit Paragoge.*

Quis primus aratro animalia apposuerit?

Ecce Propria apud Hebræos nomina, non temerè, sed ex consilio, aut revelatione Divina imponebantur. Et illa quæ in Sacrâ Scripturâ inveniuntur mysteriis cælestibus exuberare, testantur universi Ecclesiastæ, & inter ipsos Melleus Doctor his verbis. [*Missus est Gabriel Angelus à Deo in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, & nomen Virginis Maria.*] *Quid sibi voluit Evangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem Nuncium, quò mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque Virginis, amborumque genus, Civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Ad quid hoc? Putasne aliquid horum supervacuè positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causâ, nec unus*

Bernardus super Missus est. homil. 1.

Luc. 1.

Magna cura propria in Sacris Literis recensentur Nomina, ut magna à nobis attentione legantur.

ex

ex pufferibus sine Patre Cælestie cadit super terram: putem ego de ore Sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in Sacrâ Historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis misteriis, ac cælesti signacula dulcedine redundantia: Si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

An Primaria nomina sint absolutè ad placitum, & Secundaria à ratione dependeant?

AD placitum significant primitiva vocabula. Aristoteles *libr. 1. de interpr. cap. 1.* sic scribit. *Nullum nomen natura constat, sed liberè ad aliquid significandum, quasi nota quadam imponitur. Belluarum voces, quæ nullis literis exprimuntur, nec nomina sunt, nec illis quidpiam significant.* Positis primitivis nominibus ex circumstantiis & qualitatibus Prudentia humana nomina secundaria deduxit. Nam si אדם est *rubere*, quid mirum, si אדמה sit *terra rubra*, אדם *homo*, qui de terrâ rubrâ sumptus est, אדם *Sardonyx* (lapis rubeus דם, *sanguis*, & Græcè δέμω, *luteas domos ædifico*, & Germ. DAM, aut TAM, *terreus agger?*

P. Richardus Lynceus proponit nonnulla ex Platone vocabula, ut ostendat significationem non ab arbitrio, sed à naturâ & ratione procedere.

Hebræos imitati sunt Græci, ut in Cratylo Plato, & Augustinus in Dialecto cap. 6. testantur. Ex iis Pater Richardus Lynceus Scholasticæ Philosophiæ *tom. 1. lib 2. tract. 2. cap. 2. num. 25. pag. 211. b.* sic scribit. [Idem suadetur ex Platone. &c. ait enim ibi, *Hectorem* [a] rectè & cum fundamento ita nominatum; quoniam ἕκτωρ Græcè perinde est atq; *Possessor*: Hector autem Trojam, quamdiu servavit, hoc ipso possedit, ab ejusque possessione Græcos arcuit. Deinde [b] *Astianacta* congruè ita appellatum, *Anax* enim perinde est, ac *Rex*, & *asti* idem quod *urbs*. unde, *Decet ergo*, ait Plato, *ut videtur, Protecteris filium nominare* Astianacta, *id est* Regem urbis; *urbis, inquam, ejus, quam Pater ipsius servavit.* Ibidem etiam inquit *Orestem* ita dictum non ineptè à ferinâ ejus naturâ agrestique, [c] & montanâ. *Agamemnona* [d] ab ejus tolerantiâ, & apud Trojam perduratione tanto cum exercitu. *Atreum* [e] à moribus noxiis; & quod, ut patuit in morte *Chrysippi* [f] & crudelitate adversus [g] *Thyesten*, indomitus fuerit, contumeliosus, inexorabilis, & perniciosus. *Penelopen* [h] à *pelos* id est *prope*, & *opsis*, quod ad *visionem* pertinet, eò quòd in Mirtili [i] cæde providere nihil potuerit, neque eminùs prospicere quanta toti generi ex hoc calamitas immineret, *Quæ enim*, ait Plato, *ante pedes erant, & ad præsentia respiciebat; hoc autem est propè adspicere, quod & fecit, cùm Hippodamiæ* [k] *conjugium omni conatu inire contendit*. Denique *Tantalum* [l] ita meritò vocatum quasi *talantaton* infelicissimum: nullus enim eo vivo, nullus mortuo infelicior est creditus.] Hæc ex Platone Lynceus; singulorum nominum rationes breviter recognoscamus.

Quia autem nimis breviter illa sunt posita, nos eadem uberiùs exponemus.

a] Ἕκτωρ, Priami Regis filius. Trojanorum omnium fortissimus: ἀπὸ τοῦ ἔχω, *defendo*, quòd Trojam, dum vixit, contra hostes tenuerit & servaverit: eo namque sospite illa nunquam potuit expugnari. Ab Achille interemptus, bigisque alligatus, circum Patrocli sepulchrum, Trojæque muros tractus est. Virgilius Æneid. 1.

Quis fuerit Hector?

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

A quo victus, occisus, & venditus.

Tandem ejus corpus per duodecim dies insepultum, à Priamo auro redimitur, atque veteri illius gentis more comburitur.

b] Ἀστυάναξ (ergo *Astyanax*, & non *Astianax*) unicus Hectoris ex Andromache filius, quem Vlysses antequam naves ex Sigeo solverentur, è turri, summa inhumanitate præcipitavit, ne superesset, qui Trojæ exeidium ulcisceretur. Virgilius Æneid. 2.

Astyanax: è turri fuit præcipitatus.

A tergo, infelix, quà se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & avo puerum Astyanacta trahebat.

& sic vocatus est, quia ὁ τοῦ ἄστεος ἄναξ est *Civitatis Princeps*.

c] Ὀρέστης. Agamemnonis, & Clytemnestræ filius, sic ob ferinos, & quasi montanos mores appellatus: quoniam ὄρος est mons.

Orestes quis?

d] Ἀγαμέμνων, Atrei, & Æropes filius, frater Menelai, & Mycenarum Rex. In bello, quod contra Trojam Græci ob raptum Helenæ susceperunt, exercitus fuit Imperator. Quo in bello, decimo demum anno, victoriam indeptus in Patriam rediit, & à Clytemnestra uxore, adjuvante Ægisto (quicum illa absente viro adulteriū committebat) interfectus est, relicto filio Oreste, qui indignâ demū patris necem ulciscens adulteros (matrē & mœchum) interemit. Ita Seneca *in Agamemn.* & Euripides *in Oreste*. Ratio nominis petitur à tolerantiâ, nam γάνος, εος τό. est *lætitia, gaudium, voluptas*: & γανόω *lætitiâ afficio*: & γάνωμα, seu γάνωσις *lætitia*. Hinc ἀγανός, ὁ, ἡ *comis, mitis, lenis, placidus, mansuetus*. unde ἀγανὰ ἔπεα, *blanda verba*. Iliad. β Vbi Eustathius adnotat, deduci à verbo γάννυμαι præfixo α epitatico.

Agamemnon.

Victor in patriā redit: & ab uxore, adulterio polluta interimitur.

Quis fuerit Atreus?

e] Α'τρεὺς per duas syllabas, Agamemnonis, & Menelai pater fuit, ob quod isti sunt *Atridæ* vocati. Fratri filium epulandum adposuit, ob quod facinus, ne prospectando pollueretur, in cursu suo Sol retrogressus est. Præditus fuit oculis truculentis, quibus ingenii crudelitas insinuabatur, unde in proverbium venit, ut Α'τρέως ὄμματα illi adtribuamus, quem volumus sævum & crudelem adserere. Sic dictus, quasi ἄτρομος *intrepidus*: nam τρέω & τρέμω est *tremo*, & τρόμος *trepidans*, & cum α privativo, *non tremens*.

Atridæ qui?

Adagium de crudelitate.

f] χρύσιππος filius Pelopis, ab Atreo & Thyeste novercæ suæ filius interfectus. Hoc nomen *Equum aureum importat*: quoniam χρυσὸς *aurum* est, & ἵππος, *equus*.

g] Θυέστης filius Pelopis ex Hippodamia, Atrei frater, & Tantali nepos. Cùm pessimè cuperet suo fratri, & aliter nocere non posset, ejus uxorem oppressit, & in vindictam frater illi filium epulandum apposuit. Servius, ut fabulam ad Historiam reducat Atreum asserit Solaris eclipseos rationem invenisse, ejusque fratrem ex invidia se subtraxisse ab urbe: quò respiciens Virgilius Æneid. 1. cecinit:

Thyestes quis fit?

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.

An Atreus primus fuerit, qui Eclipseos Solaris causã & rationem invenit.

ab immunda lascivia nomen habuit: quoniam θυάω idem quod καπριάω aut καπρίζω. *lascivire* est, & propriè de suibus dicitur venereæ libidinis furore perciris.

h] Πηνέλοπες aves sunt, quæ & dicuntur *meleagrides*. Hæ Arneam Icari filiam, & Vlyssis uxorem, mortui in infantiâ expositam nutrivisse dicuntur, & præbuisse occasionem ut Πηνελόπη nominaretur. Prætereà πηλὸς, ȣ, ὁ. *lutum est*. Et Hieronymus à Ieremiâ *cap.* 29. πηλȣσιώτας vocari asserit, *qui in luto vitiorum constituti, non possunt animi oculos ad cælestia elevare*. Et ὄψις. εος. ἡ. *visus*. Et quia Arneæ, castissimæ fœminæ viginti annis solidis procorum pulchritudo & divitiæ luteæ visæ, ideo potuit nomen accenseri Πηνελόπης.

Penelopes quænam volucres sint?

Quænam fuerit Penelope?

i] Μυρτίλος Verbum μείρω & μείρομαι est *divido*, *seco*. Et sic ille vocari potuit, quod fuerit in frusta divisus. Prætereà μύρω est *fluo*, *stillo*, activè *fundo*. χέω. Hesiodus *in Asp.* de jaculis Martis, Πρόσθεν μέν θάνατον τ' εἶχον, καὶ δάκρυσι μύρον. *in anteriori sui parte mortem habebant, & lachrymis fluebant; mortemque, & lachrymis afficiebant eos, quem tetigissent*. Fuit autem Myrtilos (nam per y debet scribi) Oenomai auriga; qui in Hippodamiæ Oenomai filiæ & Pelopis curuli certamine corruptus pollicitis, obices axi non imposuit, & ideò rotis dissolutis currus hærere debuit. Et cùm perfidiæ suæ præmium flagitaret, in mare, quod & nunc Myrtoum dicitur, à Pelope præcipitatus est. Claudianus,

Martilus.

De Martis sagittis.

Myrtilus auriga infidelis.

——— *Nam perfidus objice Regis*
Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.

Et Ovidius in Ibio cecinerat.

Proditor ut sævi periit Auriga Tyranni;
Qui nova Myrtea nomina fecit aqua.

K] Ab ἵππος, quod est equus, & δαμάω subigo, ἱπποδάμη seu ἱπποδάμεια, Oenomai, Elidis Regis, filia, cognominata est. Ipse, quia ab Oraculo didicerat, se à genero interimendum, procis à quibus puella postulabatur, curule certamen imposuit, ea lege, ut qui vinceret, haberet filiam, victus subiret mortem: erat enim de victoria securus, habebat enim velocissimos equos, qui fuerant à ventis progeniti. A Pelope tandem Tantali filio ob Myrtili, sui aurigæ, fraudem, ut nuper innuebatur, victus, & mortuus est.

Oenomaus, quis?

Hippodamia, quæ fuerit?

De ejus Sponsis.

l] Ταλαὸς *miser infelix*, ex quo Plato deducit superlativum ταλαίτατος, *miserrimus*, *& infelicissimus*. Horatius *lib.* 1. *Satyr.* 1. Tantali fabulam breviter explicat, & ex illa ingenium avarorum depingit.

De Tantalo.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina, quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur, congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Huc spectat Alciati Epigramma, in quo ex futurarum rerum præcognitione nomina *Meroe*, *Hippolitus*, *Protesilaus*, *Idmon*, *Iapyx*. &c. ingeniosè exponuntur, Poetæ verba sunt hæc.

Quanta Artis & Ingenii sit invenire Promantica nomina, quæ Personarum, quibus imposita, fortunam & fata prædicant

Qui primus Meroe nomen tibi condidit, ille
Thesida nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare est nomen componere quod sit
Fortuna, & morum, vel necis indicium.
Prothesilae tibi Nomen sit fata dederunt,
Victima, quod Troia prima futurus eras.
Idmona, quod Vatem, Medicum, quod Iapyga dicunt,
Discendas artes nomina præveniunt.
Et tu sic Meroe non quod sis atra colore,
Vtque Niliaca nasceris in Meroe
Infusum, sed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum sueta merumque merum.

ALii etiam producunt alia nomina, quæ, ut existimant, suam sententiam confirmant.

Α'ριστοτέλης *Bonus-finis* (nam ἄριστος est *bonus*, & τέλος *finis*) demonstravit Deum esse

Aristoteles. Qualem scripserit Philosophiam?

Principium sine principio, Finem sine fine.

& scripsit Physicam, quæ stabiliret Erhicam, quæ hominem ad Beatitudinem conduceret. Et tandem habuit ἄριστον τέλος *bonum finem*, si vera est historia, quæ affirmat, cum in morte exclamasse *Ens entium miserere mei*.

Quo fuerit modo mortuus?

Γαληνὴ mista est plumbi, & argenti vena. Plinius *lib.* 34. *cap.* 19. [*Plumbi nigri origo duplex est; aut enim sua provenit vena, nec quidquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mistisque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor*, Stannum *appellatur*; *qui secundus*, Argentum, *qui remanet*

Quid sit galena?

net in Fornacibus Galena, *quæ portio esset tertia addita vena*.] Et hinc

Galenus: quare fuerit sic dictus?

Γαληνός celeber Medicus, ex Pergamo Asiæ urbe, qui sub Trajano floruit, & usque ad Antoninum Pium vixisse dicitur, centumque quadraginta ætatis annos numerasse. Potuit habere id nomen, quoniam ex ejus libris interdum sub argenti specie stannum, aut etiam plumbum, fluit: nam multa indigesta habet, ut Vopiscus Fortunatus Plempius Primarius Medicinæ Doctor Lovanii, & alii Viri Docti observarunt.

Et cur Tranquillus?

Eumdem apud Mersennum *loc. cit.* alii Γαληνόν, hoc est, *tranquillum*, volunt dici; quoniam humani corporis humores inter se in corpore humano pugnantes arte ipse suâ ad concordiam, & tranquillitatem reduxit.

Et cur Anagramma est Angelus.

Et quia vox *Galenus ἀναγραμματικῶς* est *Angelus*, summo jubent honore haberi in aulâ, & urbe Medicos, quibus est commune cognomen cum Angelis. Accedit *Raphaëlem*, qui tametsi alia sibi accensere posset nomina, *Medicus Divinus* voluit dici; nam *Rapha* est *Mederi*: & *Medicina Dei* est, *Raphael*.

Qui fuerint Raphaim, Emim, & Zomzomim?

Et hîc obiter nota *Raphaim*, *Medicos* quos, Moabitæ *Emim*, Ammonitæ *Zomzomin* vocant; honoris gratiâ *Gigantes* à Vulgato vocari.

Epicurus.

Ἐπίκουρος *Adjutor*. Et cur tale nomen sortitus? Mersennus ad Genes. cap. 3. vers. a 1. column. 1385. [Quia removit opiniones, quæ nobis tristitiam afferre possent, ut inferorum pœnas immortalitatem animæ, & summum bonum in voluptate constituit: de quo Atheus Lucretius,

An Animarum immortalitatem negaverit?

Et tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti illustrans commoda vitæ,
Te sequor ô Grajæ Gentis decus. &c.]

Quid intellexerit nomine Voluptatis?

At potuit dici *Adjutor*, quia ejus de voluptate sententia, si bene intelligatur, est orthodoxa, & quia; quoniam, ut fusè post alios Petrus Gassendus suadet,

Est, velut & nobis, Epicuro Summa Voluptas
Nil conscire sibi, nulla & pallescere culpa.

Stat ergo hominẽ ob errorem, quem nunquam somniavit, traduci.

ἱπποκράτης, *Equorum frænator, Logica Moralis.*

Medicus fuit Patriâ Cous, & tantæ suo tempore æstimationis, ut censeretur Æsculapio prognatus. Exstat apud Valerium Artaxersia Persarum Regis honorificentissima de illo Epistola, in hæc verba.

Hippocrates. Cur Æsculapii filius dictus fuerit?

Rex Regum, Magnus Artaxerxes Hystani Hellespontii Præfecto Salutem.

Persiæ Regis Epistola honoratur.

Hippocratis Medici, Aesculapio prognati ad me Artis fama pervēnit. Da igitur operam, ut aurum illi tribuas, quantum cupit, aliaque item quorum indiget, & eum ad me mitte. Erit enim par honore Summis in Persia Viris. &c.

Et fortitus id nomen dicitur, quo morbos, qui ante eum, ut equi indomiti homines conculcabant, doctis suis Aphorismis refrænavit.

Cur sic vocatus sit?

Et hinc qui hanc Artem profitentur Pompejum à pompâ dici volunt, quoniam in magna vixit: Cæsarem à cædendo, quoniam multas myriadas hostium cecîdit. Scipionem à scipione, quoniam illo in senectute pater utebatur ut baculo. 179

Vnde dicti sint Pompejus, Cæsar, Scipio. *&c.*

Cur plura? Ponamus ergo huic paragrapho terminum, hæc enim videbuntur sufficere ut verum censeatur illud Lemma,

An nomina rebus conveniant?

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Vnde, quia Nomina amorem & authoritatem conciliant, senior cõsulit Plinius, ut pueris non nisi speciosa & gloriosa imponantur. Et hanc legem vulgo obtinuisse constat, nam ἔαρ est *ver*, & inde puer ille, quem celebrat Martialis, Earinus dicitur, ut Numeri sequentes suadent.

ἔαρ. ρος. τό. Ver. dictum ab ἔω. *mitto*, quod vere terra folia & flores emittat.

Nomen cum violis rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hiblã quod sapit, Atticosq; flores,
Quod nidos olet Alitis superbæ,
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cibeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti?
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque.
Nomen nobile, dulce, delicatum,
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu Syllaba contumax repugnas, [*]
Dicunt Eari non tamen Poetæ.

*] Repugnat, nam habet quatuor syllabas breves, (qui enim primam producunt *ἐαρινὸν* scribũt) quas non admittit Metrũ Hendecasyllabum.

Est autem ἔαρ, ver. ἐαρινός vernus: unde ἐαρινὰ μῆλα apud Dioscoridem *Poma verna*, aut etiam *Poma Purpurea*, nam ἔαρ significat interdum *sanguinem*. Ille ergo

Cur sic fuerit vocatus ille puer?

puer, *candidus & rubicundus*(quem vocaret Hispanus *Leche y sangre*) Græco nomine *Eirinus*, dicitur, Latinoque *Vernus*, aut *Vernerus* appellari deberet.

Cur Constantinus VI. adhuc infans Copronymus *vocatus fuerit?*

Hanc à Plinio Seniore legem latam Vulgus in nominum impositione aliquando non servat, & maximè, si casus accidat, qui contrarium indicat. Nam Constantinus VI. Leonis Isaurici Imperatoris filius ἀπὸ τῦ κόπρȣ, quod *stercus* significat, Κοπρώνυμȣ, *stercorei*, *Nomen habentis ab stercore*. Timannus Gesselius Histor. Sacr. tom. 2. pag. 13. ad ann. 741. *Leo Isauricus Imperator moritur, succedit filius Constantinus, cognomento* Κοπρώνυμος, *à stercore, quod Baptismi tempore infans in aquam excreverat: quod mali ominis esse judicabat Germanus Patriarcha, qui eum baptizabat. Theophanes, Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras. &c. Artabasdus gener Leonis pellit Constantinopoli Constantinum, & à populo Imperator acclamatur.* Rieciolius ponit annũ 714. sed est typographicus error: & ideò tu 741. rescribe.

Prudentia non desumit omina ex his, quę possunt à naturalibus caussis prodire.

Cæterùm, regulariter loquendo, tenenda est Plinii sententia, quam ad Politicas Dignitates & Officia propagans Dionysius dixerat, *Non existimabant nomen invidiosum & molestum imponendum Magistratui, qui Civitatis liberæ administrationem haberet, tum ipsorum subditorũ causa, ne odiosis appellationibus perturbarentur; tum etiam, ut caveretur, ne iis, qui Magistratum acciperent, vel per imprudentiam ab aliis injuria fieret, vel ipsi aliis facerent.* Ergo, quia Reges, & Principes, maximè à Clementia laudantur, & ideò Clementissimi solenni appellantur Epitheto, fugere debent nomina, quæ sævitiam includant. Quò respiciens Licentiatus Burguillos [*] pag. 155.b. sic exclamat.

Qualia Pueris nomina, & qualia Senatoribus & Magistratui imponenda?

Clementia Regum & Principum prærogativa.

[*] Sub hujus Licentiati ficto nomine Lupus de Vega, Poeta celeber latet.

LeoWigildo Rey cruel:
Nombre, que en Leon comienҫa:
Mas symbolo de crueldad,
Que de Heroica Fortaleza.

Leovvigildus unde dicatur?

Et ideò Hispani Reges *Sanchi*, *Alfonsi*, &c. olim nominabantur. *Sanchii* Latinè quasi *Sancti*: & Arabicè *Alfonsi*, nam AL est articulus, & radix FANA, *aspicere*: unde *Alfonsus*, erit in nostrâ linguâ, *El Provisor*, & in Latinâ, *Qui prospicit*, *Qui providet*, & *Qui decernit*. A quo non multum abest nomen Græcum ἐπίσκοπος, qui in civitate, aut exercitu curam victualium gerit, ut constat verbis Arcadii *ff. de munerib. & honorib.* Deducitur nomen ἐπίσκοπος à verbo ἐπισκοπῦμαι, quod est *speculor*. & tametsi hodie Pontificiam dignitatem concernat, hoc quicumque *Inspector* nomine significabatur. Audiamus Ciceronem, qui lib. 7. Epist. ad Attic. sic ait. Vult enim Pompejus me esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat Episcopum; ad quem delectus & negotii summa referatur. Et hoc sensu Magnus olim Constantinus dicebat, Estote (ô Antistites) in spiritualibus boni Imperatores; nam & ego in temporalibus ero bonus Episcopus.

Sanctius.
Alfonsus.

AL.
FANA.

El Provisor.

Ε᾿πίσκοπος.
Ε᾿πισκοπῦμαι.

De officio Episcopi.

HINC in Legato multi præter Prudentiam Fidelitatemque, etiam nomen speciosum requirunt. Apud D. Ioannem de Vera in libr. qui inscribitur *El Embaxador*, discurs. 2. fol. 134. b. dicebat Ludovicus. *Tambien quieren muchos, que el talle del Embaxador sea parte substancial de la Embaxada: y aun que el nombre sea de buen sonido, y no de los que se pueden sacar aguero.* (lege tu, *mal aguero*) *Porque yendo por Embaxador a los Samnios Egistrato, por su orden lo recibiò Lentichio, y preguntandole*, Como te llamas? *le respondiò*, Egistrato, *y replicò Lentichio*, Recibo por buen aguero tu nombre. *Assì lo refiere Paschalio.* hoc est. *Requirunt in Legato nonnulli speciosam, & gravem corporis dispositionem; immò & nomen grati soni, & significationis magnificæ: non autem infelix, & infaustum, ex quo mala deducantur auguria. Cum enim Egistratus Legatus ad Samnites veniret, eorum jussu à Lentichio recipitur. Et* Quod nomen haberet? *rogatus*, se Egistratum vocari *dixit*, *& Lentichius*, Nomen profectò tuum ut felix augurium suscipio. *Sic scribit Paschalius.*

De Legato.

An esse debeat pulcher, procerus, & nomine glorioso præditus?

Legatur ad Samnites Egistratus.

Nomen quasi *notum omen* dici volunt nonnulli. Est enim *Omen* quasi *Orimen*, augurium, quod ex ore (verbis loquentis) sumitur. Cicero de Divin. libr. 1. *Neq; solùm Deorum voces Pythagorici observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant* Omina (scripserit, si volueris, Nomina) *quæ Majores nostri, quia valere censebant,*

Unde Nomen dicatur?

Orimen.

idcircò

Veterum inter res agendas apprecatio.

idcirco omnibus rebus agendis. Quod bonum, faustum, felix, fortunatumq; esset, *præfabantur*.

Cur multi interdum graves Authores res leves, & inanes scribant.

Quidquid de aliis sit in Egistrati nomine omen Iulius (amicus Ludovici) non reperit, & ideò obsistit dicens. *No hallo el mysterio de esse exemplo: porque en la substancia (sea equivoco, o alusion) ignoro en que pueda alentar a buen aguero el nombre de Egistrato. Lo cierto es, que muchas vezes se escriben cosas, que el Author conoce su poca substancia, y lo haze por no dexar nada olvidado.* Illi autem Ludovicus. *Aunque ahora no hallemos lo que tenia de bueno o mysterioso esse nombre para ser de feliz aguero, Paschalio lo debiò de alcançar; y por ventura conforme aquel tiempo, uso, y lengua, debiò de hallar algun secreto, que ignoramos: y por lo menos se sabe, que hay nombres de bueno, y mal aguero.*

Græcorum vocabulorũ omina non debent sumi ab Idiomate Hispano.

Dubitant, ut vides, Hispani homines, An in *Egistrati* nomine gloriosum aliquid, aut ominosum reperiatur; & quia nihil, quod huc conducat, in Lexico Castellano reperiunt, pronunciant, ac si vocum in idiomatibus cæteris omina à Linguâ Castellanâ sumantur. Dico igitur Legati nomen ipsum responsionem faustam felicemque regioni importasse. Nam, si Samnites, à Romanis invasi, à Græcis supperias implorasse dicantur, Græcorum Legatus Ἀγίσρατος (vel ut Attici, qui α in ε [*] solent vertere, loquuntur, Ἐγίσρατος) felix ad illos in nomine importabat augurium; est enim apud Hesiodum *in Theog.* Ἀγίσρατος Palladis epithetum, & *Exercitus Ducem* significat.

[*] Attici mutant α in ε, nam dicunt λεὼς pro λαός. &c.

De Vespasiano.

NEC est solus Lenitichius, qui omen sumpsit à nomine; nam & Viri Clarissimi inde auguria in gravissimis negotiis desumpserũt. Orabat solus Vespasianus in templo, discere cupiens, quid de fortunâ suâ divinitùs esset dispositum. Interpellatusque ex abrupto à famulo, cui nomen Basilidi, ab ejus Regio nomine de consequendo imperio augurium sumpsit; & sibi illud fuisse promissum à Iove supponens, incepit sua negotia dirigere. [Dixi nomen Βασιλείδης Regium esse, quoniam Βασιλεύς est Rex.

Βασιλείδης. Βασιλεύς.

At sicut ex nomine communi faustum augurium voluit sumere, infaustum haurire potuisset, si idem nomen restrictum ad personas, quibus inditum consideraret; recensetur enim inter veteres Hæterodoxos Basilides, qui trecentos, & sexaginta quinque (ex dierum, qui annum componunt, numero) Cælos commentus, per illos torquebat, & convolvebat defunctorum animas priusquam illas ad Empyreum perduceret. Ejus discipuli dicti *Basilidiani*. Sed & Appiano teste unus ex Cæsaris interfectoribus *Basilus* vocabatur: & eodem ævo alius erat Pirata famosissimus, de quo Lucanus

De Cælorum numero.

Basilidiani, qui. Basilus, quales?

Et Basilum videre Ducem nova
furta per æquor.

Et, si horum, qui sub glorioso *Regum* nomine vitam egerunt infelicem & miseram, ut pote recentiorum, Vespasianus meminisse non debuit; potuit profectò aliorum, qui tunc essent, aut fuissent, & fata infelicia subierint, etsi magnificis nominibus condecorati. Et potuisset præterea in memoriam reducere Serpentem illum, quem Βασιλίσκον Græci, & *Regulum* Latini vocant; quem Plinius *libr.* 8. *cap.* 21. & alii Philosophi describunt. Sibilo serpentes alios fugat, ut solus regnare videatur. Libro IX. Lucanus.

Fata non pendent à nominum felicitate.

De Basilisco. Qualis sit?

Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes [*],
Ante venena nocens latè sibi summovet omne
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

[*] Pestium nomine pestiferos serpentes intelligit.

Est lethiferum animal; præditum tam exitiosis oculis, ut omnes, quos videat, interficiat. Ergo, si Βασιλείδην cum Βασιλίσκῳ composuisset, debuisset aliter philosophari.

Stat ergo Vespasianum ex sui famuli supervenientis nomine, æquè potuisse nomen faustum, & infaustum suscipere; cæterùm, quia illud incertum, & indifferens signum, per ejus vota, & desideria restringebatur, jussum est futuri Imperii significare Majestatem.] Nec soli Græci, & Latini à rerum nominibus argumenta sumebant, nam etiã apud Hebræos reperio nominũ considerationẽ, quia enim IACOB, à radice ACAB, *supplantare*, dicitur, *Genes.* 27. 36. exclamabat Esau. *Verè vocatum est nomen ejus Iacob; supplantavit enim me duabus vicibus: jus.*

Incerta, & ambigua sunt omina, quæ à nominibus propriis sumuntur.

An etiam Hebræi à nominibus auguria sumpserint?

De vocibus ACAB, IACOB.

Pri-

Primogenitura mea accepit: & ecce nunc accepit Benedictionem meam.

De Summi Pontificis apud Ethnicos authoritate.

Placet hîc *Maximi* meminisse, ex cujus nomine augurium Ethnici aliquando sumpserunt. Rem enarro. Erat Summi Pontificis apud Gentiles summa authoritas: ut pote, qui tanquam Dei Interpres, in terris Divinâ potestate præditus censebatur. Poterat Comitia indicere, indicta prohibere, decreta in eis dirimere, & multa alia. Senatûs sanctionibus intercedebat. Sine ipso nec declarari bellum poterat, nec stabiliri induciæ, aut paces. Et tam erat in jubendo absolutus, ut vel inviti Consules, eo præcipiente, officium, & dignitatem abdicarent. Cicero *de natur. Deor. lib.* 2. & *de legib. libr.* 2. Valerius Maximus *lib.* 4. *cap.* 2. *&* 3. Cornelius Tacitus *de morib. German.* Timannus Gesselius *in Hist. Sacr. ad ann.* 312. *pag.* 373.

An hæc dignitas acceptari & exerceri potuerit ab Imperatore Catholico.

Hæc ab Ethnicis Imperatoribus dignitas ambiebatur, & obtinebatur: nec contemnebatur posteà à Christianis, qui superstitionem à majestate separantes, quà licebat, illam amplecti, & exercere minimè dubitarunt. Gesselius *loc. cit.* [Constantinus Imperator fit Summus Pontifex. &c. Munus Pontificis Maximi erat dignitas Imperatori propria: quam primus recusavit Gratianus Imperator, eumque imitatus est Theodosius.] Zosimus, Gentilis Historiographus, *libr.* 4. [Simul atque Summum Imperium quisque consequebatur, amictus ei Sacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò *Pontificis Maximi* titulus ei tribuebatur: at cæteri quidem Principes lubentissimis animis honorem hunc accepisse, & hoc usi titulo videntur, adeoque Constantinus etiam, potitus Imperio, licèt is à rectâ sacris in rebus [*] viâ deflexerit, & fidem Christianorum amplexus sit: itemque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus, & Valens. Cum ergo Pontifices ex more, talem Gratiano amictum attulissent, aversatus est id, quod portarant, ratus non esse fas istius modi habitu Christianum uti. Cumque stola flaminibus reddita esset, ajunt eum, qui dignitate Princeps, inter eos erat, dixisse; *Si Imperator appellari non vult Pontifex Maximus, admodum brevi Pontifex Maximus fiet.*] Et licèt primo intuitu contradictoria videretur involvere, lusit æquivoco, & Imperatori minabatur: nam bis nomen *Maximus* posuit: primò enim est epithetum, Pontificiam dignitatem ad supremam Majestatem restringens; secundò autem est nomen propriũ Tyranni potentissimi, qui affectabat imperium. Ergo sensus illorum verborum erat, *Si Imperator non velit esse Pontifex Maximus (hoc est, Summus Sacerdos) sciat, quod post admodum breve tempus Maximus (ille videlicet, contra quem bellum gerit) erit Pontifex; nam erit Imperator, & tantam, sibi oblatam, dignitatem non respuet.*

De Constantino Magno. An fuerit Gentiliũ Summus Pontifex?

*] Nota illa verba. *licèt is à rectâ sacris in rebus viâ deflexerit*, nam ab Ethnico dicta æquivalent his, *licèt rectã fuerit Religionem amplexus.*

Imperator Gratianus non acceptat Pontificalem Dignitatem.

Quid ad eum Princeps Flaminũ dixerit?

An-ne à propriis animaliũ nominibus etiã auguria desumantur?

NON solùm ex hominum, sed etiam ex propriis animalium nominibus Antiqui deducebant auguria. Et id potest dilucidè hac historiâ probari. Nam Trium-Viratûs tempore, dum Augustus, Lepidus, & Antonius Orbem Romanum gubernabant, quia in singulis

De Augusto Cæsare.

—— *Suprema Potestas*
Impatiens Consortis erat,

unusquisque odio habebat Collegas, & amicitiam simulabat. Quadam Augustus die se subtraxit ab Vrbe, ut in Villâ sibi soli vacaret, & occurrens rustico, qui Asinum conducebat, utriusque nomen superstitiosâ curiositate sciscitatur, se *Eutichem* vocari, inquit rusticus, & suum jumentum *Nicon*. Audiit generosus, & ambitiosus juvenis; & quasi Oraculum ex Delphicâ cortinâ suscepisset, nullius alius exspectato consilio, se Fortunam comitem habere supponens, & Victoriam sperans, de excludendis à regimine Collegis cogitat, & Mundum solus gubernare decernit. [Sanè vox Εὐτυχὴς, quâ uti solet Plutarchus, *fortunatum*, & *felicem* significat: & Νίκη. ης. ἡ, aut etiam ut Eustathius testatur, Νῖκος, εος, τὸ. *victoriam*. ex earumque significatione felicia Augustus inferebat auguria.] Hanc historiam olim *in Metametrica. Apolline Logogriphico. Musa VIII. pag.* 240. *num.* 232. recensui, & hoc illam Commentario exornavi. [Hîc multa obiter admiranda subveniunt: nam & Asini illo ævo, sicut, & nostro, habebant famam, opinionem, & nomen: &, si concurrerent etiam cum rationalibus, acclamabantur Victoriosi; erantque Re-

De Eutyche rustico, & Nicone ejusdem asino.

εὐτυχὴς.

Νίκη, ης. ἡ.

Νῖκος εος. τὸ.

An olim, sicut hodie, etiam ad dignitates Asini promoverentur?

gum,

gum, & Imperatorum Consiliarii.] Niconti, rustici Asino, auguri felicissimo, ut opposita juxta se posita, lucidiùs innotescant, addamus Seji Equum, re & nomine prædictionis infaustæ.

Σείω quatio concutio. Σεισμὸς, Terra motus. Τάφος σεισματίας, Sepulchrum terra ruina oppressorum.

Σείω Græcis est *quatio, concutio, terram agito*: nam de terræ motu propriè dicitur: unde Σεισμὸς est *terra-motus*, & Τάφος σεισματίας, apud Plutarchum in Cimone *Sepulchrum eorum, quos ruina ex terra motu oppressit*. Hinc olim Romæ *Sejus* dictus, qui ut nomini suo corresponderet, discordias seminans concutiebat Rempublicam. Huic tantæ pulchritudinis, & magnitudinis Equus fuit, ut ex eorum genere censeretur, quos Diomede interfecto Hercules Argos perduxit. In illum avi transmisere infortunia, nam sicut propter illos fuit Diomedes occisus, sic etiam omnes perierunt miserè, qui possederunt istum equum. Primus ejus dominus Sejus, à Marco Antonio condemnatus, miserando est affectus supplicio.

Equus Sejanus qualis?

Dominis fuit mortis augurium fuit.

Emit illum Cornelius Dolabella HS centum millibus, qui & ipse à Cassio victus in prælio occubuit. Hinc eum spoliis aliis Equus ad Cassium venit, & secum Fortunam inimicam traduxit, nam ab Antonio Cassius victus, sibi manus intulit. Nec multo post Antonius, qui & hunc Equum abstulerat, ab Augusto devictus, ne ageretur in triumphum, sibi mortem conscivit. Hinc ortum est Proverbium, ut calamitosi, & infelices homines *Sejanum Equum habere* dicerentur, Agellius *lib. 3. cap. 3.* Hoc etiam nomen habuit Tiberii tempore Sejanus, Romani Imperii Minister Potentissimus, qui suo fato & lapsu omnes à Fortunâ evectos admonet, ne felicitati rerum humanarum confidant. De illo Equo hoc Distichum in meis Palimpsestis reperio.

Quid Habere Equum Sejanum sit?

Vide, quæ de Sejano cap. num. dicuntur.

En Sejanus Equus, reliquos funebria Primi
Fata sui Domini transtulit ad Dominos.

De ipso autem Sejano.

Discite Mortales: malis quem Roma ferebat,
Iam petitur saxis, jam pedibus teritur.

De rerum insensibilium nominibus. An ex illis vaticinia sumantur?

SED & à rerum insensibilium nominibus Gentiles excipiebant auguria. Pompejus enim, fuso, & cæso suo exercitu in Pharsalicis campis, ne in Cæsarianorum manus caderet, debuit fugere. Et veteri amicitiæ confidens ad Regem Ægypti properabat. Exceptus est hospitio in arce, quæ Κακοβασίλεια, *Mala Regia*, seu *Mali Regia* dicebatur. Et ubi loci nomen didicit, occœpit animo despondere, & ad perfidum, & iniquum Regem se profugisse sentiscens, & serò de alio consilio cogitans, perire debuit. Quoniam jubente Rege plectitur, & caput ad Cæsarem mittitur.

Κακοβασίλεια.

Pompejus vincitur: confugit ad Regem Ægypti: & ab hoc occiditur, & ejus caput ad Cæsarem mittitur.

An verba casu dicta augurium inferant?

VErba interdum, quæ casu dicta, ut Oracula habebant. Paulo enim Æmilio Summo Militiæ Principi contra Persam, Regem Macedoniæ instituto, domum è Senatu redeunti, accurrit lachrymis suffusa filiola, ingeminans, *Persa periit*. Erat autem Persa, quædam pulchra hujus puellæ canicula, quæ tunc obierat. Audit Æmilius, & loco Oraculi verba puellæ balbutientis excipiens, in Græciam transit, & victorias felicissimas obtinet.

Hujusmodi omina M. Crassus contemnit.

Non esse contemnenda hæc auguria monent aliqui, & suam sententiam historiâ opportunâ dilucidant; nam M. Crassus, ubi primùm decrevit exercitum in hostem dirigere, audivit quempiam, qui ficus vendebat, clamantem, *Cauneas, Cauneas*; quia autem diphthongum *au* ita proferebant Antiqui, ut *u* vim consonæ videretur habere; ipse audivit, intellexitque, *Cave ne eas*. Videbatur moneri ne in inimicos iret. At ille, ut se esse generosum ostenderet, contempsit monitum, ivitque, & cæsus est. [Erant autem *Caunea* Græcè καυνέαι, minuti quidam ficus, qui à Cauno, maritimâ Curiæ urbe, advehebantur; & à loco nomen consequebantur. Et ex hoc loco, ut insinuabam, collige, in diphthongis *au* & *eu* secundam literam per modum consonantis proferri; aliàs hæ voces *Cauneas*, & *Cave ne eas* coincidere non fuissent visæ. Et, si interroges, An incriminanda fuerit hujus Ducis generosi temeritas, qui hoc augurium contempsit, respondebit lib. 2. de Divin. Cicero, dicens. *Cùm M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens Cauneas clamitabat. Dicamus, si places, monitum ab eo Crassum caveret, ne iret: non fuisse periturum*.

De diphthongis αυ, & ευ, Quomodo proferantur? An in ipsis secunda litera consonans sit?

Cicero omina ridet, & M. Crassum excusat.

rum, ſi omini paruiſſet. *Quas (puta, divinationes) ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſervanda.* Ergo has, & ſimiles divinationes ridet Cicero.

De Alexandri ſomnio.

NON ſolùm à vocibus in vigilia auditis, ſed in ſomno cogitatis, volebant Ethnici conſequentias inferre: cùm enim Alexander difficili obſidione Tyrum premeret: ſomniavit, quòd Satyrus, quem reluctantem, & profugū inſectabatur, à ſe denique comprehenderetur. Cùm autem mane Principibus militiæ ſomnium ſuum recenſeret, videlicet, *Quod à ſe victus, & captus fuiſſet* Σάτυρος. alacres & lætabundi illi inclamarunt Σὰ Τύρος, *Tua eſt Tyrus.* Quod & accidit: nam milites hoc ſomnio (vero, aut ficto) animati, inſilierunt in urbem, eamq; felici audaciâ ſubjugarunt.

Σάτυρος, ſi dividatur, eſt σὰ Τύρος, Tua eſt Tyrus.

SECTIO II.

An habeant Nomina virtutem & efficaciam naturalem?

Vana ſunt, quæ de nominū auguriis dicūtur.

HAnc Veterum ſuperſtitionem conſidero, illamque aliter à Græcis & Latinis in Europâ, & aliter ab Indis, Sinenſibus, & Populis aliis in Aſiâ explicari reperio.

Europæi cenſent Nomina eſſe Speculativa, nil operari prorſus, ſed quæ ab aliis proventura ſunt Cauſis, hominibus ſignificare. Et hanc Opinationem, etſi vanam, & omni fundamento deſtitutam exiſtimem, non ideò impoſſibilem dicam: *poteſt enim Deus,* inquam Ego, (*& potuerunt Dii*, dixerint illi) *ita rerum circumſtantias diſponere, ut imminentia hominum fata, quæ à ſua Providentia dependent, in propriis eorundem Nominibus prædixerit & præſignaverit.* Verùm enim verò id feciſſe, nunquam ſuaſerunt ipſi, & tamen quotidiana experientia diſſuadet.

An impoſſibilia?

Promovent Superſtitionem hanc Hiſtoriæ veteres, caſus enim & nomina videntur ſæpe fatalem habere conſenſum. Plutarchus quatuor Actæonas numerat: quorum primus, qui Ariſtæi & Autonoës filius fuit, à Diana in cervum verſus, à ſuis canibus dilaceratur. Ovidius *libr. 13. Metamorph.* Fulgentius à Apollonius *in comment. libr. 4.* Alii duo cognomines, alter Syrus, & alter Arcus, etiam venatores; occiduntur ab apris. Quartus in Bœotiâ dicerpitur etiam à canibus. Adde quintum, quem tandem furor amatorius oppreſſit. * Duo recenſentur Attyes, præclari omninò Heroes: alter Syrus, & alter Arcas: & tamen ſicut nomen, ſic ſimilem mortem habuerunt: uterque enim ab apro infeliciter occiſus eſt. * Duæ civitates à ſuaviſſimis plantis (violâ & myrrhâ) videlicet Ios & Smyrna, nomen trahunt: & ſunt Muſis gratiſſimæ: illa enim Homerum, Vatum Græcorum Principem, progenuit: hæc terræ, jam defunctum reſtituit. Omnes Cæſares, qui *Caji* prænomen fuit ferro perierunt. * Apud Germanos *Mulbergi*, apud Anglos *Glocestrenſis*, nomen ominoſum cenſetur: & in Palatio Comitum de Venavente in Hiſpaniâ occlamatur, *Ni criado Pedro, ni caballo negro.* * Afficiunt mores nomina, & ſe gerunt ſimiliter, qui ſimiliter denominantur. Duas enim Iulias vidit Roma: Auguſto alterā genitam, alteram Marco Agrippâ: & utramque adulterii damnatam. * Duæ Fauſtinæ: mater, filia: impudiciſſima illa fuit, peperit tamen à quâ in omni libidinum genere ſuperaretur.

Actæones. Qui fuerint, & quomodo perierint?

Attyes. Qui & quales?

Quæ Civitates ſint nomen à plantis ſortitæ?

De Imperatoribus, quibus prænomen Cajus.

Iulia duæ: duæ Fauſtinæ.

Hæc omnia videntur Nominum efficaciam oſtendere; nec contrà facit, Onomatomantici inquiunt, Canon ille Politicus,

> *Diſcordant rebus Nomina ſæpe ſuis.*

quoniam quæ in parentibus deficit, in filiis ſimilitudo reperitur. Duas enim fuiſſe Agrippinas legimus; fortè moribus non omnino diſſimiles. ut ut fuerit; morum ſimilitudo in filiis manifeſte percipitur: mater Caligulam, filia Neronem peperit, duo generis humani monſtra, quibus crudeliora nec vidit olim mundus, nec (ut credimus) viſurus eſt.

An efficacia Nominum ad filios tranſeat?

Agrippinæ duæ.

De Nerone & Caligula.

Et quidem hæc de Nominum efficaciâ & virtute Opinatio, à Mahometanis & Idololatris habetur & fovetur in Aſiâ; hominum enim nomina, ac ſi eorum eſſent Numina, contemplantur: & temerariâ pertinaciâ aſſeverant, ea eſſe ſigna quædam eventuum futurorum practica: & quia Opinationes propagantur & ſerpunt, etiam hic error in-

An Nomina ſint Numina?

interdum apud Christianos locum habuit, quoniam apud Ioannem Cahl, in Iuridico Lexico, verb. nomen. lego. [Nomina pulchra multo pretio esse comparanda. Ita Ioannes Andreas de Milentiâ uxore suâ recitat *in cap. 1. de Depos.* ubi dicunt Cardanus & Imola. *Siquis deponat rem suam apud hominem aliquem turpis nominis, & res perdatur, esse imputandum deponenti, qui nomen turpe non abhorruit.* &c.]

An, qui habet turpe nomen, esse possit Depositarius?

Hoc præoccupati aliqui errore, siquidem, ut existimant, nomina propria hominum, infortuniorum sunt & fortunarum causa, contra omnia pericula Mundi invenêre remedium: videlicet *nomen mutare*: sicut enim morbis qui à loci intemperie proveniunt, ad salubriorem Civitatem transmigrando obviam itur; & sicut, qui in æstate gravantur vestibus, illas, ut sentiant refrigerium, deponunt; sic illi, quibus contigit nomen sibi, aut aliis perniciosum habere, sibi & cæteris, illud mutando, aliudque salubrius recipiendo, prospiciunt.

An infausto mutato nomine infortunia vitantur?

Hac apprehensione præoccupantur Sinenses (sunt in Asiâ nobilissimi Populi) ad quos ante annos paucos pertinebant Tunchinii, qui jam ab illis defecerunt. De Evangelii apud hos propagatione libellũ pium & eruditum scripsit P. Alexander de Rhodes S. I. & anno M. DC LI. edidit Mediolani, & *cap. 3. pag. 10.* hæc scribit.

An Tunchinensis ager ad Regnum Sinense pertineat?

Si aggiunge di più all'honorevelezza del Bua, *che tanto nelle publiche, quanto nelle private scritture non altrimenti segnansi gl'anni, che contandoli dalla creatione di esso: dal qual tempo egli parimente riceve il nome, col quale dovera essere per l'innanzi chiamato, salvo se alcune infortunio non persuada à popoli di mutarlo. Imperoche regna trà que' Gentili una tal superstitiosa pazzia, che col nome del* Bua *stimano mutarsi gli accidenti del Regno: onde qual'hora la peste, la sterilità, l'arsura, ò altro commun male il danneggia, prendesi per consiglio di sbandire l'antico nome di lui, e quasi odiata l'occasione di tanto disastre, mandarlo in dimenticanza: sostituendone in quella vece un' altro che si reputi di più felici presagi, sotto del quale s'incomincia da capo il conto degl'anni, come se appunto un nuovo* Bua *creato si fosse.* Logica Moralis.

Apud Tunchinenses Summus Præses vocatur *Bua*: ab ejus creatione anni supputantur: & ab ejus fausto aut infausto nomine Provinciæ dependet felicitas, illudque si eventus nõ faveát, mutatur.

SECTIO III.

De Divinatione Arithmeticâ, quæ ex Nominum literis, & ipsarum potestate deducitur.

Contra præcedentem Μαντείαν, formatur argumentum, quod quia non dissolvitur bene, coëgit Augures aliam viam cogitare; &, ut sincerè loquar, aliter insanire. Instantia, quæ formatur contra præcedentem sententiam, est hæc. [Pestis, fames, & morbi à causis necessariis dependent: etiam mors, nunquam enim homines morerentur, si nullam in invitos Parcæ potestatem haberent. At nominum significatio est ad placitum, & possent homines, si velent, quacumque voce rem quamlibet significare. Immò, & ipsa impositio ab arbitrio dependet, & semper nomina sine magno consilio, aut deliberatione imponuntur. Adlucinantur igitur Onomatomantici in ipsomet Facultatis, quam tradere volunt, objecto: hoc enim debet esse naturale, & essentiale nomini, non verò accidentarium, & contingens.] Et, quia hoc argumentum sufficit, ut irrideant auguria, quæ significationẽ concernunt, pergunt, & discurrunt hoc modo. [Nominibus accidit significatio, & literæ autem quibus componitur, sunt illi intrinsecæ; hæ igitur, & non illa, debent à Mantico considerari. Ergo circa Nomina esse debet Μαντεία, quæ Characterum valorem, & potestatem meditetur:] Hanc tradunt, & edisserunt Scriptores nonnulli; & nos de ejusdem fundamentis, quoniam arenæ insistunt impræsentiarùm disputabimus. Est autem eorum sententiá.

Ostenditur faustos infaustosque Mortalium casus non posse à nominũ significatione pendere.

An dependeant à literis, ex quibus illa componuntur?

PRIMUM. *Cujuscumque Facultatis, aut Scientiæ Fundamenta debent esse secura.* Patet; nam, ut docemur ab Adagio. *Parvus error in principio, maximus est in fine.* Et omni ideò curâ providendum, ne ullus in stabiliendis Scientiarum, & Artium Principiis committatur. Scitè Lucretius.

Qualia esse debent Artium & Scientiarum omnium Fundamenta?

Denique, ut in fabricâ, si falsa est
Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parti [a] *claudicat hilum,*

Regula esse debent fideles.

De nomine Pars. An in ablativo habeat parti?

Hhhh Om-

Omnia mendosè fieri, atq; obſtipa
neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atq;
abſona tecta,
Iam ruere ut quadam videantur
velle [b] *ruantq;*
Prodita judiciis fallacibus omnia
primis.

a] In auferendi caſu *Pars* habet *Parte*. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

Dimidia certè parte ſuperſtes ero.

Et lib. 3. Eleg. 4.

Et mala, vix ulla parte levanda, levas.

Interim Lucretius hic, ut metro conſulat, jubet ea ire ablativum in *i*.

De Voluntate. An per Metaphoram rebus inſenſibilibus accenſeatur?

b] Voluntas ſequitur mentem, & in ſola ſubſtantia intellectuali invenitur: per metaphoram attribuitur, & brutis. Et Hiſpania ad res inſenſibiles translationem propagant; dicunt enim, *Eſta torre ſe quiere caer*. Eſt tamen hic modus loquendi tam inſolens apud Latinos, ut irriſus fuerit Lovanii (ubi caſtigatiſſimè loquuntur omnes) S. Gertrudis Abbas, quod in concione dixerit, *Noſtra Turris vult cadere*, quem defendere poſſet, qui locum hunc in Lucretio vidiſſet.

ABECEDARIVS MANTICVS.

Figura Literarum.	Poteſtas & valor ſecundum Agrippam	Cattanum	Anonymum
A	1	1	3
B	2	3	3
C	3	22	22
D	4	24	24
E	5	22	22
F	6	3	3
G	7	7	8
H	8	6	6
I	9	20	29
K	10	1	10
L	20	10	12
M	30	13	23
N	40	12	12
O	50	8	8
P	60	13	13
Q	70	17	13
R	80	13	13
S	90	9	9
T	100	8	8
V	200	2	2
X	300	6	6
Y	400	3	3
Z	500	4	4
J	600		
?	700		
HI	800		
H?	900		

SECVNDVM. *Pro Facultatis Baſi Abecedarius Manticus ſupponi debet.*

Tres circumferuntur: & illos præſens Tabella repræſentat. In ipſa ſunt quatuor Columnæ. Prima proponit literas, cæteræ poteſtatem. Secunda itaque continet arithmeticum literarum valorem, proceditque ordine naturali, qualem Græci in ſuis Notis obſervant. Et eſt communis, tametſi ſpecialiter accenſeatur Agrippæ, à quo fuit Scholiis illuſtratus. Tertia eſt irregularis, & ad modulos Cattani tripudiat. Et hanc numerorum digeſtionem, & diſpoſitionem ob nominum ſimilitudinem nonnulli attribuere Cardano, & hodie non paucis arridet. Vltima eſt neſcio cujus Anonymi apud Merſennum *in Gen. cap. 3. verſ. 21. column. 1393.*

Quis ſit futurus victor?

Quod ſit nomen grandius?

TERTIVM. *In omni controverſiâ ille, cujus nomen validius, & ditius, victor erit.* Cenſetur autem illud eſſe validius, cujus literæ in ſummam conjectæ, numerum majorem conficiunt. Si videas igitur Hectorem ab Achille provocatum, ad duellum decretorium exire; & præſcire deſideres, uter ſit obtenturus victoriam, ſcribe utriuſque nomen, & ſingulis literis Manticam poteſtatem adſcribe, & deciſionem dubii in ſummarum collatione reperies.

De duello Hectoris & Achillis.

Vter, & cur ſuum hoſtem vicerit?

H	6
E	22
C	22
T	8
O	8
R	13
Summa	79.

A	1
C	22
H	6
I	20
L	10
L	10
E	22
S	9
Summa	100.

Ergo, quia Achilles in ſuo nomine numerum majorem, & perfectiorem continet, obtinebit victoriam.

An hac Arte uſi fuerint Antiqui?

Eſt valdè antiqua hæc Ars, nam Comœdiæ mores populi exprimunt & in Terentio reperiuntur hi verſus.

Et nomina tradunt ita literis per-
acta
Hac, ut numeris pluribus, illa ſint
minutis.
Quandoque ſubibunt dubia pericla
pugnæ,
Major numerus quà ſteterit, fave-
re palmam

Præ-

Præsagia lethi minimâ patere summâ.
Sic & Patroclum Hectorea manu periisse;
Sic Hectorea tradunt cecidisse mox Achilli.

Quo anno Terentius, vixerit?

Obiit autem Terentius anno Vrbis 591. Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fluvio Coss. Vnde, si Dominus Noster Iesus-Christus ann. Vrbis 75 a. natus sit (ut Genebrardus statuit) obiit ille ann. 141. ante Christum. Ergo bene hinc probatur magnam esse hujus Promanticæ Artis antiquitatem.

Et hæc sunt Arithmeticæ Divinationis fundamenta; modò illa, nec non quæ significatoria Sectione præcedenti præmisit, in examen vocemus.

SECTIO IV.

Demonstratur Mantia, in Nominum significatione inventa, Vanitas.

DVplex est, ut vidimus, hæc Divinatio Nominalis; altera enim formam (significationem videlicet (considerabat; altera verò materiam (nempe literas, & numerariam illarum potestatem.) Est, & utraque vana, & utriusq; vanitas à priori, & à posteriori demonstratur.

De Artium, & Scientiarum Principiis.

A priori sanè, quia omnis scientia, aut habet Principia per se nota, vel Conclusiones, quæ in aliis scientiis ex per se notis deducuntur, loco Principiorum usurpat. At neutrum in Μαντείᾳ Nominali invenitur.

Qualia esse debeant?

Ergo illa est verè Inertia, & non debet Ars, aut Scientia vocari. Minor persuadetur clarissimè, hæc enim Propositio, *Futuri hominum Casus ab eorum Nominibus significantur*, Μαντείας, quam Sectio I. edisseruit: & hæc, *Futuri hominum Casus ab eorum Nominibus efficienter proveniunt*, Μαντείας, quâ adlucinantur Tunchinenses, totam hanc Divinatoriam Facultatem succollant: at neutra est per se nota, neutra ex per se notis per necessariam Consequentiam deducitur. Stat ergo veram esse Minorem, quam in præcedenti syllogismo posuimus.

Qualia sint, quæ sustinent Divinatoriã?

A posteriori etiam; experientia enim Fundamentales illas Positiones non adprobat. Est igitur inertia hæc, vana, & ab aëre pendens;

Logica Moralis.

De Antiphrasi.

nomina enim in humanas actiones, & passiones non fluunt. Multa quidem in Latina Nomina tam absonam habent derivationem, ut coacti fuerint Critici quamdam Grammaticam Figuram fingere, quam dixerunt Ἀντίφρασιν, ut exorbitantias Nomenclatoris excusarent. Et volunt *Lucũ* à lucendo, quod minimè luceat, vocari; *Bellum*; quoniam bellũ non est; *Parca* à parcendo, quia nulli ipsæ Mortali volunt parcere. Et similes significationis προςαφαίρεσεις etiam in aliis linguis reperiuntur; sunt enim gloriosa apud Hispanos hæc Familiarum nomina *Ladron*, *Hurtado*, *Verdugo*, *Leon*, *Bravo*, *Guzman*, & apud Italos *Homobuono*, *Picolomini*, *Bevelaqua*. &c.

Quæ Figura sit & cur inventa?

& quis negare poterit Latrones, Hurtados, & Verdugos esse Heroas nobilissimos, & per antiphrasim hæc cognomina sortitos fuisse. 183 Sunt Leones, quibus insultent lepores; & quid profectò mirum, aliqui apud Latinos Leones ignavi sint, si tres Imperatores Græci, qui *Leones* dicti, nihil Leoninum habuerint præter nomen.

Familiarum nonnulla nomina explicantur.

De *Bravis* eadem esto censura: nîl enim verat *Bravum* dici, & strenuum non esse. Guzman Germanicè Guemann prosapia est Gothica, & fortè connexa cum illâ Italicâ, cui cognomentum est *Homobuono*, inter præclaros viros (nam humana sic fluunt) etiam nonnullos malos exhibet.

Non semper rebus conveniunt, quæ imponantur, vocabula.

Sunt & inter *Picolominaos* Viri Magni: & inter *invinios* (placuit hoc nomen Lipsio, & eos qui aquam bibunt, significat (reperiuntur nonnulli, qui amicitiam contraxere cum Bacco. Et sic de cæteris.

Stat igitur nullam hominum vocabula, posita humanitùs, cum futuris eventibus necessariam connexionem habere: & pleraq; esse prorsus ψευδώνυμα, & reperiri pauca, quæ φερώνυμα vocari debeant. Vnde siquis contra Doctrinam hanc exclamet,

Φερώνυμος qui habet conveniens nomẽ: qui enim disconveniens habet, appellatur Ψευδώνυμος.

Concordant rebus Nomina sæpè suis.

Altiori voce Experientia inclamabit.

Discordant rebus Nomina sæpè suis.

De Chione: An sortita sit nomen conveniens?

Et producet Martialem, qui *Epigramm. libr.* 5. mitatur, cui *Chione* (Græcè χιόνα) à nivis candore di-

catur (nam χίος *nivem* Græcè significat.) Et, quia hinc inde potetant argumenta deduci, posse duo admitti contradictoria confitetur, & ait.

De illa Iuvenalis. Et dubitas alta Chionem dedúcere sella?

Digna tuo cur sis indignaq; nomine dicam.
Frigida es, & nigra es. Non es & es Chione.

Et consultò in Nominum expositione duas illas limitationes interseri; videlicet *posita humaniùs*, & *cum futuris*: quia, cum sint omnia præsentia Deo, & quæ nobis futura, illi sint ab æterno perspecta, ipse poterit nomina imponere, quæ futura prænuncient. Et tale fuit nomen IESV, quoniam Matth. 1. 21. ait Iosepho Angelus, *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* IESVM: *ipse enim salvum faciet* (ecce de futuro loquitur, non de præterito) *populum suum à peccatis eorum*. Homines autem præterita respiciunt (nesciunt enim futura) semper enim aut imponunt Nomina, aut concedunt stemmata, quæ aliquod Heroicum facinus in memoriam reducant. Et quidem quanta sit in rerum futurarum prædictione, si nomina consulantur, vanitas, in nomine *Cain*, perspicietur clarissimè. Deus enim Protoplastis promiserat proventurum ab ipsis Christum, ἀνθρωπόθεον, *hominem-Deum*; & Eva, ubi Cáinum[*] peperit; quia ab illius lineâ Redemptorem futurum esse existimabat, exclamavit, & dixit, Canithi is eth-Ieova, *Adquisivi Virum Deum*. & ideo nomen Càin primogenito imposuit. In quibus Evæ verbis duo veniunt consideranda: & Filii Dei Incarnationem; & ejus Matrem ab Adami primogenito venturam esse. Vtrumque erat de futuro: & in primo non potuit esse error, nam Revelatione reponebat: fuit autem error in secundo, nam illud de suo addidit Eva, nimis prorsus festina: nec enim à Caino, aut Abele: sed à Setho, filio nimirùm tertio, venit Christus.

Præterita solent concernere nomina, quæ imponuntur humanitùs futura possunt, quæ divinitùs.

[*]Hebreus dicit Càin, & non *Cain*; ergo Latinè *Cáinus* debemus dicere, & non *Cainus* *An Eva fuerit adlucinata?*

An ex Caino venturum fore Mundi Redēptorem crediderit?

etiam illa quam Sectio III. proponebat, & eodem illam modo, quo præcedentes, impugnabo. Ejus est fundamentum. *In duorum contentione (de quacumque materia illa sit) ille consequetur victoriam, cujus Nominis littera arithmeticè sumpta numerum majorem exaquent*. At hoc non est per se notum Principium & ex terminis patens; neque ex per se notis per necessariam consequentiam deducitur. Sed est potiùs delirium, quod characteribus, & vocibus vires reales, aut intentionales adtribuit. Scitè *libr. 7. de Prædictionib. cap. 6.* Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus. *Verba, lineamenta, figuræ, characteres, & scripta verba, nec præter, nec supra naturam operari quidquam possunt per se; quin & ea ipsa quorum parens est natura, efficere non possunt, nisi altioris ope Virtutis adjuta fuerint*. Ergo fundantur in arena omnia, quæ de Arithmeticis Nominum, aut Characterum valore, virtute, & potestate ab otiosis hominibus edisseruntur.

Præterea Experientia non juvat: ergo nec à posteriori illud ipsū Fūdamentum evincitur, & ut id persuadeam reponam Terentii illos versus.

Etiam illam experientia cōdemnat.

Sic & Patroclum Hectoreâ manu periisse;
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Fuit autem Patroclus unà cum Achille apud Chironem educatus: & quia amicitiam intimam fuerunt professi, ad Trojanam expeditionem simul profecti sunt. Patroclus, ut suæ generositatis specimen præberet in obsidione illâ Hectorem ad duellum provocavit, & infeliciter occisus est. Furit, ut rescivit Achilles, nec quievit, quousque interimens Hectorem, socii mortem ulcisceretur. Et utriusque mortem in eorumdem Nominibus fuisse prædictā à numeratiis literis Terentius asseverat. Et an bene, experiamur.

De Hectore, Patroclo, & Achille. Quinam illi fuerint?

SECTIO V.

Arithmomantiæ Nominalis Vanitas demonstratur.

Arithmetica Divinatoria Fundamentum proponitur, & impugnatur.

EST prorsus vana, sicut & omnes aliæ Divinatoriæ Inertia,



PA-

Post literas tres ordines Numerorum ponuntur: ad mentem Cornelii Agrippæ primus, ad placitum Cattani secundus, & ad Anonymi doctrinam tertius.

P	60	13	13	H	8	6	6	A	1	1	3
A	1	1	3	E	5	22	22	C	3	22	22
T	100	8	8	C	3	22	22	H	8	6	6
R	80	13	13	T	100	8	8	I	9	20	29
O	50	8	8	O	50	8	8	L	20	10	12
C	3	22	22	R	80	13	13	L	20	20	12
L	20	10	12					E	5	22	22
E	5	22	22					S	90	9	9
S	90	9	9								
Sum.	409	106	110		246	79	79		156	100	115

Erravit ergo Mars in primo duello stans ab Hectore cùm ab ejus Adversario deberet: sive enim Agrippa, sive Cattanus, sive Anonymus det potestatem literis semper *Patroclus* erit nomen numerosius, quàm Hector. Et prætereà Hectori, quem Cattanus & Anonymus ab Achille occidendum prædicunt, Agrippa victoriam concedit.

Regulæ Generalis Correctio.

Vt computus satisfaciat Hypothesi, corrigunt suam Regulam, aduntque, *Debet adhuc à summa, quã exhibent literæ Nominis, quoties possit, numerus Novenarius subduci*. Ergo, si in Patroclo summæ erant 349, & 108, & 100. sublatis novenariis erunt 7. & 0. & 1. Et quia in Hectore sũmę erant 246. & 79. & 79. post correctionem erunt 3. & 7. & 7. Dicendus igitur est Mars Cattani, & Anonymi numeros approbasse, & ab Agrippinis defecisse.

Sed neque hac correctione adhibita hæc Ἀριθμομαντικὴ potest subsistere: nam, ut benè Mersennus ait, Nomina, quæ in una sunt numerosiora linguâ, in alterâ impotentiora sunt, ut constat ex *Maria*, & *Stephanus*, quæ in Latinâ sic instituunt suos computus.

Nomina in diversis linguis habent differentem valorẽ.

Arithmetici valoris in diversis linguis varietas Arithmomantiæ incertitudinem, & vanitatem evidenter ostendit.

M	30	13	23	S	90	9	9
A	1	1	3	T	100	8	8
R	80	13	13	E	5	22	22
I	9	20	29	P	60	13	13
A	1	1	3	H	8	6	6
				A	1	1	3
				N	40	12	12
				V	200	2	2
				S	90	9	9
Summ.	121	48	71		594	82	84

Ecce à correctione præscindendo omnes tres Magistri (Agrippa, Cattanus, & Anonymus) victoriam attribuunt Stephano, & asserunt hunc esse Mariæ supervicturum: Et correctione adhibita 4. & 3. & 8. remanent in Maria; & 0, & 1, & 3. in Stephano. Maritum igitur illa sepeliet. Modò Nomina Gallica consideremus.

Eadem Nomina secundum pronunciationẽ Gallicam considerantur.

M	30	13	23	E	5	22	22
A	1	1	3	S	90	9	9
R	80	13	13	T	100	8	8
I	9	20	29	I	9	20	29
E	5	22	22	E	5	22	22
				N	40	12	12
				N	40	12	12
				E	5	22	22
Summ.	125	69	90		294	127	136

Novenariis retentis Maria habet 125. & 69. & 90. ille autem 294. & 127. & 136. & iisdem sublatis *Mariæ* dat 8. 6. & 0. *Estienne* autem 6. & 1. & 1. Maritus igitur, si penes Anonymum est fides, uxorem domo ad sepulchrum efferet.

In Hispanicâ linguâ ante novenario-

nariorum eductionem 121. & 48. & 71. habet Vxor; & Maritus 441 & 76. & 78. hic ergo huic suppu- tationi insistendo suam sponsam sepeliet. Et correctione adhibita si novenarii subducantur, *Maria* 4. & 3. & 8. retinebit, *Estevan* autem 0. & 4. & 6. ergo Cornelius Agrippa, & Anonymus victoriam accensebunt Vxori, & Cattanus Marito. Considera numeros sequentes.

Reponuntur Hispanicè: & literarum numeri colliguntur.

M	30	13	23	E	5	22	22
A	1	1	3	S	90	9	9
R	80	13	13	T	100	8	8
I	9	20	29	E	5	22	22
A	1	1	3	V	200	2	2
				A	1	1	3
				N	40	12	12
Summ.	121	48	71		441	76	78

Ergo nil certi ex Arithmomantia poterit colligi. Ergo est fallax, & carens fundamento Nominalis hæc Methodus; in qua addiscenda tempus prodigas; & in exercenda intellectum errori manifesto subjicias.

An ex his Artibus, aut Inertiis probabilia saltem argumenta sumantur?

Sed interrogas, An-non saltem probabilem conjecturam, tam ex Nominum significatione, quàm literarum valore inferre aliquando possimus? Et ego negativè respondeo; nam fundamentum verisimile requirit Probabilitas, & Conjectura; aliquale suspicio: Ergo Nominales Promanticæ, siquidem ab aëre vano pendent, & nullo sunt fundamento fubnixæ, nec Probabilitati, aut Conjecturæ, immò nec Suspicioni poterunt occasionem præbere.

SECTIO VI.

An inveniri ab Homine, aut à Dæmone Arithmeticus Abecedarius queat, quo futura præsagire possimus?

QVÆ hucusque dicta, Quæstionem *de facto* concernunt; sed quia multa, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, esse possunt, excitas Quæstionem de possibili, & cognoscere vis, *Quanta sint vires Intellectus Humani, aut Angelici, ubi de prædictione futurorum eventuum disputatur?* Respondeo igitur.

De Angelis.

PRIMO, *Intellectus Angelicus Humano perspicacior est.* Constat ex illo Psalmi. *Minuisti illum (hominem) paulominus ab Angelis.*

Hominibus sunt perfectiores.

Corollarium. *Ergo, quò Mens Angelica pervenire non potest, non erit cur Humanam posse pervenire dicamus.*

Omnes causas, & effectus naturales penetrabunt.

SECVNDO. *Causarum naturalium vires Angeli perfectè norunt.* Est doctrina communis, & ab universis admissa.

De Scientia Dæmonum.

Corollarium. *Ergo & Dæmones.* Patet Consequentia: quia, quando per peccatum gratiam, & charitatem amiserunt damnati Angeli, conservarunt perfectionem Naturæ. [Hæc est bona, & communis doctrina: interim duo monendus est Candidus Lector: alterum, intellectum creatum, sicut divinitùs illuminatur, posse tenebris obnubilari: alterum in Venerabilis Viri Richalmi, Speciosæ Vallis Ord. Cistere. Abbatis Revelationibus, legê tantam esse rerum ignorantiam apud Dæmones, ut in peccati pœnam eorum mentes fuisse offuscatæ videantur.]

An iis sint imminuta naturalia?

TERTIO. *Præcognoscunt, & prædicere possunt Dæmones necessarios causarum secundarum effectus.* Ergo in Cælis Luminarium Eclipses; prima, & ultima puncta, in quibus suas quinque Planetæ Regressiones, Stationes, & Directiones aperient, claudentq; &c. Præcognoscent pluvias, nives, grandines, &c. ventos, procellas, tempestates, &c. quæ formantur in aëre: pestem &c. quæ grassatur in terrâ. An & præscient alicujus Cometæ apparitionem? Præscient profectò, si hi à Naturali causa; non autem, si à solâ Divinâ Voluntate proveniant.

An effectus Causarum secundarum cognoscant?

QVAR-

An Angeli boni, aut mali actus liberos præsciant?

QUARTO. *Ignorant Angeli & Dæmones Hominum actus liberos*: Est enim Deus, ut Ecclesia Orthodoxa testatur, *cui* (soli) *omne cor patet, & omnis voluntas* (Humana, & Angelica) *loquitur*: *& quem* (solum) *nullum latet secretum*. Et ideò exclamat Isaias 41. *Adnunciate, quæ ventura sunt, & dicemus, quod Dii estis vos*.

An bestia unius privatas, & publicas perturbationes?

Corollarium I. *Privatas ergo rixas, & contentiones; duella, homicidia, &c. bella, victorias, clades. &c. Ergo, quæ procedunt ex bello, fames, pestes. &c. certò Angeli præscire, & prædicere nequeant*.

An aliqua Arithmemantia angelicis possibilis sit?

Corollarium II. *Non ergo conformare poterunt Arithmeticum Abecedarium, ex quo, juxta doctrinam Sectione III. traditam, præscire aliqua possint, quæ à Liberis Causis dependent*.

An humana subsistat?

Corollarium III. *Corruit igitur tota ὀνοματομαντεία*. Et probatur: quia de actibus liberis temerè, & audacter definit; & non omnia, quæ necessaria videtur, se à libero arbitrio subducunt, morbi enim & mors sæpè à Liberis Causis proveniunt; & tamen impositio Nominum semper est libera.

An, & cur in Historiis aliqua futura Dæmon prædixisse legatur?

Nec obest aliqua prædixisse Dæmonem, quæ reverà acciderunt: Primò, quia majorem in Historiis fidem, quam reperio, desidero: pleræque omnes Prædictiones, quæ in libris profanis leguntur, à suis Authoribus sunt fictæ. Secundò, quia potuit ex opinione, & præsumptione loqui, & Veritatem tetigisse per accidens: qui enim multa loquitur, nam semper errare non potest scopum aliquando pertinget. Tertiò, quia interdum prædicit Dæmon, quæ est ipse facturus, quod etiam Homo potest facere.

Stat igitur Corollarium hoc Tertium, & in ipso Conclusionum Conclusio.

Quid de Geomantia, & interdictis aliis artibus sentiendum sit?

Hinc patet, quid de Geomantiâ, & aliis Artibus (aut Inertiis veriùs) quas meritò interdixit Ecclesia, quæ à concursu Dæmonis dependere censentur, à prudentibus dicendum sit. Vide Marinum Mersennum *in Genes. cap. 3. vers. 22. column. 1400*.



SECTIO VII.

De Nominum Impositione. *Nonnulla ad Personæ, seu Subjecti exigentiam, & alia aliter imponuntur. Exponuntur ex Hebreis Nomen* Ioseph. *ex Latinis*, Scævola, Vigilantius, Dormitantius, Cineraris, Barbara, Hortensius, Hortelius, Cicero, Porcius, Vitellius, Bovius, &c. *ex Hispanicis*, Izquierdo, Zurdo, Monje, Zurdo, Camargo, Feliz, Francisca, Ines, Cabreta, Morico, Meroda. &c. *eorumq; edisseritur significatio*.

An Nomina contineant rerum definitiones?

NOmina, si rectè imponantur, sunt breves rerum definitiones. Et quantâ curâ, & providentiâ imponenda sint, arguit optima Nominum Hebræorum Institutio. Primus enim ὀνοματουργός fuit Deus, qui omnia verbo creavit dicens *Fiat lux*. &c. *Fiat terra*. &c. Pleraque alia nomina invênit Adamus, & tamen non solus, quoniam ὀνοματοποιίαν ab eo factam approbavit Deus Opt. Max. 195

Primus post Deum Nomenclator fuit Adam.

Lego enim in Sacro Textu. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia Cœli, & omnes bestias terræ*. Quem Isidorus Clarius locum hoc scholio dilucidat. [Opinor ex hoc loco Platonem venisse in eam opinionem, ut diceret in libr. de rect. nomin. ration. videri sibi eam Naturam, quæ rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hac humanâ. Nam cum indidit Adam animantibus nomina, nondum legitur fuisse à suâ præstantiâ lapsus. Impositio autem nominum significat, quòd Adam naturas animantium perfectè calluerit; nam id demùm, aut potiùs id solùm proprium cujusque nomen est, quod illius naturam exprimit. &c.] Interìm quia non semper benè nomina imponi solent, transiit in Axioma,

An Plato legerit librum Geneseos?

An rerum omnium naturas debeat Nomenclator cognoscere?

Conveniunt rebus nomina sæpè suis.

An semper nomina benè imponantur?

sæpè dixit, non *semper*, quoniam, ut constat experientiâ, Dis-

Discordant rebus nomina sæpè suis.

Qui nomina possint imponere?

Porrò imponere nomen, dominii, & jurisdictionis actus est. Is. Clarius *loc. cit.* [Impositio nominum significat, quod ipsa animalia hominis imperio subjecta essent. Etenim imponere solemus nomina iis, quæ juris sunt nostri.] Quæ verba, quæ certissima sunt in Iure Politico, qui conjunget cum Angelicis istis. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM: *&c.* necnon cum istis, *Et erat subditus illis* nempe, ut Bernardus ait, *videlicet Mariæ, & Ioseph.* habebit unde Summi Numinis immensam dignationem adoret, multasque gloriosas, & grandes consequentias ad Beatiss. Virginis Mariæ laudem, & honorem deducat.

Notent Concionatores.

An, & cur Adam caruerit proprio nomine?

Porrò אדם, ADAM, caruit nomine proprio, & nomen speciei retinuit; nam cùm primus esset, & sub initium solus, nomine proprio non egebat: nomina enim propria discretionis gratiâ, ut unus à cæteris distingueretur, inventa, & imposita sunt. Et hanc ob causam Ethnici, quia multos sibi fingunt Deos, [tria Deorum millia habebant, & inter eos trecentos Ioves teste Agelio *libr. 22. lect. antiquar.*] etiam illos nominibus diversis distinguũt; Christiani autem illam eamdem varietatem nominum incriminamur; quia noster Deus unus est, & ut S. Bernardus loquitur, *unissimus*. Vnde Atalus Martyr, referente Eusebio libr. 3. Eccles. Hist. cap. 3. à Tyranno per contemptum rogatus, *Quod nomen Deus haberet?* respondit. *Qui plures sunt, nominibus distinguuntur; qui autem unus est, non indiget nomine.*

Cur nomina propria imponantur?

An Deus habeat nomen?

Falsorum Deorum numerus.

Recensentur aliqua Nomina, quæ in Sacra Scriptura leguntur.

Hominibus nomina imponuntur ex causâ: nempe Evæ *Genes.* 3. 20. Setho 4. 25. Nohæ 5. 29. Ismaeli 16. 11. Saræ 17. 15. Isaaco 17. 29. Moabo 19. 37. Amnoni 19. 58. Esavo 25. 25. Iacobo 25. 26. Rubenio 29. 2. Simeoni 29. 13. Levi 19. 34. Iudæ 19. 35. Iosaphato 30. 24. Benjamino 35. 18. Manassæ 41. 51. Ephraimo 41. 52. Moysi *Exod.* 1. 10. &c. *& in Novo Testamento* Maria, Iesus, Ioseph. Ioannes, Matthias, Matthæus. Et plæraq; alia.

Plantarum nomina.

Sed, & Plantis multa nomina magna ratione sunt imposita. Quoniam *Aristolochia* ὅτι ἀρίστη ταῖς λοχοῖς, parturientibus enim mirificè prodest. *Rhaphanus*, ὅτι ῥαδίως φαίνεται, mox enim à satione oritur. Et dicitur *Sonchus* quasi σῶον χέων, salubrem enim fundit succum. χαμαίδρυς, quasi humilis quercus, quam foliorum figurâ imitatur. *Malva*, quasi μαλάχη, quia emollit ventrem. Et sic aliæ etiam plurimæ.

Est hodierna undevigesima Martii dies; & quia est Deiparæ Sponso Sacra, devotio, & curiositas postulat, ut aliquid de utroq; Iosepho dicamus.

De Patriarcha Ioseph, Iacobi filio.

Primus, qui יוסף Genes. 30. 24. & יהוסף *Ioseph* in Psalmo, dicitur, undecimus fuit Iacobi filius, in senectute ex Rachele susceptus, interpretatur Augmentum, vel Profectus, ut in Onomastico Sacro habet Iohannes Leusden, qui Psalmum 81. 1. citat. At in Latino ille locus Psalm. 80. 5. legitur. Sed, cur in Psalmo additur *He*, quæ in Genesi non ponebatur? Videtur Propheta Rex ad nomen Abraham respexisse: hic enim fuit filius Tharæ, & *Gen.* 11. 31. ABRAM, *Pater excelsus* dicitur; & posteà Genes. 17. 5. ABRAHAM, *Pater multitudinis* à Deo fuit nominatus: & recipiendo unam Tetragrammati Nominis (nempè, יהוה) literam, ad sublimiorem fuit dignitatem evectus. Ergo, qui Ioseph venditum, & in servitute laborantem considerant, illum vocent IOSEPH, at Davides, qui eum in Majestate, & Dignitate constitutum nobis voluit proponere, ut menti calamum attemperaret, eum IEHOSEPH, hoc est, *Dominus addit*, dici voluit; dignitatem enim, quâ auctus fuit in Ægypto, non humano, sed Divino fuit consilio, & authoritate consequutus.

Quæ sit inter ABRAM, & ABRAHAM *differentia?*

Quæ inter IOSEPH, & IEHOSEPH?

De Ioseph Sponso Virginis Mariæ.

Alter Ioseph est Sponsus Deiparæ, qui tametsi latinè nominetur *Ioseph*, Græcè dicitur ἰωσῆς. Iohannes Leusden citatus, locos hos *Matth.* 13. 55. & 27. 56. & *Marc.* 6. 3. & 15. 40. & *Act.* 4. 36. producit, & ait, *In omnibus his locis in Græco est* ἰωσῆς, *quod Hebraicè potest transferri* Parcens, *vel* Elevatus, *vel* existens. *&c.* Et verè in Græco non habetur ἰωσήφ, ut nomini latino correspondeat.

Cur in Græco non ἰωσήφ sed ἰωσῆς nominetur?

Sed cur hic Sanctissimus Vir nominatur ἰωσῆς. Sume à Linguâ Hebræâ rationem, & sequere Leusdenium, si volueris; sed, quia præ-

stat

stat manère in Linguâ Græcâ, ut nomen Græcum dilucidemus, assero τὸ ὡσεὶ Græcè esse *Sicut*, , & denso spiritu in Iora verso, dedisse nomen ἰωσῆς, qui latinè dici posset *Similius*. Et non sine causâ similius, hoc est Patriarchæ Iosepho similis dici potest, est enim alter alteri per omnia similis.

Similius, quid significet?

Et, ut benè videatur, quanta inter hos duos Iosephos in sanctitate, & elegantiâ morum intercesserit similitudo, proderit Mellifluum Doctorem audire, qui *Homil. 2. super* Missus est. *prope fin.* utrumque Iosephum componit, & parallelismum ingeniosè, & devotè constituens, ex priori ad posteriorem argumenta deducens, scitè, eruditèq; sic perorat.

Quanta inter hos duos Iosephos fuerit similitudo?

[Quis, & qualis homo fuerit beatus Ioseph, conjice ex appellatione, quâ licèt dispensatoriâ, meruit honorari à Deo, ut *Pater Dei* [*], & dictus, & creditus sit: Conjice, & ex proprio vocabulo, quod *Augmentum* non dubites interpretari. Simul, & memento magni illîus quõdam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraternâ ex invidiâ venditus, & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit, iste Ioseph, Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri; iste Dominam suam Domini sui matrem, virginem agnoscens, & ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem Cælestium Sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum è cœlo servandum accepit tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium, quin bonus, & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.]

Quid significet nomen Ioseph?

[*] Non libenter Theologi vocant Iosephum Patrem Christi, quia Lectorum aures imbutæ sunt significatione sordiũ, quæ corporeã generationem comitantur, ac S. Augustinus, qui aures & mentẽ ab hujusmodi sordibus emacularet, dat sensũ, in quo, illæsa Virginitatis puritate, possit Ioseph *Pater Domini* dici.

Sicut à Nominis significatione, & aliorum Virtutibus, qui eodem nomine fuerunt designari, ut posteriores laudent Ecclesiastæ (ut in S. Bernardo vidimus) argumenta deducunt, sic etiam Profani Personarum nomina contemplantur, & ex illorum significatione, siquam habent, discurrunt. Aliqua exempla proponamus.

Scævolarum Familia (quæ *la casa de los Izquierdos* ab Hispanis vocatur) & olim erat apud Romanos celebris, & hodie in Hispania locum non infimum inter Nobiles habet. Prout tulerunt tempora Marti, & Minervæ (sago & togæ) multos dexteros dedit, qui Patriæ gloriam gloriosis promoverunt victoriis, & in Senatu, & Consiliis dixerunt jus, & civitates gubernarunt. *In sua Apollinea Lauri sylv. pag. 20.* Lupus de Vega, & Carpio.

De Scævolis, quos Izquierdos Hispanus nominat, Nobilitate.

Y si qualquiera de los que hay propuestos
En la occasion faltara,
Izquierdo, como digno de altos puestos,
La mano de su nombre accompañara,
Mas Castilla repara
En ver que escribe tan prudente y cuerda,
Que no pensaron, que era Apolo izquierdo.

Σκαιά est *manus sinistra:* unde *scæva*, & per diminutionem *scævola*, qui læva loco dexteræ utuntur.

Sunt in tanto Scævolæ apud Quevedum odio, ut in syntagmate, quod *Las Zaburdas de Pluton* inscribi voluit, S. *Estabas*. Sic dixerit. [Estaban tras de una puerta unos hombres muchos en cantidad, quejandose de que no hiziessen caso de ellos, aun para atormentarlos; y estavales diziendo un diablo, Que eran todos tan diablos como ellos, que atormentassen à otros. Quien son? le pregunté Yo. Dixo el diablo, hablando con perdon, los Zurdos; gente, que no puede hazer cosa à derechas, quejandose de que no estan con los otros condenados; y acà dudamos, si son hombres o otra cosa; que en el mundo ellos no sirven sino de ensados, y de mal aguero: pues si uno vá en negocios, y topa çurdos, se buelve como si topara un cuervo, o oyera una lechuza. Y aveis de saber, que quando Scevola se quemó el braço derecho, porque erró à Porsena, que fué no por quemarle, y quedar manco, sino queriendo hazer en sí un gran castigo dixo. *Assi, que er-*

De Mucio Scævola præter alios vide Livium libr. 2. & Senecam epist. 24. & 66. nec non libr. de Provident. cap. 2.

An scæva occurrere sit augurium infelix?

Cur Mucius combusserit dexteram?

Qua apud Hiſpanos pœna condemnentur, qui reſiſtunt Iuſtitiæ?

rè el golpe! Pues en pena he de quedar ςurdo. Y quando la juſticia manda cortar à uno la mano derecha por una reſiſtencia, es la pena hazerle ςurdo, no el golpe. Y no querais mas, que queriendo el otro echar una maldicion muy grande, fea, y afrentoſa, dixo. *Lançada de Moro izquierdo Te atravieſſe el coraçon.* Al fin es gente hecha al rebés, y que ſe duda ſi ſon gente. &c.]

Maledictio exſecrabilis.

Quia autem multa nomina occurrunt, quæ à ſenſu contrario ſumuntur, unum, aut alterum dilucidemus.

De Vigilantio.

Inter hæreticos, qui ſæculo aureo ſcripſerunt, quos vivere permiſit Deus, ut ſicut in picturâ umbræ lumina, ſic viros ſanctos, doctoſq; ad gloriam majorem promoverent, recenſere debemus Vigilantium, de quo libr. 12. Moral. [Et habetur 32. *qu.* 4. *Salomon.*] Sanctus Gregorius, cognomento Magnus, ſic inſit. *Acceptis primùm literis tuis non reſpondere, ſuperbia eſt; reſpondere temeritatis. Ais* Vigilantium (*qui κατὰ ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine, nam* Dormitantius *rectiùs diceretur*) *os fœtidum rursùs aperire, & pudorem ſpurciſſimum contra Sanctorum Martyrum proferre Reliquias; & nos, qui eas ſuſpicimus appellare* Cinerarios, *&* Idololatras, *qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infelicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum!* &c.]

An Dormitantius *appellari debuerit?*

Cur nos Cinerarios *vocarit?*

De S. Barbara.

Sanctæ Barbaræ nomen multi per *ἀντίφρασιν* dilucidarunt, & inter alios P. Ioannes Kreihingius in ſuis Apoſcholaſinaticis Poëmatibus Epigr. 74. pag. 25. dicens.

An nomen per antiphraſim ſortitu fuerit?

Barbara Virgo fidem dederat non barbara Chriſto,
Vtq; fidem ſolvat barbara fata ſubit.
Non enim ignotis cecidit cruciata tyrannis;
Nec jacuit Lybicis præda cruenta feris.
Sed quia blanditias, dotes, & regna paterna,
Sprevit, & appoſitas, quas habet Ira, minas.
Verbera, vincla, faces, cippoſq; experta proboſos,
Cæſa jacet Patris fida Puella manu.
Barbara ſis igitur (quid ni?) tam barbara paſſa;
Nam nece non poterat barbariore mori.

Hanc Figuram, quam ut diximus Græci Ἀντίφρασιν nominant, non ſine cauſa Lupus libr. cit. Sylv. VII. pag 62. b. *Ironiam* nominat. Quoniam vocem Hiſpanam *Amargo* (latinè *amarum*) conſiderans, & numerorum, quos Camargus cantabat, dulcedinem eruditam perſpiciens, nomen à voce, & ſtylo ſecernit, aſſeritque *Camargum* à amaritudine per Ironiam, à ſenſu contrario nominari. Ejus verba ſunt hæc.

An ab Ironia diſtinguatur Antiphraſis?

Con mil laureles en la ſacra frente
Por eſtilo tan puro, y eloquente
Con que tus Rymas, y tu Patria honraſte,
Dulce Camargo, a Nicolas cantaſte;
Deſpues de haver cantado en verſo triſte
La ſagrada Elegia,
Muerte de Dios, y llanto de Maria;
Que de tu nombre fuiſte
Dulciſſima Ironia. &c.

D. Camargus, notus Poeta, laudatur.

Etiam per Ironiam, & Antiphraſin alia imponuntur nomina: nuper enim Anus erat decrepita, cui erant lippi oculi, rugoſa frons, curvus naſus, pallidæ genæ, intorta labia, pauci, & immundi dentes: rauca vox, ut non ſolum viſui, ſed & auditui eſſet moleſta, & tamen vocabatur *Venus*. In Guzzius *pag.* 133. ſic nauſeabundus murmurabat.

Si formoſa Venus, ſi te nil turpius unâ
Immeritum pulchrâ è Cypride nomen habes.
Aſpera frons rugis: lippa eſt ſub fronte lacuna:
Sithonias vincunt candida labra nives.
Exhauſtæ pendent mammæ; tres calva capillos
Vix numerat: denis addita luſtra decem.
Et Venerem ſimulas Furiis deformior ipſis!
Proh facinus? nec te fœmina ſtulta pudet!
Exue vel faciem, vel digna vocabula ſume;
Iratam, læſo nomine, crede Deã.

In immundam Anum, quæ vocabatur Venus, Epigramma.

Interim, quia Poëtis placet à nominibus argumenta deducere, explicemus nonnulla, quæ apud diverſos Scriptores reperio. Et primo

Nomen Felix exponitur.

mo universim loquendo, quanti in Parnasso sunt argumenta, quæ sumuntur ab Etymo, exponit Lupus de Vega *in libr. cit. Sylv. 2. pag. 23. a.* canit enim,

Iuan Bautista Felizes, en su nombre
Ya tiene la vitoria declarada. &c.

Qualis vocetur Francisca.

Et, ut in specie discurramus, prærogativas fœminæ, quæ vocatur *Francisca* his numeris exponit Ludovicus Velezius,

Cœlius. *Francisca es tu Dama?*
Rup. *Si.*
Cæl. *Luego ha de tener quatro Efes.*
Que los nombres y las cosas
Entre si muy bien convienen.
Sera Floxa como seda,
Y fria como la nieve,
Follona como un Gallego,
Y fiera como una sierpe.

Agnetis, quam Ines Hispanè dicimus, prærogativa.

In Eruditissimâ Comœdia quæ inscribitur, *Quantas veo, tantas quiero.* à Dominis Sebastiano de Villaviciosa, & Francisco de Avellaneda concinnatâ Agnæ Petrus sic inquit.

D. Pedr. *Por veeros muero mi bien,*
Que quien es Ines, forçosa
Consequencia es no ser fea
Pena de que Ines no sea.
Elen. *Pues veedme. No soy hermosa?*

Cabrera Nobilium Familia in Hispania.

Inter Perillustres Hispanorum Familias *Cabrera* habet locum dignissimum. Et quia Clara Africensis [a] hoc cognomine decernebatur, occasionem præbet, ut rationem vocis (ἔτυμον) investiget Curiositas. In quadam Comœdiâ sic lego.

Ludov. *Pero, si Clara es Morisca,* [b]
Como Cabrera se llama?
Rinc. *No se ha de llamar Cabrera* [c]
Si se sustenta de cabra?

Quomodo Hispanus & Hispaniensis, nec non Africanus & Africensis differant?
Cæsar vincit Romanos in Hispania.
An debuerit Scipio Africensis vocari?

a] Hæc est inter *Hispanum* & *Hispaniensem* differentia. ut *Hispanus* sit, qui in Hispania natus, *Hispaniensis*, qui vel alibi natus agit in Hispania, vel ab Hispanis oriundus natus est, aut negotiatur alibi: unde *Hispanienses milites* dicti, qui militabant in Hispania. Et *libr. 13.* Plinius asserit Hispaniensem Cæsaris triumphum illum fuisse, quem obtinuit ob Romanos, non Hispanos devictos in Hispania. Ergo *Africensis* sit, qui oriundus est ab Africanis, & tamen natus est, & habitat alibi. [Et, si hic rigor in loquendo observetur, *Africensis*, & non *Africanus*, Scipio fuerat vocandus.]

Quos vocemus Moriscos?

b] *Morisco*, idem quod *Mauricensis*, qui est oriundus a Mauris: & Nationis, & non Religionis nomen est: nam Maurisci inter nos baptizati erant, & Christianam Fidem profitebantur. *Logica Moralis.*

Unde dicti sunt Fabii, Hortensii, Hortelii, Cicerones, Porcii, Vitellii, Bovii &c. Unde Cabrera?

c] Si à fabis *Fabii*, ab hortis *Hortensii* & *Hortelii*, à ciceribus *Cicerones*. &c. Si à porcis *Porcii*, *Vitellii* à vitulis, à bobus *Bovii*, &c. quid mirum, si Maurisca à carne caprina, qua vescebatur *Cabrera* nominetur? Sic discurrere Rinconio placuit. [Interim, hic obiter incusanda est multorum indiscreta Pietas, qui infidelibus (Iudæis, aut Mauris) quos è sacro Baptismi fonte levant, suum cognomen communicant, unde posteà hæc familiarum ὁμωνυμία est prioribus confusioni & dedecori. Et

De Patrinis.

me judice (quia ait prudenter Hispanus, *Mas vale tarde, que nunca*) huic deberet malo tandem aliquando adhiberi remedium.]

SECTIO VIII.

De Ajacis nomine. *Quis Oileus fuerit, & cur fulmine trucidatus à Pallade?*

De Ajacis nomine. Unde illud derivetur?

AIACIS nomen multivariis modis intellexerunt, variis dilucidarunt. Sophocles eum introducit has ad numeros lachrymas profundentem.

Αἶ, αἶ. Τίς ἀῦ ποτ' ὧδ' ἐπωνύμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνεμα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ.
Καὶ τρὶς, τοιούτοις γὰρ κακοῖς ἐντοσάιω.

An, & cur dictus fuerit ab αἶ?

Ai, ai. Quis unquam putasset sic concinnum
Meum concursurum nomen meis malis?
Nunc enim res fert, & bis lamentari mihi,
Et ter: in tales quippe miserias incido.

De verbo αἰάζω, lamentor. Unde profluat?

Bis posuit αἶ Sophocles, quater Lucianus in dialog. Philop. scribit enim, Αἶ, αἶ, αἶ, αἶ τῶν κενῶν ἐλπίδων. *Heu, heu, heu, heu vacuas & inanes spes.* Præterea αἰάζω, *lugeo, lamentor*, verbum est, quod, ut in Ajace docet Sophocles, ab αἶ, dolentis interjectione, derivatur.

Duo Ajaces fuerunt. Eorum cognomina.

Fuerunt Ajaces duo: alter *Telamonius* à Telamone patre, alterque Oileus à Oileo patre cognominatur. De illo alibi disputaturus sum: hujus impræsentiarùm memini, nam hoc illi olim Epitaphium inscripsi.

Ajacis Oilei Epitaphium.

Que decirte Caminante
En esta piedra no hay,
Sino que toda fué un ai
La vida deste Arrogante.
Passar puedes adelante,
Que hai *aqui poco que hazer.*
Mas, si quieres conocer

Cassandra, quam sacrilege violavit Ajax, Priami filia fuit. Se amanti Apollini corporis sui copiam promisit, & donata est vaticinandi gratia. Virgilius libr. 2. Æneid.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei jussu, non unquã credita Teucris.
& Mirandula.
Et Patria repetes celebrem Cassandra ruinam.

Al que esie Marmol contiene,
Para, y attencion previene,
Que te lo darè a entender.
Con razon le llama Aiace
La que la vida le dà
Pues ai, ai, diciendo està
Ella, quando el niño nace.
Y que el despues, quando yace
Aya de decir ai, ai,
Razones muy graves hai,
Pues su cuerpo fuè abrasado,
Y es su espiritu malvado
El Alma de Garibày.

Hic Locrensium Rex fuit, superbus, temerarius, & arrogans; &, quia contempsit Deos, dum viveret, & Ilio capto Cassandram, Regiam Virginem, in ipsomet Minervæ templo (cujus ipsa summa Sacerdos erat) defloravit, in voraginem Ignis Acherontii detrusus, Theseũ,

Thesens incestus.

Qui thalamum invasit natæ, vetitosque Hymenæos,
sibi, & aliis sibi similibus occlamantem auscultat

Ajacem Pallas ob sacrilegium perpetratum condemnat.

Discite Iustitiam moniti, & non temnere Divos.

Ob propudiosum in Templo suo patratum sacrilegium indignata Minerva, in Græcos, redeuntes jam in Patriam, procellosam tempestatem immisit, & in Caphareum promontorium multas illidens naves disjectis fulminibus Ajacem & criminis consortes & fautores perdidit. Virgilius Æneid. 1.

——— Pallas-ne exurere classem
Argivûm atque ipsos potuit demergere ponto
Vnius [*] *ob noxam, & furias Ajacis Oilei.* [::]

*] *Vnius* est dactylus.
::] *Oilei* trisyllabum: o est breve: i longum; & *ei* transit in unam syllabam.

In ultimo versu *Anima* Garibayi cum Ajace cõponitur; eã enim tam exsecrabilẽ fuisse fingit Hispanorũ Adagium, ut Deo invisam etiam Dæmones detestarentur.

De Garibay Anima. Qualis ea sit?

SECTIO IX.

De Amphotero & Hecatero. *Cur illis nomina Philippus Rex mutaverit?*

ἀμφοτέρος. ἑκάτερος. οὐδέτερος.

DVO erant in Græciã fratres, quorum alter Ἀμφοτέρος, quod sonat *Ambo*, alter autem Ἑκάτερος, quod est *Vterque* dicebatur. Frater autem prudens & cordatus Ἑκάτερος, negotiisque gerendis & tractandis aptissimus; contrà autem Ἀμφοτέρος ignavus & rebus expediendis ineptus. Et hoc ipsum Rex Philippus considerans, invertit illis nomina, & Ἑκάτερον jussit vocari Ἀμφοτέρον; & hunc Οὐδέτερον, quod sonat *Neutrum*. Significare igitur voluit Rex, ingenium, quod debuisset in duos illos distribui, non potuisse dispesci, nam alter fortitus utramque fuerat partem, alter neutram. Plutarchus in apophth.

Cur Rex Philippus nonnulla nomina suorum Aulicorum transmutarit?

SECTIO X.

De Christophoro de la O. *Quid in eo per literam O significetur?*

SOlent Poëtæ ex nomine Herois, quem celebrant, ut illum laudent, argumenta deducere; quibus exuberat torus ille Lupi de Vega liber, qui *Laurel de Apolo* nominatur. In eo enim sunt generosi & fortes, qui à Leone; mansueti & mites qui ab Agno, fortes & constantes qui à Castello vel Turri, &c. cognomentum sortiti. Legi poterit: est enim copiosæ eruditionis plenus. E multis interim paucos in specimen versus exscribam.

Lupus de Vega à nominum significatione panegirica argumenta desumit.

De Christophoro de la O. Sylva II. pag. 13. b. sic cecinit.

Christophorus de la O. à Lupo laudatur.

Christoval de la O. letra perfeta
Como a. ninguna interseccion sugeta
Que sin principio y fin nos muestra clara
La Eternidad, no menos se promeia
Su Heroica y dulce pluma,
Que por unica y rara
Ser immortal presuma,
Ya nuestro Polo tanto ingenio estima,
Porque mal se occultara,
Pues que la Fama fuè por el a Lima;
Y de la O, donde su nombre acaba,
Sacò la admiracion, con que lo alaba.

Et hîc rescire proderit, cur ille, qui à verbo φέρω, quod est *porto* vel *fero*, & à sanctissimo nomine Χριςὸς, *Christus*, Græcè nominatur Χριςοφόρος, Latinè autem *Christophorus*, ab Hispanis appelletur *Christoval?* & Cur Poëta hic, quẽ Lupus celebrat, ab O, & non ab A, aut à B, aut ab alia Abecedarii literã cognomen trahat?

De nomine Græco Χριςοφόρος, & Hispano Christoval.

Vt respondeant ad primum, hanc Hispani cogitarunt Historiam. [Quidam

dam

dam homo imperitus & rudis, cùm Deo servire vellet, & in majoribus rebus non posset, prudentis Confessarii jussu, in fluvio, ubi defectu pontis incommoditatem summam iteragentes patiebantur, suam Divino Numini locavit & consecravit operam, & viatores exceptos humeris in alterum littus transportabat. Voluit Deus illi ostendere, sibi placere ejus humilitatem, & ideò sub Pueli specie adveniens petiit, ut se in partem adversam transferret. Adest promptus Portitor, superimponit puerum humero, & ingreditur fluvium. Vix ad medium pervenerat, cùm gravitate oneris pressus, & jam jam collapsurus, diffidens propriis viribus, & implorãs Divinas, *Christo valme* (hoc est, *Christe valens & faveas mihi*) exclamavit: & tunc Puer ait, *Esse serà tu nombre*. Et hoc dicto disparuit, Portitoremque solamine plenum reliquit.] Et hanc ob causam ille, ut volunt vulgò, *Christoval* nominatur.

In S. Christophori historia aliqua certa, & indubitata sunt, alia ab opinione proveniunt: extitisse talem in mundo hominem, & sanctissimũ fuisse, extra omnem controversiæ aleam est: cæteræ circumstantiæ ab Scriptorũ fide, & à Lectorum pia credulitate dependent.

Et, ut alteram Quæstionem dirimant, monent Exteros & Peregrinos, unamquamq; illis antiphonis, quæ ad *Magnificat* à die xvii. Decembr. concinuntur (videlicet, *O sapientia*. *O Adonai*. *O Radix*. *O Clavis*. *O Oriens*. *O Rex*. *O Emanuel*.) ab Ecclesiasticis *Antiphonam O.* dici: & Exspectationis Dominicæ festivitatem, quæ illâ die xvii. celebratur, à se *Nuestra Señora de la O.* nominari. Et quia nonnullæ nobiles Familiæ sunt, quæ à sanctis nomen habent, quales de Sancto Petro, de Sancto Ioanne, de Sancto Paulo, de Sanctâ Marthâ, &c. etiam aliæ, Deiparæ cognomento honorantur. Sic Ioannem de Matre Dei, Carolum de Conceptione, Tirium de Nativitate &c. vocari, & in Monasteriis præcipuè, audimus. Ergo, qui *Christoval de nuestra Señora de la O* diceretur, breviùs. *Christoval de la O.* dicebatur.

Nobiles in Europa Familia Sanctorum nominibus condecorantur.

Nuestra Señora de la O.

SECTIO XI.

De Nominum Escudero, *&* Platero, *Etymologia*.

Hodie vox *Escudero* eum significat, qui alicui fœminæ servit à brachio; at ante centum annos quicumque honestus Civis hoc nomine designabatur. Videtur sub initium *Armigerum* significasse: eum videlicet, qui in bello Duci Scutum (seu Clypeum) præferebat. Interim quia Scutum (Hisp. *Escudo*) nomen est aurei nummi abtorquet, originem vocis Rinconius, ita ut *Escudero* ejus sententiâ sit, qui multa in thecis scuta possidet. Ita in *La Esclavitud mas dichosa* (Comœdia est, quam Franciscus Villegas, & Iosephus Roxo concinnarunt.) Considera versus sequentes.

Exponitur vox Hispana Escudero.

Quid Escudo in Hispania significet?

Lud. *El goza del Mayorazgo*,
Y es de condicion mas cuerda.
Rinc. *De la que a el se le pierda*.
No llevarà nadie el ballazgo.
Lud. *Esso no diras de mi*,
Siendo un Escudero yo.
Rinc. *Esse nombre me engañó*,
Y por esso te servi.
Que como plata el Platero, [*].
Pintura el Pintor, *creía*,
Que a quien escudos tenia.
Le llamaban Escudero.

Vocum Platero, & Pintor Etymologia.

Plata in nostra lingua est argentum, *Plato* autem discus, in quo cibi ponuntur: & hi vulgò fiunt ex *argillâ*. Quis ergo erit *Platero*? argentarius, an figulus? Hoc nos illum vocamus nomine, qui in argento fundendo, cudendo, & limando laborat; at Rhodius, qui erat figulus, & tamen *Platero* vocabatur, apud Carolum Rivas, exhibet nominis rationem his verbis.

Voces Plata, & Plato habent significationem differentem.

An vox Platero à voce plato deducatur?

Quien forxo yerro, *es* Herrero;
Reloxero *el que reloxes*
Haze; *quien logra en sus troxes*
Grano, *se llama* Logrero.
Quien ollas haze es Ollero:
Y assi (*Señora Lucia*)
A mi, *que platos hazia*,
Me llamaban el Platero.

SECTIO XII.

De Nomine Dominus. *An olim jure dictum sit*; *& an per Antiphrasim hodie dicatur?*

Dominus nomen honorificum est, quod adtribuitur diviti; non enim pauperum apud Politicos habetur ratio. Illud ergo in Palatio pecuniam numeratam importat. Materialis videtur compositio, ut *Dominus* sit, quasi *Do minus*; qui enim

Explicatur vox Dominus.
An sit Do minus, *an* Do plus, *vel magis*.

enim nil dant, sed dare possunt, à vulgo imperito honorantur. Significatio verò, quæ ad formam dictionum spectat, postulat, ut *Dominus*, quasi *do magis* per antiphrasim, & sensum contrarium dicatur; oportet enim, ut expedias pecunias, si esse dominus velis: nemo enim, qui prudens sit, vult alteri servire gratis.

εις κόλακας Παλλαδα̃

Ην ὁ φιλος τι λάβῃ, Δόμινε
φρατερ εὐθὺς ἔγραψεν,
Ἢν δ' ἂυ μή τι λάβῃ, τὸ
φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γάρ καὶ ταυτα τὰ ῥήματα
ἀν ταρ ἔγωγε
ὐχ ἐ θέλω Δόμινε, ὐ γάρ
ἔχω δόμεναι.

In Adulatores.

Munere te accepto Dominum, Fratrem-que vocabant
Cuncti; ubi nil dederis vix mihi Frater eris.
Magni emitur Domini cognomen, & agrè [a] *tenetur*
Asi ego quod dominus sum, nemini [b] *dominus.*

Adverbia in e à vocativis secunda Declinationis provenientia producunt ultimam.

Nemo producit primam.

a] *Agrè* est idem, ac *difficulter*. Adverbia in *e*, quæ ex nominibus secundæ Declinationis proveniunt, habent ultimam longam, ut *doctè*, *sanctè*. Malè igitur Interpres ultimam corripuit in *agrè*.

b] *Nemo* habet primam longam. Lucillus Satyr. 30.

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.

Et in Captivis, & iterum in Milite Plautus

Neminis me miseret, nam mei misceat neminem.

Me homo nemo deterruerit.

Fuit igitur Interpres imperitus rei Metricæ.

Melius autem conceptus exprimetur his versibus.

Cognomen Domini, Fratris-que pecunia donat;
Qui nullas dederit, nemini erit Dominus.
Ipse tenax auri, nummum quia nemo meorum
Sit Dominus pater, nemini ero Dominus.

Et huc Martialis respexisse videtur: scripsit enim,

Clientibus, qui ad Palatia Patronorum confluebant, hi diurnas pecunias numerabant.

Quòd te nomine jam tuo saluto,
Quem Regem, & Dominum prius vocabam,
Totis pileum sarcinis redemi.
Ne me dixeris esse contumacem,
Reges, & Dominos habere debet
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod Reges Dominique concupiscunt,
Servum si potes Ole non habere,
Et Regem potes Ole non habere.

Et iterum.

Quum te non possem, Dominum Regemque vocabam,
Quum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Et adhuc iterum.

Sed quantas?

Mane salutavi verò te nomine casu,
Nec dixi Dominum Cæciliane meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

SECTIO XIII.

De Nominum Conversione, *An Determinata in Æquivoca, & Propria in Communia mutentur?*

An, & quando nomina Propria fiant æquivoca?

CUM Appellativa nomina in Propria transeunt, fiunt Æquivoca, & cum gratiâ ex Propriâ ad communem significationem transferuntur. Et huc pertinent multa Veterum, & Iuniorum Philosophorum Apophthegmata, qualia sunt, quæ subscribo.

De Fullone, & Macula.

Faustus Sillæ libertus, cùm audiret sororem suam duos habere mœchos, Fulvium Fullonem, & Pomponium Maculam, & crimen excusare non posset, ridêre maluit, dixitque, *Miror sororem meam habere maculam, cùm fullonem habeat.* Brusonius *lib. 1. cap. 4.*

Qua adulteri pœna sit damnandus?

Fuisse narrabant aliqui Didymonem in adulterio comprehensum. Petenti autem Aurelio qualis esset Didymo? Respondit acutè, & festivè Pontidius: *Tardus*. Brusonius *libr. 2. cap. 4.* Sed magis seriò Langius, *Turpissimus, & impius nebulo*. Ita *in Floril. verb. adulterium col.* 82. & roganti de pœnâ, *Dignus est*, inquit Diogenes, *qui ex nomine suo suspendatur*. Laertius *libr. 6.* Sed cur ex suo nomine? Vt intelligatur hujus sententiæ gratia, audire juvat Ioannem Scapulam, qui voce Δίδυμος, sic ait, [Δίδυμος, ὁ καὶ ἡ geminus, duplex. &c. Et οἱ ὄρχεις, *testes*, honestiore (ut ait Gal.) vocabulo δίδυμοι appellantur, quia gemini sunt: unde Διδύμων σκληρίαι, & διδύμων φλεγμοναὶ, apud Dioscoridē.] & hinc ad sententiam Diogenis, *Dignus est*, inquit, *mœcus ille Διδύμων, ut ex suo nomine* (*ut* ἀπὸ τῶν διδύμων, *ex testibus suspendatur*.

An quis à suo nomine pendere possit?

Δίδυμοι *qui sint?*

De nomine Abra.

Α῎βρα, ας, ἡ. Famula; non qualiscumque, sed quam habent matronæ ad honestiora ministeria. Hisp. *una doncella de labor*. Genes. 24. Exod. 2. Vide Eustathium, Menandrum in Pseuderacle. Interim in libro Iudith est nomen proprium famulæ. Capite X. a. *Vocavitque Abram suam*. &c. *Iudith verò orans Dominum transivit per portas, ipsa, & Abra ejus.*

An sit propriū, & appellativū.

SE-

SECTIO XIV.

De Propriis Insensibilium rerum Nominibus. *De Navi* Tauro. *De Navi* Delphino. *&c.*

De Insensibilium rerum nominibus.
De Europa fabula.
De Navi Tauro.

NON solùm Herorum præclara nomina, sed & rerum vitæ expertium vocabula Poëtæ considerant, ut fabulas allegoricas comminiscantur. *Taurus* olim fuit navis, quâ usus Iupiter Europam, Agenoris Phœnicum Regis filiam, vi & fraude raptam, in Cretam transtulit. Multa quidem, & varia Vates Græci, & Latini occasione hujus Navis de Iove in Taurum verso commenti sunt. Et Petrus della Valle, quia Navi, quæ se Constantinopolim, Saracenorum Regiam, vexit, erat *Delphino* nomen, ut eam celebrem reddat, *in sua Persiâ Epist. XVII. Baghdadis 10. & 23. Decembr. 1616. pag. 766.* sic scribit. *In quella parte poi delle Poesie, che V. S. mi scrisse, che haveva animo di aggiungervi, e particolarmente nella Canzone, che diceva già di andar tessendo, non vorrei, che andasse senza lode il Gran Delphino, Nave, che prima di tutte mi levò d'Italia, e mi portò in Constantinopoli. Sopra'l suo nome di Delphino, in viaggio di mare, si può scherzar con mille concetti: o fingerla Vero Delphino sopra il* [†] *quale, à guisa d'Arione io fossi portato: o che so io? Mille altre cose, che V. S. saprà meglio di me: basta vorrei, ch'el Gran Delphino in ogni modo fosse nominato. Io, à dire il vero, hò tanta affettione à quel Vascello, per essere stato il primo instromento, per così dire, della mia peregrinatione, che ne feci fare* [*] *un Ritratto naturale, e lo porterò con me, con gli altri Quadri: mà questo non è niente: se lo potessi, lo vorrei metter nel Cielo, & ornarlo di più Stelle, che non hà la Nave d'Argo.*

De Navi Delphino.

†] Ecce proprium Navis nomen, sumi potest appellativè.

*] *Feci fare*, Latinè *Feci facere* unica voce exprimit Hebræus dicens *Hiphaalthi*.

SECTIO XV.

De Propriorum Nominum Alteratione. *Quàm multa Gratiæ, & Charites nascantur à Figuris Grãmaticis.*

De ingeniosa Propriorũ Nominum alteratione.

NOtæ sunt Grãmaticę illę Figuræ, quę literã, vel pręmittunt, vel addunt, vel interserũt, vel cõmutãt: & hæ in Appellativis nimis licentiosè admittuntur, at in Propriis Nominibus, & præcipuè quando nihil significant, gratiam habent. Considera sequentia Exempla.

Literæ primæ mutatione Nomen Proprium *Pizarro*, transit in Appellativum *Bizarro*. Lupus de Vega in Apollineâ Lauru. Sylva 2. pag. 15. a. sic cecinit.

Nomina Pizarro, & Bizarro sunt affinia.

Aquel, que fuè el mas rico de los hombres [*]
Digno de eternos y de ilustres nombres,
Aquel Marques Pizarro,
Hasta en morir bizarro,
Trocandole una letra.
Luego los Andes barbaros penetra
Descubriendo las barsas
De solo un tronco abierto
Que se atreven al golfo, como al puerto.

*] Fuerunt primi Detectores Americæ ditissimi & pauperrimi homines: sanè ditissimi, nam plus habebant auri, quàm possent, ferre; pauperrimi verò, nam alimentorum defectu moriebantur.

Et Sylv. 7. pag. 61. b. interpositâ unicâ literâ Avilam convertit in *Aquilam*. scribit enim.

Mas mira en eternos años
Admiracion de proprios, y de estraños,
Aquel Avila o Aguila, que vuela
En la mejor del Mundo Compañia
Con tal dotrina, con tan alta Escuela
A los celajes donde nace el dia,
Que con nombre de Iuan que le provoca
Ser Avila o ser Aquila le toca.

De nominibus Avila, & Aquila.

Literæ alicujus ablatione etiam cum gratiâ propriâ interdum alterantur vocabula: & in laudem, aut vituperium alicujus trahuntur. Sic nomina *Castro*, *Marco*, *Pedro*, *Paolo*, ut multa his similia præteream, in *Astro*, *Casto*; *Arco*, *Maro*; *Pero*, * *; *Palo*, *pulo*; converti possunt. Et, quia immunda, si conceptum ingeniosum contineant, verbis mundis possunt significari, hanc historiam subjungam. Me Viennæ Cœnobia Monsterratensia gubernante, Comes de Meroda supervenit ex Belgio; & dum Proceres de more inviseret, à Magnâ quâdam Principe exceptus, & salutatus fuit verbis Germanicis, quæ ad hæc Hispana volui, non ita develata, reducere.

De alicujus literæ ablatione.

De Comite de Meroda.

Fuit semper hæc Familia dives, & generosa, & pro Rege Catholico sanguinẽ, & thesauros animosè profudit.

Conde, y Señor, al que inventò las letras

Mu-

Mucho debes, si la verdad penetras:
Porque si no tuviesse el Alphabeto
La O, que requiere para ser perfeto,
Fuera una Virgen loca,
La que tu nombre tomaria en la boca.

Etiam interdum Divisione nomina significationem adquirunt. Nam *Salazar* nobilis Familiæ nomen est, & nil prorsus indivisum significat. Si dividatur tamen, nomen SAL est *Sal*: & verbum SAL est *egredere*. Præterea SALA est *Aula*: & AZAR sonat *infortunium*, & sic in taxillorum ludo illud vocatur punctum, quod Romæ olim *Canis* appellabatur. Et Mali aurei flos etiam AZAAR vocatur. Hinc, qui nominatur SALAZAR, laudari, aut carpi poterit, materiâ Encomii, aut Satyræ ex nominis frustis desumptâ.

Voces SAL, SALA, AZAR, & AZAAR *exponuntur.*

Quæ parvis majusculis notantur, sunt Hispanicæ.

De Secretario Ioanne de Salazar ad D. Rodericum Calderonium Hexastichon.

Este grano de Sal, si con Prudencia
De su viveza usare Voncelencia,
Sazonarà los animos turbados,
Mal affectos y peor acconsejados,
Y de el Azaar, que tiene en su thesoro
Por fruto cogerà mançanas de oro.

Et paucis annis post, quia tributum quod cujusdam cognominis Secretarii consilio [*] super Sal fuerat positum, exsecrabatur Hispanorum Politica, exclamabat irritata Eruditio,

Quien puso en la Sal azar?
El que a los Reyes engaña,
SalaZar, azar de España.
Sal de España Salazar.

*] Quem *Secretarium* dico, novi, & nominare possem, sed hac notitia Lector hodie studiosus non indiget.

Tributa Populus universa exsecratur.

Quod super salem ponebatur, auferri debuit.

SECTIO XVI.

De Propriorum Nominum Alteratione: & Apophthegmatis, quæ ex eâ proveniunt.

Proponitur Primum Apophthegma.

EX nominibus, quæ propriè & appellativè sumi possunt, per Appositionem aut Fractionem, aut denique in alias Orationis Partes Conversionem, oriuntur aliquando ingeniosa & curiosa Apophthegmata, ex quibus nonnulla subjiciam.

Vna Ciudad, que yo se,
Es Señores prodigiosa,
Tan rara y tan milagrosa,
Que quien la ve no la ve.
Quiero saber el porque,
Sin andar de rama en rama. [*]
Y pues que dize la Fama,
Que soys Señor un Gran Hombre,
Aunque os he dicho su nombre,
Dezidme, como se llama?

*] Qui non tangit difficultatem, sed hac, aut illac devians circumloquitur, dicitur *andar*, (aut *saltar*) *de rama en rama.*

Æquivoca ex una in alterâ Linguam non transeunt.

Et hoc profectò dubium Hispanicè debet proponi, deperit enim ingeniosum acumen, si in Linguam Italicam aut Latinam vertatur. Ergo attende.

Illa Campaniæ Vrbs, quæ *Sidicinum* olim, ut vult Plinius *lib. 3. cap. 5.* olim nominabatur. NOLA vocatur hodie. Eam laudaverat in sua Æneide Virgilius; si quæ scripserat, posteà ob aquam imprudenter negatam, prudentissimè erasit. qui enim dixit

Sidicinum *nunc* Nola, *Campaniæ Civitas.*

Ingratis servire nefas,

dixisset, si occurrisset occasio,

Ingratos laudare nefas.

Cur hujus Civitatis nomen in sua Virgilius Æneide obliteraverit?

Quid Nola *apud Hispanos sit?*

Apud Hispanos *Nola*, si unica dictio sit, est *Nola*, nomen Civitatis prædictæ. Si duæ dictiones sint, nempe *no la.* erunt Latinè *non eam*. Quam ob rem illa verba, *Quien la ve, no la vè.* duos sensus continent; Primum; *Qui eam videt, non eam videt*, qui videtur mirabilis, & involvere contradictionem. Alterum, *Qui eam videt, Nolam videt*, qui est verus.

Conceptum, similem præcedenti, Tristicha sequentia proponunt.

Aurelio como se llama
La Ciudad donde nacio
El que esta carta me dio?
Su nombre ya yo os le dixe.
Respondedme, si sabeis,
Pues por tan docto os teneis.

Quid etiam apud Hispanos sit Como?

Comum est celebris in Cisalpinâ Galliâ Civitas adjacens lacui Latio, qui nunc *Comensis* appellatur: Olim à L. Scipione aucta, & posteà à I. Cæsare instaurata, etiam num est opulenta & magnifica. Hispanicè vocatur *Como*. Et quia hæc vox *como*, est etiam *quomodo*. verba illa *Como se llama*, duplicem sensum præ se ferunt; sumi enim possunt interrogativè, & assertivè. Et quidem accepta primo modo, significant

Qua, & ubi sit illa Civitas, quæ vocatur Comum?

Æquivoca non semper in alias linguas transeunt.

cant *Quomodo vocatur?* & accepta secundo *Comum vocatur*. Et hæc æquivocationis Gratia solet reponi Italicè, non autem potest in Linguam Latinam transire.

Addamus adhuc unum Tristichū è Flavissis Italicis, conceptus enim & acumina in Linguis omnibus formari possunt.

A Napoli è una dama,
Già hò detto il nome,
Come si chiama?

Aliud est in Italica lingua A Napoli, & aliud longè diversum Ana Poli.

Æquivocationis dissolutio pendet ex divisione illîus vocis: aliud enim *a Napoli*, & aliud *Ana Poli* significat. Sanè *Napoli* in Italicâ Linguâ est nomen celeberrimæ Vrbis, à quâ totum regnum denominatur. Et *Polia* est familia in eodem regno nobilis, ex quâ erat oriunda *Anna Poli*, quam carmina præcedentia concernunt.

ARTICVLVS XVI.

Quo modo Propria Nomina in alias Linguas transferantur? *Et, an Vocis significationem, siquam habent; an prolationem, an scripturam sequi debeat Interpres? inquiritur, & dilucidatur.*

Propositum Quæstio.



T clarè procedere possimus, Quæstionem dividemus per partes. Quæramus ergo Primò, *An Interpres Scripturam, an Pronunciationem debeat in altero Idiomate exprimere?* Pono exemplū in his Nominibus Hispanicis. *Nuñez*, *Bañez*, *Sanchez*, *Ramillos*. & in his Gothicis *Walia*, *Witerico*, *Witiza*. &c. Profectò Itali nostrum *w* proferunt, sed sic *gu* scribunt. Quo ergo modo citabuntur hi Authores in Italicis libris? Si scribas *Nuñez*, *Bañez*, legent illi *Nannez*, *Bannez*: si autem scribas *Nugnez*, *Bagnez*, sui illos cognati non cognoscent. Litera *ch* (literam eam vocavi; est enim *c* secundaria, & non litera duplex) sonum habet specialem, quem Itali ante *e* scribunt per *c*: nā *ch* proferunt ut nos *k*; Germani. Si autem ut nos *g*: quam ob rem *Sanchez*, Scriptor celeberrimus, ab Italis vocatur *Sankez*, & à Germanis *Sangez*. Literam *Ll* (non enim est duplex, etiam hæc, sed secundaria) aliæ Gentes non cognoscunt, aut exprimunt: nam Italorum *gli*, tametsi accedat, non exæquat, ut patet ex his vocibus *Castiglia*, *Siviglia*, pro quibus nos *Castilla* & *Sevilla* proferimus. Est etiam *w* simplex & secundaria Germanorum & aliorum Populorum Septemtrionalium litera; quâ indigemus, ut nomina exprimamus Germanica: hodie à plurimis male profertur; ubi enim scriptum reperiunt *wándali*, *wiclèffus Witericus* &c. legunt ipsi *Vbándali*, *Vbiclèffus*, *Vbitericus*, &c. cùm deberent *uándali*, *uiclèffus*, & *uitericus*, nam Germanorum *w* est nostræ *u* vocali simillima. His ergo præmissis sit

De nomine Nuñez, & similibus.

In lingua Hispanica ch (& idem dicendū est de ll, ñ, & rr, necnon de Germanica w) est unica, & non duplex, sed secundaria litera.

Quo modo proferenda sit W?

Conclusio I. *Nomina Propria, quæ alias nec sunt appellativa, nec ab appellativis derivantur, si in aliā linguam transeant, etsi in illâ aliter proferantur, debent primitiva retinere Scripturam.* Patet: quoniam aliàs esset summa in libris Personarum & Locorum confusio. Ergo tenentur Historiographi retinere literas *h*, *w*. &c. nec non *ç*, *ch*, *gu*, *ll*, *ñ*, *ph*, &c. ut nomina Hispanorū & Germanorum propria bene exponant. Et hoc Præceptum hodie observant satis religiosè Scriptores, qui Latinè, Hispanicè, Gallicè, Italicè, &c. Historias accuratè scripserunt. Vnum vel alterum produco.

Quo modo propria Nomina in alias linguas transferantur?

Quasnam literas debeant in suis scriptis Historiographi accuratè servare?

In libello, qui inscribitur, *Histoire de Hery Duc de Rohan, Pair de Frãce*, quoties occurrit nomen *Weymar*, illud scribit per *W* nam pag. 175. ait. *Il s'aboucha avec le Duc de Weymar*. Et pag. 177. *Le Duc de Weymar, qui avoit la derniere estime pour le Duc de Rohan, le consultoit sur tout ce qui arrivoit*. Et pag. 178. *Weymar approuva ces avis*. Et sic in similibus vocibus. Pag. 97. dixerat. *Quand le Duc de Boukinkan*, &c. In illo etiam cui titulus. *Corona Gothica, Castellana y Austriaca*, & à D. Didaco de Saavedra scriptus fuit ad ann. 416. pag. 34. *No dejó Athaulpho succesion, aunque algunos dizen, que Walia, que despues le sucediò en la Corona, fuè su hijo*. Et pag. 38. *Executò Walia sin peligro*. Et ad ann. 603. pag. 295. *Aunque en Witerico se havia conocido un ingenio inquieto y sedicioso, &c. le eligieron por Rey*. Et pag. 377. *Wamba Trigesimo primo Rey de los Godos en España*. Et pag. 446. *Witiza*. &c. Sic cæteri Authores scribunt, qui consequenter carpent Ducis Bovini fratrem, apud quem in Speculo ustorio, impresso, & publicæ Disputationi exposito Romæ ann. 1613. *D. Franciscus de Ghevara* vocatur, cum *D. Franc. de Guevara* deberet: nulla enim familia est in Hispania, quæ vocetur *Ghevara*; & litera *Gh* in Abecedario Hispanico non reperitur.

Debet Guevara, & non Ghevara scribi.

Qui Latinè Gabriel, *Hispanicè* Grabiel *vocatur.*

CONCLUSIO II. *Cognomina hæc, aut retinentur invariata, aut ad terminationem & inflexionem idiomatis* in quod *attemperantur*. Quam ob rem Hans Kal (est Germanus, & Eruditus Scriptor) Latinè vocabitur *Ioannes Kalins*, aut *Calius*, non autem *Calinus* aut *Calvinus*; & *Grabiel Vasquez* erit Latinè *Gabriel Vasquez*, aut si velis *Vasquezius*. A voce *Suarez* deduci deberet *Suarezius*; multi tamen deducunt *Suarius*.

De Propriorum Nominum declinatione.

Sed quid de Hebraicis Nominibus dicturi sumus? Sunt sanè in Linguâ Sanctâ quatuor Spiritus א, ה, ח, & ע. *Aleph, He, Heth*, & *Hain*. Græcorum leni primus, secundus denso (hoc est *h* Latino) æquivalet: tertius censetur duplex, & ideò per *hh* à Latinis, & per χ à Græcis significatur: & quartus hodie à Iudæis per *ngh* profertur, & scribitur; cùm tamen vera ejus pronunciatio (quam ab Archiepiscopo Montis Libani, Magistro meo, Madriti didici) guttur rotundum postulet, & literis Latinis nequeat exprimi. Habet præterea Lingua Sancta quatuor Sibilos: nempe ז, ס, צ, & ש (videlicet, *Zain, Samech, Tsade*, & *Scin*) qui omnes passim scribuntur per S.

Hebraica Nomina considerantur.

Habet Sancta Lingua quatuor adspirationes, & quatuor literas sibilantes.

In Bibliis, quibus utor, quorum accurata Exscriptio videtur deberi Vatablo, hæ octo literæ Hebraicæ in nominibus propriis etiam in Linguâ Latinâ scribuntur. Reperio enim Genes. 2. 8. ע*Eden*: & 2. 11. *Pi*ש*son*, & *G*ח*hon*, & *Chu*ש*s*. Et cap. 3. 20. ח*havah*. Et 4. 18. ע*Irad*, *Me*ח*huia* א*el*, *Methu*ש*sa*א*el*. Et vers. seq. ע *Adâh*, & צ*Sillah*. Et sic per totum Vetus Instrumentum decurritur.

An Hebraici characteres & simul Latinae debeant scribi?

Est nimia hæc diligentia, pleriq; enim omnes Latini non cognoscunt characteres Hebraicos, & in Officinis Impressoriis rarò inveniuntur eorum typi: & hanc ob rem in quâcumque linguâ scribamus voces Hebraicas nostris puris characteribus significamus: & in hoc Imitamur Græcos & Latinos Interpretes, quorum Versiones exstant, & literas Hebraicas non immiscent. Audi Iohannem Leusden, qui in sui Onomastici Sacri Prologo sic inquit. *Nomina Propria in Vulgatâ Versione non ita semper nominantur, sicuti in Textu Hebræo vel Græco, vel etiam in aliis Versionibus nominari solent: nam in Linguâ Hebraicâ sunt literæ* ע Hajin, *&* ח Heth, *quæ in Linguâ Latinâ non occurrunt. Ideò nomina Hebraica incipientia ab* ע Hajin, *ut plurimum quærenda erunt in* A, E, O. *aut* G. *sed incipientia ab* ח *in* H, *vel nonnunquam alibi. Quæ verò incipiunt à* ז Zain, ס Samech, צ Tsade, *vel* ש Scin *investiganda erunt in* S. *&c.*

Pauci Theologi Hebraeas literas noscunt: & pauci Typographi formas illarum habent.

Transeo ad alia Propria, quæ nomina Propria sunt, vel Cognomina. Propria debent mutari, nam Sancti in singulis linguis habent specialia vocabula. Vnde Author Libelli, qui inscribitur *Histoire de Henry Duc de Rohan* pag. 30. malè dixit *Dom Pedro de Toledo*, dicere enim *Dom Pierre de Toledo* debebat: & pag. 102. *Dom Gonzales de Cordeve* vocat, quem Hispanicè *D. Gonzalo* dicimus, & *Dom Gonzal* Gallicè diceremus.

Nomina Sanctorum propria in singulis linguis suum modum habent.

Cognomina autem, de quibus agere

De Cognominibus. Vnde sumantur?

agere debeo, vel appellativa sunt, vel ab appellativis desumpta. Et propono hæc Latina, *Fabius, Vitelius, Cicero*. hæc Hispanica *Martin del Rio, Ivan del Valle. Antonio Robles, Aurelio de la Puente. Basilio Ponce de Leon, Antonio de Dios, Isidro de la Cruz, Santiago de San Pedro* (& in Dialecto Valentinâ *Iayme Samper*) *Carlos de Iuan*. Et hęc Gallica *Catherine des Deux-ponts, Iean d'Angely, Hector de Sainte-Maure, Pierre du val*. Et tandem hæc Germanica **Egidie Coninck, Hans Bruck**, & hæc Monasteriorũ nostrorum Nomina. **Lilifeld Furstenfeld, Conigsfeld**. Et desidero scire quo modo in alias linguas transferantur?

Diversæ de illorum scriptione sententiæ.

TRes Sententias reperio.

Prima asserit propria locorum & fluviorum nomina & hominum cognomina debere manere invariata. Secunda tenet ita retineri debere, ut tamen linguæ *in quam* terminationem nanciscantur. Et tandem tertia considerat significationem, & reponit vocem quæ in linguâ *in quam* eamdem significationem habeat. Pono exemplum.

[*] Hebræus habet *De ad faciem Domini.*

Genesceos 4. 16. scribit Moyses Vâjezc Kâin milipne Ieova, uajescb berez nod qidmath Eden.

Versio Hebræa. *Egressus est itaque Cain à facie* [*] *Iehova: habitavitque* (*seditque*) *in terrâ Nod, ad orientem Eden*.

Septuaginta. Καὶ ἐξῆλθε Κάϊν ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ: καὶ ᾤκησεν ἐν γῇ Ναΐδ κατέναντι Ἐδέν.

De Nomine נוד, *Nod, quid significet.*

Vulgatus. *Egressus Cain à facie Domini habitavit profugus in terrâ, ad orientalem plagam Edem*.

Ergo consideremus nomen נוד, quod est loci illius proprium, in quo Cain à facie Dei proscriptus vagabatur.

Manuscripta antiqua habebant ניד *Naid.*

Iuniores igitur Iod verterunt in Vau.

Versio Hebraica retinet vocem נוד *Nod*, & sic regionem eam appellat, in quam immissus Cain. Exemplaria, quibus usi sunt Septuaginta ניד Naid habebant, non נוד, & ideo ipsi verterunt ἐν γῇ Ναΐδ, *in terrâ Naid*. Ita ut etiã ipsi retinuerint nomen proprium illæsum. Ad significationem Vulgatus noster, Paraphrastes Chaldæus, Nehemanides & alii recurrunt, & dicunt נוד significare *vagum*; & hoc nomen, non ad terram, sed ad Cainum referunt; ita ut non ipsa, sed ille fuerit נוד Nod, *profugus, vagus, & peregrinus*. Eos reprehendit Amama, & propter hoc & alia similia *Pecus Arcadicum* à Mersenno appellatur. Hieronymo *in quæstionib. de locis Hebraic.* נוד *nod*, est σαλευόμενος *instabilis, & fluctuans*, & cum Caino, & non cum terrâ componitur. Ecce alii materiam vocis retinent, & alii ad significationem recurrunt.

Mersennus in Genes. colum. 1468.

Pergo ulteriùs, ut poetis & Rhetoribus serviam. *Siquis propriè reddere velis dictionem* NOD, *eam interpretabitur salum*. ait Procopius. Ergo à facie Dei Cain profûgit usque ad mare, progressurus ulterius, nisi à fluctibus retunderetur. Hîc hæsit & primam civitatem ædificavit; eamque vocatam fuisse Ναΐδα *primi Antiquitatum tertio* Iosephus asserit. Puellæ igitur hujus Civitates illæ sunt Ναϊάδες, de quibus plurima in libris Ethnicorum leguntur. Calphurnius Eglog. 2.

Nod *est* salũ, mare. *Ergo* terra nod, *erit* terra maritima.

Naida *Civitas.*

Adfuerunt [*] *sicco Dryades pede,*
Naiades udo.

[*] Corripuit illud e.

Et hinc sunt ortæ filiæ hominum, ob quarum amorem filii Dei prævaricati sunt? Earumque notitia post diluvium per Cham dimanavit ad posteros.

Vnde dictæ sint Naiades?

Post nativitatem filii sui Enoch, qui non fuit primogenitus, sed natus est hominibus jam satis multiplicatis, Cainus erexit aliam Civitatem, quam ad honorem filii appellavit HANVKA. De illâ sic scribit Mersennus. *Ædificavit Civitatem, quæ nempe nomine filii* Henochia *dicta est. Quam alii ponunt in Indiâ; alii, ut Berosus referente Oleastro circa Libanum montem*. Ecce vocis syllabas retinet, nec significationem moratur, potuisset enim eam *Dedicatoriam* dicere, nam Hanak, est *imbuere, initiare, dedicare*, unde Græci Ἐγκαίνια, & *Encænia* Latini deducunt.

Henoch non fuisse Caini primogenitũ. libr. 15. de Civit. cap. 8. S. Augustinus insinuat.

At nimis hæc antiqua sunt, aliqua recentiora apponamus. Honesta est apud Germanos familia, quæ vocatur Cocq, quod nomen *coquum* sonat; & cognovi ex eâ aliquos, qui *Cocqui*, aliquos qui *Cocci* vocabantur, & præter cæteros Viennæ Medicinæ Doctorem, qui, ut grandiùs suum cognomen sonaret (quia Græcè Μάγειρος est *coquus*) voluit *Magîrus* nominari: & poterat *Mabselius* dici, quia Hebraicè

An propria hominum nomina possint ex lingua Græca, aut aliis servata significatione desumi?

braicè, & Arabicè *coquus* est מבשל *Mabsel*. Sed cui, quæso, metonymia hujusmodi placere poterit?

Fabius. Vitellius. Cicero.

In nominibus *Fabius. Vitelius, Cicero*, &c. Germanis Prima Sententia adridet, illa enim ponunt, ut latinè scribuntur, Secunda Hispanis, dicimus enim *Fabio, Vitelio, Ciceron*. Et Tertia nullis.

Reddantur Latinè nihil-la Hispanorum cognomina.

Hisp. *Martin del Rio* Author est eruditus; & propter Magicarum Disquisitionum librum celeber: & in Latinâ sui nominis conversione omnes tres præmissas Opiniones exerceri reperio: quoniam Latinè passim dicitur (1) *Martinus del Rio*, (2) *Martinus Delrius*. (3) *Martinus del Rivo*. *Rios* autem in plur. alius familiæ nomen est, ex qua P. *Bartholomeaus de los Rios* prodiit, qui cum fructu, & applausu Bruxellis ann. 1640. concionabatur.

Rio. Rios.

Hisp. *Iuan del Valle*. Ital. *Gio. della Valle*: Lat *Ioannes Valle* (2) *Vallius* (3) *de Valle*.

Robles.

Hisp. *Antonio de Robles*. Lat. (1) *Ant. Robles*. (2) *Roblesius* (3) *de Robore*.

Puente.

Hisp. *Aurelio de la Puente*. Lat. (1) *Aur. Puente*. (2) *Puentius* (3) *de Ponte*, *Pontanus*, *Pontius* per *t*, & non *Poncius* per *c*.

Ponce.

Hisp. *Basilio Ponce de Leon*. Latin. (1) *Basilius Ponce* (2) *Poncius* non per *t*, sed per *c*. Prætereà *Bas. Ponc.*

Leon.

(1) *Leon*. (2) *Leonius*, *Leontius* (3) *de Leone*.

Dios.

Hisp. *Antonio de Dios*. Latin. *Antonius de Dios* (2) *Ant. Diosius* (3) *Ant. de Deo*.

Cruz.

Hisp. *Isidro de la Cruz*. Latin. (1) *Isidorus de la Cruz* (2) *Isid. Cruzius* (3) *Isid. de Cruce*, & hinc *Crucius*.

Quid illud sint in voce Santiago significet?

Hisp. *Santiago de San Pedro*. Et quidem hæc Vox *Santiago* si bene consideretur *Sanct-Iago*, hoc est *Sanctus Iacobus*, & tamen prior ejus pars ita alienatur à suâ significatione, ut sit prorsus otiosa, & nihil omninò significet: & hanc ob rem hoc nomen *Santiago* sumitur pro quocumque Iacobo. Observa tamen hæc tria nomina *Santiago*, *Iacobo*, & *Diego* idem significare, nec tamen inter se confundi, qui enim unum usurpat, non vult aliis significari: unde, si ex duobus, quorū alter esset *Santiago Lopez*, & alter *Diego Lopez*, prior non posset recipere, & aperire literas, quæ inscriberentur alteri. Et Madriti, quia duo templa sunt

De nominibus Santiago, Iacobo, & Diego. Eundem Divum significant, & tamen non coincidunt nec synonyma censeri possunt.

alterum S. Iacobo, alterum S. Didaco sacrum, legatum in testamento relictum S. Iacobo, à Patribus, qui apud S. Didacum serviunt Domino, non posset accipi.

Sanè hoc Castellanum nomen *Santiago de San Pedro* transit in Linguam Latinam sic. (1) *Iacobus de San Pedro* (2) *Iacobus Sanpedrius* (3) *Iacobus de Sancto Petro*. Et hoc Valentinum *Iayme Samper* sic. (1) *Iacobus Samper* (2) *Iacobus Samperius* (3) *Iacobus de Sancto Petro*.

Santiago de San Pedro. Iayme Samper.

Hisp. *Carlos de Iuan*. Latinè (1) *Carolus de Iuan*. (2) *Carolus Ioanius* (3) *Carol. de Ioanne*, & hinc *Carolus Ioannius*, per duplex *nn*.

Iuan.

Eodem modo procedemus in transferendis Cognominibus Gallicis. nam *Catherine des Deux-ponts* erit Latinè *Catharina* (1) *des Deuxponts* (2) *Deuxpontia* (3) *de Duobus pontibus*, *de Duplici ponte*; vel, ut passim loquuntur, *Bipontina*.

Nonnulla Cognomina Gallica in linguã Latinam vertuntur.

Deux-ponts.

Gall. *Iean de Angely*. Latinè *Ioannes* (1) *de Angely* (2) *Angelius* (3) *de Angelis*, & hinc etiam *Angelicus*.

Angely.

Gall. *Hector de Sainte Maure*. Latinè *Hector* (1) *de Sainte Maure* (2) *Saintemaurius* (3) *de Sancto Mauro*.

Sainte-Maure

Gall. *Pierre du Val*. Latin. *Petrus* (1) *du Val*. (2) *Valius*, vel ut aliqui volunt *Davalius*, & nescio cur *Davallius* (3) *de Valle*. Hisp. *del Valle*. Ital. *della Valle*.

Val.

De Cognominibus Belgicis.

Eædem Regulæ in versione cognominum Belgicorum, & Germanorum observantur. Quoniam Egĩdie ConincK, erit Latinè *Ægidius* (1) *Coninck*, (2) *Coninckius*, aut *Coninckius* (3) à *Rege*, & hinc *Regius*.

ConincK

Ger. Hans BruK Latin. *Ioannes* (1) *Bruck* (2) *Bruckius*, vel *Bruchius* (3) *Ioann. de Ponte*, & hinc *Pontius* per *t*, & *Pontanus*. Hisp. *Iuan de la Puente*.

BrucK.

Et illæ denique Abbatiæ vocari Latinè debent (1) Lilifeld, Furstenfeld Conigsfeld (2) aut si volueris *Lilifeldia*, *Furstenfeldia*, *Conigsfeldia*. (3) aut denique *Liliorum Campus*, *Principum Campus*, *Regis Campus*; aut, si volueris, *Regius Campus*.

Lilifeld Furstenfeld. Conigsfeld.

Et hæc de præsenti argumento adnotasse sufficiant: multa enim alia, quæ addi possent, ad præcedentia debebunt necessariò reduci.

Quæ-

Tertiae de possis Sententiae Iudicium.

QVæris tamen; *Quinam ex his tribus voces interpretandi modis sit cæteris anteferendus?* Respondeo secundum ad Primum reduci. Addo Primum servire, ut familiæ noscantur, quoniam, si admitteretur Tertius magna induceretur confusio: alia enim familia est in Italia *Homo-bonus*, & alia in Hispania *Guzman*, relicta à Gothis, nam *Bonus homo* Germanicè dicitur Gut mann. Ridetur quidam ab Eruditis Prædicans, quod S. Thomam dixerit van wassenburg, hoc est *de Aqueo oppido*, sic enim nomen *Aquinatis* interpretabatur: cum tamen Aquinum in Italia sit, & wassenburgum in Bavariâ.

An Angelicus Doctor possit vocari wassenburgius?

De nominibus ob causam positis.

CÆterùm, ubi nomina ob causam imponuntur, nisi juxta tertiam sententiam transferantur, non poterit percipi nominis ratio: nullus enim Latinus intelligere poterit has nostri Vulgari periodos.

Genes. 3. 4. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ* EVA, *eo quod esset mater omnium viventium.* — Eva.

Genes. 4. 1. *Quæ concepit & peperit* CAIN *dicens, Possedi hominem per Deum.* — Cain.

Genes. 4. 25. *Peperit filium vocavitque nomen ejus* SETH *dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* — Seth.

Genes. 5. 29. *Vocavitq; nomen ejus* NOE *dicens, iste consolabitur nos.* — Nohe.

Genes. 27. 36. *Ille* (Esau) *subjunxit: iuste vocatum est nomen ejus* IACOB *supplantavit enim me en altera vice.* — Iacob.

Gen. 41. 51. *Vocavitque* (Ioseph) *nomen Primogeniti* MANASSES *dicens, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit* EPHRAIM, *dicens, crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* in quam veneram servus, pauper, & miser. — Manasses.

Exod. 2. 10. Exponitur in orâ fluvii Moyses: à Pharaonis filia invenitur, educitur, & nutriri jubetur. Et Salvatrix, *vocavit nomen ejus* MOYSES, *dicens: Quia de aquis tuli eum.* — Moyses.

Math. 1. 2. Deiparæ Archangelus Gabriel, *Paries autem filium*, ait, & vocabis nomen *ejus* IESVM; *ipse enim salvum faciet* (σώσει, *salvabit*) *populum suum à peccatis eorum.* — Iesus.

Luc. 10. 41. MARTHA, (*Martha*) *solicita es, & turbaris erga plurima.* Et alias similes. — Martha.

Nominum Hebraicorum ratio extra Sanctâ Linguâ inveniri non potest.

Quid enim *Eva*, & omnium viventium matri? quid Caino, & hominis possessioni? quid Setho, & positioni? quid Noæ, & consolationi? quid Iacobo, & Supplantationi? quid Moysi, & eductioni? quid Iesu, & salvationi? & tandem quid Marthæ, & solicitudini in Latino Idiomate commune est? ergo si Tertiæ Sententiæ adhæsisset Interpres, & nomina propria fuisset interpretatus impositionis rationem exposuisset: quoniam

Chava. Eva. Vivificantia.

Nominis CHAVA (Lat. *Eva*) radix est, quæ in Cal est *vivere*, in Pihel *vivificare*. Adamus igitur, si fuisset Latinè loquutus, uxorem suam, quia futura erat omnium viventium mater, *Vivificantiam* appellasset. Est etiam nomen masc. *Maternus*, ex quo *Materna* nom. fœm. educitur: ergo potuisset Eva, *Mater*, *Matria*, aut *Materna* appellari Latinè. [Et hic obiter nota Comitis Iuliani filiam, propter quam Hispaniam ipse Agarenis aperuit, quæ *Cava* in Historiis vocatur, *Evam* debere dici: & illud Hispanorum Adagium, *Tan mala como la Cava*, quo exsecrabilis, & perniciosa fœmina significatur, ita debere intelligi, ut illa occasio, non autem perdendæ Hispaniæ causa fuerit: non enim ipsa, sed ejus pater, ut se vindicaret, fuit proditor.

Mater. Matria. Materna.

De Comitis Iuliani filia. Quomodo sit vocata?

An Hispaniam prodiderit?

Canan. Cain. Possidonius.

Radix CANAN, unde CAIN, *possidere* significat: Eva igitur Latinè dixisset, *Vocetur infans hic Possidonius; quoniam possedi Virum coram Domino*: & significantiùs, *quia possedi* θεάνθρωπον, *Virum Deum*. Venturum enim D.N. Iesum-Christum (verum Hominem, & verum Deum), ut redimeret Mundum per revelationem didicerat, illumque ex Caini lineâ proventurum existimabat. Et hîc notare poterit Criticus illud ETH, pro quo Vulgatus posuit *coram*, esse notam accusativi, & appositivè, ita ut latinè sit, & accipi posse.

Suth. Seth. Positius.

Seth, à radice SVTH, *Ponere*. Eva igitur in Linguâ Latinâ tertium filium suum vocavisset *Positium*, & dixisset: *Posuit mihi Deus semen aliud*. &c.

Noach.

Radix NOACH, unde *Noë* (vel ut Critici pronunciant,) *Noachus* est

Quie-

quiescere, & Nvachi, *quies*. Ergo parentes Noæ illum Latinè *Quiescentium* nominassent, dicendo, *Iste, quiescere faciet nos*.

Fallopius.

Fallopia est nota quædam familia, ex qua Fallopius Medicus. Et quid si dixisset Esavus, *Meritò vocatus est* Follopius, *iterum enim & iterum fefellit me*.

Menasse. *Oblivio*.

Nasa. *auferre*.

Manasses (Hebraicè Menasse) *Oblivionem* significat, nam Radix Nasa, est *auferre*, seu *tollere*, & per Metaphoram *oblivisci*; nam ille, cujus obliviscimur, tollitur ex memoria. *Ephraim* autem (Hebraicè אפרים) est *incrementum*: nam à Radice Aphar, est Ophir, *Auri fodina*, Ὄβρυζον *aurum optimum*, πῦρ *ignis*, nec non *Purus*, & *Purpura*? Priorem ergo filium Ioseph, si Latinè loquerētur Ægyptii, vocavissent *Oblivium*: & secundum *Crescentium*; filii enim censentur incrementa Parentum; clamat enim Virgilius, Eclog. 4.

Ephraim. *Incrementum*. Ophir. ὄβρυσον. πῦρ. ignis. Purus. Purpura. Oblivius, & Crescentius.

Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores,
Chara Deûm soboles, magnum Iovis incrementum.

Præterea, quia ab auro habemus *Auratum*, & *Aurelium*, & ab igne *Ignitium*, & *Ignatium*, potuit secundum filium Ioseph his etiam insignire nominibus. Lippomanus. *Posteros igitur meminisse voluit Ioseph, beneficiorum Dei; ideò nominum impositione, velut in propriam illorum carnem inscripsit, Misericordias Domini*.

Masa. Moyses. Extractius.

Verbum Masa est *extrahere*, & in Hebræo Moyseos nomine derivatio percipitur; & in Versione Latinâ etiam perciperetur, si illum Ægypeia Princeps vocavisset *Extractium*, quoniam ex aquâ extraxit eum.

De Venerabili nomine Iesu. Quid significet & unde dicatur?

Hebraicè Mundi Redemptor, Sanctissimus Dominus Noster Iesva, *ἰησοῦς*, *Iesus*, dicitur, à Radice Iasa, *salvare*; si Græcè loquutus fuisset Gabriel, dixisset, *Τέξεται γὰρ ὑιὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σωτῆρα: αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν*. Et, si Latinè, *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* Salvatorem: *ipse enim salvabit populum suum à peccatis eorum*.

Bis Lucæ 10. 41. legitur in vulgato vox *Martha*; in primo autem loco est illius Virginis, quæ erat Mariæ, & Lazari soror, nomen: in secundo est verbum, & sonat, *Tu es solicita* (ut videas Dominum nostrum Iesum-Christum eloquentissimè loquutum fuisse.) Sanè, si illa vocaretur *Solicita*, & Dominus egisset Latinè, dixisset, *Tu Solicita, solicita es, & turbaris erga plurima; cùm tamen unum sit necessarium*.

Vox Martha est æquivoca ejus homonymia explicatur.

NOTA I.

De Theologiâ Græcorum. *An, & quo modo Aegyptiaca ipsi nomina in suam Linguam transtulerint?*

Græci Theologi duru, & barbara Ægyptiorum Deorum nomina, eorūdem significationem retinentes, in propriam linguam transtulerunt.

Tertium hunc interpretandi Propria Nomina Modum, quem in Hebræis Vocibus nuper edisserebam, sectati fuerunt Græci, ubi Theologiam Ægyptiam in proprium Idioma transtulerunt: nam, cùm barbara illorum Deorum nomina horrorem sonitu solo incuterent, emolliri debuerunt; &, ut id fieret, Antiqui Interpretes, rem veriùs, quàm vocem retinentes, in alia æquipollentia, quorum esset similis significatio, transtulerunt. Id asseverat Plato, qui *in Critia*, postquam prævenerat Lectorum animos, dicens, ut Kircherus testatur, *Antequam referam, admonendi estis, ne miremini, si plurima Barbarorum nomina Græcè nunc audiveritis*: Et rationem ob quam id præstitum sit exhibiturus, has periodos scripsit.

Σόλων ἐπινοοῶν εἰς τὴν αὐτοῦ ποίησιν, καταχρήσασθαι τῷ λόγῳ διαπυνθανόμενος τὴν τῶν ὀνομάτων δύναμιν εὗρε τοὺς δὲ Αἰγυπτίους τοὺς πρώτους ἐκείνους αὐτὰ γραψαμένους εἰς τὴν αὐτῶν φωνὴν μετενηνοχότας αὐτὸς δὲ αὖ πάλιν ἑκάστου τὴν διάνοιαν ὀνόματος ἀναλαμβαίων εἰς τὴν ἡμετέραν ἄγων φωνὴν ἀπεγράβετο, καὶ τ' αὐτὰ γὲ δὴ τὰ γράμματα παρὰ τῷ πάππῳ τ' ἦν καὶ ἔτ' ἐστὶ παρ' ἐμοὶ νῦν διαμεμελετήταιδὲ ὑπ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος. ἂν οὖν ἀκούητε τοιαῦτα οἷα καὶ τῇδε ὀνομάτα μηδὲν ὑμῖν ἔστω θαυμα. Τὸ γὰρ ἄιτιον αὐτῶν ἔχονται μάκρου δὲ δὴ λόγου ἡ ἀρχὴ τοτε, καταπερ ἐν τοῖς προσθενελέχτη περὶ τῶν Θεῶν λήξεως, ὅτι κατενείμαντο γῆν πᾶσ.

Solon, cùm cogitaret, illa (Ægyptiorum Deorum nomina) *carminibus*

*] Sed & id ipsum olim Ægyptii Sacerdotes præstiterant: quoniam & illa Numina non fuerant nata, aut inventa apud ipsos, sed à Chaldæis accepta; & illorum nomina, ut vulgò ab omnibus intelligerentur, Ægyptiacè illæsa significatione, reddiderunt.

but suis inserere (& dilucidare) *vim ipsam nominum* (hoc est etymon & significationem) *est perscrutatus; invenitque primos illos Aegyptios harum rerum Scriptores in* [*] *suam linguam ea nomina transtulisse. Quare & ipse* (eorum videlicet exemplo insistens) *rursus uniuscujusque nominis sensum accipiens, in vocem nostram convertit. Atque hac Scripta apud avum meum erant, & nunc apud me sunt: cogitata jam olim puero mihi. Si ergo talia nunc audieritis nomina, qualia apud nos sũt, ne miremini; nam hujus rei causam intelligitis: longâ verò oratione sit opus, si à principio narrem id, quod jam antè dixi, de sortitione Deorum, & ut terram inter se universam distribuerint.* &c.

Quo terram modo Dii inter se distribuerint?

Et huc *in Epigramm. de Earino* Martialis respexisse videtur, quoniam Græca adsumit vocabula, quæ causæ & voci Latinæ respondeant: sic enim scribit.

Quæ nomina sint Oporinus, *&* Chimerinus.

Si daret Autumnus mihi nomen Opórinos *essem.*
Horrida si Bruma sydera Chimerinos.

De Accentibus. An Græci malè vocibus impositi sint?

Est autem Græcè ὀπώρα, *autumnus,* & χειμών, *hyems,* unde ὀπωρινός, *autumnalis,* & χειμερινός, *hyemalis.* [& interturbaretur Metricus syllabarum decursus, si voces istę accentu Græco pronunciarentur. Falsæ ergo sunt, & à Iunioribus inventæ Regulæ, quæ Accentibus loca præscribunt, ut superiùs persuasi.]

An eadem materialis vox in diversis linguis habere possit diversas significationes?

SOlet contingere, ut nomina, quæ in unâ linguâ sunt propria, in alia sint appellativa, aut sortiantur saltem significationem differentem; & ideò non sine gratiâ Critici, retenta materiali vocabuli pronunciatione, ex una linguâ in aliam transeunt, ut constat ex exemplis sequentibus.

De Solaribus, & Lunaribus literis.

Aliphbethi sui literas in Solares & Lunares opportunè dividunt Arabes & Saraceni; hæc enim juvat illos divisio, ut expeditiùs Communis Grammaticæ doceant Canones. Germanis unica sola placet litera, quam *auream* dicunt; nimirùm S: vocatur enim *es,* hoc est *comede*: ipsi enim comessatione delectantur, unde jam in παροιμίαν transivit,

Wallo bibax, Hispanus edax, Germanus utrumque.

Et nomen hujus literæ plerique omnes canes cognoscunt; nam unusquisque puer panis frustum rostro canis sui superponit, & morosè Abecedarium percurrit. Singularum literarum nomina successivè pronunciat; & immobilis, ut cautes Marpesia stat canis, non enim illorum auditione movetur. Verùm enim-verò, ubi *es,* (hoc est, *comede*) desideraram vocem, audit, in altum panem excutit, & collabentem in os recipit, & circumstantes pueros recreat. &c.

De litera S. Abecedario Germanico.

An Canes nomen ejus cognoscant?

De librorum Moyses Hebraicis, Græcis, & Latinis nominibus.

Librorum, Capitum, imò etiam Versuum nomina, à primâ dictione in Sacrâ Scripturâ sumuntur. De primo libro Moyseos Vatablus. *Primum istum Mosis librum Septuaginta Interpretes* Γένεσιν *inscripserunt: id est,* Generationem, Procreationem, *&* Originem: *quòd in eo ostendatur, Mundum à Deo conditum fuisse; neque illum esse creationis expertem, ut nonnulli Philosophi existimarunt.* &c. *Hebræi verò* בראשית, *à primâ totius libri dictione, appellaverunt:* Beresith *enim significat* In principio. *&c.* Et ob similem causam secundum librum, quem, quia exitum Israël de Ægypto, Domûs Iacob à populo barbaro, accuratè describit, Græci nominãt ἔξοδον, שמות, Semoth, *Nomina,* Rabbini appellant. Tertius, qui Græcè meritò appellatur Λευιτικός, nam omnia, quæ pertinent ad officium Levitarum, edisserit, à primâ dictione in linguâ Hebraicâ nomen habet, dicitur enim Viqra. *Et vocavit.* Quartus Ἀριθμοί Græcè dicitur, Latinè *Numeri,* Hebraicè autem Bemidbar, *In deserto.* Græci nominis ratio ab argumento libri sumitur: quoniam in ipsâ libri fronte Moyses & Aaron Israëlitici populi ineunt numerum. Latinus Græcum nomen transtulit in suam linguam: & Hebræus ex primo versu illam dictionem sumpsit, quæ historiæ optimè consonabat. Quintus liber dicitur τὰ Δευτερονόμιον: nam Δεύτερος est *secundus,* & Νόμος, *lex:* Δευτερονόμιον, *secundaria lex sit.* Non, quod in eo tradatur alia, sed quod tradita in monte Sinai reponatur, & scholiis dilucidetur. Et in hoc sequuti sunt ipsummet Moysem, qui *cap.* 17. 18. Misne hathorah, *Iteratam, aut secundariam legem* scripsit; ipsi autem Septuagintà vertunt Δευτερονόμιον.

De Genesi.

Exodo,

Levitico,

Numeris, & Deuteronomio.

Non nova, sed eadem ipsa iterum publicata lex dicitur Δευτερονόμιον.

νόμιον. Et à primâ lineâ Debarim, *Verba*, Iudæi denominarunt.

Quomodo Canones, Leges, & Paragraphi citare soleant?

Hebræos imitantur Canonistæ & Legistæ, nam Pontificias, Cæsareas, Regiasque leges verbo illo, quod in illarum initio ponitur, solent significare. Et eumdem citandi locos morem amplectuntur aliquando Theologi, præcipuè quando allegant paragraphos.

De versu Vaf. Vbinam ille sit?

Et hic obiter nota, in Levitico capitis XXVI. versum 44. incipere Vaf-gam, *Et tamen etiam*. Et, quia *Aff* apud Germanos sonat *Simiam*, de hoc versu Germani Rabbini multa comminiscuntur. Alstedius *in Lingua Sancta Lexico*. *verb.* אף. sic scribit. *Iudæi versum* 44. *capitis* 26. *Levitici*, *vocant* Auream Simiam [Den guldenen affen] *quia in isto versu occurrit particula* אף, *Quid ex illo Iudæi se sperare asseverēt?* Aff. *qua Germanis est* Simia. *Sic autem vocant istam periodum, quia inde sibi pollicentur certissimam ex hodiernâ servitute liberationem. Et hanc Simiam meritò aureis literis scribendam esse contendunt.*

Aff. Germanicè est Simia.

NOTA II.

An Propria interdum Nomina adjectivè sumantur? De Agar, & Agarenis. An communis Mahometanorum Aera, quæ Hegira *dicitur, ab* Hegit, *quod est* fuga, *ducendum sit?*

Crebrò Poeta in Propriis Nominibus ludūt.

Solent hominum & rerum Propria Nomina in Appellativa transire; nam si gloriosa sint, ad hujusmodi transformationem [a] concurrit Adulatio; &, si ignobilia, Invidia. Et quidem de his [*Caballero*, *Rico*, *Bueno*, (*Guzman*, Germanicè Gutt mann) *Imperial Rey*, *Duque*, *Marques*, *Conde*, *Biscondé*. &c. nec non de his *Ladron*, *Verdugo*, *Mantilla*, *Zapata*, *Sierpe Robles*, *Encina* (*Ocico de Puerco*) [b] Latinè *Os porci*.) *Cabeça de Vacca*, *Cordero*, [c] *Carnero*, (*Malhecho*, Italicè [d] *Malfatto*) & aliis similibus Domuum Illustrium cognominibus multa possem adducere, quæ copiosò Hispani Poëtæ cornu in sua Poëmata & Discursus profundunt. Sed, quia hæc omnibus nota sunt, & passim in libris Recentiorum occurrunt, universa intermittam, & unicum nomen exponam, quod ad Mahometanorum ignominiā Christiani ingeniosè obtorquemus.

Bene, & male sonantia Nobilium Familiarum Cognomina.

De Aera Mahometanorum, ad quam supputant suos annos Arabes.

Aera illorum, à quâ supputant annos, nominatur *Hegira*. Et quid hæc vox importat? *Agarenicam Aeram*. Et quo illam modo passim interpretamur? Quia Saræ ancilla, Ismaëlis mater (à quâ Agareni, qui Saraceni [e] volunt dici, proveniunt) dicebatur *Agar* (Arabicè *Hegir*) & hoc nomen *fugam* etiam significat, jubemus esse commune, hoc nomen proprium, Aeramque Agarenicæ Gentis appellitamus *Aeram fugæ*.

Quæ fuerit Agar?
Vnde provenit Agareni?

Quid sit Hegira?

Probo hoc ultimum manifestis Mathematicorum testimoniis. P. Ioannes Baptista Ricciolius in Astronomiæ Reformatæ Tab. XXII. pag. 17. [Hegiræ, seu Mahometanicæ fugæ ex Mecchâ. Annus hic primus Lunarium repedantium inivit die 16. Iulii: Feria VI. Cyclo Solis 23, Lunæ 15. Indictione Romanâ 10: Periodi Iulianæ anno 5335. currente adhuc Nabonassari 1370. ut pote inito die 21. Martii. Vtuntur hac Arâ Mahometani Arabes & Turcæ. Esto alia Secta Arabum quam sequuntur Alphonsini, ponat Hegiræ initium 15. Iulii. Choerac 27. Feria V. &c.] Et pro calculi facilitate *pag.* 5. his verbis Præceptum XXII. proponit [Feriam investigare in anno Arabico Hegiræ per Cyclum Arabicum.] & asserit Amurathen II. Imperatorem Turcarum obiisse anno Hegiræ 855. die 1. Muharram. &c. Ismaël Bullialdus *in Astronomia Philolaica Tabulis pag.* 6. [Hegira seu Fuga Muhamedis ex Mecchâ in Iatrib, incipit anno 1622. Iulii die 16. Feriâ VI. &c. Hoc anno 1644. incipit Hegiræ annus 1054. Martii die 10. Stylo Novo: & Febr. 29. antiquo] Genebrardus *in Chronico ad Christi annum* 623. *currentem*. *pag.* 483. *b.* [Arabes & Mahometani ab Hegira, cujus initium fuit anno Domini 621. quo homo perditionis Mahometes jura & leges dare cœpit, annos suos numerant. *Alphonsus*. Nam errant & Afri, qui ejus principium faciunt anno Christi 591. vel 592, quo Mahometen natum putant: &, qui anno 623. quo Mahometes primam expeditionem (quod sonat vox Hegiræ) suscepit pro Religione. Ejus Regni annum primum orditur Isidorus Pacensis ab anno Christi 617. ex Historiis Ara-

An Hegira sit fuga?

Hegira, seu Aera Mahometanorum initium.

Quando Amurathes II. Turcarum Imperator obierit?

Regis Alphonsi, & Maurorū, quibus in Editione Tabularum fuit usus, deteguntur errores.

Arabum; quod & nos in Regum illîus impii Imperii successione recensendâ sequimur.

Circa rem ipsam. Prodetit sanè habere & Mahometis & ejus Sectæ aliqualem notitiam. Ergo attende.

Quis, & qualis Mahometus fuerit & qualem Sectam instituerit?

Apud Timannum Gesselium ad annum Christi 630. ex Theoph. Diac. Zonara & Cedreno Petavius. [Machomet, Pseudopropheta, & Arabum Princeps, exitialem condidit Sectam, quam, & armis longius extendit. Hîc de camelorum Pastore locupletis heræ conjux factus, in Palestinam abiit, ubi cum Christianis, Iudæisque colloquens adjutore Sergio Monacho, qui ob hæresim Ecclesiâ ejectus erat, & omniũ Sectarum colluvione, nouum illud fabricatus est monstrum, cui stolido mendacio auctoritatem addidit. Cũ enim à Dæmone, & comitiali morbo iactatus identidem corrueret, mœrenti ob id uxori persuasit, Gabrielis se Angeli conspectu, & colloquio consternatum sic affici. Id confirmante Sergio, mulierculæ operâ latiùs dissipatum, ac vulgò creditum est. Scribit Theophanes, decem annis occultam hæresin illum habuisse, ac nouendecim posteà vi, ferroque propagatam asseruisse. Illud constat ann. C. 622. Iulii die 26, feriâ sextâ fugam arripuisse, cùm ob erroris novitatem de vitâ periclitaretur. Ab hâc fugâ, quam *Hegiram* vocant Arabes, idest διωγμὸν *persecutionem*, nova illorum Epocha proficiscitur.]

De ejus revelationibus.

De Sergio Monacho.

De Hegira, Arabum Æra.

Quid διωγμὸν sit?

Exponuntur nomina Agar, & Agareni.

Circa nominis significationem esse potest varietas; nam est Radix antiquata הגר Iohannes Leusden *in Onomastico Sacro* [הגר, Agar, advena, seu peregrina: aut ruminans, vel timens: ancilla Abrahæ Genes. 16.1.] & statim. [הגרים *Agareni*. Nomen Populi. 1. Paral. 5.10.] Et, si hinc nomen *Hegiræ* deducatur, erit *Timor*, & *Peregrinatio*. Sanè Genebrardus, ut vidisti, *pag.* 483. §. *Arabes* hanc vocem sumit pro *expeditione*. Interim subscribit paulò post [Hegiram, non *expeditionem*, sed *Fugam* Ioannes Leo Arabs interpretatur in Africæ descriptione, quam ab anno 592. orditur: unde & Annus Christi 1592. erit Mahometis Hegiræ millesimus.] Fugæ causam dedit nova Religio, scribit enim in vita Mahometis Abubecrus. [*] *Et surrexit Mahomet nocte post Novilunium fugiens ex Mechâ propter eos, qui antè infideles erant, & illi gustarunt pœnam negotii sui, & eis pœna doloris plena, eò quòd venerint ipsis* (ad ipsos) *Apostoli eorum cum contractibus, & dixerunt, An homines dirigent nos? Et infideles fuerunt, & tergiversati sunt, & spreverunt legem ejus insidiantes vita ejus, & ideò fugere coactus est.*

An Hegira sonet expeditionem?

*] Verba ipsa Arabica apud P. Athanasium Kircherum in Oedipi tom. 1. Syntagm. 4. §. 3. pag. 351. reperies.

Interim Hegiram non *Fugæ*, aut *expeditionis*, sed neque διωγμοῦ *persecutionis*, ut volebat Petavius, sed *Agarenorum* Æram esse testatur Eruditissimus Kircherus dicens [Ab hac fugâ annos hodie supputant Mahumetistæ omnes, & vocant *Senathil begirathi*, vel *Tarichil hegirathi*. ANNOS FUGAE. Auspicatissimam sanè legem, quæ à fugâ incipit, & fugacibus nebulonibus! Sed hoc purum putem mendacium; nam *begirath* est nomen Gentis Agarenæ, & Regionis, cui etiam adtributa est Mecha. Quare Æra illa non est *Æra Fugæ*, sed *Æra Hagarena*. Quia tamen etiam Arabes interpretantur *Fugam*, esto fuga sanè, & fugiant omnes Mahumetani, quò, & quantùm libuerit. Nos verò Antiquitatem ab illorum mendaciis tutam asseremus, qui scimus illam vocem primigenia notione ab Hagarenis, non à Fugâ duci. &c.] Et ego Kircheri Resolutionem hac ratione clarâ, & manifestâ confirmo. In anno, mense, & die, quo Mecha Mahometus fugiens in Medinam se contulit universi Saraceni conveniunt; at in Hegiræ initio Populi diversi non conveniunt: ergo *Hegira* nomine non intelligunt *Fugam*. Probatur Minor: quoniam diversi apud Arabes populi, jam à nativitate Mahomedis, jam à prædicatione, jam à prima victoria Æram *Hagarenam*, quam vocant, subputarunt.

Kircherus loc. cit.

An Mahometanorum Æra nomen habeat à fuga?

An ab Agar: ita, ut Latinè sit Aera Agarenica?

Probatur hoc posterius clarissimè.

a] In dictione duo sunt consideranda, sonus & significatio. Materiam (nempe, syllabas, & literas) ille importat: hæc est forma, quæ sonum afficit, & dictionem constituit. Quando manente significatione (forma) mutatur sonus (materia succurrit Tropus, qui Μετονυμία Græcè dicitur, & Latinè *Transnominatio*: at verò, cùm manente sono (materia) mutatur significatio (forma) posset Μεταμόρφωσις, seu *Transformatio* nominari.

b] Succurrit hæc historiola, quæ Madriti non procul à nostra domo accidit. Contractus de nescio qua re celebrabatur. Eum scripsit Notarius, adsunt testes. Primus erat Ioannes Cordero. illum scripsit: erat alter Ioannes

Quid pro materiali, & quid pro formali dicatur dictio?

Metonymia. Metamorphosis.

Qui malè sonantia habent nomina passim videri solent.

Carnero. Ejusque audito nomine Notarius excanduit. *No soy hombre de burlas* furibundus exclamat, *y es mal hecho hazerla de un Ministro Real: porque si el primer testigo fue Cordero, y el segundo Carnero, el tercero sera sin duda ninguna Cabron.*

De familia qua ab Ore Porci nomẽ habet. Sergium illa Secundum Sũmo Pontificatui dedit.

c] Familia, cui nomen *Os Porci*, apud Italos nota Sergium II. Summum Pontificem ann. 844. Romanæ Ecclesiæ dedit. Genebrardus. [Vir fuit pius: primusque Pontificum mutavit nomen suum, nam anteà Osporcius appellabatur. *Platina*. Successores magna ex parte id sunt imitati.

De Malefactorum familia.

d] Ex hac familia anno 1647. erat in Bohemia Dominus Malfatti, Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis Secretarius. Hic, quia occasione nominis passim patiebatur Scomata, imperravit privilegium à Cæsare, ut *Benfatti* nominari deberet: indicta aureorum octoginta pœna illi, qui se *Malfatti* imposterum vocare auderet. At hoc erat sine ulla prorsus causa expungi ex avorum familia, & nulli inseri.

An Titius, qui ex illa, prudenter suum nomen mutarit?

NOTA III.

Quanam fuerint Romanorum fugalia?

De Fugalibus. Qua festa fuerint?

SAracenorum Æra (quam aliqui, ut vidimus ab *Hegir*, quod *Agarem*, & *fugam* sonat, *fuga Æram* vocitant, jubentes nomini esse appellativo) Festa illa Romanorum, quæ *Fugalia* vocantur, in memoriâ reducunt. Fuerunt Romæ post exactos Reges, ut posteritas nosset fuisse à Regum tyrannide liberatam Rempublicam, magno consilio, & judicio instituta. Mense illa Februario post Terminalia celebrabantur, dicebanturque à *fuga*, & agebantur die, quo Tarquinius, suæ vitæ consulens, ad Porsenam, Hetruscorum Regem, & Romanorum hostem fugit; qui enim à suis hostis publicus declarabatur, asylum invenit apud hostes Reipublicæ. Et ideò Censorinus *de die geniali* festũ hoc *Regifugium* appellat. De illo David Origanus ann. 1629. mens. Septembr. post Syzygias Lunares sic scribit [XXIV. Februarii, seu VI. Calendas Martii Regifugium celebratum est. Dictum, quod eo die Tarquinius Rex, ob tyrannidem, & libidinem suam, vimque Lucretiæ illatam, fugere coactus sit.]

Quare, & quo die celebrarentur?

De lascivia, qua in iis permittebantur.

Illâ die de Regis lascivia, & Lucretiæ Castitate agebatur memoria; &, qui propter hanc deberent modestissimè agere, habenas laxabant libidini, putabantque Tarquinii dignè meminisse non posse, nisi in omnem turpitudinẽ dissolverentur. Augustinus, *Sed demonstrentur loca talibus aliquando conventiculis consecrata, non ubi ludi agerentur obscœni, vocibus, & moribus histrionum; nec ubi Fugalia celebrarentur, effusa omnium licentia turpitudinum; & verè Fugalia, sed pudoris, & honestatis.*

Augustinus libr. 2. de Civitate Dei.

De Æra Rebellium.

Solent Rebelles annos à die libertatis indeptæ numerare, unde Barlæus, & alii Hollandi suos annos numerant,

Ex quo libertas sanguine capit emi.

Ergo, si Romani ab exactis Regibus annos nominare voluissent Æram suam Arabicè *Hegiram*, & Latinè *Epocham fugæ* nominarent.

NOTA IV.

De ipso Æræ nomine. Unde originem traxerit?

Quid sit Æra.

MUlta de Æra Saracenorum diximus; & Critica investigat Curiositas, ut quid *Æra* sit, & unde hæc vox proveniat, exponamus.

De Æra Augusti.

Æra est determinatus aliquis dies, ex quo Chronologica exordium sumit supputatio. Sic Æra Mundi à Mundi creatione annos dinumerat; & Æra Christi, à Domini Nostri ex Purissima Virgine Nativitate. Isidorus *libr. 5. cap. 36. Etymol.* sic statuit. [Æra singulorum annorum constituta est à Cæsare Augusto, quando primùm censu exegitato Romanum Orbem descripsit. Dicta autem *Æra* ex eo, quod omnis Orbis æs reddere professus est Reipublicæ.]

Unde dicta?

An Aera dicatur ab Aere?

Etymon hoc improbat Ioannes Genesius Sepulveda apud Ioannem Vasæum *in Chronic. Hispan. cap. 22. pag. 218. & 220.* & aliud substituit his verbis. [Hujus verò vocis *Æra*, quam noster Isidorus, Auctor alioquin gravissimus, & fere posteri, ad æream monetam, & tributum ab Augusto Cæsare in descriptione Orbis imperatum refellendam falsò putarunt, rationem paucis explicabo. Veteres enim initio (ut equidem pro comperto exploratumque habeo) scripturas claudentes, tempus ad hunc modum adscribebant.

Quo olim modo Instrumentorũ tempus subscriberetur?

Acta fuerunt hæc, exempli gratia, *Corduba pridie Cal. Maii Annus erat Augusti Cæsaris centesimus quinquagesimus*. Deinde brevitatis causa sic verba ad annum pertinentia signabant. *A.ER.A. CAES. CL.* initia dumtaxat verborum punctis distincta

An ex literarũ compẽdiis vox Aera sit tandem conflata?

cta pro totis verbis notantes, vetustissimo propetantium librariorum more. Et hujusmodi multa in tabulis æneis, & lapidibus olim scripta licet animadvertere. Postea librariorum tabellionumque temeritate, & insciria punctis ablatis scribi cœpit AERA CAES. & ab aliis magis etiam properantibus AERA, dumtaxat adhibito numero per notas. Quo errore latiùs serpente, quævis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primùm ab Hispanis, deinde à cæteris Astrologis *Æra* cæpit nuncupari.] Placuit Vasæo hæc derivatio, illamque adprobaturus, si authoritate fulciretur, rogavit virum doctissimum Didacum Neilam, Canonicum Salmanticensem, uti per literas percontaretur Sepulvedam, an aliquam haberet opinionis suæ autoritatem. Respondit ingenuè, ut candidum virum decebat, nullam se habere præter conjecturam verisimilem.

An ratio Sepulveda careat authoritate?

Hanc vocis derivationem approbat Passeratius, eamque suo Calepino inseruit, dicens. [*Æra* pro Epocha. Vox est corrupta. Hispani enim, cùm ipsis admodum salutare esset Imperium Augusti Cæsaris, curarunt, ut rerum actarum annos ab Augusto repeterent.ex.gr. *Acta sunt hac Toleti Kalendis Martii A.ER.A.CCL.*hoc est, *Annus erat Augusti* 250. Tabelliones autem unam vocem fecerunt *Æra*.] Et subjungit [Sunt qui & *Heram* vocant, id est, *Monarchiam*, quæ vox est corrupta Hispanica. Sic *Æra Cæsaris* est ipsius Monarchia.] Quod mores Politici adfirmare videntur, nam in Bullis, & Diplomatibus legimus *Pontificatus nostri*, &c. *Imperii nostri*, &c. *Regni nostri*, &c. *anno tali*.

Opinio Passeratii.

An Aera dicatur quasi Hera, & proveniat ab Hero?

Vtramque hanc impugnat; & rejicit derivationem L.Andreas Resendius, [a] cujus Epistola, quæ prostat apud Vasæum *loc. cit. pag.* 221.in fine hæc habet. [Quibus ego verbis partim, partim etiam ipsa ratione adducor, ut eredam, neque ab Ære dando vocatam *Æram*, ut putavit Isidorus; neque ab hero *Heram*, ut somniant nonnulli; sed simpliciter à nota numeri, quod *Æra* sit nota, vel supputatio, ut Faustus interpretatur. Ad quam rationem Alphonsus Hispaniarum Rex suam temporum supputationem *Aeram* adpellarit. Siquis autem roget, Satis-ne id latinè? respondebo Nonii Marcelli verbis. *Aera*, inquit, *numeri nota*. *Lucillius* [*] lib. 29. *Hac est ratio perversa, ara numeri subducta improbè*. Igitur ab initio ratio hæc numerandi tempora abusque Augusto cœpta, *Aera* nominata est. Neque movere quempiam debet ejus vocabuli usum apud probatos Auctores minimè inveniri.

Resendii Opinio.

An Aera significet numerũ? An satis Latina vox sit?

*] Nomen Lucillius, quod per *ll* literam duplicem Resendius exprimit, per simplicem pag. 217. Vasæus scripserat.

Multa renascentur, qua jam cecidere; cadentq;
Qua nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

ait Horatius. Meus Vasæe huc inclinat animus. Sicui aliud placuerit, suo fruatur judicio. &c.]

Pendent ab usu & approbatione vocabula.

Addamus aliam adhuc derivationem. Dicebat Egl. 1. apud Virgilium Melibœus.

Alia de eadem voca sententia.

En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis, & tiguri congestum cespite culmen.
Post aliquod (mea regna videns, mirabor) aristas.

Aristas accepit pro messibus, & *messes* pro annis, ut sensus sit *post aliquot aristas*, seu *post aliquot messes*, hoc est, *post aliquot annos, mea regna videns, seu considerans admirabor*.

Arista. Messis. Annus.

Et sanè per messes numerari annos apud alios Autores certum est. Lego in Calepino Passeratii. [*Messibus* pro tempore messis. Plinius libr. 22. cap. 13. *Semen colligi messibus oportet per messes*. Idem libr.23. cap.7. *Radix per messes incisa, succum dat aptissimum dentium dolori*.] Et subjungit [*Messim* accusativus pro *messem*, apud Plautum in Mostell.], Ergo *per tot messes* erit *per tot annos*.

Messis *in ablatiuo habet* messem, *&* messim.

La Era Hispanis locus est; in quo messes ponuntur, & teruntur, aut excutiuntur; & pro *messe* ipsa sumitur. Ergo dicere *Pedro vivió cinquenta Agostos*, aut *cinquenta miesses*, aut *cinquenta eras*, erit apud Hispanos idem, ac *vivió cinquenta años*.

Quid apud Hispanos sit la Era?

a] Quia literam præpositionum ultimam multi in compositione cum sequenti confundunt, & alii, ut significantiùs loquantur, illæsam servari præcipiunt; & ex horum numero Resendium esse video, qua Orthographia ille delectetur, producendo aliqua ejus verba ex-

De Orthographia.

An accipio, appello, *&c. an verò* adcipio, adpello, *&c. debeas scribi?*

plicabo. Sic enim inquit. *Literas tuas accepi* &c. *accepi autem*. &c. *tum adpellare*. &c. *accuratiùs paulò respondere*. &c. *manifestè adpares*. &c. *à patribus accepta*. &c. *adsenearatur*. &c. *posteà quàm conlabi* &c. *supputationem Æram adpellaris*. &c. est autem Resendius ingeniosus, & eloquens, & scribendi modum, quem ipse tenuit, multi hodie Scriptores observant.

NOTA V.

Quid Doctorum *nomine in Tridentino Concilio intelligatur? An, & unde restringi debeat nomen* Doctor? *An à nomine* Monachus *per analogiam possit resolutio, & restrictio desumi?*

Alii Monachi, Professionis, & alii Devotionis sunt.

SVNT duo Monachorum genera; alii enim *Professionis*, & alii *Devotionis* nominantur à Populo; possentque appellari in Scholâ priores *Religiosi secundum esse*, & posteriores *Religiosi secundum dici*. Terminos, seu voces expono. Professionis, & secundum esse Religiosi sunt, qui in Monasterio vivunt, & Regulam, quam sunt professi, diligenter observant: Alteri autem pueri, quos Parentum devotio habitu Religioso investit: qui vel in Monasteria suscipiuntur ut hospites, dicunturque *educandi*; vel apud parentes manent. Et præter tonsuram & habitum, nihil, quod sit Religiosum, præseferunt. De utrisq; agit S.Benedictus in Regulâ: & quidem de Monachorum generibus Cap.I. ubi, licèt quatuor (genera) enumeret, ea reducit ad duo: nam Cœnobitæ sunt Monachi *secundum esse*, & cæteri *secundum dici*. Agit posteà, de *devotionis Religiosis* cap. XXXVII & LIX. & de *professionis Religiosis* in omnibus aliis capitibus.

Alii secundũ esse, & alii secundum dici.

S. Benedictus in Regula.

An Doctorum alii Professionis, & alii Devotionis sint?

Sicut Religiosi, sic & Doctores solent in duas Classes distribui: alii enim sunt Professionis Doctores, & alii Devotionis tantummodò. Illi profitentur Facultates, & Scientias, & in aliquâ nobili Academiâ sunt ad Lauream Doctoralem promoti, & possunt servire Reipublicæ. Isti merum nomen Doctorale præ se ferunt; & quia in Vniversitate comparêre non audent, à Comitibus Palatinis, qui contradicentibus aliis nescio quæ privilegia obtinuisse dicuntur, Lauream Doctoralem recipiunt; &, quia literas nesciunt, & tamen de omni ente dextrorsũ, sinistrorsum consulti, aut etiam non consulti, respondent, sua nocent audaciâ, & temeritate Reipublicæ. Illi Doctores sunt *secundũ esse*, nam revera sunt docti: hi autem *secundum dici*, quia docti non sunt, & tamen *Doctores* dicuntur. Sarabaitas, qui Religiosi *secundum dici* sunt, his coloribus Sanctus Benedictus depingit. *Sunt*, inquit, *qui nulla Regula approbati, experientia Magistri, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur*. Et mihi præscribit ideam, ad quam possim Imaginem Doctorum *secundum dici* accuratè depingere. *Sunt*, inquam, *hi Doctores, Magistri, & Licentiati, qui docent, qua non didicerunt; & quia vocantur* Magistri *in scientiis, in quibus nunquam fuerunt discipuli, amplam habent pleraque omnia ignorandi licentiam. Hi profectò in nulla Vniversitate approbati, destituti scientia, & experientia, appellantur* Magistri. *Et, qui deberent esse meliores, & illustriores auro, sunt molliores, & obscuriores plumbo; & dum Facultates exercent, quas ignorant (vel conscientias in foro interno dirigere; vel lites in externo dirimere; vel infirmos recurare præsumant) mentiri Deo, & Reipublica per Lauream indignè susceptam noscuntur*.

Quales utriq; sint, explicatur.

Quinam & quales sint Monachi Sarabaitæ?

An sint Monachi secundũ dici?

An illis, Doctores, qui à Comitibus Palatinis promovẽtur, sint similes?

Hac doctrinâ præmissâ aperiamus Concilium Tridentinum, & Sess. XXIV. reperiemus Decretum de Reformatione, & in ejus Cap. XII. hæc verba. *Hortatur etiam Sancta Synodus ut in provinciis, ubi id commodè fieri potest; Dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico*.

Vult Tridentinum ut soli Doctores, Magistri, & Licentiati, ad Dignitates promoveantur.

Et quidem verba hæc occasionem præbuerunt Viris doctis, inquirendi, de quibus Doctoribus & Magistris intelligenda veniant: an de Professionis Doctoribus, qui *secundum esse* tales sunt, & ad publicum suæ doctrinæ, & sufficientiæ testimonium Laureâ Academicâ condecorantur: An verò Sacra Synodus Doctores, qui *secundum dici* tales sunt, qui non Academicâ Laureâ, sed Palatinicâ notantur, ad Dignitates, & Canonicatus admittat?

Proponitur Dubium circa mentem Concilii Tridentini.

Vt hoc dubium tandem decideretur, Collegium Theologorum Regiæ Ticinensis Vniversitatis scripsit, & dedit has literas.

Ad Illustriss. ac Rever. Dominum D. Io. Paulum Zaccaria Regioducalem Præpositum Scalensem, nec non Apostolicum, Regiumque OEconomum in Dominio Mediolanensi.

N. B. Sicut negare non audebo aliquos interdum Viros doctos, quia sunt pauperes, & expensis, quæ in Claris Vniversitatibus fiunt, non sufficiunt, necessitate pulsi ad Comites Palatinos recurrere, mihi non audebit negare Lector Cãdidus, plerosque omnes, qui à Palatinis umbratilem hanc Lauream suscipiunt, esse homines prorsus imperitos, & cum ignominia doctorũ nomen Doctorum usurpare. Habere ergo patientiã debent illi pauci quoniam ut *libr. 3. Annal.* inquit Tacitus *In omni lege oportet, ut sint aliquibus injuria (lege incommoditas) nam legi ipsi sufficit, ut multitudini ex ea bene consulatur.* Vide P. Mendum *in Epitomes Appendice. pag. 734. num. 2.*

CVM Concilii Tridentini sess. 24. *Decreto de Reformatione Ca. 12. hortetur in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, omnes Ecclesiasticas Dignitates conferendas esse Magistris, vel Doctoribus in Sacra Theologia, vel Iure Canonico, atque adeo meritò quis ambigere potuisset, an Lauream Magistralem, vel Doctoralem à Comitibus Palatinis, vel ab aliis similibus privilegia habentibus, suscipientes, veniant nomine* Magistrorum, *vel* Doctorum, *quibus ex dispositione Concilii aptari possunt Ecclesiasticæ Dignitates; Illustriss. ac Reverendiss. D.D. Episcopus Papiensis Anno 1652. muneri suo Pastorali sedulò incumbens, ad tollendas omnes ambages petiit à Sac. Congregatione super verba Concilii, specialem Declarationem, porrecto supplici libello tenoris, ut infrà.*

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

EPiscopus Papiensis supplicat per *Sac. Congregationem declarari, an ad effectum obtinendi beneficia, ac dignitates Ecclesiasticas, in quibus ex dispositione Concilii, & Sac. Canonum requiritur gradus in Iure Canonico, vel in Theologia, intelligatur dumtaxat de insignitis dicto gradu in aliqua Vniversitate approbata, non autem de graduatis à Comitibus Palatinis, vel ab aliis similibus Privilegia habentibus.*

Sacra autem Congregatio esse summè necessariam hanc Declarationem cognoscens, expedivit literas, quæ Papiæ in Curiâ Episcopali conservantur, in quibus respondit, ut sequitur.

Die 27. Iulii 1652.

SAC. *Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum censuit Sac. Concilium, & Canones esse intelligendos de Doctoribus in publicâ Vniversitate approbata, ita ut alii Doctores, qui extrà publicam Vniversitatẽ approbatam, gradum adepti sunt, excludantur.*

Subscript. *Franciscus Cardinalis Cherubinus*; & inferiùs.

Franciscus Paulutius Sac. Congregationis Secretarius &c.

An hæc Responsio ad aliquẽ locum restringatur?

Hæc autem Declaratio, tametsi ad Vniversitatis, & Episcopi Papiensis petitionem sit reddita, non ideò ad illam Vniversitatem, aut Ecclesiam restringitur, sed ad omnes Ecclesias (Cathedrales, & Collegiatas insignes, nec non ad omnes illustres Vniversitates extenditur.

Ostenditur Cardinales benè declaravisse.

At, quia statim inquirere Curiosi possent, *An bene Cardinales textum Concilii Tridentini intelligant, & interpretentur?* Sequentia debuimus subjungere. Dicimus enim hanc Declarationem inniti Constitutioni Pii V. editæ anno 1568. Kalend. Iunii, incipienti. *Quamvis à Sede Apostolica* &c. (& est sexagesima in ordine Bullarii Romani,) in quâ, postquam Summus Pontifex facultates omnes, & indulta jam concessa ab Apostolicâ Sede per suos Prædecessores Comitibus Palatinis, ac etiam quibusdam Collegiis Officialium Rom. Curiæ, singulisque aliis personis cujuscumque status, gradus, Ordinis, ac præeminentiæ existentibus promovendi ad Doctoratus, & Magistratus gradum, de Apostolicæ potestatis plenitudine, causis in Bullâ expressis, revocavit, cassavit, & annullavit, devenit in hanc declarationem, & ordinationem per subsequentia formalia verba.

Facultates Comitibus Palatinis concessæ revocantur.

Decretis Concilii Tridentini inhærentes decernimus, & declaramus eos, qui à Comitibus, & aliis præfatis promoti fuerint, quoad Dignitates, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, nulla gradus prærogativa frui, & gaudere posse, vel debere. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudi-

Iudices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicare, & definiri debere, nec non irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari &c.

An Cardinalium Declaratio sit vera?

Stat ergo Cardinales benè declaravisse, & non constituisse nouum Ius, sed Tridentinæ Synodi Constitutionem ad mentem Pii V. reposuisse.

Potest Pontifex in omnibus Concilii Decretis dispensare.

Sed quid, si interroges, *An ipsa Pii V. Constitutio inhæreat Decreto Tridentino?* Non dubitas de potestate Papæ, qui hoc dubium excitas, supponis enim Concilii omnia Decreta pendêre ab authoritate Pontificis; eaque sicut sub initium potuerunt non approbari, sic nunc, si ratio id postulet, posse cessari, & dirimi. Sed dicis, *Pium V. umbratiles omnes Doctores à Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium prudentissimè arcuisse*; & interrogas, *An illos etiam Concilium Tridentinum verè arcuerit, ita ut stando nuda Concilii litera, & à Bullis Recentiorum Pontificum, & Cardinalium Declarationibus præscindendo, arceri debeant necessariò, & excludi?*

Sess. 24. cap. 12. in princ.

An verè à Tridentinum à Dignitatibus excludat Doctores promotos à Palatinis Comitibus?

Respondeo affirmativè; & ex ejus capitis contextu manifestè persuadeo. *Cùm Dignitates*, ait Concilium, *in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamq; Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisq; exemplo essent, atque Episcopos, opere, & officio iuvarent*. At opere, & officio, juvare Episcopos, & cætera præstare nequeunt viri indocti, quales plerumque sunt, qui Lauream à Comitibus Palatinis recipiunt; & possunt docti, quales sunt, qui Laureā à Comitibus Palatinis recipiunt; & possunt docti quales sunt, qui Vniversitatibus Claris ad Doctoratū promoventur. Concilium igitur Tridentinum *Doctorum* & *Magistrorum* nomen ad eos, qui in Vniversitatibus sunt promoti, restringit, omnesque aliter Lauream consequuturos excludit.

Iterum abusus in Ecclesias irrepunt.

Verùm enim verò, quia tam altas radices hic abusus (contra quem peroramus) immiserat, ut non pauci Ecclesiastici, non obstantibus hujusmodi Declarationibus, tam in Mediolanensi Dominio, quàm etiam alibi, Doctorali Laureā Theologali extra Vniversitatem approbatam à nonnullis Privilegia jactantibus conquisitā, eademque utrumque obtenta, ad Beneficia & Ecclesiasticas Dignitates promoveri posse contendunt, propterea Decanus, & Magistri ex Collegio Theologorum Regiæ Ticinensis Vniversitatis pro suis Privilegiis Apostolicā, Imperiali, Regiâque auctoritate vallatis, & roboratis, necnon pro ejusdem Collegii decore, dignitateque servandā æquè solliciti, preces has Excellentissimo Senatui obtulerunt.

Potentissime Rex.

Libellus supplex Regi Catholico à Ticinensi Academia in Mediolanensi Senatu præsentatus.

V*Niversitas Patrum Theologorum Collegij Ticinensis Majestatis V. perennis apud Dominum Oratrix, humillimè eidem Maiestati V. exponit, quemadmodū nonnullis annorum Curriculis elapsis, iam ferè omnes (& potissimùm domìnii Mediolanensis subditi) qui sacra Aureola Theologiæ insigniri cupiebant, ut illam obtinerent, ad hanc inclytam Vniversitatem, ut uidere est in Catalogo ejusdem Collegii, accedebant; unde magno cum decore gloriabunda huius Vniversitatis fama per totum Orbem terrarum divagabatur. Accidit autem nostra hac tempestate, ut cuncti propemodum, qui Theologalia insignia suscipere cupiunt, Vniversitate Majestatis V. prorsus deflectentes, non sine maximo præfati Collegii dedecore à solis Comitibus Palatinis eadem consequantur. Quapropter Episcopus Papiensis ejusdem Collegii indemnitati studens Anno salutis nostræ 1652. supplicavit per Sac. Congregationem Concilij declarari, an ad effectum obtinendi Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, in quibus ex dispositione Concilii, & Sacrorum Canonum &c.* (Hic recitatur iam superiùs enarrata Supplicatio Episcopi Papiensis, necnon Responsio declaratoria Sacræ Congregationis supradictæ &c.) *stante igitur dispositione Sac. Congregationis supradicta, & more inveterato, ut omnes tum Prudentiæ, tum Medicæ Artis Doctoratûs gradum in hac Alma Vniversitate suscipiant; cùmq; Collegium Theologorum eamdem insti-*

stitutionem cum Collegiis supradictarum Artium sortitum fuerit, videtur sufficiens haberi ad cogendum quoscumq; Theologalem lauream appetentes, ut ad effectum eamdem consequendi, præfato Collegio se præsentent, sicque vetus eius splendor sibi restituatur. Quod ut feliciter eveniat.

Præfata Universitas Patrū Theologorum enixè deprecatur Majestatem V. quatenus dignetur OEconomo Regio statuere, ut inviolabiliter neminem imposterum ad Beneficium seu Dignitatem Ecclesiasticam admittat, vel approbet, nisi constitâ sibi iuridicè veritate quod priùs lauream Doctoralem in almâ Ticinensi Universitate susceperit, quod speratur &c.

Et hac auditâ supplicatione ab Excellentissimo Ordine emanavit Decretum ad Regium OEconomum ut infrà.

Carolus II. Hispaniarum Rex, & Mediolani Dux &c. ac Regina Maria Anna Austriaca ejus Mater Tutrix, & Curatrix.

Caballeri Regis, Ducis nostri Decretum.

Dilecte noster. Ex Sententiâ Senatûs, coram quo lecta fuerunt annexa preces Collegii Theologorum, & Lectorum Universitatis Papiæ, censuimus imposterum nullum placitum concedendum esse cuicumque Ecclesiastico pro Dignitatibus importantibus Lauream Doctoralem Theologicam, nisi ipsi Lauream adepti fuerint à Theologis dictæ Universitatis Ticinensis, quod vobis innotescere volumus, ut inconcussè ita servetis.

Mediolani die 21. Septembris 1669.

Subscrip. Carolus Antonius Belcredius.

A terg. *M.R. I. C. D. Io: Paulo Zaccaria Scalensi Præposito, & OEconomo nostro Generali in Dominio Mediolani nobis Dilecto &c.*

An etiamnum observetur enuntiatum?

Hoc Regium Decretum est hodie in viridi observantiâ, non enim *Placitum* alicui conceditur, nisi in Papiensi, aut aliâ illustri Universitate fuerit ad Lauream Doctoralem promotus. Vnde nuper Dominus Arconatius Senatoris Arconatii filius, in Alma Mediolanensi Metropolitanâ Archidiaconus, & D. Vaccanius in Massaglia Præpositus denominatus, & alii, tametsi doctissimi, non fuerunt permissi possessionem adire, nisi priùs Doctorali Laureâ in Ticinensi Universitate insignirentur.

Quoniam his adhuc non obstantibus abusus erat generalis, & in multas alias Ecclesias Cathedrales irrepserat, oportuit præcedentia renovari Diplomata, & sequenti Decreto confirmari.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Concilii Tridentini à Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTE

PAPA DECIMO 152

Approbatum,

Super gradibus ad nonnullas Dignitates, ac Beneficia requisitis.

Die xxij. Iulii 1673. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretū animadvertens quamplures impetrare, ac obtinere Dignitates, ac Beneficia ex præscripto Sacrarum Constitutionum aut Decretorum ipsius Concilii gradum aliquem requirentia, non obstante, quòd gradus hujusmodi assequuti non fuerint in publicâ & approbata Universitate, contra formā Constitutionis Beati Pii V. incipientis : Quamvis à Sede Apostolicâ. *ac volens propterea tam utilium Sanctionum observationi in posterum constanter prospicere; Inhærendo Cōstitutioni præfatæ, ac Declarationibus aliàs factis iterum decrevit; quòd gradus Magisterii, vel Doctoratus, aut Licentiatura à dictis Sacris Dispositionibus requisiti, debeant esse recepti, seu respectivè recipi in publica, & approbata Universitate, aliàs præter pœnas ab ipsis Sanctionibus contra inobservantes inflictas; Præfatæ Dignitates, vel Beneficia aliter collata vacent* [*] *eo ipso, ac proinde taliter provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint.*

Et die xxvi. ejusdem facta de præmissis relatione SANCTISSIMO *Domino Nostro.*

*] Notas illa verba, *vacent eo ipso*, & illa *non faciant fructus suos*. & interrogas, *An adhuc licitè & validè possint Doctores, qui à Palatinis lauream susceperunt, admitti?*

Respondeo illos, qui post hujus Decreti publicationem promoti, nisi Doctores, in Universitate promoti sint, assumptos fuisse invalidè, fructus restituere debere, puniri posse; Dignitatesque ab eis subreptitiè possessas posse Romæ impetrari.

braicè, & Arabicè *coquus* est מבשל *Mabsel*. Sed cui, quæso, metonymia hujusmodi placere poterit?

Fabius. Vitellius. Cicero.

In nominibus *Fabius. Vitelius, Cicero*, &c. Germanis Prima Sententia adridet, illa enim ponunt, ut latinè scribuntur, Secunda Hispanis, dicimus enim *Fabio, Vitelio, Ciceron*. Et Tertia nullis.

Redduntur Latinè nonnulla Hispanorum cognomina.

Hisp. *Martin del Rio* Author est eruditus; & propter Magicarum Disquisitionum librum celeber: & in Latinâ sui nominis conversione omnes tres præmissas Opiniones exerceri reperio: quoniam Latinè passim dicitur (1) *Martinus del Rio*, (2) *Martinus Delrius*. (3) *Martinus del Rivo*. *Rios* autem in plur. alius familiæ nomen est, ex qua P. *Bartholomæus de los Rios* prodiit, qui cum fructu, & applausu Bruxellis ann. 1640. concionabatur.

Rio. Rios.

Hisp. *Iuan del Valle*. Ital. *Gio. della Valle*: Lat *Ioannes Valle* (2) *Vallius* (3) *de Valle*.

Robles.

Hisp. *Antonio de Robles*. Lat. (1) *Ant. Robles*. (2) *Roblesius* (3) *de Robore*.

Puente.

Hisp. *Aurelio de la Puente*. Lat. (1) *Aur. Puente*. (2) *Puentius* (3) *de Ponte*, *Pontanus*, *Pontius* per *t*, & non *Poncius* per *c*.

Ponce.

Hisp. *Basilio Ponce de Leon*. Latin. (1) *Basilius Ponce* (2) *Poncius* non per *t*, sed per *c*. Prætereà *Bas. Ponc.* (1) *Leon*. (2) *Leonius*, *Leontius* (3) *de Leone*.

Leon.

Dios.

Hisp. *Antonio de Dios*. Latin. *Antonius de Dios* (2) *Ant. Diosius* (3) *Ant. de Deo*.

Cruz.

Hisp. *Isidro de la Cruz*. Latin. (1) *Isidorus de la Cruz* (2) *Isid. Cruzius* (3) *Isid. de Cruce*, & hinc *Crucius*.

Quid illud Sant in voce Santiago significet?

De nominibus Santiago, Iacobo, & Diego. *Eumdem Divum significant, & tamen non coincidunt nec synonyma censeri possunt.*

Hisp. *Santiago de San Pedro*. Et quidem hæc Vox *Santiago* si bene consideretur *Sanct-Iago*, hoc est *Sanctus Iacobus*, & tamen prior ejus pars ita alienatur à suâ significatione, ut fit prorsus otiosa, & nihil omninò significet: & hanc ob rem hoc nomen *Santiago* sumitur pro quocumque Iacobo. Observa tamen hæc tria nomina *Santiago*, *Iacobo*, & *Diego* idem significare, nec tamen inter se confundi, qui enim unum usurpat, non vult aliis significari: unde, si ex duobus, quorū alter esset *Santiago Lopez*, & alter *Diego Lopez*, prior non posset recipere, & aperire literas, quæ inscriberentur alteri. Et Madriti, quia duo templa sunt alterum S. Iacobo, alterum S. Didaco sacrum, legatum in testamento relictum S. Iacobo, à Patribus, qui apud S. Didacum serviunt Domino, non posset accipi.

Santiago de San Pedro. Iayme Samper.

Sanè hoc Castellanum nomen *Santiago de San Pedro* transit in Linguam Latinam sic. (1) *Iacobus de San Pedro* (2) *Iacobus Sanpedrius* (3) *Iacobus de Sancto Petro*. Et hoc Valentinum *Iayme Samper* sic. (1) *Iacobus Samper* (2) *Iacobus Samperius* (3) *Iacobus de Sancto Petro*.

Iuan.

Hisp. *Carlos de Iuan*. Latinè (1) *Carolus de Iuan*. (2) *Carolus Iuanius* (3) *Carol. de Ioanne*, & hinc *Carolus Ioannius*, per duplex *nn*.

Nonnulla Cognomina Gallica in linguâ Latinam vertuntur.

Eodem modo procedemus in transferendis Cognominibus Gallicis. nam *Catherine des Deux-ponts* erit Latinè *Catharina* (1) *des Deux-ponts* (2) *Deuxpontea* (3) *de Duobus pontibus*, *de Duplici ponte*; vel, ut passim loquuntur, *Bipontina*.

Deux-ponts.

Angely.

Gall. *Iean de Angely*. Latinè *Ioannes* (1) *de Angely* (2) *Angelius* (3) *de Angelis*, & hinc etiam *Angelicus*.

Sainte-Maure

Gall. *Hector de Sainte Maure*. Latinè *Hector* (1) *de Sainte Maure* (2) *Sainstemaurius* (3) *de Sancta Maura*.

Val.

Gall. *Pierre du Val*. Latin. *Petrus* (1) *du Val*. (2) *Valius*, vel ut aliqui volunt *Duvalius*, & nescio cur *Duvallius* (3) *de Valle*. Hisp. *del Valle*. Ital. *della Valle*.

De Cognominibus Belgicis.

ContincK

Eædem Regulæ in versione cognominum Belgicorum, & Germanorum observantur. Quoniam Egidio ContincK, erit Latinè *Ægidius* (1) *Coninck*, (2) *Coninckius*, aut *Coninchius* (3) *à Rege*, & hinc *Regius*.

BrucK.

Ger. Hans BruK Latin. *Ioannes* (1) *Bruck* (2) *Bruckius*, vel *Bruchius* (3) *Ioann. de Ponte*, & hinc *Pontius* per *t*, & *Pontanus*. Hisp. *Iuan de la Puente*.

Lilife ld Furstenfeld. Conigsfeld.

Et illæ denique Abbatiæ vocari Latinè debent (1) Lilifeld, Furstenfeld Conigsfeld (2) aut si volueris *Lilifeldia*, *Furstenfeldia*, *Conigsfeldia*. (3) aut denique *Liliorum Campus*, *Principum Campus*, *Regis Campus*; aut, si volueris, *Regius Campus*.

Et hæc de præsenti argumento adnotasse sufficiant: multa enim alia, quæ addi possent, ad præcedentia debebunt necessariò reduci.

Quæ-

Tertiæ de positis Sententiæ Iudicium.

QVæris tamen; *Quinam ex his tribus voces interpretandi modis sit cæteris anteferendus?* Respondeo secundum ad Primum reduci. Addo Primum servire, ut familiæ noscantur, quoniam, si admitteretur Tertius magna induceretur confusio: alia enim familia est in Italia *Homo-bonus*, & alia in Hispania *Guzman*, relicta à Gothis, nam *Bonus homo* Germanicè dicitur Gut mann. Ridetur quidam ab Eruditis Prædicans, quod S. Thomam dixerit van wassenburg, hoc est *de Aqueo oppido*, sic enim nomen *Aquinatis* interpretabatur: cum tamen Aquinum in Italia sit, & wassenburgum in Bavariâ.

An Angelicus Doctor possit vocari wassenburgius?

De nominibus ex causa positis.

CÆterùm, ubi nomina ob causam imponuntur, nisi juxta tertiam sententiam transferantur, non poterit percipi nominis ratio: nullus enim Latinus intelligere poterit has nostri Vulgari periodos.

Genes. 3. 4. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ* EVA, *eo quod esset mater omnium viventium.*

Eva.

Genes. 4. 1. *Quæ concepit & peperit* CAIN *dicens, Possedi hominem per Deum.*

Cain.

Genes. 4. 25. *Peperit filium vocavitque nomen ejus* SETH *dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.*

Seth.

Genes. 5. 29. *Vocavitq; nomen ejus* NOE *dicens, iste consolabitur nos.*

Nohe.

Genes. 27. 36. *Ille* (Esau) *subjunxit: iuste vocatum est nomen ejus* IACOB *supplantavit enim me en altera vice.*

Iacob.

Gen. 41. 51. *Vocavitque* (Ioseph) *nomen Primogeniti* MANASSES *dicens, Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit* EPHRAIM, *dicens, crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* in quam veneram servus, pauper, & miser.

Manasses.

Exod. 2. 10. Exponitur in orâ fluvii Moyses: à Pharaonis filia invenitur, educitur, & nutriri jubetur. Et Salvatrix, *vocavit nomen ejus* MOYSES, *dicens: Quia de aqua tuli eum.*

Moyses.

Matth. 1. 2. Deiparæ Archangelus Gabriel, *Paries autem filium*, ait, & vocabis nomen *ejus* IESVM; *ipse enim salvum faciet* (σώσει, *salvabit*) *populum suum à peccatis eorum.*

Iesus.

Luc. 10. 41. MARTHA, (*Martha*) *solicita es; & turbaris erga plurima.* Et alias similes.

Martha.

Nominum Hebraicorum ratio extra Sanctâ Linguâ inveniri non potest.

Quid enim *Evæ*, & omnium viventium matri? quid Caino, & hominis possessioni? quid Setho, & positioni? quid Noæ, & consolationi? quid Iacobo, & Supplantationi? quid Moysi, & eductioni? quid Iesu, & salvationi? & tandem quid Marthæ, & solicitudini in Latino Idiomate commune est? ergo si Tertiæ Sententiæ adhæsisset Interpres, & nomina propria fuisset interpretatus impositionis rationem exposuisset: quoniam

Chava.
Eva.
Vivificantia.

Nominis CHAVA (Lat. *Eva*) radix est, quæ in Cal est *vivere*, in Pihel *vivificare*. Adamus igitur, si fuisset Latinè loquutus, uxorem suam, quia futura erat omnium viventium mater, *Vivificantiam* appellasset. Est etiam nomen masc. *Maternus*, ex quo *Materna* nom. fœm. educitur: ergo potuisset Eva, *Mater*, *Matria*, aut *Materna* appellari Latinè. [Et hic obiter nota Comitis Iuliani filiam, propter quam Hispaniam ipse Agarenis aperuit, quæ *Cava* in Historiis vocatur, *Evam* debere dici: & illud Hispanorum Adagium, *Tan mala como la Cava*, quo exsecrabilis, & pernitiosa fœmina significatur, ita debere intelligi, ut illa occasio, non autem perdendæ Hispaniæ causa fuerit: non enim ipsa, sed ejus pater, ut se vindicaret, fuit proditor.

Mater.
Matria.
Materna.
De Comitis Iuliani filia. Quomodo sit vocata?

An Hispaniam prodiderit?

Canan.
Cain.
Possidonius.

Radix CANAN, unde CAIN, *possidere* significat: Eva igitur Latinè dixisset, *Vocetur infans hic Possidonius; quoniam possedi Virum coram Domino*: & significantiùs, *quia possedi* θεάνθρωπον, *Virum Deum*. Venturum enim D.N. Iesum-Christum (verum Hominem, & verum Deum), ut redimeret Mundum per revelationem didicerat, illumque ex Caini lineâ proventurum existimabat. Et hîc notare poterit Criticus illud ETH, pro quo Vulgatus posuit *coram*, esse notam accusativi, & appositivè, ita ut latinè sit, *& accipi* posse.

Suth.
Seth.
Positius.

Seth, à radice SVTH, *Ponere*. Eva igitur in Linguâ Latinâ tertium filium suum vocavisset *Positium*, & dixisset, *Posuit mihi Deus semen aliud*. &c.

Noach.

Radix NOACH, unde *Noë* (vel ut Critici pronunciant,) *Noachus* est

Quie-

quiescere, & NVACH, *quies*. Ergo parentes Noæ illum Latinè *Quiescentium* nominassent, dicendo, *Iste, quiescere facies nos*.

Fallopius.

Fallopia est nota quædam familia, ex qua Fallopius Medicus. Et quid si dixisset Esavus, *Meritò vocatus est* Follopius, *iterum enim & iterum fefellit me*.

Menasse. *Oblivio*.

Nasa. *auferre*.

Manasses (Hebraicè MENASSE) *Oblivionem* significat, nam Radix NASA, est *auferre*, seu *tollere*, & per Metaphoram *oblivisci*; nam ille, cujus obliviscimur, tollitur ex memoria. *Ephraim* autem (Hebraicè אפרים) est *incrementum*: nam à Radice APHAR, est OPHIR, *Auri fodina*, Ὄβρυζον *aurum optimum*, πῦρ *ignis*, nec non *Purus*, & *Purpura*? Priorem ergo filium Ioseph, si Latinè loqueretur Ægyptii, vocavissent *Oblivium*: & secundum *Crescentium*; filii enim censentur incrementa Parentum; clamat enim Virgilius, Eclog. 4.

Ephraim. *Incrementum*. Ophir. ὄβρυσον. πῦρ. ignis. Purus. Purpura. Oblivius, & Crescentius.

Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores,
Chara Deûm soboles, magnum Iovis incrementum.

Prætereà, quia ab auro habemus *Auratum*, & *Aurelium*, & ab igne *Ignitium*, & *Ignatium*, potuit secundum filium Ioseph his etiam insignire nominibus. Lippomanus. *Posteros igitur meminisse voluit Ioseph, beneficiorum Dei; ideò nominum impositione, velut in propriam illorum carnem inscripsit, Misericordias Domini*.

Masa. Moyses. Extractius.

Verbum MASA est *extrahere*, & in Hebræo Moyseos nomine derivatio percipitur; & in Versione Latinâ etiam perciperetur, si illum Ægyptia Princeps vocavisset *Extractium*, quoniam ex aquâ extraxit eum.

De Venerabili nomine Iesu. Quid significet & unde dicatur?

Hebraicè Mundi Redemptor, Sanctissimus Dominus Noster IESVA, Ἰησοῦς, *Iesus*, dicitur, à Radice IASA, *salvare*; si Græcè loquutus fuisset Gabriel, dixisset, Τέξεται γὰρ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σωτῆρα: αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Et, si Latinè, *Paries autem filium, & vocabis nomen ejus* Salvatorem: *ipse enim salvabit populum suum à peccatis eorum*.

Bis Lucæ 10. 41. legitur in vulgato vox *Martha*; in primo autem loco est illius Virginis, quæ erat Mariæ, & Lazari soror, nomen: in secundo est verbum, & sonat, *Tu es solicita* (ut videas Dominum nostrum Iesum-Christum eloquentissimè loquutum fuisse.) Sanè, si illa vocaretur *Solicita*, & Dominus egisset Latinè, dixisset, *Tu Solicita, solicita es, & turbaris erga plurima; cùm tamen unum sit necessarium*.

Vox Martha est æquivoca ejus homonymia explicatur.

NOTA I.

De Theologiâ Græcorum. *An, & quo modo Aegyptiaca ipsi nomina in suam Linguam transtulerint?*

Græci Theologi dura, & barbara Ægyptiorum Deorum nomina, eandem significationem retinentes, in propriam linguam transtulerunt.

TErtium hunc interpretandi Propria Nomina Modum, quem in Hebræis Vocibus nuper edisserebam, sectati fuerunt Græci, ubi Theologiam Ægyptiam in proprium Idioma transtulerunt: nam, cùm barbara illorum Deorum nomina horrorem sonitu solo incuterent, emolliri debuerunt; &, ut id fieret, Antiqui Interpretes, rem veriùs, quàm vocem retinentes, in alia æquipollentia, quorum esset similis significatio, transtulerunt. Id asseverat Plato, qui *in Critia*, postquam præveneràt Lectorum animos, dicens, ut Kircherus testatur, *Antequam referam, admonendi estis, ne miremini, si plurima Barbarorum nomina Græcè nunc audiveritis*: Et rationem ob quam id præstitum sit exhibiturus, has periodos scripsit.

Σόλων ἐπινοούμενος εἰς τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταχρήσασθαι τῷ λόγῳ διαπυνθανόμενος τὴν τῶν ὀνομάτων δύναμιν εὗρε τούς δὲ Αἰγυπτίους τοὺς πρώτους ἐκείνους αὐτὰ γραψαμένους εἰς τὴν αὐτῶν φωνὴν μετενηνοχότας αὐτός δὲ αὖ πάλιν ἑκάστου τὴν διάνοιαν ὀνόματος ἀναλαμβάνων εἰς τὴν ἡμετέραν ἄγων φωνὴν ἀπεγράφετο, καὶ ταῦτα γοῦν δὴ τὰ γράμματα παρὰ τῷ πάππῳ τ' ἦν καὶ ἔτ' ἐστὶ παρ' ἐμοὶ νῦν διαμεμελέτηται δὲ ὑπ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος. ἂν οὖν ἀκούητε τοιαῦτα οἷα καὶ τῇδε ὀνόματα, μηδὲν ὑμῖν ἔστω θαῦμα. Τὸ γὰρ αἴτιον αὐτῶν ἔχεται μακροῦ δὲ δὴ λόγου ἡ ἀρχὴ τότε, καθάπερ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέχθη περὶ τῶν Θεῶν λήξεως, ὅτι κατενείμαντο γῆν πᾶσαν.

Solon, cùm cogitaret, illa (Ægyptiorum Deorum nomina) *carminibus*

*] Sed & id ipsum olim Ægyptii Sacerdotes præstiterant: quoniam & illa Numina non fuerant nata aut inventa apud ipsos, sed à Chaldæis accepta; & illorum nomina, ut vulgò ab omnibus intelligerentur, Ægyptiacè illæsa significatione, reddiderunt.

bus suis inserere (& dilucidare) *vim ipsam nominum* (hoc est etymon & significationem) *est perscrutatus; invenitque primos illos Aegyptios harum rerum Scriptores in* [*] *suam linguam ea nomina transtulisse. Quare & ipse* (eorum videlicet exemplo insistens) *rursus uniuscujusque nominis sensum accipiens, in vocem nostram convertit. Atque has Scripta apud avum meum erant, & nunc apud me sunt: cogitata jam olim puero mibi. Si ergo talia nunc audieritis nomina, qualia apud nos sūt, ne miremini; nam hujus rei causam intelligitis: longâ verò oratione sic opus, si à principio narrem id, quod jam antè dixi, de sortitione Deorum, & ut terram inter se universam distribuerint.* &c.

Quo terram modo Dii inter se distribuerint?

Et huc *in Epigramm. de Earino* Martialis respexisse videtur, quoniam Græca adsumit vocabula, quæ causæ & voci Latinæ respondeant: sic enim scribit.

Quæ nomina sint Opormus, & Chimerinus.

Si dares Autumnus mibi nomen Opórinos *essem*.
Horrida si Brumæ sydera Chimerinos.

De Accentibus. An Græcis male vocibus impositi sint?

Est autem Græcè ὀπώρα, *autumnus*, & χειμὼν, *byems*, unde ὀπωρινὸς, *autumnalis*, & χειμερινὸς, *byemalis*. [& interturbaretur Metricus syllabarum decursus, si voces istę accentu Græco pronunciarentur. Falsæ ergo sunt, & à Iunioribus inventæ Regulæ, quæ Accentibus loca præscribunt, ut superiùs persuasi.]

An eadem materialis vox in diversis linguis habere possit diversas significationes?

SOlet contingere, ut nomina, quæ in unâ linguâ sunt propria, in alia sint appellativa, aut sortiantur saltem significationem differentem; & ideò non sine gratiâ Critici, retenta materiali vocabuli pronunciatione, ex una linguâ in aliam transeunt, ut constat ex exemplis sequentibus.

De Solaribus, & Lunaribus literis.

Aliphbethi sui literas in Solares & Lunares opportunè dividunt Arabes & Saraceni; hæc enim juvat illos divisio, ut expeditiùs Communis Grammaticæ doceant Canones. Germanis unica sola placet litera, quam *auream* dicunt; nimirùm S: vocatur enim *es*, hoc est *comede*: ipsi enim comessatione delectantur, unde jam in παροιμίαν transivit,

Wallo bibax, Hispanus edax, Germanus utrumque.

Et nomen hujus literæ plerique omnes canes cognoscunt; nam unusquisque puer panis frustum rostro canis sui superponit, & morosè Abecedarium percurrit. Singularum literarum nomina successivè pronunciat; & immobilis, ut cautes Marpesia stat canis, non enim illorum auditione movetur. Verùm enim-verò, ubi *es*, (hoc est, *comede*) desideratam vocem, audit, in altum panem excutit, & collabentem in os recipit, & circumstantes pueros recreat. &c.

De litera S. Abecedario Germanico.

An Canes nomen ejus cognoscant?

De librorum Moysis Hebraicis, Græcis, & Latinis nominibus.

Librorum, Capitum, imò etiam Versuum nomina, à primâ dictione in Sacrâ Scripturâ sumuntur. De primo libro Moyseos Vatablus. *Primum istum Mosis librum Septuaginta Interpretes* Γένεσιν *inscripserunt: id est*, Generationem, Procreationem, & Originem: *quòd in eo ostendatur, Mundum à Deo conditum fuisse; neque illum esse creationis expertem, ut nonnulli Philosophi existimarunt.* &c. *Hebræi verò* בראשית, *à primâ totius libri dictione, appellaverunt*: Beresith *enim significat* In principio. &c. Et ob similem causam secundum librum, quem, quia exitum Israël de Ægypto, Domûs Iacob à populo barbaro, accuratè describit, Græci nomināt ἔξοδον, שמות, Semoth, *Nomina*, Rabbini appellant. Tertius, qui Græcè meritò appellatur Λευιτικὸς, nam omnia, quæ pertinent ad officium Levitarum, edisserit, à primâ dictione in linguâ Hebraicâ nomen habet, dicitur enim Viqra. *Et vocavit*. Quartus Ἀριθμοί Græcè dicitur, Latinè *Numeri*, Hebraicè autem Bemidbar, *In deserto*. Græci nominis ratio ab argumento libri sumitur: quoniam in ipsâ libri fronte Moyses & Aaron Israëlitici populi ineunt numerum. Latinus Græcum nomen transtulit in suam linguam: & Hebræus ex primo versu illam dictionem sumpsit, quæ historiæ optimè consonabat. Quintus liber dicitur τὸ Δευτερονόμιον: nam Δεύτερος est *secundus*, & Νόμος, *lex*: ut Δευτερονόμιον, *secundaria lex* sit. Non, quod in eo tradatur alia, sed quod tradita in monte Sinai reponatur, & scholiis dilucidetur. Et in hoc sequuti sunt ipsummet Moysem, qui *cap.* 17. 18. Misne hathorah, *Iteratam, aut secundariam legem* scripsit; ipsi autem Septuaginta vertunt Δευτερονόμιον.

De Genesi.

Exodo.

Levitico.

Numeris, & Deuteronomio.

Non nova, sed eadem ipsa iterum publicata lex dicitur Δευτερονόμιον.

νόμιον. Et à primâ lineâ Debarim, *Verba*, Iudæi denominarunt.

Quomodo Canones, Leges, & Paragraphi citari soleant?

Hebræos imitantur Canonistæ & Legistæ, nam Pontificias, Cæsareas, Regiasque leges verbo illo, quod in illarum initio ponitur, solent significare. Et eumdem citandi locos morem amplectuntur aliquando Theologi, præcipuè quando allegant paragraphos.

De versu Vaf. Vbinam ille sit?

Et hic obiter nota, in Levitico capitis XXVI. versum 44. incipere Vaf-gam, *Et tamen etiam*. Et, quia *Aff* apud Germanos sonat *Simiam*, de hoc versu Germani Rabbini multa comminiscuntur. Alstedius *in Lingua Sancta Lexico. verb.* אַף. sic scribit. *Iudæi versum 44. capitis 26. Levitici, vocant* Auream Simiam [Den guldenen affen] *quia in isto versu occurrit particula* אַף, Aff. *quæ Germanis est* Simia. *Sic autem vocant istam periodum, quia inde sibi pollicentur certissimam ex hodiernâ servitute liberationem. Et hanc Simiam meritò aureis literis scribendam esse contendunt.*

Quid ex illo Iudæi se sperare asseverēt?

Aff. Germanicè est Simia.

NOTA II.

An Propria interdum Nomina adjectivè sumantur? De Agar, & Agarenis. An communis Mahometanorum Æra, quæ Hegira *dicitur, ab* Hegir, *quod est fuga, ducendum sit?*

Crebrò Poëtæ in Propriis Nominibus ludūt.

SOlent hominum & rerum Propria Nomina in Appellativa transire; nam si gloriosa sint, ad hujusmodi transformationem [a] concurrit Adulatio; &, si ignobilia, Invidia. Et quidem de his [*Caballero, Rico, Bueno*, (*Guzman*, Germanicè Gutt mann) *Imperial. Rey, Duque, Marques, Conde, Bisconde*. &c. nec non de his *Ladron, Verdugo, Mantilla, Zapata, Sierpe Robles, Encina* (*Ocico de Puerco*) [b] Latinè *Os porci*.) *Cabeça de Vacca, Cordero*, [c] *Carnero*, (*Malhecho*, Italicè [d] *Malfatto*) & aliis similibus Domuum Illustrium cognominibus multa possem adducere, quæ copioso Hispani Poëtæ cornu in sua Poëmata & Discursus profundunt. Sed, quia hæc omnibus nota sunt, & passim in libris Recentiorum occurrunt, universa intermittam, & unicum nomen exponam, quod ad Mahometanorum ignominiā Chri-

Benè, & malè sonantia Nobilium Familiarum Cognomina.

De Æra Mahometanorum, ad quam supputant suos annos Arabes.

stiani ingeniosè obtorquemus.

Quæ fuerit Agar? Vnde provenīāt Agareni?

Æra illorum, à quâ supputant annos, nominatur *Hegira*. Et quid hæc vox importat? *Agarenicam Æram*. Et quo illam modo passim interpretamur? Quia Saræ ancilla, Ismaëlis mater (à quâ Agareni, qui Saraceni [e] volunt dici, proveniunt) dicebatur *Agar* (Arabicè *Hegir*) & hoc nomen *fugam* etiam significat, jubemus esse commune, hoc nomen proprium, Æramque Agarenicæ Gentis appellitamus *Æram fugæ*.

Quid sit Hegira?

An Hegira sit fuga?

Probo hoc ultimum manifestis Mathematicorum testimoniis. P. Ioannes Baptista Ricciolius in Astronomiæ Reformatæ Tab. XXII. pag. 17. [Hegiræ, seu Mahometanicæ fugæ ex Mecchâ. Annus hic primus Lunarium repedantium inivit die 16. Iulii: Feria VI. Cyclo Solis 23. Lunæ 15. Indictione Romanâ 10: Periodi Iulianæ anno 5335. currente adhuc Nabonassari 1370. ut pote inito die 21. Martii. Vtuntur hac Ærâ Mahometani Arabes & Turcæ. Esto alia Secta Arabum quam sequuntur Alphonsini, ponat Hegiræ initium 15. Iulii. Choerac 27. Feria V. &c.] Et pro calculi facilitate *pag.* 5. his verbis Præceptum XXII. proponit [Feriam investigare in anno Arabico Hegiræ per Cyclum Arabicum.] & asserit Amurathen II. Imperatorem Turcarum obiisse anno Hegiræ 855. die 1. Muharram. &c. Ismaël Bullialdus *in Astronomia Philolaica Tabulis pag.* 6. [Hegira seu Fuga Muhamedis ex Mecchâ in Iatrib, incipit anno 1622. Iulii die 16. Feriâ VI. &c. Hoc anno 1644. incipit Hegiræ annus 1054. Martii die 10. Stylo Novo: & Febr. 29. antiquo] Genebrardus *in Chronico ad Christi annum 623. currentem. pag.* 483. *b.* [Arabes & Mahometani ab Hegira, cujus initium fuit anno Domini 621. quo homo perditionis Mahometes jura & leges dare cœpit, annos suos numerant. *Alphonsus*. Nam errant & Afri, qui ejus principium faciunt anno Christi 591. vel 592, quo Mahometen natum putant: &, qui anno 623. quo Mahometes primam expeditionem (quod sonat vox Hegiræ) suscepit pro Religione. Ejus Regni annum primum ordirur Isidorus Pacensis ab anno Christi 617. ex Historiis Ara-

Hegira, seu Æra Mahometanorum initium.

Quando Amurathes II. Turcarum Imperator obierit?

Regis Alphonsi, & Manrorū, quibus in Editione Tabularum fuit usus, designantur errores.

Arabum; quod & nos in Regum illius impii Imperii succesione recensendâ sequimur.

Circa rem ipsam. Proderit sanè habere & Mahometis & ejus Sectæ aliqualem notitiam. Ergo attende.

Quis, & qualis Mahometus fuerit & qualem Sectam instituerit?

Apud Timannum Gesselium ad annum Christi 630. ex Theoph. Diac. Zonara & Cedreno Petavius. [Machomet, Pseudopropheta, & Arabum Princeps, exitialem condidit Sectam, quam, & armis longius extendit. Hic de camelorum Pastore locupletis heræ conjux factus, in Palestinam abiit, ubi eum Christianis, Iudæisque colloquens adjutore Sergio Monacho, qui ob hæresim Ecclesiâ ejectus erat, & omniũ Sectarum colluvione, nouum illud fabricatus est monstrum, cui stolido mendacio auctoritatem addidit. Cũ enim à Dæmone, & comitiali morbo iactatus identidem corrueret, mœrenti ob id uxori persuasit, Gabrielis se Angeli conspectu, & colloquio consternatum sic affici. Id confirmante Sergio, mulierculæ operâ latiùs dissipatum, ac vulgò creditum est. Scribit Theophanes, decem annis occultam hæresin illum habuisse, ac nouendecim posteà vi, ferroque propagatam asseruisse. Illud constat ann. C. 622. Iulii die 16, feriâ sextâ fugam arripuisse, cùm ob erroris novitatem de vitâ periclitaretur. Ab hâc fugâ, quam *Hegiram* vocant Arabes, idest Διωγμὸν *persecutionem*, nova illorum Epocha proficiscitur.]

De ejus revelationibus.

De Sergio Monacho.

De Hegira, Arabum Æra.

Quid Διωγμὸς sit?

Exponuntur nomina Agar, & Agareni.

Circa nominis significationem esse potest varietas; nam est Radix antiquata הגר Iohannes Leusden *in Onomastico Sacro* [הָגָר, Agar, advena, seu peregrina: aut ruminans, vel timens: ancilla Abrahæ Genes. 16.1.] & statim. [הגריאם *Agareni*. Nomen Populi. 1.Paral.5.10.] Et, si hinc nomen *Hegira* deducatur, erit *Timor*, & *Peregrinatio*. Sanè Genebrardus, ut vidisti, *pag.* 483. S. *Arabes* hanc vocem sumit pro *expeditione*. Interim subscribit paulò post [Hegiram, non *expeditionem*, sed *Fugam* Ioannes Leo Arabs interpretatur in Africæ descriptione, quam ab anno 592. orditur: unde, & Annus Christi 1592. erit Mahometis Hegiræ millesimus.] Fugæ causam dedit nova Religio, scribit enim in vita Mahometis Abubecrus. [*] *Et surrexit Mahomet nocte post Novilunium fugiens ex Mechâ propter eos, qui antè infideles erant, & illi gustarunt pœnam negotii sui, & eis pœna doloris plena, eò quòd venirint ipsis* (ad ipsos) *Apostoli eorum cum contractibus, & dixerunt, An homines dirigent nos? Et infideles fuerunt, & tergiversati sunt, & spreverunt legem ejus insidiantes vitæ ejus, & ideò fugere coactus est.*

An Hegira sonet expeditionem?

*] Verba ipsa Arabica apud P. Athanasium Kircherum in Oedipi tom. 1. Syntagm. 4. §. 3. pag. 351. reperies.

Interim Hegiram non *Fugæ*, aut *expeditionis*, sed neque Διωγμὸς *persecutionis*, ut volebat Petavius, sed *Agarenorum* Æram esse testatur Eruditissimus Kircherus dicens [Ab hac fugâ annos hodie supputant Mahumetistæ omnes, & vocant *Senathil hegirathi*, vel *Tarichil hegirathi*. ANNOS FUGÆ. Auspicatissimam sanè legem, quæ à fugâ incipit, & fugacibus nebulonibus! Sed hoc purum putem mendacium; nam *hegirath* est nomen Gentis Agarenæ, & Regionis, cui etiam attributa est Mecha. Quare Æra illa non est *Æra Fugæ*, sed *Æra Hagarena*. Quia tamen etiam Arabes interpretantur *Fugam*, esto fuga sanè, & fugiant omnes Mahumetani, quò, & quantùm libuerit. Nos verò Antiquitatem ab illorum mendaciis tutam afferemus, qui scimus illam vocem primigenia notione ab Hagarenis, non à Fugâ duci. &c.] Et ego Kircheri Resolutionem hac ratione clarâ, & manifestâ confirmo. In anno, mense, & die, quo Mecha Mahometus fugiens in Medinam se contulit universi Saraceni conveniunt; at in Hegiræ initio Populi diversi non conveniunt: ergo *Hegira* nomine non intelligunt *Fugam*. Probatur Minor: quoniam diversi apud Arabes populi, jam à nativitate Mahomedis, jam à prædicatione, jam à prima victoria Æram *Hagarenam*, quam vocant, subputarunt.

Kircherus loc. cit.

An Mahometanorum Æra nomen habeat à fuga?

An ab Agar; ita, ut Latinè sit Aera Agarenica?

Probatur hoc posterius clarissimè.

a] In dictione duo sunt consideranda, sonus & significatio. Materiam (nempe, syllabas, & literas) ille importat: hæc est forma, quæ sonum afficit, & dictionem constituit. Quando manente significatione (forma) mutatur sonus (materia succurrit Tropus, qui Μετωνυμία Græcè dicitur, & Latinè *Transnominatio*: at verò, cùm manente sono (materia) mutatur significatio (forma) posset Μεταμόρφωσις, seu *Transformatio* nominari.

Quid pro materiali, & quid pro formali dicatur dictio?

Metonymia. Metamorphosis.

b] Succurrit hæc historiola, quæ Madriti non procul à nostra domo accidit. Contractus de nescio qua re celebrabatur. Eum scripsit Notarius, adsunt testes. Primus erat Ioannes Cordero. illum scripsit; erat alter Ioannes

Qui malè sonantia habent nomina passim videri solent.

Carnero. Ejusque audito nomine Notarios excanduit. *No soy hombre de burlas* furibundus exclamat, *y es mal hecho hazerla de un Ministro Real: porque si el primer testigo fue Cordero, y el segundo Carnero, el tercero sera sin duda ninguna Cabron.*

De familia qua ab Ore Porci nomē habet. Sergium illa Secundum Sūmo Pontificatui dedit.

c] Familia, cui nomen *Os Porci*, apud Italos nota Sergium II. Summum Pontificem ann. 844. Romanæ Ecclesiæ dedit. Genebrardus. [Vir fuit pius: primusque Pontificum mutavit nomen suum, nam anteà Osporcius appellabatur. *Platina*. Successores magna ex parte id sunt imitati.

De Malefactorum familia.

d] Ex hac familia anno 1647. erat in Bohemia Dominus Malfatti, Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis Secretarius. Hic, quia occasione nominis passim patiebatur Scomata, impetravit privilegium à Cæsare, ut *Benfatti* nominari deberet: indicta aureorum octoginta pœna illi, qui se *Malfatti* imposterum vocare auderet. At hoc erat sine ulla prorsus causa expungi ex avorum familia, & nulli inseri.

An Titius, qui ex illa, prudenter suum nomen mutarit?

NOTA III.

Quanam fuerint Romanorum Fugalia?

De Fugalibus. Qua festa fuerint?

SAracenorum Æra (quam aliqui, ut vidimus ab *Hegir*, quod *Agarem*, & *fugam* sonat, *fuga Æram* vocitant, jubentes nomini esse appellativo) Festa illa Romanorum, quæ *Fugalia* vocantur, in memoriā reducunt. Fuerunt Romæ post exactos Reges, ut posteritas nosset fuisse à Regum tyrannide liberatam Rempublicam, magno consilio, & judicio instituta. Mense illa Februario post Terminalia celebrabantur, dicebanturque à *fuga*, & agebantur die, quo Tarquinius, suæ vitæ consulens, ad Porsenam, Hetruscorum Regem, & Romanorum hostem fugit; qui enim à suis hostis publicus declarabatur, asylum invênit apud hostes Reipublicæ. Et ideò Censorinus *de die geniali* festū hoc *Regifugium* appellat. De illo David Origanus ann. 1629. mens. Septembr. post Syzygias Lunares sic scribit [XXIV. Februarii, seu VI. Calendas Martii Regifugium celebratum est. Dictum, quod eo die Tarquinius Rex, ob tyrannidem, & libidinem suam, vimque Lucretiæ illatam, fugere coactus sit.]

Quare, & quo die celebrarentur?

De lascivia, qua in iis permittebantur.

Illā die de Regis lascivia, & Lucretiæ Castitate agebatur memoria; &, qui propter hanc deberent modestissimè agere, habenas laxabant libidini, putabantque Tarquinii dignè meminisse non posse, nisi in omnem turpitudinē dissolverentur. Augustinus, *Sed demonstrentur loca talibus aliquando conventiculis consecrata, non ubi ludi agerentur obscæni, vocibus, & moribus histrionum; nec ubi Fugalia celebrarentur, effusa omnium licentia turpitudinum; & verè Fugalia, sed pudoris, & honestatis.*

Augustinus libr. 2. de Civitate Dei,

De Æra Rebellium,

Solent Rebelles annos à die libertatis indeptæ numerare, unde Barlæus, & alii Hollandi suos annos numerant,

Ex quo libertas sanguine capta emi.

Ergo, si Romani ab exactis Regibus annos nominare voluissent Æram suam Arabicè *Hegiram*, & Latinè *Epocham fuga* nominarent.

NOTA IV.

De ipso Æræ nomine. Unde originem traxerit?

Quid sit Æra.

MUlta de Æra Saracenorum diximus; & Critica investigat Curiositas, ut quid *Æra* sit, & unde hæc vox proveniat, exponamus.

De Æra Augusti.

Æra est determinatus aliquis dies, ex quo Chronologica exordium sumit supputatio. Sic Æra Mundi à Mundi creatione annos dinumerat; & Æra Christi, à Domini Nostri ex Purissima Virgine Nativitate. Isidorus *libr. 5. cap. 36. Etymol.* sic statuit. [Æra singulorum annorum constituta est à Cæsare Augusto, quando primùm censu excogitato Romanum Orbem descripsit. Dicta autem *Æra* ex eo, quod omnis Orbis æs reddere professus est Reipublicæ.]

Unde dicta?

An Aera dicatur ab Aere?

Etymon hoc improbat Ioannes Genesius Sepulveda apud Ioannem Vasæum *in Chronic. Hispan. cap. 22. pag. 218. & 220.* & aliud substituit his verbis. [Hujus verò vocis *Æra*, quam noster Isidorus, Auctor alioquin gravissimus, & fere posteri, ad æream monetam, & tributum ab Augusto Cæsare in descriptione Orbis imperatum refellendam falsò putarunt, rationem paucis explicabo. Veteres enim initio (ut equidem pro comperto exploratumque habeo) scripturas claudentes, tempus ad hunc modum adscribebant. *Acta fuerunt hac*, exempli gratia, *Corduba pridie Cal. Maii Annus erat Augusti Cæsaris centesimus quinquagesimus*. Deinde brevitatis causa sic verba ad annum pertinentia signabant. *A.ER.A. CAES. CL.* initia dumtaxat verborum punctis distin-

Quo olim modo Instrumentorū tempus subscriberetur?

cta

cta pro totis verbis notantes, vetustissimo properanrium librariorum more. Er hujusmodi multa in tabulis æneis, & lapidibus olim scripta licer animadvertere. Postea librariorum tabellionumque temeritate, & insciria punctis ablatis scribi cœpit AERA CAES. & ab aliis magis etiam properantibus AERA, dumtaxat adhibito numero per notas. Quo errore latiùs serpente, quævis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primùm ab Hispanis, deinde à cæteris Astrologis *Æra* cæpit nuncupari.] Placuit Vasæo hæc derivatio, illamque adprobaturus, si anthoritare fulciretur, rogavit virum doctissimum Didacum Neilam, Canonicum Salmanticensem, uti per literas percontaretur Sepulvedam, an aliquam haberet opinionis suæ autoritatem. Respondit ingenuè, ut candidum virum decebat, nullam se habere præter conjecturam verisimilem.

An ex literarū compēdiis vox Aera sit tandem conflata?

An ratio Sepulveda careat autoritate?

Hanc vocis derivationem approbat Passerarius, eamque suo Calepino inseruit, dicens. [*Æra* pro Epocha. Vox est corrupta. Hispani etim, cùm ipsis admodum salutare esset Imperium Augusti Cæsaris, curarunt, ut rerum actarum annos ab Augusto repeterent.ex.gr. *Acta sunt hac Toleti Kalendis Martii A.ER.A.CCL.* hoc est, *Annus erat Augusti* 250. Tabelliones autem unam vocem fecerunt *Æra.*] Et subjungit [Sunt qui & *Heram* vocant, id est, *Monarchiam*, quæ vox est corrupta Hispanica. Sic *Æra Cæsaris* est ipsius Monarchia.] Quod mores Politici adfirmare videntur, nam in Bullis, & Diplomatibus legimus *Pontificatus nostri*, &c. *Imperii nostri*, &c. *Regni nostri*, &c. *anno tali*.

Opinio Passeratii.

An Aera dicatur quasi Hera, & proveniat ab Hero?

Vtramque hanc impugnat; & rejicit derivationem L. Andreas Resendius, [a] cujus Epistola, quæ prostat apud Vasæum *loc. cit. pag.* 221. in fine hæc habet. [Quibus ego verbis partim, partim etiam ipsa ratione adducor, ut credam, neque ab Ære dando vocatam *Æram*, ut putavit Isidorus; neque ab hero *Heram*, ut somniant nonnulli; sed simpliciter à nota numeri, quod *Æra* sit nota, vel supputatio, ut Faustus interpretatur. Ad quam rationem Alphonsus Hispaniarum Rex suam temporum supputationem *Aeram* adpellarir. Siquis autem roget, Satis-ne id latinè? respondebo Nonii Marcelli verbis. *Aera*, inquit, *numeri nota*. *Lucillius* [*] lib. 29. *Hac est ratio perversa, æra numeri subducta improbè*. Igitur ab initio ratio hæc numerandi tempora abusque Augusto cœpta, *Aera* nominata est. Neque movere quempiam debet ejus vocabuli usum apud probatos Auctores minimè inveniri.

Resendii Opinio.

An Aera significet numerū? An satis Latina vox sit?

*] Nomen Lucillius, quod per ll literam duplicem Resendius exprimit, per simplicem pag. 217. Vasæus scripserat.

Multa renascentur, quæ jam cecidere; eademq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Pendent ab usu & approbatione vocabula.

ait Horatius. Meus Vasæe huc inclinat animus. Sicui aliud placuerit, suo fruatur judicio. &c.]

Addamus aliam adhuc derivationem. Dicebat Egl. 1. apud Virgilium Meliboeus.

Alia de eadem voce sententia.

En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis, & tiguri congestum cespite culmen.
Post aliquod (mea regna videns, mirabor) aristas.

Aristas accepit pro messibus, & *messes* pro annis, ut sensus sit *post aliquot aristas*, seu *post aliquot messes*, hoc est, *post aliquot annos, mea regna videns, seu considerans admirabor*.

Arista. Messis. Annus.

Et sanè per messes numerari annos apud alios Autores certum est. Lego in Calepino Passerarii. [*Messibus* pro tempore messis. Plinius libr. 22. cap. 13. *Semen colligi messibus oportet per messes*. Idem libr. 23. cap. 7. *Radix per messes incisa, succum dat aptissimum dentium dolori*.] Et subjungit [*Messim* accusativus pro *messem*, apud Plautum in Mostell.] Ergo *per tot messes* erit *per tot annos*.

Messis in ablativo habet messem, & messim.

La Era Hispanis locus est; in quo messes ponuntur, & terunrur, aur excutiuntur; & pro *messe* ipsa sumitur. Ergo dicere *Pedro vivió cinquenta Agostos*, aut *cinquenta miesses*, aut *cinquenta eras*, erit apud Hispanos idem, ac *vivió cinquenta años*.

Quid apud Hispanos sit la Era?

a] Quia literam præpositionum ultimam multi in compositione cum sequenti confundunt, & alii, ut significantiùs loquantur, illæsam servari præcipiunt; & ex horum numero Resendium esse video, qua Orthographia ille delectetur, producendo aliqua ejus verba ex-

De Orthographia.

An accipio, appello, &c. an verò adcipio, adpello, &c. debeat scribi?

plicabo. Sic enim inquit. *Literas tuas adcepi* &c. *adcepi autem*. &c. *vim adpellare*. &c. *adsuratiùs paulò respondere*. &c. *manifestè adpares*. &c. *à patribus adcepta*. &c. *adsentiatur*. &c. *posteà quàm conlabi* &c. *supputationem Æram adpellaret*. &c. est autem Resendius ingeniosus, & eloquens, & scribendi modum, quem ipse tenuit, multi hodie Scriptores observant.

NOTA V.

Quid Doctorum *nomine in Tridentino Concilio intelligatur? An, & unde restringi debeat nomen* Doctor? *An à nomine* Monachus *per analogiam possit resolutio, & restrictio desumi?*

Alii Monachi, Professionis, & alii Devotionis sunt.

SUNT duo Monachorum genera; alii enim *Professionis*, & alii *Devotionis* nominantur à Populo; possentque appellari In Scholâ priores *Religiosi secundum esse*, & posteriores *Religiosi secundum dici*. Terminos, seu voces expono. Professionis, & secundum esse Religiosi sunt, qui in Monasterio vivunt, & Regulam, quam sunt professi, diligenter observant: Alteri autem pueri, quos Parentum devotio habitu Religioso investit: qui vel in Monasteria suscipiuntur ut hospites, dicunturque *educandi*; vel apud parentes manent. Et præter tonsuram & habitum, nihil, quod sit Religiosum, præseferunt. De utrisq; agit S.Benedictus in Regulâ: & quidem de Monachorum generibus Cap.I. ubi, licèt quatuor (genera) enumeret, ea reducit ad duo: nam Cœnobitæ sunt Monachi *secundum esse*, & cæteri *secundum dici*. Agit posteà, de *devotionis Religiosis* cap. XXXVII & LIX. & de *professionis Religiosis* in omnibus aliis capitibus.

Alii secundũ esse, & alii secundum dici.

S. Benedictus in Regula.

An Doctorum alii Professionis, & alii Devotionis sint?

Sicut Religiosi, sic & Doctores solent in duas Classes distribui: alii enim sunt Professionis Doctores, & alii Devotionis tantummodò. Illi profitentur Facultates, & Scientias, & in aliquâ nobili Academiâ sunt ad Lauream Doctoralem promoti, & possunt servire Reipublicæ. Isti merum nomen Doctorale præ seferunt; & quia in Universitate comparêre non audent, à Comitibus Palatinis, qui contradicentibus aliis nescio quæ privilegia obtinuisse dicuntur, Lauream Doctoralem recipiunt; &, quia literas nesciunt, & tamen de omni ente dextrorsũ, sinistrorsum consulti, aut etiam non consulti, respondent, sua nocent audaciâ, & temeritate Reipublicę. Illi Doctores sunt *secundũ esse*, nam revera sunt docti: hi autem *secundum dici*, quia docti non sunt, & tamen *Doctores* dicuntur. Sarabaitas, qui Religiosi *secundum dici* sunt, his coloribus Sanctus Benedictus depingit. *Sunt*, inquit, *qui nulla Regula approbati, experientia Magistri, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur*. Et mihi præscribit ideam, ad quam possim Imaginem Doctorum *secundum dici* accuratè depingere. *Sunt*, inquam, *hi Doctores, Magistri, & Licentiati, qui docent, qua non didicerunt; & quia vocantur* Magistri *in scieatiis, in quibus nunquam fuerunt discipuli, amplam habent plerùque omnia ignorandi licentiam. Hi profectò in nulla Universitate approbati, destituti scientia, & experientia, appellantur* Magistri. *Et, qui deberent esse meliores, & illustriores auro, sunt molliores, & obscuriores plumbo; & dum Facultates exercent, quas ignorant (vel conscientias in foro interno dirigere; vel lites in externo dirimere; vel infirmos recurare præsumant) mentiri Deo, & Reipublica per Lauream indignè susceptam noscuntur.*

Quales utriq; sint, explicatur.

Quinam & quales sint Monachi Sarabaita?

An sint Monachi secundũ dici?

An illis, Doctores, qui à Comitibus Palatinis promoventur, sint similes?

Hac doctrinâ præmissâ aperiamus Concilium Tridentinum, & Sess. XXIV. repetiemus Decretum de Reformatione, & in ejus Cap. XII. hæc verba. *Hortatur etiam Sancta Synodus ut in provinciis, ubi id commodè fieri potest; Dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico.*

Vult Tridentinum ut soli Doctores, Magistri, & Licentiati, ad Dignitates promoveantur:

Et quidem verba hæc occasionem præbuerunt Viris doctis, inquirendi, de quibus Doctoribus & Magistris intelligenda veniant: an de Professionis Doctoribus, qui *secundum esse* tales sunt, & ad publicum suæ doctrinæ, & sufficientiæ testimonium Laureâ Academicâ condecorantur: An verò Sacra Synodus Doctores, qui *secundum dici* tales sunt, qui non Academicâ Laureâ, sed Palatinicâ notantur, ad Dignitates, & Canonicatus admittat?

Proponitur Dubium circa mentem Concilii Tridentini.

Ut

Vt hoc dubium tandem decideretur, Collegium Theologorum Regiæ Ticinensis Vniversitatis scripsit, & dedit has literas.

Ad Illustriss. ac Rever. Dominum D. Io. Paulum Zaccaria Regioducalem Præpositum Scalensem, nec non Apostolicum, Regiumque OEconomum in Dominio Mediolanensi.

N. B. Sicut negare non audebo aliquos interdum Viros doctos, quia sunt pauperes, & expensis, quæ in Claris Vniversitatibus fiunt, non sufficiunt, necessitate pulsi ad Comites Palatinos recurrere, mihi non audebit negare Lector Cādidus, plerosque omnes, qui à Palatinis umbratilem hanc Lauream suscipiunt, esse homines prorsus imperitos, & cum ignominia doctorū nomen Doctorum usurpare. Habere ergo patientiā debent illi pauci quoniam ut *libr. 3. Annal.* inquit Tacitus *In omni lege oportet, ut fiat aliquibus injuria (lege incommoditas) nam legi ipsi sufficit, ut multitudini ex ea bene consulatur.* Vide P. Mendum *in Epitomes Appendice. pag. 734. num. 2.*

CVM *Concilii Tridentini sess. 24. Decreto de Reformatione Ca. 12. hortetur in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, omnes Ecclesiasticas Dignitates conferendas esse Magistris, vel Doctoribus in Sacra Theologia, vel Iure Canonico, atque adeo meritò quis ambigere potuisset, an Lauream Magistralem, vel Doctoralem à Comitibus Palatinis, vel ab aliis similibus privilegia habentibus, suscipientes, veniant nomine* Magistrorum, *vel* Doctorum, *quibus ex dispositione Concilii aptari possunt Ecclesiastica Dignitates; Illustriss. ac Reverendiss. D.D. Episcopus Papiensis Anno 1652. muneri suo Pastorali sedulò incumbens, ad tollendas omnes ambages petiit à Sac. Congregatione super verba Concilii, specialem Declarationem, porrecto supplici libello tenoris, ut infrà.*

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

E*Piscopus Papiensis supplicat per Sac. Congregationem declarari, an ad effectum obtinendi beneficia, ac dignitates Ecclesiasticas, in quibus ex dispositione Concilii, & Sac. Canonum requiritur gradus in Iure Canonico, vel in Theologia, intelligatur dumtaxat de insignitis dicto gradu in aliqua Vniversitate approbata, non autem de graduatis à Comitibus Palatinis, vel ab aliis similibus Privilegia habentibus.*

Sacra autem Congregatio esse summè necessariam hanc Declarationem cognoscens, expedivit literas, quæ Papiæ in Curiâ Episcopali conservantur, in quibus respondit, ut sequitur.

Die 27. Iulii 1652.

S*AC. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum censuit Sac. Concilium, & Canones esse intelligendos de Doctoribus in publicâ Vniversitate approbata, ita ut alii Doctores, qui extrà publicam Vniversitatē approbatam, gradum adepti sunt, excludantur.*

Subscript. *Franciscus Cardinalis Cherubinus*; & inferiùs.

Franciscus Paulutius Sac. Congregationis Secretarius &c.

Hæc autem Declaratio, tametsi ad Vniversitatis, & Episcopi Papiensis petitionem sit reddita, non ideò ad illam Vniversitatem, aut Ecclesiam restringitur, sed ad omnes Ecclesias (Cathedrales, & Collegiatas insignes, nec non ad omnes, illustres Vniversitates extenditur. *An hac Responsio ad aliquē locum restringatur?* 196

At, quia statim inquirere Curiosi possent, *An bene Cardinales textum Concilii Tridentini intelligant, & interpretentur?* Sequentia debuimus subjungere. Dicimus enim hanc Declarationem inniti Constitutioni Pii V. editæ anno 1568. Kalend. Iunii, incipienti. *Quamvis à Sede Apostolica* &c. (& est sexagesima in ordine Bullarii Romani,) in quā, postquam Summus Pontifex facultates omnes, & indulta jam concessa ab Apostolicâ Sede per suos Prædecessores Comitibus Palatinis, ac etiam quibusdam Collegiis, Officialium Rom. Curiæ, singulisque aliis personis cujuscumque status, gradus, Ordinis, ac præeminentiæ existentibus; promovendi ad Doctoratus, & Magistratus gradum, de Apostolicæ potestatis plenitudine, causis in Bullâ expressis, revocavit, cassavit, & annullavit, devenit in hanc declarationem, & ordinationem per subsequentia formalia verba. *Ostenditur Cardinales benè declaravisse.* *Facultates Comitibus Palatinis concessa revocantur.*

Decretis Concilii Tridentini inhærentes decernimus, & declaramus eos, qui à Comitibus, & aliis præfatis promoti fuerint, quoad Dignitates, cateraque Beneficia Ecclesiastica, nulla gradus prarogativa frui, & gaudere posse, vel debere. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudi-

Iudices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, interpretari, judicari, & definiri debere, nec non irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari &c.

An Cardinalium Declaratio sit vera?

Stat ergo Cardinales benè declarasse; & non constituisse novum Ius, sed Tridentinæ Synodi Constitutionem ad mentem Pii V. reposuisse.

Potest Pontifex in omnibus Concilii Decretis dispensare.

Sed quid, si interroges, *An ipsa Pii V. Constitutio inhæreat Decreto Tridentino?* Non dubitas de potestate Papæ, qui hoc dubium excitas, supponis enim Concilii omnia Decreta pendêre ab authoritate Pontificis; eaque sicut sub initium potuerunt non approbari, sic nunc, si ratio id postulet, posse cessari, & dirimi. Sed dicis, *Pium V. umbratiles omnes Doctores à Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium prudentissimè arcuisse*; & interrogas, *An illos etiam Concilium Tridentinum verè arcuerit, ita ut stando nuda Concilii litera, & à Bullis Recentiorum Pontificum, & Cardinalium Declarationibus præscindendo, arceri debeant necessariò, & excludi?*

Sess. 24. cap. 12. in princ.

An verè à Tridentinum à Dignitatibus excludat Doctores promotos à Palatinis Comitibus?

Respondeo affirmativè; & ex ejus capitis contextu manifestè persuadeo. *Cùm Dignitates*, ait Concilium, *in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamq; Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisq; exemplo essent, atque Episcopos, opere, & officio juvarent.* At opere, & officio juvare Episcopos, & cætera præstate nequeunt viri indocti, quales plerumque sunt, qui Lauream à Comitibus Palatinis recipiunt; & possunt docti, quales sunt, qui Laureã à Comitibus Palatinis recipiunt; & possunt docti quales sunt, qui Vniversitatibus Claris ad Doctoratũ promoventur. Concilium igitur Tridentinum *Doctorum* & *Magistrorum* nomen ad eos, qui in Vniversitaribus sunt promoti, restringit, omnesque aliter Lauream consequutos excludit.

Iterum abusus in Ecclesias irrepunt.

Verùm enim verò, quia tam altas radices hic abusus (contra quem peroramus) immiserat, ut non pauci Ecclesiastici, non obstantibus hujuscemodi Declarationibus, tam in Mediolanensi Dominio, quàm etiam alibi, Doctorali Laureâ Theologali extra Vniversitatem approbatam à nonnullis Privilegia jactantibus conquisitâ, eademque utrumque obtenta, ad Beneficia & Ecclesiasticas Dignitates promoveri posse contendunt, propterea Decanus, & Magistri ex Collegio Theologorum Regiæ Ticinensis Vniversitatis pro suis Privilegiis Apostolicâ, Imperiali, Regiâque auctoritate vallatis, & roboratis, necnon pro ejusdem Collegii decore, dignitateque servandâ æquè solliciti, preces has Excellentissimo Senatui obtulerunt.

Potentissime Rex.

Libellus supplex Regi Catholico à Ticinensi Academia in Mediolanensi Senatu præsentatus.

VNiversitas Patrum Theologorum Collegij Ticinensis Majestatis V. perennis apud Dominum Oratrix, humillimè eidem Maiestati V. exponit, quemadmodũ nonnullis annorum Curriculis elapsis, iam ferè omnes (& potissimùm dominii Mediolanensis subditi) qui sacra Aureola Theologiæ insigniri cupiebant, ut illam obtinerent, ad hanc inclytam Vniversitatem, ut videre est in Catalogo ejusdem Collegii, accedebant; unde magno cum dècore gloriabunda hujus Vniversitatis fama per totum Orbem terrarum divagabatur. Accidit autem nostra hac tempestate, ut cuncti propemodum, qui Theologalia insignia suscipere cupiunt, Vniversitate Majestatis V. prorsus deflectentes, non sine maximo præfati Collegii dedecore à solis Comitibus Palatinis eadem consequantur. Quapropter Episcopus Papiensis ejusdem Collegii indemnitati studens Anno salutis nostræ 1652. supplicavit per Sac. Congregationem Concilij declarari, an ad effectum obtinendi Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, in quibus ex dispositione Concilii, & Sacrorum Canonum &c. (Hic recitatur iam superiùs enarrata Supplicatio Episcopi Papiensis, necnon Responsio declaratoria Sacræ Congregationis supradictæ &c.) *stante igitur dispositione Sac. Congregationis supradictæ, & more inveterato, ut omnes tum Prudentiæ, tum Medicæ Artis Doctoratus gradum in hac Alma Vniversitate suscipiant; cùmq; Collegium Theologorum eamdem insti-*

stitutionem cum Collegiis supradictarum Artium sortitum fuerit, videtur sufficiens haberi ad cogendum quoscumq; Theologalem lauream appetentes, ut ad effectum eamdem consequendi, præfato Collegio se præsentent, sicque vetus eius splendor sibi restituatur. Quod ut feliciter eveniat.

Præfata Vniversitas Patrũ Theologorum enixè deprecatur Majestatem V. quatenus dignetur OEconomo Regio statuere, ut inviolabiliter neminem imposterum ad Beneficium seu Dignitatem Ecclesiasticam admittat, vel approbet, nisi constitâ sibi iuridicè veritate quod priùs lauream Doctoralem in almâ Ticinensi Vniversitate susceperit, quod speratur &c.

Et hac auditâ supplicatione ab Excellentissimo Ordine emanavit Decretum ad Regium OEconomum ut infrà.

Carolus II. Hispaniarum Rex, & Mediolani Dux &c. ac Regina Maria Anna Austriaca ejus Mater Tutrix, & Curatrix.

Catholici Regis, Ducis nostri Decretum.

Dilecte noster. Ex Sententiâ Senatûs, coram quo lecta fuerunt annexa preces Collegii Theologorum, & Lectorum Vniversitatis Papiæ, censuimus imposterum nullum placitum concedendum esse cuicumque Ecclesiastica pro Dignitatibus importantibus Lauream Doctoralem Theologicam, nisi ipsi Lauream adepti fuerint à Theologis dictæ Vniversitatis Ticinensis, quod vobis innotescere volumus, ut inconcussè ita servetis.

Mediolani die 21. *Septembris* 1669.

Subscrip. Carolus Antonius Belcredius.

A terg. *M.R. I. C. D. Io: Paulo Zaccaria Scalensi Præposito, & OEconomo nostro Generali in Dominio Mediolani nobis Dilecto &c.*

An etiamnum observetur editũ?

Hoc Regium Decretum est hodie in viridi observantiâ, non enim *Placitum* alicui conceditur, nisi in Papiensi, aut aliâ illustri Vniversitate fuerit ad Lauream Doctoralem promotus. Vnde nuper Dominus Arconatius Senatoris Arconatii filius, in Alma Mediolanensi Metropolitanâ Archidiaconus, & D. Vaccanius in Massaglia Præpositus denominatus, & alii, tametsi doctissimi, non fuerunt permissi possessionem adire, nisi priùs Doctorali Laureâ in Ticinensi Vniversitate insignirentur.

Quoniam his adhuc non obstantibus abusus erat generalis, & in multas alias Ecclesias Cathedrales irrepserat, oportuit præcedentia renovari Diplomata, & sequenti Decreto confirmari.

DECRETVM

Sacræ Congregationis Concilii Tridentini à Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTE

PAPA DECIMO

Approbatum,

Super gradibus ad nonnullas Dignitates, ac Beneficia requisitis.

DIE xxij. Iulii. 1673. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretũ animadvertens quamplures impetrare, ac obtinere Dignitates, ac Beneficia ex præscripto Sacrarum Constitutionum aut Decretorum ipsius Concilii gradum aliquem requirentia, non obstante, quòd gradus hujusmodi assequuti non fuerint in publicâ & approbata Vniversitate, contra formã Constitutionis Beati Pii V. incipientis:* Quamvis à Sede Apostolicâ. *ac volens propterea tam utilium Sanctionum observationi in posterum constanter prospicere; Inhærendo Cõstitutioni præfatæ, ac Declarationibus aliàs factis iterum decrevit; quòd gradus Magisterii, vel Doctoratus, aut Licentiatura à dictis Sacris Dispositionibus requisiti, debeant esse recepti, seu respectivè recipi in publica, & approbata Vniversitate, aliàs præter pœnas ab ipsis Sanctionibus contra inobservantes inflictas; Præfata Dignitates, vel Beneficia aliter collata vacent* [*] *eo ipso, ac proinde taliter provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint.*

Et die xxvi. *ejusdem facta de præmissis relatione* SANCTISSIMO *Domino Nostro.*

*] Notas illa verba, *vacent eo ipso*, & illa *non faciant fructus suos*. & interrogas, *An adhuc licitè & validè possint Doctores, qui à Palatinis lauream susceperunt, admitti?*

Respondeo illos, qui post hujus Decreti publicationem promoti, nisi Doctores, in Vniversitate promoti sint, assumptos fuisse invalidè, fructus restituere debere, puniri posse, Dignitatesque ab eis subreptitiè possessas posse Romæ impetrari.

Nostro, Sanctitas Sua præsens Decretum approbavit, observari mandavit, ac publicari.

Fr. Vincentius Maria Vrsinus Card. S. Xisti Præf.

S. Archiepiscopus Brancaccius Ep. Viterb. Secr.

Anno à Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, Millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, die verò 4. Augusti, Indictione quartâ, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. CLEMENTIS Divina Providentia PAPÆ X. anno eius quarto, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Vrbe, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Ioannem Gracum Apostolicum Cursorem.

Alexander Albritius Mag. Curs.

NOTA VI.

Quid Viri docti *nomine in Bullis Pontificum intelligendum sit?*

QVando aliqua facultas aut authoritas Viro docto committitur, non agitur de doctrinâ secretâ Deo uni, aut paucis hominibus notâ, sed de publicâ, externo testimonio firmatâ. Ergo-ne in casu sufficiet Laurea à Comite Palatino concessa, ut aliquis *Vir doctus* censeatur? Minimè: at, nisi aliunde constet oppositum, sufficiet, ut imperitus judicetur. Cùm enim in obscuris præsumere debeamus, quod est verisimilius. Et semper verisimilius sit, quod plerumque fieri consuevit, ut Bonifacius VIII. nos docet. Et plerumque accidat eos, qui Palatinis Lauream Doctoralem suscipiunt, esse omninò imperitos, ut experientia quotidiana persuadet. Stat contra eos præsumptio, & debent indocti judicari.

Vices suas Pontifex, non ei, qui secundùm dici doctus sit, sed illi, qui verò sit doctus committit.

Regula VI. in sexto.

Huc respiciens P. Mendus *in Epitome. verb. Dispensatio num. 7.* ait. [Quando Dispensatio occulta pro voto Castitatis, aut Impedimento occulto ad Matrimonium committitur viro docto, is debet esse Doctor aut Magister in Iure Canonico aut Theologiâ in Vniversitate approbatâ (nisi id possint præstare ex privilegio aliqui Religiosi) Potest. &c.] Et meritò; quia ad gubernandam in foro interiori conscientiam, non titulus sine doctrinâ, sed doctrina, de quâ possit per titulum constare, requiritur: hæc autem non invenîtur in Laureis, quæ à Palatinis Comitibus concedi solent.

P. Mendi sententia.

Persuadetur clarissimè.

CAPVT IV.

De Significatione Simplici.

Quæ sit Simplex significatio?



DE Significatione, sumptâ universim, differuimus, hinc breviter de Simplici & Figuratâ duobus sequêtibus Capitulis sumus disputaturi. Et hic, quia Simplicitatem Pompæ & Ornatui opponimus, vocamus Significationem Simplicem, quæ nuda est, & florum schematibus caret. Partes Orationis considerat; &, quia ab Arte & Regulis dependet hæc consideratio, potest appellari Μεθοδικὴ, potest & τεχνικὴ, pendit enim, quâ methodo & arte partes in Oratione connectantur.

Μεθοδικὴ.

Τεχνικὴ.

Qui illam vocant ὀρθογραφίαν, praxim respiciunt; definit enim, quid in Oratione sint, & quam habeant vim, singulæ Partes. Qui de Partium Orationis significatione & usu disputant, τεχνογράφοι, nominantur, quomodo apud Gerardum Ioannem Vossium *de Art. Gramm. libr. 1. cap. 4.* Suidas *in Apollonio* Herodianum appellat. Eosdemque *Artigraphos*, hybridâ voce *in libr. 1. & 2. Aeneid.* Servius, *& in Præf. Collectan. de Orthogr.* Cassiodorus. Vsus est & hac voce *libr. 2. cap. 30. de Imagin. cultu* Magnus Karolus dicens, *Omnia in Scripturarum Sanctarum amplissimis pratis invenire posse, quæ Artigraphi in suis artolis posuere. &c.*

ὀρθογραφία.

Τεχνογράφοι.

Artigraphi.

AR-

ARTICVLVS I.

De Orationis Partibus.

An hæc Scriptio Philosophis, Theologis, Canonistis, Legistis, cæterisque Sublimium Scientiarum Professoribus necessaria, aut utilis futura sit?

Non est animalculum, in quo non sint mirabilia plurima considerãda.



IN ipsomet principio, *assertivè respondeo*; præoccupat enim totum meum Intellectum Aristoteles, qui *lib. 5. de partib. anim.* sic scribit. Δεῖ μὴ δυσχεραίνειν παιδικῶς τὴν περὶ τῶν ἀτιμοτέρων ἐπίσκεψιν· ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς φυσικοῖς ἔνεστι τὸ θαυμαστόν. *Non oportet pueriliter despicere ignobiliorum animalium contemplationem, in omnibus enim rebus Naturalibus inest aliquid admirabile.* Non ergo puerorum more oportet despicere inferiorum, & ignobiliorum Artium (quales sunt Grammatica, Poetica Rhetorica, Critica, &c.) contemplationem; in omnibus enim rebus Artificialibus relucet Humani Intellectus felicitas, & aliquid profectò admirabile. Et quid quæso mirabilius excogitari unquã poterit, quam prodigia, quæ ex simplici Abecedario exoriuntur; tot librorum myriadas non continere aliud, quàm diversas earum literarum combinationes? Porrò sine legitimâ Partium Orationis notitiâ, non possunt scientiæ sublimiores stare: Vt ergo istarum Professoribus serviam, de illis in hoc Capite breviter disputabo. Attende.

An, & cur oporteat de ignobilioribus artibus accuratè tractare?

Orationis divisio.

Oratio duplex est, si universim sumatur: videlicet Realis, & Virtualis. Illa reverà, & sensibiliter exstat (nam prolata ab Auditu, & scripta à Visu percipitur) ista autem est, quæ non sentitur, sed subintelligitur tantùm.

Novẽ apud Græcos Realis Orationis sunt partes. Articulus, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpositio, Adverbium, Interjectio, & Conjunctio.

De ejusdem Partibus. Quot, & quæ sint?

Articulo Lingua Latina caret, & hanc ob rem multa, quæ aut in Græca, aut in Linguâ Maternâ eleganter, & distinctè dicuntur, ipsa non nisi genericè, & confusè solet repræsentare.

Apud Græcos, Latinos, Hebræos, & alios.

Hebræa, & cum illa Chaldea, Arabica, Turcica, Persica, &c. quando tres numerant, Nomen, Verbum, & Dictionem, nec à Græcâ, aut Latinâ dissentiunt; quoniam Articulos exprimunt literis sub initium affixis; Pronominaque accensent Nominibus, Verbis Participia, & tandem Præpositiones, Adverbia, Interjectiones, & Conjunctiones sub nomine Dictionis comprehendunt.

An sint tres tantùm Orationis partes?

Oratio Virtualis est Reali analoga; & hanc ob rem easdem partes habet: ita ut Articulus Virtualis sit (& idem de cæteris Virtualis Orationis partibus debebo dicere) qui revera non dicitur, nec scribitur, subintelligitur tamen, quoniam prudentum opinione, & judicio ita se habet, ac si realiter diceretur, aut scriberetur.

De Orationis Virtuali.

Quid ejus partes sint?

LEGERAT Grammaticum Discursum Aurelius, diligentiamque meam despiciens inclamabat, *Quid curabunt has Criticas, & Ethicas in Grammatica subtilitates, Facultatum nobiliorum, & excellentiorum Professores, qui contemnunt communium Institutionum Regulas; Authoresque, siqui loquuntur eloquenter irrident? Satius esset, ait, illos ad Priscianum remittere, juratosq; Canones Veterum, & Iuniorum docere, quàm præpedire dubia luce, & inutilium Disputationum apparatu gravare.*

An Sublimium Scientiarum Professores sciant Grammaticam?

Qualis fuerit Angelus Politianus?

re. Sic clamat, & vociferatur. Et quis est iste Aurelius? Vir opinione propria sapiens; Angelo Politiano similis; qui sui ipsius Narcissus, quod placeat, aut arrideat in aliorũ scriptis, nunquam reperit.

De Augustini Niphi Grammatica.

Vt suam sententiam roboret, & in specie Philosophos in Grammatica cespitare persuadeat, producit Augustinum Niphum Aurelius, quem non excusat conceptuum altitudo, aut subtilitas, ut barbarè, & inconcinnè loquatur: omnia enim ea, quæ dicit, ante eum, & post eum multi alii scripserunt dilucidè: nam S. Thomas olim, & nuper Suarius castè, & Comptonus magnificè de Philosophicis rebus tractarunt.

De Grammatica Ferri Mãrique.

Et ad Theologos veniens, Ferrum Manrique, & alios scriptores balbutientes producit; Ferrum, inquam, in quo, si vel ea quæ dicit, sive modum, quo dicit, mediteris; sola scribendi cacoëthes ebullire percipitur. Et quidem Ferrus librum edidit, in quo meritò ambigas, Latinè-ne an Hebraicè loquatur. Nominum apud eum Declinationes, alios casus, & occasus habent: obludunt frequenter in numeris, & nullam adhuc legem in exorbitantiis observant. Conjugio carent verba, & intempesto solœcismorum nimbo propelluntur per tempora, & cum Præteritis confundendo Futura ignorantiam supinam temerarii Scriptoris ostẽdunt. Quid de Syntaxi dixero? Quoniam scopæ dissolutæ constructione non indigent, illam videtur non morari. Fortè, quia infandum crimen est masculos commisceri cum masculis, aut etiam cum fœminis fœminas; ideò ille, ut castissimo calamo scriberet, masculinis nominibus fœmenina adjectiva, & masculina fœmeninis accensuit: &, ni fallor, opportuno consilio, nam innumeras soboles suis parentibus similes, ex hac sexuum, seu generum commixtione suscepit. Omnia hæc fidem superare dicentur, nisi producam aliquid in particulari. Hanc quæstionem inter alias proponit. *Vtrum-ne, qui habet licentiam ad confitendos homines, habeat licentiam ad confitendas mulieres?* Et ex ipsâ ego duas Consequentias, alteram Grammaticam, & alteram Philosophicam, infero. Dicam primo, Ergo *Confiteor Petrum*, est excipio confessionem Petri: & *Confiteor a Petro*, est ad Petri pedes meã conscientiam expio. Et adscendendo ad altiora dicam secundò. Ergo mulieres non sunt homines; nam aliàs ab hominibus condistingui non possent.

Quo idiomate librum Ferrus Manriq; scripserit?

Verbum Confiteor quid significet, & casum regat.

An mulieres sint homines?

Erat plura dicturus, nisi eum interpellarem dicens, Legistas coluisse, & observasse religiosè Grammaticam. Me autem audito Aurelius, impatienter exsiliit, dixitque, textoriam vocabulorum artem, quæ in disponendis, & componendis vocibus omnes sensus impendit, in cujus thesauris (sic vocant Lexica) non nisi lattocinia, & furta (vix enim habent vocem, quæ aliundè non fuerit subrepta) reperias; in cujus legibus, non jam *fiat pro ratione voluntas*, sed *fiat pro ratione tyrannis*. Et hanc ob rem in Iustiniani laudes eximio verborum apparatu diffunditur, quod, ut recenset Zonaras, Grammaticos exesse jusserit, & eorum loco, & stipendiis Iurisprudentes honoraverit. Iosertq; condemnavisse Iustinianum in Iuris-consultorum Responsis concinnatã Grammaticam.

De Grammatica Practica. Qualis ea sit?

An singula Lingua ab aliis suffurentur vocabula?

An Grammaticorum leges sint Tyrannicæ?

Tv Avtem, quidquid dicat Aurelius, in Speculativam, & Practicam bipertire Grammaticam; illa est Linguis universis communis, hæc singularum propria. Et addas utriusque in Facultatum sublimium Tractatione cognitionem requiri; & perturbari magis scientias communis Speculativæ Grammaticæ præconceptis erroribus, quàm particularis, & Practicæ.

Respondetur Objectis. De Grammatica Speculativa & Practica.

Dic, non suadere Niphum neutram in Philosophiâ requiri; immò adde, tam esse eum Philosophiâ, & Artibus aliis connexam, ut syntagma dudum ediderim, in quo totam Philosophiam (immò etiam Theologiam) dilucido ex præcognitis Fundamentis Grammaticæ. A Nipho ad alios non debet Consequentia deduci; errores enim, qui apud illum leguntur, non concernunt Grammaticam Speculativam, in quâ Scientiæ Scholasticæ universæ fundantur.

Prostat Authoris Liber, in quo ex solius fundamẽtis Grammaticæ pleræque omnes Philosophiæ & Theologiæ Conclusiones demonstrantur.

Adde Ferrum, inter Scriptores numerandum non esse: nam, ut loquar Hispanicè, *Terro escribiò por yerro tantos yerros, que es yerro pretender desterrarle*. Ergo quidquid ex

De Ferro Manrique. An impugnari debeat?

ex Ferro Aurelius inferat, debebit necessariò negari.

Cur in linguis voces peregrinæ inveniantur?

Subjunge, illud Iudicium de tyrannide, & furtis Grammaticæ, praxim concernere, & ab speculatione subduci. Fateor in Linguas singulas cooperante mercimoniâ, & militiâ irrepsisse voces exteras, & peregrinas: nego autem plagii crimen, furti, aut rapinæ scelus; Linguæ enim (ad quas illæ venerunt voces) ditatæ sunt sine illarum, (ex quibus profluxerunt) præjudicio, vel damno. Non audebo negare Novitios legum Grammaticarum Institutores in aliquibus exercuisse tyrannidem, sed hinc (corrigatur, aut non) nihil deducitur contra Resolutionem nostram, quam Aurelius impugnat.

An Iustinianus abstulerit publica stipendia Grammatistis?

Quod autem de Iustiniano dicitur, calumnia est, non historia; nec tanti haberi debet Zonaras, ut ei soli, & in re, quæ fidem superat, assentiri cogamur. In Iustiniani vitâ Antonius Contius, *Quod in Legibus componendis sumptus fecit, id nulli unquam Authorum in querelam venit; adeò tenui sumptu Musæ, sive bilariores, sive civiles virtutes contenta sunt. Atque utinam Preceptoribus Grammatices, & primarum literarum sueta non ademisset has ob causas solatia, ut Zonaras solus questus est, qua tamen ab eo restituta fuisse ex novella quadam Pragmatica, quam extra numerum ex manuscriptis restituimus, intelligi potest.*

Qui doceant legere & scribere Grammatistæ, qui loqui Grāmatici & qui eloqui Rhetores nuncupantur?

Et ego me hoc Dilemmate expedio. Vel Iustinianus Grammatistis, & Grammaticis abstulit stipendia, vel non. Si non, argumentum ex Zonaræ historiâ non urget. Si abstulit, & tamen posteà restituit, ratio pro Grammaticâ stat: quam enim sub initium Imperator inutilem esse censuerat, re meliùs perpensa, & doctiorum consilio examinata, tam esse necessariam judicavit, ut ejus Magistris cathedras, & salaria restitueri t.

An in Grammatica omnes Iuristæ aemineant?

Et veniendo ad Iuristas, sicut nec omnibus, quæ ipse scribit assentior, sic nec omnia, quæ objiciebat negabo: juniores enim multos cum Prisciano contentiones habere, non ignoro. Illum mactant, & vulnerant: at quia non sunt illius cognati, aut filii, in nullo tribunali participii accusantur. Scio etiam nunc esse aliquos, qui suis Mecœnatibus *felicitatem, & salutem devoveant, & Logica Moralis*, citent *Pandectas Cæsareas*; cùm tamen *devovere* universim sit exsecrabilibus imprecationibus malum alicui optare: &, si agatur de Altaribus, sit interficere, & sacrificare: unde Ovidius,

Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin.

Et Virgilius.

——— *Quorum se devovet aris.*

hoc est; immolat. Nam 3. *Offic.* dixit Cicero. *Quid Agamemnon? cùm devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam.* Sonat igitur illud *devovisses* idem ac, ad mortem, & sacrificium destinasset.

Iphigenia immolatur: & cur?

Et de Pandectarum nomine nulla est difficultas, nam Græcè sunt Πανδέκται. ὁι. & ideò sicut *Planeta*, *Cometa*, sic etiam *Pandecta* ad genus masculinum pertinet. Hæc, & alia similia, quia passim obvia, nec nego (mi Aureli) nec admiror: nam in horto pulcherrimo sunt plura folia floribus, & Scola Iuridica, ubi floridè scribunt multi, non indè amittet gloriam, quod aliqui folia calamis maculent.

Cujus generis Pandecta sit?

Et quidem esse hodie multos, qui scribant ingeniosè, & floridè, non audebis negare, ut opinor; nam id passim ipsamet invidia confitetur. Et tu, tu, cognoscis hîc Neapoli non paucos Viros eloquentissimos, qui orant hodie pro rostris, & in Senatu Regio Patronos agunt. Scribunt eruditè Germani: Galli eloquenter: Hispani acutè, nec non floridè Itali. Annon D. Dominicum de Rubeis audivisti in Consilio tonantem? an non ejus Certamina legisti? Ergo audivisti Demosthenis impetuosam vehementiam dulcedini Ciceronianæ attemperatam. Libros suos *Certamina* vocari voluit. Sed cur? Aliò respexit ille, sed ego, ut vidi, Inscriptionem laudavi, quoniam in illis libris penitior Iuris utriusque Scientia cum Elegantia, & Eloquentia certant de Principatu.

D. Dominicus de Rubeis laudatur.

Cur ejus libri inscribantur Certamina?

Sunt etiam alii Iurisconsulti, aut similes, aut suppares D. Dominico: ergo non est, cur diras in Canonistas, & Legistas fulmines, quasi Iuniores nova hodie utantur lingua, verbis, barbaris, & peregrinis mixta: nam præter pauculos, quos Prudentia tolerat, plerique omnes Vlpiani elegantiam sectantur.

Vix nominavi Vlpianum, quando

An Vlpianus sit eloquens?

Aurelius exceanduit; clamavitq; impatiens, Immò multa in illo jure optimo reprehendit elegantissimus Valla: ille nimirum Valla, Grammaticorum Princeps, cujus lta labium, & calamus à puritate commendatur, ut hoc Distichо concelebretur.

Thesaurus ad Patr. decis. 270

Mox ubi Tartareas Stygis undas Valla petivit.
Non est Pluto ausus verba Latina loqui.

Lusus de Laurentio Valla & Plutone.

Sed tunc. Quis est ille Valla, inquam Ego, quem ad Tartareas Stygis undas praecipitando concelebras. Fuit orthodoxus ille, & majori pietate dilaudari meretur. Hoc encomium, tua magnificum, mea tamen injuriosum sententia, Ciceroni, Hortensio, &c. hoc Virgilio, Ovidio, &c. Ethnicis Viris relinquatur. Hi sunt Tartareae noctis incolae; &, si volueris, ipsomet Lucifero doctiores in Latinitate dicantur: nam Vallam adscendisse ad Empyreum ex summa Numinis clementia, & ex ejus vita innocente, & modesta confido. Assentitur Aurelius, & se, non de Vallae moribus, sed de ejus Latinitate pronunciare: & adhuc suae priori adhaerere sententiae, quoniam vixisse eum, & ad Coelum ivisse, antequam exactè sciret Latinè loqui, Alexander ab Alexandro, Alciatus, & alii Viri eruditi ostenderunt. At ego, nisi ad particularia descendamus, stabo à Valla, ipse enim est Grammaticus per se, & Iurista per accidens; cum Alciatus, & Alexander sint Iuristae per se, Grammatici verò per accidens; & quia scitè cecinit olim Naso,

An linguam Latinam bene scivcrit.

Navita de ventis, de bobus narrat Arator,
Enumerat Miles vulnera, Pastor oves.

in re purè Grammatica, plus Vallae Professori Grammatices, quam Iuristis, & Philosophis desero.

Sed pergamus ulteriùs. Quid, obsecro in Vlpiani calamo, quem defaecatissimum esse assero, praecipuè displicet?

An Gerundiũ rogat Accusativum?

Haec verborum contextura, ait Aurelius, insolens mihi, & à barbaris hausta videtur. *Socium autem omnium bonorum accipiendum est eos.* In leg. 16. D. *de re judicata* invenitur, & similia verborum monstra leg. *ult.* §. *ult.* D. *de Senat.* leg. 1. 2. §. *Facta* D. *de capt. & post lim. reverf.* leg. 19. D. *de novat.* & saepe alibi, refecta, & retexta leguntur.

Tunc ego in risum concitatus clamavi, *Hablàr a yo para mañana.* quia quando percellitur animus, materna lingua statim adest, aliaeq; cum difficultate solvuntur. *Parturiunt montes*, & unum fuerunt Gerundium tantummodo enixi. Iam pridem hanc objectionem diluit D. Dominicus de Rubeis *in Cert.* multos Authores, quos fuit Vlpianus imitatus adducens. Dixit *libr. 11. Aeneid.* Virgilius. *Pacem Trojano ab Rege petendum.* Plautus, *Aliqua consilia reperiendum est.* Etiam sic loquutus est *libr. 11.* Lucretius. *Privandum est corpora.* &c. *Loquendum est multa.* &c. Et, ne quis putet hanc phrasim Poëtarum tantùm esse, ab Oratoribus exempla sumo. Sic inquit *libr. 6. Ling. Lat.* Varro. *Quocirca radices ejus in Hetruria, non Latio quaerendum est.* Imitatur *libr. de pall. cap. 3.* hunc modum loquendi Tertullianus, *Multa dicendum fuit.* Et, si esset absonus, non illum admisisset Cicero, qui in *Cat. maj.* ait. *Tanquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum est.*

Quanam lingua exprimantur motus illi primi, qui deliberationem praeveniunt?

Haec dixero, ut ostendam Vlpianum, cùm Gerundio sui verbi casum adsignavit, elegantissimos fuisse Scriptores sequutum: caeterùm alios locos, quos Aurelius adlegat ad rem hanc pertinere non video: nam in primo haec sunt verba, *Senatores autem accipiendum est eos esse, qui à Patriciis, & Consulibus usque ad omnes viros illustres descendunt:* In secundo haec, *Iuliani sententia sequenda est.* & tandem in tertio haec, *Et ideò deneganda meritò est adversum eum exceptio ex persona debitoris.* Paulus *libr. 69. resp.* Et quidem in nullo ex his reperitur Gerundium activum, sed Participium passivum: quo frequenter, sicut Iurisconsulti, Oratores utuntur.

Gerundium activum non debet cum passivo Participio confundi.

Resolutio.

STAT IGITUR, quidquid Aurelius dicat Theologos, & Iurisconsultos veteres scripsisse eloquenter, & ex ipsis discipulos non solùm Iurisprudentiam, sed etiam eloquentiam haurire: Iuristasque juniores, ut plurimum castigatè loqui, & quia una, vel altera non facit ver hirundo, non debemus causari, si unus *ad confitendas mulieres* facultatem indulserit, aut alter fortè dixerit, *De verbibus non curat Iurisconsultus.*

AR-

ARTICVLVS II.

De Articulo Virtuali.

An parvi momenti res sint, quæ in Grammatica morali tractantur?



LEvia sunt ista, dices, & quæ parum Theologi, aut Philosophi intersint. Sunto levia, inquam Ego: at sunt talia, ut sine eorum notitia gravissimæ interdum Quæstiones exhauriri non possint.

Articulus subjectum à prædicato distinguit.

Porrò in linguâ Græcâ Articulus passim propositionum prędicatum à subjecto distinguit, quoniam ille subjectum afficit. Sive enim dicas cum Synesio *Epist.* 31. ἡ μίμησις οἰκειώσεως ἐστιν. sive invertas ordinem vocum, & substituas, Οἰκειώσεως ἡ μίμησις. semper ἡ μίμησις erit subjectum, & vertetur latinè, *Imitatio est familiaritatis, & amicitia conciliatio*. Nam etiam apud Hispanos idem est dicere, *La imitacion es causa de amistad*, ac dicere *Causa de amistad es la imitacion*. nam utrobique ille Articulus *la* subjectum afficit.

An, & quando Articulo Latinus non indigeat?

Lingua quidem Latina Articulos non habet realiter, at habet illos virtualiter: quoniam ita se habet ac si realiter illos haberet. Sane quando Latinus suos exprimit immediatè conceptus, putat se non indigere Articulo: permittitur indulgere suo morbo, & quia mente non concipit Articulum, non est cur habeat illum in linguâ.

Quando indigeat?

Cæterùm, quando non exprimit immediatè conceptus, sed Græcas voces: nomen illud Latinum, quod Græcæ voci Articulo affectæ respondet, dicetur Articulum habere virtualiter, hoc est, ita se habere, ac si verè & realiter Articulo determinaretur.

Quando Articulo Virtuali utatur?

Ideò sæpè ut melius vulgatam interpretationem intelligamus, ad Gręcam Editionem recurrimus:

Cur ad Græcã Editionem recurramus?

non enim Latinam ex Græca corrigere volumus, quam scimus correctissimam esse; sed verborum virtualitates, quas sine collatione Editionum non possemus percipere, percallere radicitùs desideramus. Multa possem exempla adducere: sed unum, aut alterum breviter proponam, & dilucidabo.

Descendit Ioannes in Iordanem (jam iterum posui hanc historiam; sed, quia hic omitti nequit, & non debent jam scripta rescribi, novis eam considerationibus dilucidabo)

An Ioannes fuerit Propheta?

& incepit prędicare baptismum pœnitentiæ. Convenitur à Sacerdotibus, & Levitis dicentibus, Σὺ τίς εἶ; *Tu quis es?* & respondit expressè, ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός. *Quia non sum ego Christus*. Hisp. *Verdaderamente yo no soy el Christo*. Progressi interrogarũt eum, Τί οὖν; Ἠλίας εἶς σύ; *Quid ergo? Elias es tu?* & respondit, οὐκ εἰμί, *Non sum*. Instant, & dicunt ὁ Προφήτης εἶ σύ, *Propheta es tu?* & respondit οὔ, *Non*. (Ioann.1.21.) Et hic hærent universi Latini. Ioannes erat Propheta: unde Dominus Noster Iesus-Christus, *Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam*.

Matth. 11.

An se esse Prophetam negaverit?

Quâ ergo sinceritate negare potuit Ioannes, se esse Prophetam? Respondit bene: & lingua latina, nisi recurramus ad Græcam, & quæ dicit illa, virtualiter consideremus, interrogationis vim exprimere ullo modo non potest. Attende.

Quid interrogabant Iudæi?

Non interrogabant Iudæi, *An Ioannes esset* Προφήτης? de hoc enim dubitare non poterant: nam summa hominis sanctitas in ejus corde Spiritum Sanctum residere insinuabat: interrogabant autem, *An esset* ὁ Προφήτης? Dicam Hispanicè. *No querian los Iudios saber, si Iuan era Propheta; sino, si era el Propheta: y respondió*, Non sum, *No lo soy*.

Inter Προφήτης, & ὁ Προφήτης differentia.

Et in hac responsione nihil contra veracitatem, & sinceritatem reperies. Porrò, si discere voluissent Iudæi, *An esset* Προφήτης? (Hisp. *Si era Propheta?*) respondisset, *Sum*. *Quid ergo vultis?* at, quia Interrogabant, *An esset* ὁ Προφήτης? (Hisp. *Si era el Propheta*) ille videlicet, qui erat redempturus

Quid Ioannes responderit?

tutus Israël? respondit *Non sum*. hoc est, *Verdad es, que yo soy Propheta: pero no soy el Propheta, que ha de redimir a su pueblo*.

Vnde oculatissimè S. Gregorius *homil. 7. in Evang.* veritatem dilucidat, dicens, *Qui dixit Non sum (nempe, ὁ Προφήτης) negavit planè, quod non erat; sed non negavit, quod erat*. In linguam Hispanicam transfero. *Dixo S. Iuan Bautista*, No soy el Propheta, *pero no dixo*, No soy Propheta, *Y assi negó de plano, que era lo que no era: pero no negó, que era lo que era: que es decir, Negó, que era el Propheta; pero no negò, que era Propheta: porque S. Iuan era Propheta, pero no el Propheta*.

Summa S. Ioannis humilitas.

Hinc argumentum sumit S. Pontifex, ut magnam S. Ioannis humilitatem commendet: *nam, cùm tanta virtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter supra se; nam confessus est, & non negavit: & confessus est, Quia non sum ego Christus*.

Lucem prabet Latina lingua Græca.

Ecce Idioma Latinum defectu Articuli in re gravi non potuit formaliter Iudæorum verba exprimere, nec quid illis Ioannes responderit, exactè, & perfectè explicare: at potuit virtualiter: nam in voce *Propheta*, clauditur virtualiter Articulus, qui erat formaliter in linguâ Græcâ: & ideò illa vox *Propheta* non sumitur ut sic, & universim; sed contractim, per antonomasiam ad summum Prophetam, qui est Dominus noster Iesus-Christus, determinata.

Cur S. Ioannes Evangelium scripserit?

Addo aliud exemplum. Occœperunt statim in primitivâ Ecclesiâ hæreses, & deliria, quæ turbabant Fideles. Sumpsit Ioannes Evangelista stylum, & Christi historiam scripsit, incipiens à Divinitate: & ait. *Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Omnia per ipsum. Sed per quem? Si literæ latinæ sto, omnia per Deum.

Quæ erat quæstio, quam S. Ioannes diremit.

At de hoc nulla erat inter Christianos disputatio: sed quærebatur, An omnia essent facta per Verbum? Ioannes igitur difficultatem non exposuit, & controversiam non dirêmit. Sed non: nam Versio Latina, quæ non exprimit formaliter, dicit virtualiter; & hæ ipsæ virtualitates debent considerari. Si verba materialia meditemur, Græcus Textus exprimit, quod Versio Latina (quia Articulo caret) non potuit.

In propositione illa Deus erat Verbum, prædicatum est Deus.

In hac propositione *Deus erat Verbum* omnes allucinari poterunt, qui Græca instrumenta non consulant. Vox *Verbum* est subjectum, & vox *Deus* prædicatum & de Verbo illud *per ipsum*, & illud *sine ipso* verificantur. Sanè, *Verbum* in illa propositione esse subjectum demonstratur; quia Græcè est ὁ λόγος, & in propositione Cathegoricâ Articulus subjectum afficit: nam etiam in aliis linguis hunc rigorem observat:

Articulus subjectum afficit.

quoniam Hispanus diceret, *Dios era el Verbo: y por el fueron hechas todas las cosas*. Consonat versio Arabica, dicens: *V-allaho hou al-kalemato*: hoc est, *Y Dios era el Verbo*: nam pro articulo Græco ὁ, Arabs habet *al*, & Hispanus *el*. Quam ob rem Latinus deberet reponere *Verbum erat Deus, & per ipsum (Verbum) omnia sunt facta*. &c. Ergo ibi vox *Verbum* virtualiter habet Articulum; aliàs enim esset prædicatum; Ioannesq; nec intentum suum adsequeretur, nec abortivas hæreses condemnaret.

Quid sit Sol?

Dixi articulum prædicatum à subjecto distinguere; &, ut hoc firmem, & illum ex parte subjecti esse debere ostendam, unam periodum ex S. Dionysio subjiciam. Ipse igitur *libr. de Divinis Nominib. cap. 4. § 4.* agens de Sole ait. Καὶ μέτρον ἐστὶ, καὶ ἀριθμὸς ὡρῶν, ἡμερῶν, καὶ παντὸς τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τὸ φῶς. Corderius. *Et mensura est, ac numerus tempestatum ac dierum, & omnis nostri temporis*.

Τὸ φῶς est subjectum, etsi ultimo loco ponatur: & ibi sumitur pro Sole.

Non transtulit ipse omnes voces. Assero subjectum esse τὸ φῶς, etsi ultimo loco ponatur: copulam esse ἐστὶ: & alia duo nomina prædicari: nam sola vox φῶς insignitur articulo. Ergo sic transfero. *Lux est mensura & numerus horarum, dierum, & omnis temporis secundum nos*.

Quid vox ὥρα significet?

Sanè ὥρα, & *horam*, & *anni tempestatem* significat; at hîc videtur *horam* potiùs significare. Verùmque, nempe & nomen φῶς esse subjectum, & nomen ὥρα *horam* significare, sensit Interpres, quo utebatur P. Benedictus Pererius, qui *in Genes. libr. 1. cap. 1. vers. 3. num. 76.* producit hæc Dionysii verba, *Lux est mensura & numerus horarum, dierum, totiusque labentis*

tem-

Lux per antonomasiam est Sol.

temporis. Debuit vocem *Lux* præmittere, ut moneret illam in hac propositione subjici, cæteras prædicari; & hoc, quia Latina lingua distituitur Articulis: in linguâ autem Hispanicâ, æquè ac in Græcâ, erit subjectum, etsi ultimo loco ponatur: sic enim illam periodum transfero, *Medida y numero de las horas, dias, y de todo el tiempo que corre, es la Luz*, subjectum debet esse *Luz*, quæ ab Articulo afficitur; esseque prædicatum, si Articulus ad mensuram transiret; puta, si diceretur, *La medida es luz*.

Non Magi vocantur Philosophi, sed Philosophi vocantur Magi.

Et hinc intelligere poteris Suidã dicentem, Παρὰ Πέρσαις Μάγοι οἱ Φιλόσοφοι. *Apud Persas Magi (sunt, aut vocantur) Philosophi*. Sed quid? Magi-ne vocantur *Philosophi*; an Philosophi vocantur *Magi*? Tollit dubium Articulus, subjecto adhærens; Vnde Suidas, si scripsisset Hispanicè dixisset, *Entre los Persas se llaman Mages los Philosophos*, non autem, *se llaman los Magos Philosophos*.

An Articulus virtualis in lingua etiam Græca invenitur?

Sanè Articulos virtuales etiam apud Græcos invenies: nam S. Dionysius *de Cœlesti Hierarch. cap. 3.* Sic inquit Ἐστὶ μὲν Ἱεραρχία, κατ' ἐμέ, τάξις ἱερά, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐνέργεια. *Est Hierarchia, meo quidem judicio, Sacer Ordo, & Scientia, & Actio*. Corderius hunc locum exponens sic ait. *Ac primùm quidem, quid ipsa sit definit, dicens*. Ἐστὶ μὲν Ἱεραρχία. Est quidem Hierarchia. *&c. eamque distribuit in Ordinem, Scientiam, & Actionem*. Nota illud *distribuit*. Si in hac definitione dividit Hierarchiam Dionysius, genus explicat species recensendo, ut fecit Aristoteles cùm dixit, *Propositio est Oratio, quæ significat verum vel falsum*. At conjunctionem καὶ, *&*, non autem disjunctionem ἢ, *vel*, posuit Dionysius. Si igitur hîc Hierarchia dividitur voces *Ordo*, *Scientia*, & *Actio* Articulo afficiuntur virtualiter. Pono exemplum, *Animal est vel homo, vel brutum*. est propositio vera, & suo modo explicat naturam subjecti, & potest dici definitiva. At verò hæc, *Animal est, & homo, & brutum*, si in ipsâ *Animal* sit subjectum est falsa; si sit prædicatum est vera: ut autem *Animal* subjectum sit, alia nomina (*homo & brutum*) debent habere Articulum tacitum vel expressum: falsò enim dixerim, *El animal es hombre y bruto*: verè autem, *Animal es el hombre y el bruto*. Ergo, si Ordo, Sciẽtia, & Actio sunt species, in quas distribuitur Hierarchia, quod vult Corderius, erit falsa hæc propositio, *La Ierarchia es Orden, Ciencia, y Accion*: vera autem hæc, *Ierarchia es el Orden, la Ciencia, y la Accion*. in quâ *Ierarchia* est prædicatum. Ergo voces τάξις, ἐπιστήμη, & ἐνέργεια, pro vocibus ἡ τάξις, ἡ ἐπιστήμη, & ἡ ἐνέργεια. à Dionysio ponuntur. Hoc exemplum exhibui supponendo Ordinem, Scientiam, & Actionem esse partes potestativas Hierarchiæ, ut volebat Corderius: at *in Logicâ Morali disp. 17. art. 5.* esse actuales supponam & aliter philosophabor.

An Ordo, Sciẽtia, & Actio virtualiter habeant Articulum?

Occurrit Epistola, de hoc argumento, dudum scripta; quæ, quia illustrare poterit præcedentem Articulum, hic interseri debuit.

EPISTOLA.

Ad Illustrissimum & Reverendissimum D. D. Laurentium Mayers Caramuel, Stabiensi Pontifici, Regio Consiliario. &c. Domino & Nepoti suo Colendissimo.

Ioannes Caramuel.

Ioannes Baptista (olim dum Iudæus esset Rabbi Ionas) laudatus.



Oannes Baptista Ionas, (quem assidua Sacræ Scripturę lectio, ut primo in Asiam proficisceretur, & omnes, qui in illâ erant celebres, conveniret; & posteà, ut Hebræorũ abjuratis erroribus baptizaretur, Divinâ gratiâ cooperante persuasit) sanctè vivit hîc Romę, & linguâ & calamo Ecclesiæ servire non cessat. Sacrosancta Domini Nostri Iesu-Christi Evangelia in Linguam Hebraicam nuper transtulit: & quia varia sunt de hac Versione Theologorum Iudicia, & Meum Tu speciali dignatione requiris, *Quid de Articulis universim acceptis sentiam? An illos habeat Lingua Hebræa? An illos Ionas locis opportunis expresserit?* quâ soleo bre-

Tres ponuntur Quæstiones.

breviraae explicabo. Attende.

Quæſtio Prima deciditur.

Reſpondeo ad Primam; *In omni Accentus Linguâ ad elegantiam & decorem conducere*. Quantam enim elegantiam pulchritudinemque Articuli Græco Idiomati addiderint, qui Linguam quamcumque Vernaculam cum Latina, quæ illis caret, componit, nullo modo poterit ignorare. Supponam ergo cuicumque Idiomati addere magnum ſplendorem Articulos: & addam tam eſse necesſarios, ut Scholaſtici coacti ſint, aut voculam *ly* fingere, aut Græcis Articulis ὁ, ἡ, τὸ. Latinum Idioma ditare. Multis poſſim id exemplis aut teſtimoniis evincere; at ſufficiet proferre unum aut alterum.

Cur, & quales Articulos Scholaſtici addiderint Linguæ Latinæ?

De ly ficto Articulo.

Finxiſse profectò Theologos Articulum *ly* probo ex P. Ioanne de S. Thomâ, qui *in 1. part. quæſt. 29. diſp. 14. art. 2.* ſic ſcribit. *Vbi, ſi ly* ſubſiſtens *eſt idem quod* exiſtens, *ſenſus erit*. &c. Et poſteà *ibid. diſp. 24. art. 2. pag. 130.* ſic inquit. *Reſpondeo non eſſe ſimile: quia ly* Hic ſpirator *non importat ipſam naturã*. &c. Eodem etiam Articulo alii frequentiſſimè utuntur. Complutenſes *tom. 1. libr. 3. Inſtitutionum, cap. 6. pag. 37.* ſic ſcribunt. *Ly* alter oculus, *quod habet rationem recti*. &c. *Ly* alter oculus *in nullâ propoſitione diſtribuitur*. &c. Sed & *to. 2. libr. 2. diſp. 7. quæſt. 1. pag. 106.* dicunt, *Ly* per ſe, *quia natura*. &c. *Ly* principium, *ſicut*. &c. *Per ly* principium *in aliis*. &c. Eodem Articulo utuntur *tom. 3. libr. 1. diſp. 4. quæſt. 6. pag. 123.* ubi de Charitatis augmento differentes, *Conſtat*, inquiunt, *ex ſupradictis, quod ly* ſecundum eſſentiam *ſignificat ſubjectum intenſionis*. &c. *Cæterùm in intenſione Charitas intenditur ſecundũ eſſentiam: ly* ſecundum eſſentiam *determinante ſubjectum, & non terminum*. Sed & *tom.* 4. ſæpe eodem modo loquuntur; nam libr. 3. diſp. 15. quæſt. 2. pag. 256. b. hæc habent. *Maximè in quantum ly* per ſe *valet idem ac immediatè*. &c. *Neque enim ly* per ſe *poteſt*. &c. Et denique *tom. ult.* (quinque enim ſunt, quibus totam Philoſophiam complectuntur) *diſp. 4. quæſt. 3. §. 3. num. 26. pag. 148. b.* ſic loquuntur Cùm dicitur, quod Cælum *influit per motum in hac inferiora, ly* per motum *vel ſignificat*. &c. Ergo Articulus *ly* eſt hodie in Scholâ communis.

Quia autem ipſe & fictus & barbarus eſt, alii, ut eloquentius agerent, ad Græcam linguam recurrerunt. Inter alios P. Rodericus Arriaga *diſp. 2. in ſummul. ſect. 1.* ſic ſcribit. *Nomen definitur ab Ariſtotele. Vox ſignificativa ad placitum*. &c. *Per* τὸ vox *excluduntur à ratione Nominis termini mentales*. &c. Et poſteà *diſp. 3. ſect. 1.* ait, *Metaphyſica Definitio conſtare debet genere & differentia. Phyſica verò quaſi genere & differentia Phyſicis, ut v. gr.* Homo eſt Corpus & Anima rationalis unita inter ſe. *Vbi* τὸ Corpus *eſt quaſi genus*. &c. τὸ *verò* Anima rationalis *eſt differentia*. &c. Et eodem Græco Articulo utitur P. Auguſtinus Redingus, nam diſputans de Trinitate *quæſt. 2. art. 3. contr. 2. pag. 63. b.* pro Diſtinctione ex naturâ rei, quam Scotiſtæ tuentur, producit Auguſtinum *libr. 7. de Trinit. cap. 2.* dicentem. *Non eo Verbum, quo Sapientia*. &c. & ſubjungit. Τὸ quo *importat rationem formalem*. &c. Fernabyus in Epigr. 9. libri 6. Martialis. *Ludit in ambiguitate* τȣ̃ ſuſcitat, *quod ſignificat* excitare à ſomno, *&* ex equeſtribus ſedibus. *Vide epigr. 94. libr. 3. & Epigramm. 8. libr. 5.*

De Græco Arti[illegible] ὁ, ἡ, τὸ i[illegible] linguam Latinâ immiſſo.

Quid excitare ſit?

Ad Secundam reſpondeo *Eſſe Articulos in Lingua Hebraica*. Et quidem ſi res eſſet dubia, poſſemus multos Scriptores ſufficere: at quia eſt certa & indubitata Bellarminum adlegare ſufficiet. Hic enim in Linguæ Sanctę Inſtitutionibus *part.* 4. cap. 2. pag. 131. de literâ ה differens, air. *Eſt* (nempe *He*) *ſignum demonſtrativum, & idem fere valens apud Hebræos, quod Articulus apud Græcos: & tunc ordinariè ſub ſe requirit Patach ſequente Daghes.*

An ſint in Lingua Sancta Articuli?

Et antequam reſpondeam ad Tertiam, Ioannem Baptiſtam Ionã, ab ineunte adoleſcentiâ fuiſſe probum & juſtum, & ob Moralium Virtutum elegantiã Principibus Chriſtianis charum. Inter alia, quæ curioſè ediſſeruit, in Danielem incepit Commentarios ſcribere; & ubi ad Hebdomadum ſupputationẽ venit, omnes ſe defecerunt Arithmetici Calculi; multos enim numerandi modos, qui traduntur à Rabbinis periclitans, illas ante mille & plu-

De Danielis hebdomadibus.

An jam olim finita & abſoluta fuerint?

plures annos jam fuisse absolutas videbat. Consulit Romæ alios Rabbinos; nullus viro docto, & qui sincerè quærebat Veritatem satisfacit. Vadit Venetias, si fortè in illa Synagogâ essent Rabbini Romanis doctiores & eruditiores. Ad Arithmeticam exigit singulorum sententias (nec enim inter se conveniebant) & iterum prospectare incipit, tempus à Daniele prædictum, à mille & tot jam annis impletum esse. Non vult errare in re tanti momenti; &, quia mutare Religionem non audet, & se videt contra dictamen in Iudaicâ Religione persistere, Constantinopolim adnavigavit, inde in Persiam, & Indiam transivit, quærens aliquem, qui se deciperet. Verùm enim verò, Deus, quoniam est clementissimus, noluit permittere, ut vel unus ita illi responderet, ut ejus Interpretatio potuerit videri veræsimilis. Post tot tandem labores, immortali Deo agens debitas gratias, quod concesserit, ut hujus Propositionis, *Messias vênit*, haberet claram & manifestam evidentiã, Romam rediit, & Hebræorum abjuratâ perfidiâ baptizatus est. Sed & supervixit etiam post baptismum multos annos; & tandem, dierum plenus, vitam mortalem hanc (sic spero) cum immortali cõmutavit.

An Ioannis Baptista Iona peregrinationibus.

An habuerit evidentiam hujus Propositionis Messias venit?

Ad Tertiam respondeo, *multa esse in textu Græco, quæ non exprimuntur in Interpretatione Latina*; non quod negligens, aut imperitus fuerit ἑρμηνεύς, sed quod ipsamet Lingua Latina est pauper, & ideo nequit articulos, & multa Græca tempora benè repræsentare. Et addo *in sua versione Ionam textui adhæsisse Latino, & ideò signum demonstrativum interdum, ubi erat necessarium, omisisse & interdum accensuisse vocabulis, quæ carere illo possent, aut deberent, si velis*. Locos, quos paulo ante adduximus in exemplum vocemus Ioannes 1. 1. Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Et Deus erat Verbum*. Ionas, Velohim haja Dabar, *Et Deus erat Verbum*. Hispanicè *Dios era Verbo*, posuit; cùm debuerit scribere היה הדבר ואלהים: Hisp. *Dios era el Verba*, ut vim articuli exprimeret; moneretque illud Haddabar, *Ipsum Verbum* esse subjectum hujus Propositionis.

Latina Lingua est pauper. Quia caret Articulis, multa exprimere nequit, quæ in Græca aut Hispana dicitur.

Primus locus expenditur.

Alius locus erat, *ibid. vers.* 14. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Et Verbum Caro factum est*. In Græco nulla est æquivocatio, illam enim tollit ille Articulus ὁ, qui ostendit Verbum esse subjectum. Sed neq; est sensus dubius in Versione Latinâ: tametsi enim careant Romani Articulis, quia Participium in Neutro Genere ponitur, cum *Verbo*, & non cum *Carne* concordare debebit. Aliud enim illa significaret Propositio, si Participium in Fœmenino poneretur; puta, si scripsisset Interpres, *Et verbum facta est Caro*. tunc enim *Caro* esset illius Assertionis Subjectum. Hispanus debet illam sic vertere, *El Verbo se hizo Carne*, & non *Verbo se hizo la Carne*. nam Articulus se tenet ex parte subjecti. Et quidem Locum hunc Ionas optimè est interpretatus, scripsit enim, Vehadabar nesciah basciar, *Et ipsum Verbum factum est Caro*; quoniam, ut vides literam ה, quæ vim habet Articuli demonstrativi, ex parte Verbi collocavit.

Secundus.

N. B. Deus adsumpsit Humanitatem, non autem Homo Divinitatem; nam ante Incarnationem non erat Christi Humanitas. Hinc patet veram esse Propositioné hanc Deus est factus homo, *falsam hanc* Homo factus est Deus.

Alium etiam Locum proponamus. In ejusdem primi capitis versu xxI. Historiam lectu dignam reperio. Venerunt Sacerdotes & Levitæ missi à Iudæis & inter alia interrogarunt D. N. Iesum-Christum dicentes: ὁ Προφήτες εἶ σύ; *Es-ne tu ille Propheta: videlicet, quem expectamus?* Ionas. Hàathah hànabi. *Est-ne tu Propheta?* Et ibi non ponitur signum demonstrativum: nam licèt ה voci נביא præfigatur, illud ipsum non esse demonstrativum, sed interrogativum demonstrat Chatephpatach, subscriptum. Bellarminus ibid. pag. 132. *Est nota Admirationis & interrogationis, & tunc recipit plurimùm Chatephpatach sub se ante Gutturales autem*, &c. Ergo in voce הנביא dele punctum -: & pone - Tunc enim exprimetur Articulus: quem etiam vers. 25. omisit. Ibi illi, ἠρώτησαν αὐτὸν καὶ εἶπον αὐτῷ: τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ χριστὸς, οὔτε Ἠλίας, οὔτε ὁ Προφήτες. *Interrogaverunt, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* & Ionas. Vesciaaluhu ueamrulo: Velamah athah tobel, im einathah hamasciah, uelo Elihau, uelo Nabi. *Interrogaverunt & dixerunt illi. Et ad quid tu baptizans, si non tu ipse Messias, & non Elias, & non* Pro-

Tertius locus exponitur.

Ioannes quidē προφήτης fuit: & tamen ὁ προφήτες non fuit.

ה *He, vel est signum demonstrativum, vel interrogativū, aut admirativum: punctā illud ad alteram acceptionē restringunt?*

Propheta: Voci נביא debuit addere signum demonstrativum, ut esset Hanabi, *Ille Propheta*: ille videlicet, qui expectabatur. Æquivocationē, quam vitare Interpres Latinus non potuit; quam Ionas in Hebraicā Versione, etsi potuerit, non vitavit: fugere posset, qui in Vernaculam Linguam Textum illum transferret; puta si Sacerdotes Hispanicè dixissent, *Eres tu el Propheta?* & respondente Ioanne *Que no lo era*, subjecissent, *A que proposito te metes en bautizar, si no eres Christo, ni Elias, ni el Propheta?* & idem etiam contingeret in Linguā Italicā; si enim Interpres, qui Evangelia reponeret, vellet Italicè scriberet, Internuncios illos, qui à Iudæis legabantur, interrogasse Ioannem his verbis, *Sei tu il Propheta?* potuisset Ioannes sine mendacio respondere *Che egli non era quello*: quia licèt esset Propheta, non tamen erat ille Propheta, de quo interrogabatur. Et tunc instarent ipsi, *Per qual causa battezzi tu, se non sei Christo, ne Elia, ne il Profeta?* nam Articulus *il* Nomen Commune *Profeta* contrahit, ut Christum determinate, & non Prophetam qualemcumque significet.

De Hispanica Interpretatione.

De Italica.

Articulus afficit Subjectum, & distinguit illud à Prædicato.

Sexto Capite narrat Ioannes, Christum quinque panes ita multiplicasse, ut quinque millibus hominibus abundè suffecerint. Et ait illos jam saturatos, exclamasse, ὅτι οὗτος ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης, ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. *Hic est verè Propheta, qui est venturus in mundum*. Illud *qui est*, non habet Textus Græcus, adeoque ad literam transferri debet, *Hic est verè Propheta venturus in Mundum*. Ita Arias Montanus, & alii. Vnde ex suppositione, quòd verbum substantivum, quod non est in Græco, debeat addi, clarior esset sensus, si diceretur. *Hic est verè Propheta, qui venturus erat in Mundum*. Nomen *Propheta*, quod est commune, ut solum Christum, & non alium, significet, per illa verba, *qui venturus*, in omni lingua sufficienter restringitur. At in Græca, iterum, & iterum collocatur articulus; scribitur enim, & ὁ προφήτης, *ille ipse Propheta*, & ὁ ἐρχόμενος, *ille, qui erat venturus*: quam ob rem illorum verba Hispanicè reddi deberent sic. *Y en realidad de verdad este es el Propheta; conviene a saber, el que havia de venir al Mundo*. Ionas hunc ipsum locum sic Hebraicè reddidit. *Ze hu Nabi beemeth sciebaja athid labo baolam*. hoc est ad literam, *Hic ipse Propheta in veritate, qui fuit paratus ad veniendum in mundo*. Et primò in voce נביא Nabi, *Propheta*, deest articulus, qui exprimi debuit. Verbum עתד *Athed*, sonat *parare*; unde Futurum Tempus עתיד, *Athid* dicitur, quod quasi paratum, non autem præsens sit. Pro בעולם *baolam* libentiùs posuissem לעולם, *laolam*, enim potiùs quietem, quàm motum significat.

Quærens locus proponitur, & dilucidatur.

Ioannes 6. 14.

Verbum Substantivum in Lingua Græca sæpe omittitur.

Nomen Propheta, quod Commune est, per Articulum, & per Participium, ut significet Christum restringitur.

Ionas etiam hic non expressit Articulum

Cur Tempus Futurū Athid nominetur Hebraicè?

Stat ergo post summam Ionæ diligentiam adhuc exstare aliqua in ejus Translatione, quæ ad Textum Græcum, aut Syriacum elimes: multa enim genericè, aut indefinitè à Latino dicuntur, quæ sola Articuli expressione restringuntur ad ultimā significationem.

Censura de Hebraica Ionæ Translatione.

ARTICVLVS III.

De Nomine Virtuali.

Quid sit significatio?



CVM significatio, ut vidimus, nihil aliud sit, quàm quædam transsubstantiatio, virtualis, sequitur omnia Nomina esse virtualiter res illas ipsas, quas significant.

Præterea omnia Nomina symbolica binas virtualitates important; nam primò ipsa significant rem, quæ est symbolum: & secundò ipsum symbolum significat rem, cujus est symbolum. Pono exemplum. Lego in Sacra Scriptura. *Vicit Leo de Tribu Iuda*. Vox *Leo* est materialiter aër fractus: formaliter verò dicit significationem, vi cujus est virtualiter

De Nominibus Symbolicis.

Quid sit dictio?

Quid symbolũ?

liter ipsemet leo. At iste ipse leo est materialiter, & realiter animal rugibile; sumptum autem ut symbolum, dicit materialiter suam entitatem realem, & formaliter significationem, vi cujus est virtualiter Christus. Vox ergo *leo*. in positione adducta, quia significat leonem, ut symbolum immediatè est virtualiter leo; & quia hic leo est virtualiter Christus, ipsa etiam mediatè est virtualiter Christus.

An Orationis figuræ insint Virtualitati? Verbum aliquando est nomen virtualiter. Aliquando contrà.

Orationis Figuræ ferè virtuales sunt. Cicero. Att. libr. 13. *Quam turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit.* Hic docent Critici admitti Enallagen, nam *vivere* pro *vita* ponitur. hoc est una pars Orationis pro altera. Ergo *vivere* est Nomen virtualiter. Sicut Nomen pro Verbo. sic contra Verbum pro Nomine aliquando usurpatur. Terentius And. act. 4. *Ita facto opus est*. Voluit dicere, *Ita fieri opus est*. Ergo *factum* seu Nomen, seu Participium sit, Verbi infinitivus est virtualiter.

De Generibus Nominum.

Quomodo Neutrum ab aliis Generibus differat?

SVmma est inter Neutrum, & cætera genera in significatione varietas. Orthodoxa est Musicorum vox, quæ cum Ambrosio concinit,

Nunc Sancte nobis Spiritus
Vnum Patri cum Filio
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Et esset hæretica prorsus, si non *Vnum*, sed *Vnus* diceret. Id alibi etiam dixi; nunc repeto, ut hanc ipsam Veritatem verbis S. Thomæ persuadeam: quoniam 1. *part. qu.* 31. *art.* 2. sic inquit. *Neutrum genus est informe; masculinum autem est formatum, & distinctum; & similiter fæmeninum. Et ideò per neutrum genus significatur essentia communis: per masculinum autem, & fæmeninum aliquod suppositum determinatum in communi natura. Vnde etiam in rebus humanis, si quæratur*, Quis est iste? *respondetur*, Socrates. *Si autem quæratur*, Quid est iste? *respondetur*, Animal rationale. *Et ideò, quia in Divinis distinctio est secundum personas, non autem secundum essentiam, dicemus*, Quod Pater est alius à Filio, sed non aliud: *& è converso dicemus*, Quod sunt Vnum, sed non Vnus *&c.* Vide Complutenses *in Physic. libr.* 2. *disp.* 8. *qu.* 1. *§.* 1. *num.* 1.

Omnes Divinæ Personæ in essentia sunt idem.

ARTICVLVS IV.

De Nominis Inscriptione, & Subscriptione Virtuali.

Artefactum aliquando nomen Authoris præ se fert realiter, aliquando virtualiter.



INscriptio nomen est variæ significationis: at quãdo agitur de Artefactis, sonat nomen objecti, vel Authoris. In illa statua, quam erigi curavit in Antverpiensi Castro Albanus, hanc Inscriptionem lego,

OPTIMI REGIS OPTIMVS MINISTER, IONGELINI ARTE, EX ÆRE CAPTIVO.

Est inscriptio realis; nam realiter Iongelini (is fuit Artifex) nomen præ se fert. Inscriptio autem virtualis reperitur in rebus, quæ Authoris nomine, & inscriptione carent, ita tamen se habent, ac si expressissimam haberent; nimirùm, cùm Author aliquo excellentiæ charactere etiam sine nominis expressione cognoscitur.

Mundi fabrica virtualiter obtinet nomen Creatoris impossibile est, ut Cœlũ videas, & Deum nescias.

Hæc virtualis Inscriptio convenit primo Mundo, & universis creaturis; omnes enim Authorem prædicant, & labio virtuali fatentur se conditas, & creatas à Deo. Propheta Rex in Psalmo. *Cœli enarrant gloriam Dei*, (Omnipotentiam Dei) *& opera manuum ejus*) Authoris sapientiam manumque) *adnunciat Firmamentum. Dies diei eructat verbum* (nimirum, Conditoris nomen) *& nox nocti indicat* (hanc) *scientiam* (hanc notitiam) nam ut scitè Doctor Angelicus 1. *par. qu.* 13.

Quid nomen Deus significat?

art. 8. pronunciat: *Deus non est nobis notus in sua natura, sed innotescit nobis ex operibus, vel effectibus: unde hoc nomen* Deus, *est nomen operationis, quantum ad id, à quo imponitur ad significandum; imponitur enim hoc nomen ab universali providentia.*

An Apellis tabula inscriptione indiguerint?

Apellis picturæ ab excellentia delineationum cognitæ, non egebant epigraphâ, tametsi, si Ioanni Molinæo *libr. de Arte Pictoria* 3. c. 2. creditur nonnunquam superba addita, videlicet *Apelles faciebat*, ac si diceretur, illud artis miraculum esse adumbrationem rudem, cui neque fuerat imposita manus ultima, neq; penicillus extremus. Sic aliqui: tametsi nonnulli probabilius teneant illud *faciebat* ab Apelle dictum, non scriptum, tantæ enim erant artis singulæ ab hoc ingenioso homine depictæ tabulæ, ut nomine non indigerent.

Quid, Apelles faciebat, importet?

An inscriptũ, an dictum?

Nomen Authoris in libris aliquando reperitur realiter, aliquando virtualiter.

Et quia libri, etiam imagines (non corporum, sed animorum) sunt, virtuales titulos, & inscriptiones habent. Multa meo Bernardo attribuuntur, quæ Merlonus Horstius illi adscribi non patitur, quod non reperiar in illis Divi Numen, adeò nec Diui Nomen; non illud, quod primo folio à collectore inscribi potuit, sed quod singulis periodis, aut verbis ab Authore fuit inditum: nam stylus Bernardi se prodit elegantiâ suâ, facitque ne vel possint alteri adtribui, quæ à Bernardo sunt scripta, nec ipsi alieni labores adoptari: illa enim mellifiui eloquii singularitas Nomen virtuale Authoris est.

D. Bernardi stylus singularis, politissimus & notissimus est.

Amicos ex stylo cognoscimus

Hinc oritur, quod etiam amicos ex styli nobilitate cognoscamus; & ut alios omittam, etiam Illustrissimũ Virum Angelum Manrique, Sacræ Theologiæ Doctorem, & primarium Professorem Salmanticæ, & tandem Pacis-Iuliæ (vulgò, *de Badaxòs*) Episcopum, &c. Magistrum, & amicum meum omni honore colendum; ubi magis se occultat sub alienis nominibus, si legam paucas ejus lineas Hispanas, aut Latinas, internosco. Et quidem, dudum communicata mihi sunt quædam felicissima Epigrammata, quæ *Musas Iuveniles* inscripsit, & sub nomine Philiberti Crescentii evulgavit. Ego autem metonymiam illam ægrè ferens, sumpsi calamum, & has lineas scripsi.

D. Angelus Manrique ab ingenii subtilitate, & styli singularitate commendatus.

Voluit dici *Philibertus Crescentius.*

N. B. Sub *Crescentii* nomine Carmina Leopoldi, Archiducis Austriæ, Ferdinandi II. Imperatoris filii circumferuntur.

Ad Illustriss. D. D. Angelum Manrique Epistola.

Elimatissima Philiberti me carmina libentissimè excepi, attentissimè legi, imo relegi; tanto enim sunt acumine, & ingenio scripta, ut sæpiùs lecta, semper nova videantur. *Musas Iuveniles* (sic liber inscribitur) audivi juveniles profectò, sunt namque æternæ, & nunquam senescit æternitas: politas, comptas, subtiles, eruditas; & ut verbo plus dixero Manriquæas. O quàm fœlicos ipsæ! quàm audaces! Sublimes, & profundæ simul: ubi altiùs se subrigunt, sese in omnium scientiarum altissimas abyssus insinuant. Poëta nescio quis,

Musa Iuvenilis nomen libri.

Musa Manriquæa.

Ostendes Clorinde tuam, laudaveris in me
Si omnia, stultitiam, si nihil, invidiam.

In libro, nec laudare omnia nec omnia vituperare potest sinceritas.

Audio attentè; & puto me audire Philibertum, apud quem tantam mihi adrogo authoritatem, ut aliquid non laudare possim. Antipodes Angelicarum sunt, res corporeæ; fortè non-nusquam videris, acephalum; fortè alicubi excisum, *auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus*; nusquam Angelum nam indivisibiles sunt incorporeæ substantiæ, & quia nequeunt capite, nomine carere non debent.

Angeli sunt incorporei, & indivisibiles.

Angelica scelus ergo fuit protrudere Mundo
Hoc sine fronte caput, proprio hanc sine nomine Musam.

Vox Caput sumitur interdum pro nomine: & contra.

Sanè irritor; & quæ irritatio inspirat carmina, ne videar adulari, profundo. Condemno, excuso; gero, regero; invado, protego; rogo, respondeo; sic tandem culpam, attero, ut in nihilum redigam, ut nullam fuisse faciam, vel ostendam. Sic inquam.

I.

Omnia verba placent Philiberte, silentia nondum
Eximio carmen nomine grande caret.
Sed fallor, nam nomen habet: Taciturna recludunt
Carmina Scriptoris nomen, & ingenium.

Liber ille, tametsi aliene nomine publicatur, nomen Angeli Manrique præ se fert.

II.

Inscripto tabula innotescit nomine Pictor,
Nec tamen una sui nomen Apellis habet.
Cur ergo? dicam. Legitur sine nomine nomen,
Prodit & Authorem linea quæque suum. [A] III.

An Apellis tabulæ caruerint nomine realiter? An virtualiter?

Erat in Frontispicio Angelus, qui celo stemma Manriquorum sculpsit.

III.

Authoris nomen cur non inscribitur? olim

Qui Philo Magnus erat, cur Philibertus erit?

Sculpit adhuc lapidem, nondum instrumenta reponit.

Angelus Arma dedit, nomen & ipse dabit.

IV.

Opus non absolvit: & cur?

Cui nondum Authoris formaveris Angele nomen,

Cur non festinus progrediare, rogo.

Nam Genio licet eximio, tam nobile nomen

Saxo insculpturo deficit ingenium. [B]

V.

Quis sub Philiberti nomen lateat, patet.

Authoris nomen studiosè quaeritur? illud

Era canendo silent, charta silendo canit.

Esset id occultum, si fortè latere lateret;

Omnibus asi illud jam latuisse patet.

VI.

Nobilissima est in Hispania familia, cui à Luna nomen. Ex illa originem D. Angelus Manrique per lineam maternam deduxit.

Arma tenet tellus; Genius calo exprimit illa:

Expressum in Calo Lunaq; nomen habet.

Invidiam passura Tuis Luna indiget armis;

Arma dato Luna, nomen & illa dabit. [C]

Sed quorum me spiritui permitto? Cur audescit Aragne coram Pallade, cur Corvus coram Philomela? Silentium ex voto proficeor pono calamum, illud observo, oroq; Deum, ut omnia Tibi ad voluntatē cadant, omnia eveniant ad votum. Vale.

Cur hodie Martialis à paucissimis intelligatur? De Apellis tabulis. An nomine Authoris indiguerint?

N. B.

Si sternus cōmunibus Grāmaticorū apprehensionibus, interroganti, *Vbinam fit?* si Rhodus sumatur pro insula, debes dicere, *In Rhodo:* si pro civitate, *Rhodi*. Hanc autem hodie distinctionem Critici politiores irridēt.

C*Armina familiaria id habent, quod non possint ab omnibus peregrinis intelligi; sape enim acta, aut dicta insinuent, qua nobis contigisse sit satis, ideò acutissima Martialis carmina à paucis nunc intelliguntur, nam alludunt ad veteres Romanorum mores, qui hodie ignoti. Et hanc ob rem volui breves aliquas notas adjungere, ne lector harrat.*

A] *Multorum opinione, ut notavi, Apellis tabulis nullum nomen inscriptum, quod sola ars crederetur esse nomen virtuale, quod Authorem, vel volentem detegeret. Carolus Stangelius Anhusanus Abbas, in Protei gratulatorii fine.* Quid linea vilius? ejus tamen descriptione se Rhodi noscendum dedit in domo, & tabula Protogenis Apelles. Nec aliud nomen (*quàm lineam*) subjecit, domum reversus Protogenes. Lineam addidisse Apelli, fuit nomen addidisse: nec ipse qualis esset Protogenes, nisi per lineam alteram voluit exprimere. Tertia demum linea spem superavit vincendi, ut refert Plinius libr. 35. cap. 10. *Quam lineam* (nomen virtuale Apellis) *ad mentem aliquorum, quot legō, quoo audivi, sic exprimo* [*In Protogenis domum, cùm ille abesset, venit Apelles peregrinus, & discipulis Magistrum abesse asserentibus, Dicito, ait, illum venisse huc, qui hanc lineam duxit: sumpseras tabulam albam, & in illa ingenii sui subtilitate dignam lineam duxit; recessitque Protogenes reversus domum (erat enim, & ipse summus artifex) lineam nigram in candida tabella considerat, & manus felicitatem admiratus videscit, & colore albo per mediam nigram ad longum secundam lineam duxit, ac si diceret, scribe clariùs, quisnam sis, quoniam hoc ego nomen (lineam) non cognosco. Die sequenti revertitur Apelles, nec Protogenem reperit, responsum tamen videt, admiratur lineam hesternam, secundùm latitudinem in tres partes divisam mediam considerat intercurrentem; albam quidem, & ita ductam, ut hinc inde nigra prioris margines eminerent. Sumit stylum iterum, & sicut Protogenes per mediam Apellis lineam duxerat, sic & Apelles duxit alteram per mediam Protogenis: discessitque. Redit Protogenes quinque lineas ex una factas (ipse Apellis lineam in tres diviserat, & ab eo ductam iterum in tres ille distinxit) alta mente considerat. Non plus Arti, & Industria conceditur, ait, Apelles est, qui hanc lineam duxit. In illa nomen Apellis legit, ipsa igitur nomen virtuale erat, quod Apellem, Pictoria rei, summum Artificem significabat.*

Nomen suum Apelles prodidit ducende lineam.

In tabula alba penicillo subtilissimam lineā producit.

Per mediam illam provehit aliam Protogenes, ut qua priùs erat unica, triplex esset.

Hanc ipsam mediam iterū Apelles, ducēdo alteram per medium, intersecat.

B] *In frontispicio libri pictus erat alatus Genius, qui in marmore Manriquea familia nobilissima Arma, aut Stemmata insculperet, instructus calo, & malleo, adhuc intentus operi, nondum architectonica instrumenta reponens.*

Genius in marmore Stemma sculpsit.

C] *Arma, aut stemmata tenet Tellus, nimirùm in marmore, quod ille Genius insculpsit, qui in lamina illa Ænea, qua primam libri paginam decorat, insculptus est; Luna Angeli Manrique linea materna nomen dedit. Ducit autem utraq; familia à Regibus Hispania originem, & Mundo Heroas nobilissimos fuit impertita.*

Domus Manrique & Luna à Regibus originem ducunt.

De Etymo Virtuali.

Etymon duplex: reale & virtuale.

PRæter Etymologiam Scholasticam, de quâ Isidorus doctissimos libros scripsit, invenitur Moralis, quæ à moribus rerum significatarum ducitur. Ne te plurimis onerem, unum aut alterum dubium dilucido. *Quaro primò* An insit homini Charitas, an Caritas? *Quaro secundò*, An Hæretici Carne fruantur, an Charne? *Quaro tertio* An peccator lachrymas fundat, an lacrymas? Mille alias possem controversias ponere, sed speciminis gratiâ videntur sufficere istæ pauculæ.

Incidente Quastiones.

Priorem nimis audacter resolvit Michaël Verinus, qui non solùm scribit *Charitas*, sed primam corripit. Illum libenter cito, nam scribo Moralia, & ipse in ebulliente ætate morte suâ eximium præbuit omnibus Castitatis exemplum. Gerardus Ioannes Vossius *libr. 2. Grāmat. cap. 11.* [Elegantissimo adolescenti Michaëli Verino, quòd interdum in talibus delinquat, ob teneros annos debet condonari: nam anno ætatis duodevigesimo periit pria-

An Charitas dicatur à carne?

Purissima Verini mors.

Ætas.

Morbus.

priapismo, cùm contra Medicorum præscriptum concubitu abstineret: unde de eo Angelus Politianus.

Sola Venus poterat lento succurrere morbò;
Ne se pollueret, maluit ille mori.

An Charitas primam corripiat?

Quendam ejus errorem, quòd sæpiusculè primam in *Charitas*, eo in Notis ad illius Distieha excusatum ibat Martinus Civarra Cantaber, quod in *Charis*, & *Charistia* ea syllaba sit correpta. Ineptè sanè, cùm non alia ejus esse quantitas possit, ac in *Charus* unde descendit.] Minori tamen licentia (nam primam producit in Charitas) sed majori gratiâ eamdem quæstionem diremit Poëta quidem Dilingæ anno 1590. Do ejus carmina.

Χάρις. Χαριςία. Charus.

Certant Grammatici anxiè Latini,
Vtrùm litera prima Charitatis,
Ex Chari aspera spiritu, an ne lenis,
Sit scribenda magis, vel efferenda,
Romani titulo frequentis usus
Aspirant, & originis Pelasga:
Gracis gratia nam χάρις *vocatur.*
At quos Hareticos vocamus; illi,
Illi inquam, quibus est scientiarum
Prater Grammaticam nihil, parumve,
Et qui notitiam vocabulorum,
Doctrina faciunt sacra esse summam.
Quamvis omnia verba ferme ab usu
Aspirent patrio: tamen vetabunt,
Aspirare duo illa controversa:
Tanquam vocis origo sit Latina.
Nam carum haud aliud, nisi caro his est.
Et sola his caro caritas vocatur.

Hæreticorum hodie Theologia est mera Grammatica.

Sola illis caro chara.

Putarunt aliqui debere Lutheranos calamum ad mores reformare, & scripturos *Charnes* non *Carnes*, nam si *Caro* dicitur, quia chara, non debet privari aspiratione. Testor Poëtam, qui dixit

An scribere carnem debeant, an charnem.

Chara Caro est vobis, vobis nec cara videtur,
Qua citra pretium nunc licet omne frui.
Sed pretium aterni dum creditor exiget ignis
Cara nimis, nec jam chara futura Caro.

Caro chara. Caro cara.

Et hinc respondetur controversiæ secundæ.

Venio ad tertiam, cui olim satisfeci dicendo;

Tu malè conscribis lachrymas, nisi spiritus adsit:
Nam malè profundis lachrymas, nisi spiritus adsit.

An in voce lachrymæ adspiratio redundet?

lachrymæ enim potentissimæ sunt, & tota illarum virtus, & efficacia desumitur ab spiritu, quo profunduntur.



ARTICVLVS V.

De Pronomine Virtuali.

Quid sit?


Ronomen est, inquiunt Grãmatici, *quod vice nominis positum, illud tectiùs significat.* Et omnia Pronomina esse virtualiter nomina ex ipsa definitione colligitur: non enim sunt realiter nomina, ac prudentum suppositione, & acceptione ita se habent, ac si nomina essent.

Est virtualiter nomen.

Multæ quæstiones de pronomine occurrunt: unam, aut alteram propono. Hos versus judicio Theologorum submitto.

An purus Theologus heresim percipere valeat?

Gnatus idem Patri est aterno, non tamen idem.
Gnatus idem Patri: Paracleto Filius idem.
Est Verbo nec idem Genitor, nec Filius idem.

quos non facili negotio dijudicabit, qui Theologia multa fretus, eruditione, & literis humanis careat.

Dico igitur versum primum esse Catholicum; secundum, tertium, & alios similes, qui possunt formari, esse hæreticos.

Primus versus est Catholicus.

Vt

Quanta sit inter īdem & ĭdem differentia?

Vt censuram intelligas, adnotato Pronomen *Is, Ea, Id*, per syllabæ emphaticæ additionem transire in *Idem, Eadem, Idem*. E quibus *Idem* masculinum, habet primam longam: & *Idem* neutrum brevem. Ergo primus versus reddit hunc sensum, *Filius est eadem res cum Patre, non tamen eadem Persona*. & consonat Hymno, quem cantamus ad Tertias, cum dicimus.

Persona Divinæ sunt unum, sed non una.

Nunc Sancte nobis Spiritus,
Vnum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

omnes enim tres Personæ sunt unū, non tamen una: Pater enim Filius, & Spiritus Sanctus sunt unum, non tamen unus; sunt īdem, non tamen ĭdem.

Secundus versus est Hæreticus. Filius in personalitate ab Spiritu Sancto distinguitur.

Hinc patet secundum versum esse Hæreticum, reddit enim hunc sensum, *Filius est eadem res cum Patre, & eadem Persona cum Spiritu Sancto*, aut hunc. *Filius est unum cum Patre, & unus cum Spiritu Sancto*. quo tollitur Trinitas, & protruditur Dualitas, aut mera Vnitas.

Tertius versus est hæreticus.

Hinc patet tertium etiam versum esse Hæreticum, reddit enim hunc sensum, *Nec Pater est eadem res cum Verbo, nec Filius eadem Persona cum Verbo*: vel aliter. *Persona, quæ est Pater, & Persona, quæ est Verbum, non sunt unum: & Persona, quæ est Verbum, & Persona, quæ est Filius, non sunt una*. Vbi duos reperis errores in Fide, Patrem enim, & Verbum non distingui essentia, atque Verbum, & Filium non distingui Persona de fide est.

Duos errores complectitur.

An esse possit Censor Theologicus, qui syllabarum quantitates ignoret?

Vide quàm graves in Catholica Fide Resolutiones ab unius literulæ quantitate dependeant. Hinc ego in Rhythmicâ præmitto aliquas ad Amicos Epistolas, quarum septima inquirit, *An Principes Ecclesiastici, & Seculares, nec non Doctores Theologos, & Philosophos deceat metra condere?* & septima, *an Theologi, non solùm licitè, & decenter possint studere Poeticæ; sed & debeant?* Et utrique assertivè respondeo: nam purus Theologus, qui mensuras syllabarum non sciat, non poterit de illis Carminibus Theologicum Iudicium ferre.

ARTICVLVS VI.

De Verbo Virtuali.

Quid sit?



Verbum, si audiendi sunt Grammatici, *est vox significans sub variatione vocis, modi, temporis, numeri, & personæ*: si Dialecticis, *est vox significans cum tempore, cujus partes nihil separatim significant*.

Sæpe ponitur realiter, sæpe virtualiter.

Quoties verbum subintelligitur, virtualiter positum est; & tamen sæpè subintelligi, licet non sit expressè positum, & manifestum. Hinc ortæ sunt apud Grammaticos quatuor Orationis Figuræ, videlicet, Eclypsis, Zeugma, Syllepsis, & Prolepsis.

Eclypsis verbis, quæ absunt, jubet adsint virtualiter.

Eclypsis accidit, cùm verbum, quod subintelligitur, & virtualiter ponitur, non sumitur ex contextu, Cicero ad Atticum. 16. epist. 18. *Ego si Tiro ad me, cogito in Tusculanum*. & sensus est, *Ego, si Tiro venerit ad me, cogito ire in Tusculanum*. Idem ad eundem libr. 13. *Quid mihi auctor es? nempe ut faciam*. & 5. in Verrem. *Ridere convivæ, cachinari ipse Afronius*, subintellige, *cæpit*. Et libr. 6. ad eundem Atticum. *Statua, quæ ad Opis per te posita in excelso est*. & libr. 8. epist. 4. Celius. *Cùm Senatus ad Apollinis habitus esset*. videlicet *Ædem*, vel templum. Vnde multi hodie se putant eloquenter loqui, cùm dicunt, *Cogito in S. Petri verbi gratia*, & subintelligi volunt *ire*, & *Ecclesiam*.

Quid sit Zeugma, & quotuplex?

Solet id, quod desideratur è proximo sumi: &, si genus, numerus, casus, & tempus maneant, Zeugma dicitur, quod in Protazeugma, Mesozeugma, & Hypozeugma dividunt: si aliquid ex his mutemur, syllepsis. Si autem pluralis numerus in singulares dividatur, Prolepsis.

Zeugma reperitur in his, Cicero Paradox. ult. *Nulla possessio, nulla vis, auri pluris, quam virtus æstimanda est*, & pro C.Rab. *Virtus, & honestas, & pudor, cum Consulibus esse cogebat.*

Syllepsis.

Syllepsis verò in his. Cicero ad Quinctum fratrem. *Ille timore, ego risu corrui.* Livius bell. Maced. 7. *Nemo miles Romanus magis assiduus in castris fuit, quàm ego, fratresque mei.*

Prolepsis.

Et Prolepsis in his. Livius lib. 1. *Ita duo deinceps Reges alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt.* Sallustius in Cat. *Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alius à Galliâ obstant.*

Vna vox solet in altera virtualiter reperiri.

Voce es sunt duæ, Activa, & Passiva: & in deponentibus, quia in forma passiva activa significatio reperitur, vocem ipsam passivam esse virtualiter activam, dicendum est. Cùm igitur verbum dicat materialiter syllabas, & significationem formaliter, *Imitor*, materialiter passivum, formaliter activum est: *Vapulo*, contrà: & *Incriminor* formaliter utrumque est.

Quot sint Verborum Modi?

Modi sunt quatuor: Indicativus, Imperativus, Optativus, seu Subjunctivus, & Infinitivus. Optativum à Subjunctivo virtualiter distingui volunt Recentiores, sed quo fructu puellos onerant quæstionibus, quas vix evacuare poterunt boni Philosophi.

Quot sunt tempora? An esse plura possent?

Tempora sufficientia sunt apud Latinos, plura esse possent: nam sicut habemus præteritū plus quam perfectum, sic futurum plusquam perfectum etiam syllabis possemus exprimere. In subjunctivo habet Hispanus tria imperfecta, quæ non sunt æquipollentia, & tamen unico Latino respondent: ubi enim dicit

De Subjunctivi imperfecto.

Hispanus, *Yo fuera, Yo seria: Yo fuesse.* ibi reponit Latinus *Ego essem.* Sed & Græci duos habent Aoristos,

De Aoristis.

quos cùm Latinus non possit exprimere, in tempora proximiora convertit.

An & quo modo Numerus pro Numero, & Persona pro Persona ponatur?

Personæ, & numeri virtualiter immutantur. Sæpè tertia singularis virtualiter accipitur pro prima; sæpè pro secunda. Pro prima, ut cùm dixit Divinus Hipponensium Episcopus, *De hac re dubitat Augustinus*, ubi breviùs dixisset, *De hac re dubito.* Pro secunda, ut cum dicimus, *Faciat Petrus hoc*; ne dicamus *Petre fac hoc.* Hinc orti illi dicendi modi, quos immeritò irridet Erasmus, videlicet, *Expectet V. Dominatio: Respondeat vestra Excellentia: Faveat V. Maiestas pro Expecta, Responde, Fave.* Vsus enim labii dominus est, & immeritò unus alter modum loquendi reprobat, quem usus approbat. Sæpè etiam pluralis ponitur pro singulari, ut, *Iam diximus superiùs*, &c: pro *Iam dixi*. In illo Terentii. Eunuch. act. 4. *Nescio, quid absente nobis turbatum est domi.* Videtur Archaismus committi: nam prisca vetustas, quando substantivum plurale virtualiter erat singulare, jubebat, ut adjectivum eum virtualitate concordaret. Nos hodie *absente me*, vel *absentibus nobis* scriberemus. Dicimus etiam, *Petre venias huc: Veniat huc. Vestra Dominatio veniat huc: Veniatis huc.*

An, & quando substantivum, & Adjectivum different numero?

In voce *venias* est secunda persona formaliter: in *veniat*, & *veniatis* virtualiter. Latini veteres primam tantùm propositionē cognoverunt: Galli ferè utuntur ultima, etiam dum alloquuntur Regem. Hispani omnes quatuor cum distinctione admittimus; nam pueri inter se, & seniores cum pueris primo modo utuntur; secundo, quando agimus cum minoribus, utimur: tertio, si cum æqualibus, aut saltem cum non subditis: quarto, quando cum vilissimis famulis, aut etiam cum amicis intimis.

Quot modis singularis secunda Persona apud Hispanos exprimatur?

Hic occurrit curiosa difficultas, quæ inquirit, *Quid sit grandius dicere*, Ego jubeo, an *Nos* jubemus?

Quid grandius diceretur, Ego, an Nos?

Pluralis plurimis, tam Ecclesiastis, quàm sæcularibus hucusq; placuit: at contrà numerus singularis nostro Regi Catholico, qui subscribit *Yo el Rey*. hoc est, *Ego Rex*. sed tamen in Decretorum corpore utitur verbis, *ordinamus, concedimus, mandamus*. &c. Standum est consuetudini & praxi, quæ videtur cœco modo introducta: nam, si rationi steţut, sic debebit controversia decidi.

Consuetudini standum.

Quomodo loqui debeant homines privatim?

Primò. Quicumque vir privatus uti debet singulari, & dicere: *Ego peto, Ego desidero, Ego dico.* &c. ipse enim est simplex persona realiter & virtualiter consideratus. Huc pertinet pater naturalis & adoptivus: uterque enim est persona simplex, etiam cùm filiis imperat; & ideò debet dicere, *Ego jubeo*, non

au-

autem *Nos jubemus*.

Quomodo ille, qui in statu Aristocratico superior est?

Secundò. Qui aliorum authoritate imperat, & præcipit, quæ solus non posset, convenienter dicere poterit, *Nos præcipimus*, aut *Nos concedimus*. Tales sunt Ordinum Generales, quia subsunt Generali Capitulo,& ejus plenariâ dicuntur potestate & authoritate gaudere. Talis est Rex Poloniæ, Dux Venetiarum, & siqui sunt, qui dicuntur imperare precariò: hi enim sicut authoritate omnium gubernant, sic nomine eorumdem loquuntur.

Quomodo Monarcha?

Tertiò, qui revera est Monarcha & Senatui, seu Parlamento non subest, quando Diploma expedit, non deberet dicere, *Nos hujusmodi gratiam, aut favorem concedimus*, quasi diceret, *Ego, & socii concedimus*, sed potiùs, *Ego concedo*, hoc est, *Ego solus, à quo dependent omnes, qui ab aliis non dependeo, concedo*. Hoc sensu Deus Prophetiis subscribit *Ego Dominus*, quem imitari videtur in suis Diplomatibus Hispaniæ Rex, cum scribit *Yo el Rey*.

Cur Deus subscribat, Ego Dominus?

Cur nec bruta, nec Angeli ratiocinentur?

Petunt Philosophi, cur nec animantes, nec Angeli sint rationales? Et respondent, homines quidem esse rationales; bruta autem ob magnam naturæ imperfectionem, qua sunt prædita, Angelosque ob excellentem naturæ perfectionem, quam habent, discurrere & ratiocinari non posse. Petunt Arithmetici, Cur nec Ternarius, nec Quinarius sit Quaternarius? & respondet Ternariū ob defectū, Quinariū ob excessum nō habere Quaternarii mensuram. Quærunt Geometræ, Cur nec angulus acutus, nec obtusus, sit rectus? & eodem prorsus modo respondent: quia ille abest à rectitudine deficiendo, hic excedendo. Ergo jam est satisfactum Politiea Controversiæ, quæ inquireret, Cur in Aristocratia, qui præsidet, dicat *Nos decernimus*, &c. & tamen & Homo privatus, & Monarcha dicere debeat, *Ego decerno*. &c.? nam Homo privatus Aristocratici Præsidis (puta, Ducis Veneti) perfectionem, & potestatem non attingit, Monarcha autem excedit.

Quæstio Arithmetica.

Quæstio Geometrica.

Quæstio Politica.

De Verbis Hebrais in Hiphil.

Grammatica generibus carere posset.

HAbet in Verbis Hebræus genera, quibus caret Latinus: & quidem Personas masculinas à fœmeninis apud Hebræos distingui, & apud Latinos non distingui certum est. Nec contra hoc posterius militat hæc Propositio, *Troja est deleta* nam illa vox *deleta* non pertinet ad passivam verbi *deleo*, quam hoc in præterito non habet, sed est circumloquium, quod ex verbo substantivo, & participio passivo concinnamus. At genera in Verbis non esse necessaria, pleræque omnes Orbis linguæ persuadent. Sed quia Nomina apud Sinenses, & Georgianos genetibus carent, etiam dicimus posse universim Nomina generum distinctione carere.

Alia occurrunt, quæ non ita videntur necessaria, & possunt nesciri à Theologis: at unicum monendi sunt, sine quo frequenter in Sacræ Paginæ intelligentia, & expositione allucinabuntur. Attendite.

Voces præcipua Verbi Hebrai.

Inter alias voces, quæ Radicis significationem alterant, præcipuæ sunt, *Cal*, *Pihel*, & *Hiphil*, Prima est levis, & verba intransitiva continet (&, si quando aliquod inflectit transitivum, est Rabbinorum error) secunda est transitiva: Tertia prædeterminativa, ut in hoc exemplo videre est.

LABAN: *Albus fuit*. In Cal.
LIBBEN: *Dealbavit*. In Pihel.
HILBIN: *Fecit, ut alius dealbaret*. In Hiphil.

Vis vocum *Cal*, & *Pihel*, quoniam aliis linguis communis, non postulat, ut dilucidetur: at requirit *Hiphil*, ut aliquod breviter edissseramus.

Rabbini frequenter in distinctione exorbitant.

Porrò, quia lingua Latina vocem *Hiphil* non habet, interdum rigorem linguæ Hebraicæ non exprimit: & quia Rabbini, qui puncta addiderunt, sensum textus aliquando non capiunt, pungunt frequenter *Pihel* ubi deberent *Hiphil*: nimirùm in futuris, nā in præteritis manet ה characterieum, quod illos exorbitare non permittit. Porrò in plurimis locis vocis *Hiphil* virtualiter invenitur potestas, ut constat ex sequentibus lineis.

Hiphil virtualis.

Quid sit Decalogus?

DEcem sunt Iuris Naturalis præcepta: & ideò appellatur Decalogus: at viderentur esse novem, quia nonum, & decimum non distinguuntur: in utroque enim dicitur, *Non concupisces*. Assero esse hæc duo præcepta toto Cœlo diversa; nam Nonum debet legi in

An, & quomodo præceptum decimū à nono distinguatur?

Hiphil, ut sit, *Non facies concupiscere*, & omnia interdicat scandala: Decimum legi debet in *Pihel*, ut sit, *Non concupisces*, & omnia peccata cogitationis, hoc est, actus internos deliberatos prohibeat. Hinc bene intelligitur illa peccatorum divisio, quâ dicimur opere, verbo, & cogitatione peccare: Octo enim præceptis inhibentur peccata, quæ Operè externo committuntur. Nonum peccata illa condemnat, quæ verbo fiunt: nempe peccata scandali, quādo suadet proximo Ioannes, ut peccet. Et quia etiam operibus loquuntur homines, & qui coram aliis peccat, & præcipuè si sit Superior, illos ad peccandum inducit, peccat opere & verbo: opere quidem propter peccatum quod directè committit: verbo autem propter circumstantiam scandali, quod dedit subditis. Decimum prohibet deliberatas volitiones tametsi effectu careant. Quoniam voluisse occidere, etsi voluntas hæc improba effectum non fuerit sortita, peccatum mortiferum est.

Quomodo peccata cogitationis, verbi, & operis distinguantur?

Operibus loquuntur homines.

Petis, quale peccatum mendaciū sit? nempe, An, qui mentiuntur, peccent verbo? Et quidem videretur quod sic: ore enim mendacium perficitur. Respondeo tamen esse peccatum operis; quia opere externo consummatur: nam verbo peccamus, cum aliis ut peccent, suademus. Vnde peccaret verbo, qui se mentiturum esse diceret, aut promitteret: at peccat opere, qui mentitur de facto. Sed de hoc uberiùs in Intentionali Theologiâ.

An mendaciū ad oris peccata pertineat?

Addam & unum locum celebrem propter interpretum dissidium. Eorum opiniones collegit & examinavit Pererius *in Genes. cap. 22. vers. 12. disp. 9. num.* 48. Ego autem, quia festino illos recenseo tantummodo, qui verbum exposuerunt in *Hiphil*. Propono historiam.

Abrahamus jubetur sacrificare filium suum.

Præceperat Abrahamo Deus, ut sibi filium dilectum immolaret. Paratus ad obediendum Abraham, filium ad locum destinatum conducit, struit ligna, superponit Isaacū: & gladium intrepidā manu evagīnat. Eum tamen ab exsequutione impedit per Angelum Deus, & ait illi. *Nunc cognovi, quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio propter me*. Circa hunc locum excitat disp. illam nonam Pererius, & interrogat, An Deo nova aliqua cognitio experimentalis cujuspiam rei possit accidere? & respondet bis verbis. [De re ipsâ nulla esse potest dubitatio: extra omnem nempe controversiam est, nullam cognitionem novam ullius rei ullo modo posse Deo contingere; tum propter infinitam ejus rerum omnium scientiam, tum propter perfectissimam ejus simplicitatem atq; æternitatem. Omnis ergo quæstio in rectâ & propriâ eorum verborū intelligentiâ & interpretatione vertitur. &c.] Vtraque ratio, quam proponit, est evidens: nam Scientia infinita nequit crescere: & nulla est in Æternitate successio, & sine successione nequit aliquis de nesciente in scientem transire.

Summa Abrahami obedientia.

An Deus novas rerum cognitiones acquirat?

Non habet successionem Æternitas.

Omissis igitur expositionibus, quæ à textu videntur obludere, illam proponam tantùm, quæ verbū *Cognovi* jubet in *Hiphil* legi, ut sensus sit, *Feci cognoscere*. Ita S. Augustinus *quæst.* 58. *in Genes.* dicens, *Hoc est*, Nunc cognovi, quòd timeas Deum, *quod* Nunc te, & alios feci cognoscere, quòd timeas Deū. *Quo genere loquutionis evidenter paulo post usa est Scriptura dicens*, Et vocabit Abraham nomen loci illius, *Dominus vidit*, & dicatur hodie *in monte Dominus apparuit*: [Dominus se videri fecit] Vidit *igitur dixit*, *pro eo*, *quod est*, Apparuit, *hoc est*, Videri se fecit. *Significans per efficientem id*, *quod efficitur*, *sicut frigus* pigrum *dicitur*, *quia pigros facit*. Sic Augustinus, qui existimat esse sermonem figuratum, qui in linguâ Hebraicâ simplex est.

Cognovi in Hiphil est Feci cognoscere.

Vidit est se videri fecit.

Cur frigus appellatur pigrū?

Consonat sibi Sanctus Doctor *serm.* 2. *de Isaac*, qui est septuagesimus secundus de tempore, dicens. [Nunc cognovi, quòd timeas Deum. *Hoc ita dictum est*, *quòd Deus fecerit*, *ut tunc sibi Abraham planè* (plenè) *innotesceret*; *quemadmodum*, *quando Propheta loquitur aliquid*, *solemus dicere*. Deus dixit, Deus loquutus est, *& utrumq; verum est*; *quia utrumque invenitur in Scripturâ*: *quia quod homo dicit ex Dei dono*, *Deus dicit*, *secundum illud*, Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Ergo istam Regulam*, *fratres*, *transferte ad illud*, Nunc cognovi, quia timeas Deum

Deus dixit, *hoc est* Deus fecit ut Propheta diceret.

Matth. 10.

&

& quod tortuosum videbatur, rectũ esse videbitur.

Scire Dei.

Sanctus etiam Gregorius *libr. 23. Moral.* eadem verba dilucidans, sic scribit. *Scire Dei dicitur scire nos facere usitati scilicet nostro loquutionis modo, quo* lætum diem *dicimus, ex quo contingit, ut lætemur.* [quo sensu loquutus est Ovidius cùm cecinit. *Prospera lux oritur linguisq; animisque favete, Nunc dicenda bono sunt bona verba die.* quo etiam Ecclesia in Hymno, *Lætus dies hic transeat.* &c.] *Nec enim Creator temporum quidquam cognoscit ex tẽpore: sed cognoscere ejus est ex cujuslibet causæ emergentis articulo nobis cognitionem præbere.* At, si recurramus ad *Hiphil*, sermonem esse simplicem, & non figuratum dicemus.

Cur dies dicatur lætus?

An Deo conveniat Humilitas?

Convenire virtualiter dicendum est.

Eodem modo locum hunc exposuerat S. Ioannes Chrysostomus, *homil. 47. in Genes.* dixerat enim. *Vide, quemadmodum Deus humiliter se nostræ infirmitati hisce verbis attemperas. Quid enim? Ignorabat-ne Deus ante hoc factum Abrahæ, ejus virtutem, & nunc primùm eam cognovit? Minimè verò. Quid igitur dicere voluit? Nam ego jam noveram famulum meum, quæ autem nunc à te facta sunt, in doctrinam sunt tam præsentibus, quàm futuris. Ex hoc enim innotuisti omnibus, quod timeas Deum, & mandata ejus complere cures.*

An sermo sit figuratus?

Thomas Anglus *in cap. 22. Genes.* hujus loci tres congruas expositiones adducit: & primam proponit his verbis. *Non-ne Deus ante, intùs & penitùs cognoscebat Abraham ante hoc factum? Deum timebat, idque Deo notum erat. Respondeo secundum Augustinum, illorum Dei verborum,* Nunc cognovi, quòd timeas Deum: *hunc esse sensum.* Nunc feci, & à te, & ab aliis cognosci, quod timeas Deum. *ut est modus loquendi, quod causa denominatur à suo effectu. Id verò legendum est per Antonomasiam hoc intellectu:* Nunc evidentiùs feci cognosci, quòd tu excellenter & singulariter timeas Deum. *Secundò dici potest.* &c. Hîc sanè nulla Rhetoricæ figura occurrit. Vt ut occurreret, Ἀντονομασία esse non posset, nam per ipsam nomen commune ob excellentiam pro proprio & singulari usurpatur, ut *Apostolus* pro Paulo: *Philosophus* pro Aristotele, *Orator* & *Poëta*, apud Græcos pro Demosthene & Homero, apud Latinos pro Cicerone & Virgilio: *Vir* pro Æneâ juxta illud, *Arma, Virumque cano.* Thomas igitur Anglus non erat bene tinctus Rhetoricâ. " Volui hunc locum uberiùs edisserere, ut inde & ego sciam (in *Hiphil* scire faciam) quo debeamus modo locos difficiles ad summam claritatem & facilitatem reducere. Nunc adducamus alios, & illos breviori Commentario illustremus.

An hic figura, quam Antonomasiã vocant, reperiatur?

Quid sit Antonomasia?

PRofectò modum istum loquendi, quem nos esse in *Hiphil* ostendimus, in aliis etiam locis S. Augustinus admittit: nam illa *Deuter. cap. 13.* verba. *Tentat vos Deus vester, ut sciat, si diligitis eum.* ita interpretatur, ut æquivaleant his, *Probat vos, ut scire faciat, an diligatis Deum.*

An, & cur nos tentet Deus?

Psalm. 51. 5.

Emigro est verbum intransitivũ, & est *Migro, Discedo.* & tamen legimus in Psalmo, *Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, emigrabit te de tabernaculo suo, & radicem tuam de terrâ viventium.* Lego verbum illud in *Hiphil*, ut sit, *Emigrare te faciet de tabernaculo tuo.* quo sensu loquutus est Tifinius dicens, *Quot pestes, senia, & jurgia sesemet diebus emigrarunt?* hoc est, *fecerunt emigrare.*

Emigro. *An sit verbum activum?*

An, & quomodo creaturæ intellectu carentes laudent Deum?

Psalmi ultimi, qui ab Hebræis *Hallelu-ia*, & *Laudes* à Latinis vocantur, tametsi possint exponi in *Pihel*, quando Cælos, Elementa, & creaturas rationis exsortes ad Deum dilaudandum invitant: aptiùs tamen accipientur in *Hiphil*. nam ille versus, *Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes Stellæ, & lumen.* reddere videtur hunc sensum. *Vt ab hominibus laudetur Deus, facite Sol & Luna: ut ab hominibus laudetur Deus; facite omnes Stellæ & lumen.* Et sic exponi possunt versus cæteri, etiam illi, qui invitant & introducunt Angelos; immò & illi, qui Homines. Vbi enim textus habet, *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus*, & ubi, *Reges terræ & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ: Iuvenes & Virgines, Senes cum Iunioribus laudent nomen Domini.* possemus subintelligere sensum *Hiphil* & dicere, *Vt omnes nos laudemus Dominum, sanctis inspirationibus &*

Vt laudemus Deum bonis inspirationibus Angeli: & piis exemplis sancti superiores; immò etiam æquales concurrunt.

illuminationibus facite omnes Angeli ejus, facite omnes Virtutes ejus. Et *quia* Regis ad exemplum totus cōponitur Orbis, *ut omnes laudemus Dominum exemplo vestro nos hortamini, & legibus opportunis dirigite, Reges terræ & omnes Populi, Principes & omnes Iudices terræ.* Et, *quia æqualium exempla homines in virtute confirmant, ut in Dei laudibus sine intermissione perseveremus, Adolescentes, Virgines, Seniores, Iuniores, & cæteri vestro nos exemplo roborate.*

An, & quomodo Deum insensibilia benedicant?

Eodem modo interpretari possumus devotissimum trium Puerorum Canticum, quod universas creaturas rationales & irrationales, sensibiles, & insensibiles, ut Deum benedicant, invitant; nam *Benedicite Dominum*, reddit hunc sensum, *Facite, ut à nobis benedicatur Dominus.*

An fleant Angeli?

Illud, *Angeli pacis amarè flebūt.* non aliter potest exponi: nam Angeli pacis sunt Angeli glorificati, & hi non habent unde amarè fleant: sunt beati, & pati tristitiam non possunt. Interim iidem purissimi & lætissimi Spiritus, suis nos ita monitionibus & inspirationibus præveniunt, ut nostra peccata in cinere & cilicio recogitantes, suffundamur amarissimis lachrymis.

An Spiritus oret, aut gemat?

Etiam illud, *Orat Spiritus gemitibus inenarrabilibus*; magno studio stat Expositoribus. Nam contextus postulat ut *Spiritūs* nomine Spiritumsanctus intelligatur, qui tamen nec orare potest, nec gemere. Est tamen sensus pervius & expeditus, si legatur in *Hiphil*, & dicamus *Spiritumsanctum præveniendo nos Divinis auxiliis efficere, ut oremus veniam gemitibus inenarrabilibus.*

Objectio.

Dices non esse liberum Expositori illa, quæ in *Pihel* pupugerunt Antiqui, in *Hiphil* legere, nam hujus vocis character est   , *He*, quæ Radici præfigitur.

An-ne Pihel *possit recipere puncta* Hiphil?

Respondeo Futurum utrobique alterius-utrius dispunctionem subire: Præsens utrobique habere characteristicam מ, *Mem*: unde discrimen, quod illud ה, *He*, importat, in solo Præterito, Infinitivo, & Imperativo invenitur. Stat igitur licere per literam Interpreti, si sensus opportunior postulet, in Præsenti, & Futuro *Hiphil* exprimere: in Præterito verò verbum proferre in *Pihel*; jubere tamen ut habeat virtualiter energiam, & potestatem *Hiphil*, quoniam *Hiphil* virtuale, est quod reverà non est quale dicitur, prudentum verò consideratione, & suppositione ita se habet, ac si quale dicitur esset.

Hiphil *virtuale, quid sit?*

S.THOMAS

Sæpè hac doctrina utitur S. Thomas; & licet non dicat se verba in *Hiphil* sumere, sumit tamen, & feliciter se expedit à difficultatibus, quæ orirentur ex Latina Grammatica. Vnum, aut alterum locum produco. Ipse 3. *part. qu.* 71. *art* 8. inquirit, *Vtrum suffragia prosint Sanctis existentibus in Patria?* Et resolvit, *Non prodest.* Probatque ex Augustino dicente. *Iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia, cujus nos debemus orationibus commendari.* Quod testimonium legitur *sermon.* 17. *de verbis Apostoli qui incipit. Hesterna die.* *non procul à princ.* & partim *serm.* 42. *ad fratres in Eremo, cujus initium est*, Fratres Charissimi. *&c.* citaturque à Magistro *libr.* 4. *sentent. distinct.* 45. S. B. *in fine.* Contra hanc Resolutionem proponit objectiones aliquas, quibus doctissimè satisfacit. Illas ipsas, earumque solutiones consideremus.

An Sanctis in Cœlo existentibus prosint orationes viventium?

OBICIEBANTUR primò ex Missæ collecta illa verba, *Sicut Sanctis tuis profunt ad gloriam* (scilicet, Sacramenta) *ita nobis proficiant ad medelam.* Sed inter alia suffragia præcipuum est Sacramentum Altaris. Ergo suffragia prosunt Sanctis quí sunt in Patria.

An missæ beatis prosint?

Respondeo hanc orationem, *Sacramenta prosunt Sanctis*, si in *Hiphil* sumatur, æquivalere huic, *Sacramenta præstant, ut Sancti nobis prosint.* Et hoc ipsum respondet D. Thomas aliis verbis: ait enim. [Dicendum, quod hujusmodi loquutiones non sunt sic intelligendæ, quasi Sancti in gloria proficiant quantum ad se, quòd eorum festa recolimus: sed quia nobis proficit, qui de eorum gloria solennia celebramus. Sicut ex hoc quod Deum cognoscimus, vel laudamus, & sic quodammodo ejus gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis accrescit.] Interpretatio hæc verissima est; &, si quæras cur sic Sanctus Doctor illa verba exposuerit, nihil occurrit opportunius, quàm verbum illud *Prosum*, ibi habere virtutem, & efficaciam vocis *Hiphil*.

Cultus, quem exhibemus Beatis, nobis prodest, non illis.

Ille, quem exhibemus Deo nobis prodest, non Deo.

OBICIEBATUR secundò. Sacramenta

An Sacramenta efficiant, quod significant?

Quid hostiæ particula, in calicem missa, significet?

menta efficiunt, quod figurant: sed tertia hostiæ pars, in calicem missa, Sanctos significat, qui beantur in Patria, *ut 3. part. qu. 8. art. 5.* ostenditur, ergo Ecclesiæ suffragia Sanctis glorificatis prosunt.

Respondeo in illa propositione, *Sacramenta efficiunt, quod figurant*, verbum *efficiunt* sumi in *Pihel*, aut in *Hiphil*, ut sensus sit, *vel faciunt, quod figurant; vel præstant, ut quod figurant, aliquid ad utilitatem nostram faciat*, quod ipsum S. Thomas aliis verbis expressit, inquit enim [quod quamvis Sacramenta efficiant, quod figurant, non tamen illum effectum ponunt circa omne id, quod figurant: aliàs, cum figurent Christum, in ipso Christo aliquid efficerent, quod est absurdum: sed efficiunt circa suscipientem Sacramentum ex virtute ejus, quod per Sacramentum significatur: & sic non sequitur, quod sacrificia pro fidelibus defunctis oblata Sanctis prosint: sed quod (præstent, ut) ex meritis Sanctorum, quæ recoluntur, vel significantur in Sacramento, prosint aliis, pro quibus offeruntur.] Non potuit clarioribus verbis exponi vis, & energia vocis *Hiphil*.

De Angelorum gaudio.

An possit crescere?

Objiciebatur tertiò sententia illa Evangelica, *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, & argumentum formabatur hoc modo. Ex bonis viventium operibus gaudium Cœlitum crescit. Ergo bona viventium opera (ac propterea suffragia) glorificatis Sanctis prosunt.

Lucæ 15.

Aliquid potest intensivè, vel extensivè crescere?

Respondeo bifariam posse gaudium crescere: intensivè videlicet, & extensivè. Beatorum gloria intensivè non crescit: at crescit interdum extensivè. Si ita velis exponere Evangelicam literam, ut de intensivo gaudii incremento intelligenda sit, dic hanc propositionem *Gaudium est Angelis*, sumi pro hac *Gaudent Angeli*, quæ vocis *Hiphil* virtute transit in hanc, *Gaudere nos faciunt Angeli*, nam quando unus peccator convertitur, & pœnitentiæ lachrymis maculas delictorum abstergit, gaudere nos faciunt Angeli, hoc est, orant, & impetrant à Deo auxilia, & gratias, ut nos per imitationem gaudere de illius conversione possimus. Eodem modo intelligi possunt illa verba Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in Missæ introitu cantantur in aliquibus solennitatibus & in S. Annæ, & S. Virginis adsumptæ præcipuè: videlicet, *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Sanctæ N. de cujus solennitate gaudent Angeli.* &c. quæ sic intelligo. [In Sanctæ Annæ matris Sanctissimæ Virginis solennitate, & in ejusdem cœlorum Reginæ adsumptione gaudent Angeli, hoc est, à Deo impetrant, ut nos gratiis & auxiliis gaudeamus.

Quomodo gaudent Angeli?

Quo hominet modo congaudere debemus?

Ergo sicut Apostolus cooperando adimplebat, quæ deerant passioni Domini nostri Iesu-Christi, sic & nos cooperando adimpleamus, quæ desunt Cœlestium Angelorum gaudio. Gaudeamus igitur in Domino: & fruamur, utamurque his Divinis auxiliis. Sed quomodo? Diē festum celebrantes. Sanè celebramus festa, quando sanctificamus: & sanctificamus, cùm ab omni peccato abstinentes heroicas exercemus virtutes: sub honore Sanctæ Annę, & Sanctissimæ Virginis Mariæ. Illam sanè devotâ imitatione honoremus, ut sicut ipsa purè & immaculatè concepit, sic & nos purè & immaculatè concipiamus.

Quid sit celebrare diem festum?

Quid Sanctos honorare, sit?

Sunt interdum ipsæ bonæ hominum intentiones originariâ labe in suâ cœptione maculatæ: quando videlicet in dissonos fines obtorquentur: & tunc fiunt quidem actiones bonæ, sed non benè. Ergo sicut S. Anna immaculatam prolem concepit: sic & nos mente nostrâ immaculatas cogitationes concipiamus. Si enim hoc Deo auxiliante fecerimus, sanctè percurremus hanc vitam, & sicut superstites Matrem (S. Annam) imitandam adsumpsimus, sic post mortem ad filiam (Virginem adsumptam) adsumemur, ut in ejus consortio gaudeamus per integram æternitatem.]

Oportet, non solùm facere bona, sed benè.

An in Cœlo gaudium crescere possit extensivè?

Si autem illum textum, *Gaudium est Angelis*, de gaudii incremento extensivo velimus intelligere, liberè poterimus dicere gloriam & gaudia apud Beatos extendi & materialiter augmentari; quoniam, ut Angelicus Doctor nos docet [quamvis Sancti, qui sunt in Patriâ de omnibus bonis nostris gaudeant; non tamen sequitur, quòd multiplicatis nostris gaudiis eorum gaudiū augmentetur formaliter, sed materialiter tantùm: quia omnis passio forma-

maliter augetur secundum rationem objecti sui: ratio autem gaudendi in Sanctis, de quibuscumque gaudeant, est ipse Deus, de quo non possunt magis, & minùs gaudere: quia sic essentiale eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc, quod de Deo gaudeant. Vnde ex hoc, quod bona (boni) multiplicantur, de quibus gaudendi ratio ipsis Deus est, non sequitur, quòd intensius gaudeant; sed quòd de pluribus gaudeant: & ideò non sequitur, quod operibus nostris juventur.]

Instantia ab Ethnicorum moribus.

OBIICIEBANTVR quartò verba S. Ioannis Chrysostomi: videlicet. *Si enim Gentiles cum his, qui abierunt* (obierunt *sua comburunt, quantò magis te fidelem mittere convenit cum fideli ipsius propria: non, ut favilla fiant, sed* (scilicet) *hac, velut illa: sed, ut majorem huic circumponas gloriam: & , si quidem peccator fuerit, qui mortuus est, ut peccamina solvas: si autem justus, ut appositio fiat mercedis, & retributionis*. Hoc testimonio utitur Damascenus *serm. de dormientib. inter princ. & med.* hoc adversarii, ut Beatos in Patria nostris suffragiis adjuvari contendant.

Pietas erga defunctos.

Sumit argumentum Chrysostomus ab Ethnicorum ritu, ut urgeat nos à fortiori erga defunctos exercere pietatem. Cum incendebatur pyra, Amici res pretiosas in ignem projiciebant, ut simul cum cadavere Diis Gentilibus sacrificarent. Ergo & tu, si non tua, saltem aliqua defuncti bona, expendendo illa in pios usus sacrificare Deo tenêris. Sed cur? *Vt, si peccator fuerit, qui mortuus est, peccamina solvas*, ait Chrysostomus. Delirant ergo nostri ævi Novatores, qui negant defunctis in purgatorio igne detentis viventium prodesse suffragia. Sed cur, si justus fuerit, & in Empyreo sit? *ut appositio fiat mercedis, & retributionis*. Et hic hanc consequentiam inferunt Adversarii. Ergo Chrysostomi, & Damasceni sententia beati in patria, ut majorē adhuc mercedem, & retributionem accipiant, nostris adjuvantur suffragiis.

Animæ in Purgatorio orationibus nostris juvantur.

Nobis prosunt, & non gloriosis Sanctis suffragia.

Respondeo vim, & efficaciam ultimæ sententiæ ex vocis Hiphil significatione desumi: vel attende. *Mittere* (*sacrificare: offerre Deo*) convenit *cum fideli ipsius propria*: sed cur? *ut fiat mercedis, & retributionis appositio*, videlicet, *ut nostra devotio faciat mercedis, & retributionis appositionem*. hoc est, *præstet, ut beati defuncti sua apud Deum interventione faciant in nobis mercedis, & retributionis appositionem*. Hoc sensu fuisse SS. Patres loquutos asserit S. Thomas dicens. [Non est intelligendum, quòd fiat appositio mercedis, vel retributionis illi beato per suffragia ab aliquo (superstite) facta, sed facienti.]

De Græcorum Verborum Aoristis.

Omnis Lingua suos idiotismos habet, qui nequeunt in alias transire.

VIdimus Latinam, licèt copiosa, & elegans profectò sit, non posse interdum exprimere rigorem linguæ Hebrææ: & ideò, quo formalis verborum significatio pervenire non potest, cogimur virtualem perducere, ut sensum exactè cognoscamus. Et notari adhuc desidero, neque rigorem Linguæ Græcæ illam interdum posse exponere; ac propterea debere crebrò ab ipso Textu Græco juvari. Nec hinc volo imperfectionis eamdem argui; si enim non paucæ sunt Hebraicæ, & Grecæ phrases, quæ nequeunt commodè in Linguam Latinam transire: plurimæ sunt Latinæ, quæ vix, aut ne vix quidem, poterunt in Grecam, vel Hebraicam converti. Habent singulæ Linguæ suas Charites, & ita sibi proprius; ut, nisi circumloquaris, in aliis illas explicare non possis? Vt autem ad Græcarum literarum studium excitentur Theologi, inquiram, *Quando adorarunt Christum Magi?* Historiam Matthæus toto capite secundo enarrat. Stellā duce venerunt Hierosolymā Magi, quos Reges communiter dicimus. Hierosolymam venerunt; sed quando? An ne statim, an verò longo tempore post Domini Nativitatem? Iacobus Gordonus *in Chronico tom. 2. pag. 18. ad annum Christi primum*. [Magi ab Oriente venerunt. *Matth. 2. Luca 2.* Reges fuisse pia habet traditio: ex quo loco venerint, in opinione est.] Ioannes Henricus Alstedius (est heterodoxus) *Encyclopedia tom. 4. libr. 32. cap. 21. pag. 95.* sic scribit. *Dona ipsi* (Christo) *offeruntur à Magis: qui contra fidem historia dicuntur fuisse Reges. Obtulerunt autem*,

De Magorum adventu.

An longo illi post Christi Nativitatem tempore Hierosolymas venerint?

Aurum, thus, myrrham, Regiq;
Deoq; Hominiq; Ip-

Ipsorum nomina vulgò putatur fuisse, Balthasar, Gaspar, *&* Melchior. *De stellâ, quam Philosophi isti* (Magus *enim Persis idem est, quod* Σοφὸς) *habuerunt ducem, disputavimus suprà*. &c.] Sed dum ad linguas orientales recurrit, ut eos coronis exuat, refellatque opinionem communem, ab eisdemmet linguis refellitur: nam sunt in Oriente duo potentissima imperia; Persicum, & Magoricum; in quorum primo Rex Σοφὸς, vulgò *Sophi*: in secundo Μάγος, vulgò *Magor* cognominatur. Ergo Orientales Reges *Magi*, & *Sophi* vocati sunt. De hac voce Suidas Παρὰ Πέρσαις Μάγοι οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόσθεοι: & addit apud eosdem Persas, Sapientes dictos fuisse *Magog*, & *Magusaos*. Vide Alstedium *tom. 1. libr. 5. cap. 8. pag. 162. a.* Consonat Principum Persarum historia: nam David Origanus *in Introductione ad Ephemer. part. 1. de temp. pag. 19.* sic inquit. [In bello Cyrus à Massagetis, quibus Tomyris Regina tum præfuit ad Araxem fluvium occubuit: solusque Cambyses imperium sustinuit per annos septem. Posteà sub Magis fratribus duobus in interregno per septem. Tertiò sub Dariò, Histaspis filio, per annos triginta-sex. &c.] Hos Reges (*Magos*, aut *Sophos* illos dixeris) anno primo venisse opinio communis statuit, quæ etiam infanticidium anno primo accidisse asseverat, quam Macrobius *libr. 2. Saturn. cap. 4.* corroborat. Sed quia Eusebius *in Chron.* post biennium id accidisse voluit, anno illud Christi tertio Reges advenisse nonnulli Viri docti asseverant. Videtur enim inter discessum Regum, & infanticidium moras Herodes non traxisse. Quoniam in Sacro Textu legimus. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. &c. *Tunc Herodes, videns quod illusus esset à Magis iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis*. Constabat ergo ex relatione Magorum in eorumdem adventu jam Christum explevisse secundum annum.

An fuerint Reges?

De Rege Sophio Magorio, Magogio, Magusao &c.

Eusebii Opinio.

Respondeo Magos non consumpsisse in longo & difficili itinere annos duos, ut putavit Eusebius, sed ab Stellâ & Angelis tam citò iter suum peregisse, ut die duodecimâ Bethlehemi Regem Regum in præsepio adoraverint. Et aio id expressisse Evangelistam his verbis Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεέμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ Βασιλέως, ἰδοὺ Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα. *At Iesu nuper* (*paulò antè*) *nato in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Orientibus accesserunt Hierosolymas*. &c. Et cur illud *nuper* addidi, quod Latinus interpres non posuit? Respondeo in Linguâ Græcâ esse duo Præterita, & duo Futura. Præteritum alterum, quod *perfectum* dicunt, significat rem ante longiusculum tempus factam: illud autem, quod Aoristum vocant, rem paulò antè factam: Futurum autem primum, rem citò faciendam, secundum, quod *post futurum* nominatur, rem post longiusculum tempus faciendã. Vnde, ut Quæstionem, quam proponebamus, dirimeret, Evangelista, noluit uti *præterito*, tunc enim longum tempus inter Christi nativitatem, & Magorum adventum interponeret: sed usus fuit aoristo, ut parvum intercessisse significaret. Audi Alstedium *Encyclopadia tom. 1. libr. 6. sect. 4. cap. 7. pag. 315. a.* dicentem. [Hic non est prætereundum, quod Causabonus *Exercit. 2. ad Annal. Baronii sect. 10. adnotat. Advenerunt*, inquit, *Magi* τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος. *Christo nato*: hoc est, *paulò antè nato*. ea namq; vis est vocis Græcæ, & loquutionis, ut, si dicas, Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροί. verba quidem nil amplius sonant, quàm hoc, *Ioanne vulnerato venerunt Medici*. sed participii aoristi ea vis est, ut simul denotet celeritatem adventûs, multò magis, quàm si dixeris, τετρωμένου. Illud igitur primùm observemus, dixisse Evangelistam, γεννηθέντος, non γεγεννημένου, hoc de perfectâ multò antè actione rectè usurpatur: illud de paulò antè perfectâ, & adhuc quasi pendente.] Ergo tametsi vox *natus* formaliter à longo & brevi tempore præscindat, prout à Græco provenit, habet virtutem, ut de nativitate, quæ ante breve tempus acciderat, debeat intelligi. Sic placuit cum Causabo-

Quid sit inter Præteritum, & Aoriston discrimen?

Quid inter duo Futura?

Alstedii, & Causaboni opinio.

Quid Bremenses Professores sentiant?

sabono discurrere: sed interim moneri debes alios Græci idiomatis Institutores habere, non diversam tantum, sed etiam adversam opinionem. Bremensium Professorum Grammatica calamo diligenti est scripta, & tamen *pag.*148. agens de temporum significatione, sic inquit. [Aoristum significat aliquid indefinitè præteriisse: hinc ἀόριςον, *indefinitum* dicitur. ἔτυψα, *verberavi modò, vel dudum*. Definitum præteritum notat aliquid modò præteriisse, ut τέτυφα, *modò verberavi*.]

Habemus aliud genus aoristorum Hispani, quibus utimur quando cū formidine respondemus. Considera lineas sequentes.

An Linguâ Hispanica Aoristos habeas?

Que hora era, quando vino Francisco? Eran las diez, *Serian las diez*.

Que hora es? Son las diez. *Seran las diez*.

Que haze el gran Turco? Està durmiendo. *Estarà durmiendo*.

Que hizo ayer Carlos? Habló al Virrey. *Avrà ablado al Virrey*.

Responsiones priores, aut tempus, aut actionem determinatè & sine formidine exponunt; posteriores subdubitant, & cum erroris metu, non quid rei sit, sed quod opinetur, qui respondet, insinuant.

ARTICVLVS VII.

De Participio Virtuali.

Alia vocum acceptio.

Quid sit?



EST media vox inter nomen, & verbū, nam significat cum tempore, quod verbi est, & declinatur per casus, & numeros, ut nomen solet.

Propositiones primi, secundi, & tertii adjacentis.

Propositiones Categoricas Logici in duas classes distinguunt: alias vocant primi adjacentis, alias secundi, imò etiam alias tertii: nam in hisce Propositionibus

Alexander est.

Alexander est Rex.

Alexander est Rex generosus.

tota hæc doctrina reperitur. In prima subjecto adjacet *est*. Est igitur primi adjacentis. In secunda adjacent subjecto *est*, & *Rex*: ergo est adjacentis secundi. In ultimâ subjecto adjacent voces *est*, *Rex*, & *generosus*: unde tertii adjacentis esse dicitur.

Alii aliter loquuntur, & terminos aliter numerant, & usurpant, quoniam Franciscus Titelmannus de consideratione Dialecticâ *libr. 3. cap.6.* sic ait: [Semper in categoricâ propositione esse debet verbalis copula, quæ interdum quidem à prædicato expresse invenitur distincta; ut cum dico, *Homo est Animal*: *Deus est bonus*: *Angelus est incorruptibilis*. Cujusmodi propositiones solent vocare Recentiores de *est* tertio adjacente, eo quod verbum *est* in illis sit quasi tertium, adjacens duobus terminis, quos adinvicem copulat. Interdum verò copula non distinguitur secundum vocalem expressionem ab ipso, quod est prædicatum: ut cùm dico, *Deus vivit*, *Deus imperat*, *Homo peccat*, *Hic studet*, *Ille currit*, & universaliter in omnibus propositionibus, quorum prædicatum est verbum adjectivum: hic enim prædicatum, & copula secundum vocalem expressionem non differunt, sed in uno termino coincidunt. Attamen in explicatione invenietur copula à prædicato distincta; idem enim est *Deus vivit*, quod *Deus est vivens*: ubi *vivens* est prædicatum, & *est* copula. De Propositionibus quoque illis, quas vocant Recentiores de *est* secundo adjacente, simile est judicium, ut in istis, *Deus est*, *Homo est*: hæ enim de *est* secundo adjacente appellantur, quoniam in ipsis verbum *est* uni tantum subjecto apponitur, nec aliud tertium est *est* in eadem propositione, cui connumeretur.] Hac doctrina præmissa facili negotio intelligemus, qua nimirum ratione participia virtualiter lateant in verbi

An verba adjectiva sint propositionum prædicata?

Quo modo verba adjectiva resolvantur?

Participia virtualia.

Verbum est dupliciter accipiendum.

bis. In hac enim propositione *Petrus currit*, latet participium, & copula: nam æquivalet huic, *Petrus est currens*, & in ista *Antonius est* latere videtur participium, æquivalet enim huic *Antonius est ens*, aut potiùs isti *Antonius est existens*. Consultò illud *videtur* posui, non enim reprehensione essem dignus, qui diceret verbum *est* esse æquivocum, & aliquando sumi substantivè, & aliquando adiectivè: substantivè nimirum cùm abstrahitur ab omni exercitio existendi; adjectivè autem, cum idem est *esse*, ac *existere*. Posito enim hoc acceptionis discrimine, posset dici hanc enunciationem, *Petrus est*, esse de verbo adjectivo, & æquivalere huic *Petrus existit*, quæ resolvitur in hanc, *Petrus est existens*. Aliàs enim, *est*, sumptum substantivè, est copula: & tam potest carere prædicato, quàm unio, vel relatio termino. Et in tali casu tàm esset propositio integra, subjectum, & copula, quàm corpus, & unio esset Homo.

Imò multipliciter, ut in Grammatica Scholastica, & Logica scripta jam ostendi.



ARTICVLVS VIII.

De Propositione Virtuali.

An omnes casus regat?



PVD Latinos duos tantùm casus Præpositiones regunt, omnes possent, si Linguæ Inventori placuisset; nam apud Græcos tres tantùm casus solent enumerari (Genitivus, Dativus, & Accusativus) & omnes à præpositionibus reguntur.

Verbum in illa sæpe latet, & contra.

Sæpè illæ virtualiter alias partes Orationis imbibunt, sæpè virtualiter imbibuntur in aliis. Vtrumque illustrabo exemplis. Bremenses *in sua Græca Grammatica cap. 26. pag. 271.* sic inquiunt. *Præpositiones quædam mutato accentu in verba transeunt apud Poëtas, ut* ἔνι pro ἔνεστι vel ἔνεισι. &c.

ἔνι pro ἔνεστι, aut ἔνεισι.

Ecce in præpositionibus verba virtualiter latentia; quod ipsum etiam apud Latinos Poëtas invenitur: ait enim Silius, *Sancius, aut illi comitum super unus*. ubi, ut ex contextu colligitur, *super* significat idem quod *superest*. Quoties apud Poëtas Latinos verbum simplex ponitur pro composito, præpositionem conservat virtualiter, licèt tacitè illam perdiderit. In nominibus clarior res est. Considera hanc periodum, in qua nulla præpositio exprimitur, & tamen multæ continentur virtualiter. Sic inquam: *Tertio Calendas Martias venit Odoacer Romam, & mansit Roma quatuor dies, & tandem magna vulgi lætitia Ortam rediit*. &c. Cui periodo, si præpositiones, quas brevitatis eloquentis studium reticuit, restituere velimus, dicemus, *In die tertio ante Calendas Martias venit Odoacer ad Romam: & mansit in urbe Roma per quatuor dies: & tandem cum magna populi lætitia ad Ortam rediit*.

Super pro Superest.

Præpositio virtualis in verbis.

Etiam in nominibus invenitur.



ARTICVLVS IX.

De Adverbio Virtuali.

De Adverbio & Adnomine.



Ominãtur Adverbia, & Adnomina possent; quia æquè accidunt nomini, & verbo. Si dicas, *Bernardum doctum cælitùs, disputare fortissimè*, habebis exemplum utriusque, illud enim *cælitùs* adficit nomen doctum; & illud *fortissimè* verbum *disputare*: quam ob rem *cælitus* erit adnomen, & *fortissimè* adverbium vicesque mutabunt, si dixeris, *Triumphat cælitùs fortissimè patiens.*

Adnominibus delectantur Hispani.

Adnomina reperiuntur hodiè in libris Hispanis nimis multa; at ipsa nisi excessu peccetur, gratiam habent. Augustinus *de Civit. Dei lib. 6. cap.* 10. Adnomine vocis significationem modificat dicens, *De ipsis verò ritibus crudeliter turpibus, quàm liberè* (Seneca) *scripsit!*

An in verbo imbibatur?

Sæpè subintelliguntur, & tunc erunt virtualiter: & præcipuè in linguâ Hebræâ, quæ inter alias duas conjugationes habet *Pahal*, & *Pihel*, quarum prior, si transitiva sit, remissè operari significat, altera intensè.

ARTICVLVS X.

De Interjectione Virtuali.

Quid importet Interjectio?



Ffectus animi Interjectiones exprimunt, & sæpè earum vices gerunt voces res diversissimas significantes. Sic apud varios populos nomina elementorum, animalium, arborum, &c. sunt virtualiter Interjectiones, & ex ipsarum usu cognoscitur singularum gravitas, & authoritas gentium. Apud Hebræos gaudentis interjectiones sunt *Hosana*, & *Allelu-Ia*.

Hosana Allelu-Ia.

Interjectiones Hispanorum.

Apud Hispanos sunt Interjectiones admirantis, *Dios! Iesus! Fuego de Christo! Fuego de Dios!* Irascentis, *Cuerpo de Christo con el*. Orantis, *Valame Dios*. hoc est. *Valgame Dios*. Et apud nationes alias aliæ.



AR-

ARTICVLVS VI.

De Conjunctione Virtuali.

An omnes sint nexiones seu coniunctiones exprimendæ?



APVD multos singulæ Coniunctiones exprimūtur: apud aliquos solent subticeri, & inter istos ultimos Hispanus Seneca videtur abundare conceptibus, qui extrinseco nexu copulentur: quando enim Auditor, vel Lector rem benè intelligit, non indiget multis coniunctionibus, ut prioribus posteriora connectat.

Dandi Deo gloriam apud veteres, quanta varietas?

Coniunctionum usus parvi momenti videretur, & tamen in sola Gloria, quæ dicitur Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, tot quæstionibus, & disputationibus obnoxius fuit, ut inter priscos vix reperirentur bini, qui loquerentur eodem modo. Aliqui dixerunt *Gloriam Patri & Filio Spiritui Sancto*: alii *Patri-Filio, & Spiritui Sancto*: alii *Patri in Filio & Spiritu Sancto*: alii *Patri & Filio in Spiritu Sancto*: alii *Patri per Filium & Spiritum Sanctum*: alii *Patri & Filio per Spiritum Sāctū*: & tandem alii aliter. Videatur Commentarii mei in Regulam S. Benedicti *disp. 78. à num. 1130.*

NOTA.

Opiniones, quæ Placita Philosophorum *dicuntur, suos ortus & occasus habent.*

Cur Placita dicantur Opiniones

OPiniones, vocantur, & meritò *Philosophorum placita*; quoniam, ubi plures Probabiles sententiæ succurrunt, illam eligimus, quæ magis placet. Non tenemur hanc vel illam amplecti, quoniam in nulla certitudo invenitur: quam ob rem earum singulæ, aut omnes, fluunt & refluunt: adeoque & ortū & occasum sentiscunt. Id doctè edisserit Dauid Origanus in Epistola dedicatoriâ, quam introductioni ad suas Ephemerides præfixit: quoniam ibi sic loquitur. *Quod de Verbis (Illustrissime & Potentissime Elector Brandenburgice, Domine Clementissime) jam olim Horatius in Arte suâ cecinit, & comprobavit luculenter, cùm inquit,*

Vt sylvæ foliis pronos mutantur in annos
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, virentque,
Debemur morti, nos, nostraque: sive receptus
Terrâ Neptunus, classes Aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilis-ve diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum,
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis
Doctus iter melius, mortalia facta peribunt,
Nedum Sermonum stet honos, & gratia vivax,
Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Nascuntur & moriuntur vocabula.

Id ipsum & opinionibus seu sententiis de rebus in Naturâ manifestissimis convenire, & meritò accommodari asserimus. Nam & hæ singulis ferè sæculis cum hominibus mutantur; & quæ priùs extra controversiam posita, verissima sunt habita; nunc dubia in ancipiti consistunt & sæpe falsissima judicantur.

Oportet, ut loquamur cum cæteris.

Non ergo fidendum est Propositioni etsi à multis assertæ, nisi clarissimo Analogismo demonstretur.

Hæc pauca sunt, & breviter insinuata vel tacta, & tamen magnam afferent lucem gravioribus difficultatibus, quas Philosophi, aut etiam Theologi edisserunt, quæ tota interdum à sola dependent Grammatica.

CAPUT V.

De Rhetoricis, Logicisque Figuris, Tropis, & Schematibus: nec non de Restrictione, quæ ab illorum positione & ornatu dependet.

An, & quo modo Figura à Tropo distinguatur?



Iguræ nomen latiùs patet, quàm Tropus, sub illa enim etiam hic intelligitur. Interim si hunc ab illâ condistinguere placeat, *Tropus est virtus in uno dumtaxat verbo, Figura autem est lumen & ornatus in pluribus*. Ita Alexander Rhetor *de Figur.* inquit enim Ο᾽ μὲν τρόπος περὶ ἓν ὄνομα γίνεται ἀρετὴ· τὸ γὰρ σχῆμα περίπλεως ὀνόματος κόσμησις. Accedit, quod in Tropo, non autem in Figurâ vocum significatio mutetur. Vide Caussinū *de Eloq. libr. 7. cap. 16. pag. 376. b.*

Error à Figura distinguitur.

Figura omninò debet ab Errore distingui, non enim Orationem peccantem *Figuratam* vocamus. Errores autem ad tres classes reducimus: Ad Materiam, ad Formam, & ad Ordinem.

De Barbarismo.

Primus error dicitur *Barbarismus*, & ab illis admittitur, qui voces exteras ad leges suæ linguæ cōformant. Et sunt in Hispaniâ, Galliâ, & Italiâ plurimi, qui se eloqui judicant, quando vocibus peregrinis utuntur. In hos invehitur acriter Ludovicus de Gongora, cùm tamen ipse multas ex Latinâ, & non paucas ex Italicâ linguâ invexerit in Castellanam.

De Solæcismo.

Secundus *Solæcismus* est, & consistit in formâ, quando videlicet aut in Nominum declinatione, aut in Verborum conjugatione exorbitatur. De Σολοικισμοῦ nomine jam scripsi alibi, & non est cur pluries eadem repetantur.

De Solæcophane.

Quomodo à Solæcismo distinguatur?

Et hîc obiter monēdi Scioli sunt, ne judicium præcipitent, & re non satis perspectâ, se in sententiam præcipitent; quonim Σολοικοφανὴς est Σολοικισμῷ similis, & tamen commendatur ab omnibus: nā verborum syntaxis, quæ tametsi primâ videatur fronte exorbitare, si tamen excusari potest, pertinet ad Solœcophanem, ut quando *Eunuchum Terentianam* citamus: tunc enim Epitheton, quod fœmeninum est, non *Eunuchum*, qui generis est masculini, afficit, sed vocem *Comœdiam*, vel *Fabulam*, quæ licèt subticeatur subintelligi debet.

An in moribus Solæcismi admittantur?

Et hîc obiter scias Amice Lector, sicut Solœcismos, sic Solœcophanes in vita humana reperiri. Iuvenalis Satyr. 6. dixit,

— Solæcismum liceat fecisse marito.

Vbi, ut vides, adulterium solœcismum appellat.

Cicero inconstans; jam Cæsaris, & iam Pompeji partibus adhærebat.

Ciceroni, quia in Senatorio scāno laxe sedere voluit, dixit Æmulus, *Occupat Cicero duas sedes*, alteram apud Cæsarem, & alteram apud Pompejum subintelligens; & potuisset cum Martiale dicere

Martialis ad Cassiodorum.

Vnus cùm sitis, duo semper Marce sedetis;
Surge, solæcismum, Marce patris, facis.

An in Ethica sint Solæcophanes?

Progredior; moneoque Solœcophanem etiam in mores frequenter subrepere: multa enim primo adspectu scelerata videntur, quæ deber excusare necessitas: unde Hispanus ut primam actuum humanorum adparentiam à verâ illorum moralitate distinguat, illud Vulgare Axioma, *Necessitas caret lege*, in id *La necessidad tiene cara de Hereje*, per adliterationem convertit.

De verborum ordine.

An possint sine reprehensione mutari?

Tertius error Α᾽ήθεια *Insolentia* vocatur, & ordinem verborum concernit. In hoc profectò genere majorem Græcus & Latinus, quàm Hispanus labio & calamo libertatem indulget. *Non vidi eum*, *Eum non vidi*, etsi volueris *Non eum vidi*, potes Latinè dicere; at Hispanicè dicere debes *No le vi*, &, si *No vi le*, aut *Le no vi* diceres, intelligereris ab omnibus, sed tamē ob insolentiæ culpâ irridereris. Et hanc ob rem Morconius, in Comœdiâ quæ inscribitur, *Amor de razon vencido*, ut Auditorum risum excitet, inquit.

O

Quod Græcum & Latinum volerat, Idioma Castellanum non patitur.

O Duquesa de los Cielos,
Bien aya, amen, la Comadre,
Que en mantillas envolvióte,
Y el ombligo cerceuóte,
Quando parió te su Madre.

Quæ verba autem Castellanam exasperant, audire solitam, *te envolvió, te cercenó,* & *te parió,* pronomine collocato ante verbum.

Quid sit de Galleco dicendum?

Quia autem in dialecto Galleca pronomen negationi præponitur, qui jocari vult, cum hæ, vel illæ res postulantur, respondet, *Que las no tiene*; videlicet, *quòd eas non habet*; aut etiam *quod asinus habet*.

SECTIO I. Proœmialis.

An, & cur Sacra Scriptura utatur Figuris, & Tropis?

Omnes Artes & Scientiæ in Sacra Scriptura edifferuntur.

CLauduntur in Sacra Scriptura omnes Scientiæ: quoniam *epist. 2. ad Volus.* Sanctus Augustinus scribit. *Quæ Disputationes, quæ litera quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet Civitatum, duobus præceptis sunt comparandæ, ex quibus Christus dicit, totam Legem, & Prophetas pendere?* &c. *Hic* (in Sacta Scriptura) *Philosophia, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo sunt. Hic Ethica, quoniam bona vita, & honesta, non aliunde formatur quàm cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur: hoc est, Deus, & proximus. Hic Logica; quoniam Veritas, lumenque Animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam* (Politica) *laudabilior Reipublicæ salus: neque enim optimè custoditur Civitas, nisi fundamento, & vinculo fidei, firmæque concordiæ: cum bonum commune diligitur; quod, si summum, ac verissimum, Deus est.*

An stylo Rhetorico & ornamento careat?

Videretur ergo in Sacra Pagina figuratos repetiri sermones: non enim illi deest Rhetorica, in qua omnes Artes, & Scientiæ dicendi, ac faciendi traduntur.

Et videretur in ea illos non repetiri, quoniam in eadem Sanctus Doctor epistolâ. *Ea verò, quæ mysteriis occulta, nec eloquio ipsa superbo erigit, quo non audeat accedere Mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili sermone.* non ergo phalerato, aut compto, ornatoque Rhetoricarum translationum, & circumloquiorum cincinnis.

SECTIO I.

Sacram Scripturam figurati sermonis Charitibus exornari persuadens.

COpiosi, & eruditi sunt Commentarii, quibus Genesim Benedictus Pererius dilucidavit. *Et tom. 4. in Capitis XXVII. illustratione disp. 5. num. 49. pag. 57. a.* sic scribit. [Pertractans D. Augustinus verba illa Iacob (quæ videlicet dixit Patri suo, cum Benedictionem obtinuit) ab omni eum mendacii peccato vindicat. Disputans enim super ea re *in quæst. 74. in Genes.* & *in libr. 16. de Civit Dei cap. 37.* subtiliter autem copioseq; *contra Mendacium, cap. 10.* non negat, si verba Iacob propriè accipiantur, habere mendacium: sed ait, orationem illam Iacob esse figuratam, & ad signandum aliud, quam per propriam verborum significationem denotetur, esse usurpatam. Tales profectò loquutiones figuratæ per quam crebræ sunt in Sacris Literis; nec solùm in Oratione Prophetica, sed in Narrationibus Historicis: quin etiam secundū proprietatem, & elegantiam Linguæ Hebraicæ, frequentes admodum erant, familiaresque Hebræis in vulgari, & quotidiano sermone. Et quod magis mirum est, Hyperbolicæ loquutiones, & Antiphrases, cùm contrarium intelligitur ejus, quod dicitur, usitatæ fuot in Sacris Literis: ponitur enim nonnunquam *benedicere* pro *maledicere*, ut videre est Iob *cap. 1. & 2.* & *3. Reg. 21.* &c.] Et in Regum Historia passim Parabolas, Similitudines, & alias Figuras reperimus; etiam plurimas in Evangelio; Primus enim Vitæ Christi Historiographus, postquam Similitudines nonnullas à Christo Domino in Concione propositas accuratè recensuit, *Hæc omnia*, ait, *loquutus est Iesus in Parabolis ad turbas, & sine Parabolis non loquebatur eis; ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in Parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione Mundi.* Se attemperavit Christus Patriæ moribus, *& familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum Parabolas jungere*, ut scribit Hieronymus *in cap. 13. Matth.* Et

An Iacobus patri suo Isaaco sit mentitus?

Præter sensum simplicem & Grammaticum admitti debet Rhetoricus & Figuratus.

An in Sacris Literis sint Ironia & Hyperbola?

Verbum *barach* in Chal est *benedicere* & est *maledicere* in Pihel.

Matth. 13. d.

An Prophetæ antiqui, An Christus Dominus, An & post eum Apostoli Rhetoricis Tropis, & Figuris sint usi?

hanc

hanc eamdem Veritatem [eloquendi coloribus, gratiis, figuris, tropis (nam ad hæc omnia significanda vox παραβολή adsumitur) in ordinatio suo sermone fuisse usum Christum, & ante eum Prophetas, & post ipsum Apostolos] suadet Sacrarum Literarum contextus. Vir enim eruditus, & diligens, qui Prophetarum libros legat, omnium Rhetoricarum Charitum in illis splendores inveniet. Se supra vulgi cothurnum elevare stilum fatetur *Psal.* 77. 2. Propheta Rex: fatetur *Proverb.*1.6.Salomon ejus Filius, & in Regno Successor: ait enim ille, *Aperiam in Parabolis os meum*, hic autem, *Animadverte Parabolam, & Interpretationem*. Sed, & ipsemet Christus, ut dicebamus, pleraque omnia, quæ dicit exornat Metaphoris, & Translatiooibus. Et profectò apud Lucam 8 4. εἶπε διά παραβολῆς [*] ut vult Vulgatus, *Dixit per similitudinem*, ut & Syriæus *Dixit per parabolas*. Et Matth. 13. 2. Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλὰ ἐν [*] παραβολαῖς. *Loquutus est eis multa in Parabolis*. Ecce: *multa* dicit, non *omnia*: ubi enim expediens videbatur Dominus simpliciter, & in sensu Grammatico loquutus est. Ita Paseasius *lib.7.in Matth.* Abulensis *qu.* 7. Nec contrarium ex Marc. 4. 34. verbis potest colligi. Ille enim locus, χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς, *Et sine parabola non loquebatur eis*. Saeerdotes, & Pharisæos concernit; statim enim dicitur, Κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα. *Seorsum (privatim) autem Discipulis suis disserebat (dissolvebat) omnia*.

*] Radix est παραβάλλω.

Aliquando simpliciter & in sensu Grammatico loquuti sunt.

An eodem modo omnibus?

Sanè interdum tam erant obscuræ Parabolæ Domini nostri Iesu-Christi, ut sine luce, quam profundebat ipse, à nemine intelligerentur. Dicebat interdum Apostolis. *Qui amat animam suam, perdet eam: &, qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.* Hanc *magnam sententiā* vocant aliqui: & alii *Ænigma*. Adsumitur enim, ut morum Christianorum Fundamentalis *Maxima*, & tamen tam est remota à communi Philosophorum opinione, ut contradictoria implicare videatur. Augustinus *tract.* 51. *in Ioann. sub medium*. admirabundus exclamat. *Magna, & mira sententia: quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium ne pereat!* Sed quo illam sensu accipiam sanctissime, & doctissime Pater. *Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti, Felices, qui oderunt custodiēdo, ne perdant amando*. Obscura manet adhuc, & præcipitii occasionem præberet, ni subjunxisses, *Vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc Mundo animam tuam. Hinc enim maligni, atque perversi homines, & in se ipsos crudeliores, & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: immo etiam Diabolo præcipitium suggerenti respondit*, Redi retrò Satanas, scriptum est (enim) Non tentabis Dominum Deum tuum. *Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum*, Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, quò volebas, cùm autem senueris, alter te cinget, & feret, quò tu non vis. *Vbi satis expressit non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi*. Ego autem adhuc hæreo: quo enim modo non debeam intelligere Christi Domini verba, Sanctus Augustinus me docuit.

An sit obscura Sacra Pagina?

Ioann. 12. d. 25.

An odio habere animas nostras à Deo jubeamur?

An Christi doctrina sit mira?

De Christi verborum intelligentia. Quo modo debeant non intelligi?

Matth. 4. 10. & 16. 21.

Nomen Satanas in vocativo habet Satana.

Martires non se occidunt, sed mortē ab aliis illatam patientissimè tolerāt.

Vt ergo clariorem lucem indepiscar, transibo ad S.Ioannem Chrysostomum, fortè enim melius loquentem Græcè intelligam, quàm Latinè. *Homil.66.in Ioann.* Sanctus Pater verba hæc considerabat, & dicebat. *Ænigmati simile hoc Dictum videtur: non tamen ita est: immò verò præcipua Sapientia plenum*. Hanc ergo Sapientiam; quæ, si non Ænigmati insistit, intenditur Hyperbole, & Metaphora decoloratur, ex Charitate, quæ Deus est, vniversos nos doce. *Quo enim modo, qui amat animam suam, perdet eam?* Respondet. *Qui absurdis ejus cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget; quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam: hoc est, qui non paret ei, cum noxia jubet*. Et beoe: quoniam ut S.Benedictus in Reg. cap.4. nos docet, ODIT ANIMAM SVAM IN HOC MVNDO, *Qui abnegat semetipsum sibi, ut sequatur Christum; qui corpus suum castigat; delitias non amplectitur, jejunium amat. Qui à sa-*

An in Sacra Pagina reperiantur Ænigmata?

S. Ioannes Chrysostomus,

nec non S.P.N. Benedictus Christi verba dilucidant.

à sæculi actibus se facit alienum, & nihil Christi amori præponit. Qui iram non perficit, iracundiæ tempus non reservat, dolum in corde non tenet. Qui maledicentes se non remaledicit, sed magis (potius) benedicit. Qui persecutiones sustinet pro Iustitia. Qui cogitationes malas, cordi suo advenientes, mox ad Christum adlidit, & seniori spirituali patefacit. Qui desideria carnis non perficit, sed voluntatem propriam odit. Et qui denique cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redit, & de Dei misericordia nunquam desperat.

ECTIO II.

Cur in Veteri Testamento Prophetæ, & in Novo D. N. Iesus Christus & Apostoli utantur Figurato Sermone?

POrrò multæ sunt causæ, ob quas Sacræ Scripturæ Rhetoricis coloribus condecorentur. Aliquas *homil. 33. in Ioann.* enumerat, & exponit Chrysostomus: alias Doctores Veteres, & Iuniores adducunt.

Cur Sacra Litera Coloris Rhetoricis Mædana admittant?

Et primo audiri loco poterit ipsemet aurei oris ecclesiastes (Hisp. *Pico de oro*) qui *loc. cit.* proponit controversiam his verbis. Quid sibi volunt hæ Translationes (hæ Metaphoræ) quibus non hic tantùm, sed per totum utitur Evangelium *Christus. Ibidem & Prophetæ iis plurimum uti solent.* Et respondet, *Vt jucundior sit Narratio, & diutiùs animo immoretur.* (Valde enim gratæ (ut P. Ioannes de Sylveira *tom. 3. in Evang. libr. 5. cap. 36. pag. 442. b.* scribit) sunt audientibus, rerum de quibus tractatur, cum aliis similibus collationes. Hunc ergo dicendi (fortè docendi) modum frequenter tenuit Divinus Magister, ut facilè adstantes inescaret, ac ad se, & ad salutem adliceret.

Chrysostomo, aureo profectò eloquentiæ profluvio consonat Sanctissimus Hipponensium Episcopus, qui epist. 119. ad Iannarium scribit. *Plus movent figuratè dicta, &* (plus) *accendunt amorem; quàm, si nuda, & sine ullis Sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet ut aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moveat* (plus moveat) *plus delectet, plus hortetur, quàm si propriis verbis diceretur apertissimè.* Et quidem, ita se rem habere, experientia quotidiana demonstrat. Homines enim, quia in peccato originali nati, Satyras libentissimè legunt: & tamen omnia aspernantur, quæ dicuntur apertè, & acumina laudant, si fortè sub æquivoci, aut Adlusionis umbra, qui cum populi injuria superbescũt, tanguntur.

An ingeniosè dicta altiùs hæreant?

S. Cyrillus *in Ioannem cap. 2.* sic rem exponit. *Figuræ intellectualium hæc corporalia sunt, quæ cum sentiantur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix possunt intelligi.* Et S. Hieronymus interrogatus cur Hebræi, Palæstini, & Assyrii, tot figuris, tropis, symbolis, & parabolis sermonem suum ornarent, ait id eos fecisse, *ut quod per simplex præceptum teneri ab Auditoribus non posset, per similitudines exemplaq; congrua tenerentur.*

Res corporea Spiritualium sunt Imagines.

S. Hieronymus cap. 12. Matth.

Doctrinam hanc Patres producti à S. Dionysio didicerant: qui *lib. de Cælest. Hierarch. cap. 1.* sic inquit. *Decentissimum est eloquiis Divina Ænigmata occultare; & in viam multis ponere Sacram, ubditamque supernorum donorum, & intellectuum Veritatem. Est enim non omnis sacer, neq; omnium (ut eloquia debent) Sacra Scientia.* Expedit igitur ad instructionem proborum uti Figuris & præcipuè Metaphoris. Quoniam, ut inquit Augustinus, *Indigemus in præsenti dispensativis similitudinibus, ut foris acies mentis, cùm multa etiam incommutabilia perspexerit, dirigat se in Summam Veritatem, quâ omnia alia monstrantur.* Quo respexit Boetius, qui *lib. de consolat. pros. 4.* sic scribit. *Sensus contuetur speciem in subjecta materia constitutam: Imaginatio verò solam sine materia inducit figuram: Ratio verò hanc quoque transscendit, speciemque ipsam, quæ singularibus inest, universali consideratione perpendit.* Ergo, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu; homines, qui rerum Divinarum Celsitudinem attingere immediatè non possumus, per ea quæ sensu exteriore percipimus, & interiore imaginamur, nos debemus promovere ad sublimia, de quibus in Theologiâ disputatur.

In hac via res Cælestes hominibus per Ænigmata manifestantur.

S. Augustinus de liber. arb.

De Exteriorum & Interiorum Sensuum, nec non Intellectus objecto.

Subscribit his & aliis Veteribus Pa-

An, & cur Veritas alios lateat, & aliis pateat?

Patribus Hugo de S. Victore *libr. de Arcâ Noe*, sic enim ait. *In lege Prophetis & in Evangelio Dominus per Parabolas & Aenigmata loquutus est, Dignum est enim, ut sub verborum figuris abscondantur secreta mysticorum intellectualium: quia citò vilescerent, si passim omnibus paterent. Ita enim Veritas, & per inquisitionem Fideles exercet, & ne ab Infidelibus inveniatur, occulta permanet. Istos, dum difficilè invenitur, majori desiderio inflammat; illos, dum omninò inveniri non potest, excæcat.*

Proverb. 9.

Et huc pertinet illud Morale Axioma: *Sapientia, &c. miscuit vinum, & posuit mensam suam*. Et cur, quæso, lymphatum vinum præbet, quem purum suis posset Convivis propinare? His verbis Difficultatem hanc proponit & decidit *libr. 2. Epist. 3. ad Timoth.* Pelusiota Isidorus. *Quid nam illud sibi velit*, Sapientia miscuit vinum suū? *Quidque causa sit quam ob rem non purum illud proposuerit? Paucis verbis multa accipe. Divina, & natura sublimiora documenta corporeis sermonibus & exemplis temperavit: neque enim fieri poterat, ut aliâ ratione ea intelligeremus. Qua-propter, Divinarum cogitationum & terrenorum verborum conjunctionem*, mixtionem *& temperationem haud abs re appellavit*. Non ergo Christianæ synceritati officit, si pigmenris Rhetoricis, quibus humanus Sermo solet, Veritates revelatæ exornentur.

An purissimum Sacra Scriptura Vinum Castalsis Parnassi aquis, utiliter misceri possit?

Vt finem huic Controversiæ imponam, producam iterum S. Chrysostomum, qui Resolutionem, rationemque, quam priùs tradiderat, quoties occurrit, accuratè reponit; & *homil. 45. in Matth.* præcipuè: inquit enim, *In parabolis Christus loquitur, ut tenaciùs memoria, qua dicuntur, commendari possint; & expressior propter similitudines sermo res ipsas ante oculos ponat*. Quæ quidam Iunior verba adducit, & hoc dilucidat & illustrat Scholio. [Pondera verba Sancti Patris. *Vt tenaciùs memoriæ commendari possint*. Quæ enim appositâ aliquâ similitudine dicuntur, altiùs menti imprimuntur, diutiusque cordi inhærent. Cùm ea, quæ ad salutem hominum pertinent, facilè è memoriâ excidant, rerum similitudinibus utitur Christus, ut illa diutiùs in nobis fixa remaneant.] Et verè dicit, & cum lachrymis audio, *facilè è memoria excidere, quæ ad hominum salutem dicuntur*. Probabo id, simulq; initio positam clarissimè controversiam decidam. Sanè hanc ipsam Veritatem, quam edissero, ostendit *Luca* 8. 4. & coloribus opportunis depingit Dominus in parabolâ, quæ incipit, *Exiit, qui seminat seminare semen suum*, & ab Ecclesiâ in Dominicæ Sexages. Missâ cantatur. Aliud asserit granum secus viam cecidisse, & conculcatum viatorum pedibus, volucribus cessisse in prædam. Aliud cecidisse super duram & siccam petram, aruisseque humectatis defectu. Aliudque inter spinas lapsum, ubi pullulare incipiebat, oppressum fuisse & suffocatum. Et aliud denique, quia in bonam terram jactum, centuplum fructum Agricolæ præbuisse asseverat. Similitudinis, quæ sublucebat in parabolâ, novitas proculdubio excitavit in singulis percipiendi ejus sensum curiositatem. Illumq; exhibuit Dominus dicens, Verbum Dei *Semen* esse: illudque quantâcumque curâ & diligētiâ à Concionatoribus seminetur, jam secus viā, jam super petram, jam inter spinas, & rarò in bonam terram cadere. Et sanè interdum cadit sermo Dei secus viam, multi enim illud audiunt, pauci auscultant: plurimi per transennam monita Divina suscipiunt, & illorum meditationi nō inhærent (Hisp. *Muchos tratan las cosas de su salvacion muy de passo; y las de su perdicion muy de assiento.*) Et cadit interdum Verbum Dei supra petram; sunt enim hominibus multis corda saxea & ideò in ipsis omnes Divinæ gratiæ arescunt. Et dicitur super spinas cadere, quando in aures opulenti hominis gravibus & ponderosis mundi implicatī negotiis. Et tandem tunc in bonam terram verba Ecclesiastæ cadunt, quando Auditoris animus ex Divini Numinis speciali favore, præparatur muniturque efficaciâ prævenientis auxilii, & sincero corde Concionatorum verba recipit, & omni nisu Divinæ Misericordiæ cooperatur. Stat ergo (& id demonstrare debebam) nisi specialis Dei gratia superveniat, *facilè è memoria excidere, quæ ad hominum salutem dicuntur*.

Cur Christus utatur parabolis?

Facilè excidūt è memoria, quæ ad nostram salutem spectāt.

Parabola Seminum dilucidatur.

Quid sit Semen in hac Parabola?

Quando super viam cadat?

Quando supra petram?

Quando super spinas?

Et quando deniq; in bonam terram?

Vt

Cur fuerint inventa Parabola?

Vt inhæreant memoriæ, similitudinum, parabolarum, metaphorarum coloribus pinguntur, condecôtanturque & ut his umbris develentur, nova gratia requiritur. Attende: & hujus ipsius Parabolæ circumstantias considera.

De vocante & praveniente gratia.

Quod ad Christum turba multa veniret, advocantis gratiæ effectus fuit: nisi enim fuissent cœlitùs moti & excitati homines illi, non venissent.

Quod ad illos Dominus de moribus corrigendis Orationem habuerit, altera gratia fuit; & non omnibus sæculis, locis, aut personis concessa.

Cur dicuntur, qua à paucis cognoscuntur, parabola?

Sed cur Parabola omnibus dicitur, & ejus sensus paucis traditur? Respondeat Sacer Textus. Ταῦτα λέγων ἐφώνει· ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες· τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη; ὁ δὲ εἶπεν· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ· τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν. *Hac dicens clamabat. Habens aures audire (habens aures audiendi) audiat. Interrogabant autem eum discipuli ejus dicentes: Qua esset Parabola hac? Is verò dixit. Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei: at cateris in parabolis, ut* [*] *videntes non videant, & audientes non intelligant*, Ecce omnibus Parabola dicitur: & non omnibus exponitur, sed tantummodo inquirentibus & interrogantibus Apostolis Dominus verum sensum exposuit, quia se interrogarunt: Exposuisset & cæteris, si interrogassent: & tamen, non, quia illos contempsit, sed quia seipsos ii neglexerunt, & noluerunt Parabolæ verum sensum addiscere, cæteros in priori ignorantia remanere permisit.

Cur Apostolis exposita fuerunt parabola?

Abusus Politicus hujus Parabola.

Sunt in Hispania Familia, qua his cognomentis honorantur.

Hæc Parabola propter cognomina *Estradas, Pedrosa, Espinosa, Terrones*, & similia, quæ Illustrium Familiarum sunt, & semper in Palatio & Vrbe concurrunt, sæpe ab Hispanis Politicè poterit dilucidari. Madriti enim ante non multos annos aliqui ut Dominum Terrones, Excellentissimum sanè concionatorem, cæteris anteponerent, aliorum scientiam moresque denigrabant ingeniosis conceptibus ex hoc Evangelio per abusum desumptis.

An sint in Sacra Pagina contradictiones?

*] Viderentur verba illa, *Videntes non videant*, &c. contradictionem manifestam involvere; sed sensuum illa diversitas à contradictione subducit: quæ enim asseruntur realiter, moraliter & virtualiter negari solent. Ergo inquit Dominus, *Proponuntur Parabola, ut habeant occasionem interrogandi: ut videlicet qua homines corporeis oculis prospiciant realiter, intellectualibus, nisi adhibeant diligentiam, non percipiant; & ubi rem viderunt realiter ita se habeant, ac si nihil vidissent.* &c.

2. Corinth. 6. 10.

Huic apparenti contradictioni est similis quæ continetur illis verbis, *Nihil habentes, & omnia possidentes*. Viri enim Religiosi, quia vi voti solennis paupertatis sunt incapaces proprietatis dominii, nil prorsus civiliter habent: &, quia aliunde ita ipsis providetur, ut nil prorsus necessarium deficiat, ita virtualiter se habent, ac si universa realiter possiderent.

An Religiosi res simul habeant, & non habeant? De voto Paupertatis.

De voto Castitatis à conjugatis emisso.

Et hinc patet, quomodo intelligenda sint illa Apostoli 1. *Corinth.* 7. 30. verba: videlicet, *Hoc autem dico, Fratres. Tempus contractum reliquum est, ut habentes uxores, tanquam non habentes sint; & flentes, tanquam non flentes; & gaudentes tanquam non gaudentes; & ementes tanquam non possidentes* [a] *& utentes Mundo hoc tanquam non utentes; praterit enim figura Mundi hujus.* &c. Nota illud *tanquā*; exprimit enim, quid nos adverbio *virtualiter* significamus: nam in Pauli dialecto, *Vxores habentes tanquam non habentes sint*, est idem, ac in nostra, *Habentes illas realiter, virtualiter sint non habentes: hoc est, ita se gerant, ac si illas reverà non haberent.*

a] Ergo, qui rem aliquam emit, adquirit in ea dominiū & incipit eam possidere.

SECTIO II. Procemialis.

An Grammatici, & Rhetorici Flores Orationem exornent?

Resolutio.

SI non sit vera asseverans sententia, censebor toto hoc Capite tripudium extra chorum moliri. Nostra igitur Resolutio sit. *Tropi, & Figura, quibus Grammatici, & Rhetores, velut rosis Orationem rediminunt, & velut gemmis speciosis exornant, jam indictas* [*] *voces subaudiri pracipiunt; & jam aquivocas, incertas, aut etiam latiùs patentes determinant, & ad alteram significationem restringunt.* Eam, ut existimo, Articulo Primo, & Secundo sufficienter probavi: sed uberioris doctrinæ gratia novis observationibus eamdem adhuc hoc Tertio confirmabo.

*] Vox indictas significat non dictas.

Figurarum Divisio.

Profectò ante Resolutionem sciri debet (quod postea opportuno in loco explicabimus) esse Figurarum tria genera; nam in Naturales, Grāmaticas, & Rhetoricas distribui debent.

Grammatica Figura mentem determinant, ut voces, qua non dicuntur, subintelligat.

Et quidem nullum moveri dubiū poterit de Figuris Grammaticis, nam in singulis aures, & mentem verborum contextus prædeterminat, ut illæ subaudiant, hæc subintelligat, quæ dicta, aut scripta non fuerant. Oportet tamen in omni Figura Grammatica adhærere consuetudini Populi, quam inter consignificantes circumstantias recensere debemus: quæ enim apud Hispanos Orationē de-

Consuetudini standum.

decórant, apud Latinos aliosque ejus sensum infringerent. Rem exemplis dilucido.

Quæ sit la de Pedro.

An possit dici Latinè?

Sanè in hac Oratione, *La de Pedro*, deficit, & subintelligitur *muger*, ut tota Oratio sit, *La muger de Pedro*. Et hæc ellipsis in Latino idiomate locum habere nequit, caret enim Articulis; posset autem in Græco; puta, si diceremus, ἡ τοῦ Πέτρου, & subintelligeremus vocem σύνοικον.

An saltem Græcè?

De Superscriptionibus Epistolarum.

Quæ debeant in illis subintelligi?

In superscriptionibus Epistolarũ dicimus, *A Fulano tal salud.* & in illis, *de Dios*, subauditur; nam aliàs scribere solemus, *A Fulano tal guarde Dios*. Et tamen Latinus omnia exprimit, sic enim superscribit, *Marcus Tullius Cicero Acilio Proconsuli salutem plurimam dicit*; vel usus literarum compendio [de quo cap. . num. .] *M. T. Cicero Acilio Proc. S.P.D.*

De Antonomasia.

Hæc de Grammaticis floribus insinuasse sufficiat: ad Rhetoricos oculos convertamus.

An, & quomodo Oratio Ironica cognosci queat?

Voces restringit determinatque Antonomasia, pro famosiore illas significato, jam in bonam, & jam in malam partem accipiens. Sed de illa sufficienter jam diximus.

Sed, & voces Ironia ad sensum contrarium traducit. Sed unde scire aliquis poterit, an seriò, an verò ironicè verba dicantur? Iam diximus. A gestu, & vocis amaritudine. Ille ergo, & hæc voces, quæ simpliciter, & ironicè usurpari possent, ad posteriorem acceptionem determinant: Ioannes Henricus Alstedius *Encyclopedia tom. 1. lib. 6. cap. 8. pag. 378. b.* inter alias Ironiæ species Mycterismum enumerat, & sic scribit, *Mycterismus est hostilis irrisio, gestu narium significata*. Hinc ergo scimus, quo Turnus vocis tono, quo vultus motu, & gestu Eumedi victo, & prostrato dixerit,

Aeneid. 12. Ironica Turni verba ad Eumedem.

En agros, & quam bello Trojane petisti,
Hesperiam, metire jacens, hæc præmia qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt.

Et meritò Erithræus in margine posuit vocem σαρκασμός. Hoc etiam Iuvenalis gestu ad Ægyptios convertens orationem clamabat,

Et Iuvenalis ad Ægiptios.

O sancta gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Et eodem insultabant, & irridebant Christum Dominum milites *Matth.* 27. cùm tota convocata cohorte imposuerunt ei coccineam clamydem, & spineo diademate sanctissimum caput coronarunt, arundinemque pro sceptro immiserunt in dexteram, & provoluti ad genua, dicebant, χαῖρε ὁ Βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. *Ave (gaude) Rex Iudæorum*. Articulum ὁ; quem non potest Latinus exprimere; redderet benè Hispanus salutationem hanc ad tertiam personam reducens: puta si diceret, *Viva el Rey de los Iudios.* nam in secunda persona articulum communis loquendi consuetudo non tolerat, quoniam *Vive Rey*, est *Vive Rex*: & *Vive el Rey*, non est *Vive Rex*, sed *Vivit Rex*: nam articulus, vocem *vive* ancipitem, quæ Latinè est *vive*, vel *vivit*, ad sensum posteriorem restringit.

Et tandem Iudæorum ad Christum.

*] *Viva*, hoc est *vivat* posui, non *gaudeat*, nam in acclamationibus Hispani *viva* dicunt.

Sæpe Ironiam auget interrogatio. Alstedius *ubi supr. lib. 5. cap. 13. pag. 387. b. §. 3.* [Interrogatio Rhetorica non est simplex ratio interrogandi; sed talis, cui aliquis gestus, seu motus inest; nam interdum est cum Ironia: ut

Ironia per interrogationem solet fieri.

Hic Pietatis honos? sic nos in sceptra reponis.]

Hyperbole Metaphora, & Metonymia, ad quas Figuræ cæteræ reduci possunt, sub verbis, quæ rem impossibilem asserunt, rem possibilem jubent intelligi. *Ab exercitu Persico epota fuisse flumina, & compedes injectas Hellesponto.* Herodotus scribit. Lego, & discurro sic. [Seriò loquitur Herodotus, & est Vir prudens. At impossibilia, & ἄπιστα seriò à Viro prudenti nequeunt dici. Ergo his vult Herodotus verbis aliquid eximium, & magnum intra Possibilitatis terminos significare: & tres in iis Figuras admisit. videlicet in verbo *epota* Hyperbolem; in verbo *compedes* Metaphoram, & in verbo *Hellesponto* Metonymiam.] Hic ecce syllogismus semper debet intelligi, vocesque (quocumque illæ Rhetorico colore tingantur) ab eo debent restringi.

Vnde Orationes figuratæ ad sensum verum & congruum restringantur?

Accedit cõmunis loquendi consuetudo: hæc enim voces restringit, & determinat, nec patitur ultra cõmunem receptumque loquendi modum eas intendi, aut remitti. Pono exemplum clarissimum. *Xarro, Cantaro, Tinaja* Hisp. vasa significant,

Quid voces Xarro, Cantaro, *&* Tinaja *in Hispania significent?*

cant, quæ rebus liquidis continendis inserviunt. Magnitudine differunt: secundum enim est multò majus primo, & multò minus tertio. Hispanus intetim, ut imbrem nimbum-ve valde copiosum è nubibus diffluere significet, dicit, *que llueve a cantaros*. An-ne, ut esse copiosiorem exponat, dicet, *que llueve a tinajas*; aut fortè, ut esse mitiorem illam pluviam insinuet, dicet, *que llueve a xarros?* Minimè: nam illam priorem Hyperbolicè loquendi formam consuetudo adprobavit, & posteriores non admisit.

Quid sit llover a cãtaros? *An hac loquẽdi phrasis possit, aut intendi, aut remitti.*

Similiter in lingua Italica dicitur *piove à secchi*, & non dicitur *piova à boccali*.

In Metaphoris etiam loquendi consuetudinem observare debemus: & cum, ex. gr. hominem alicujus irrationalis rei nomine significamus; illa debet esse Auditori notissima. ApudAlstedium *pag. 379. b.* exclamat Cicero, *Quare Coracem istum vestrum patiamur, qui jam pullos suos excludere nido, qui evolant clamatores odiosi, & molesti (passi sumus.)* corvum appellat Reum, ut sciamus eum, siquidem reverà esse corvus non potest, saltem corvi proprietates habere. Ergo periit Metaphora ut cognoscamus Corvum, & ejus passiones, & perturbationes didicerimus; aliàs enim nesciremus, quid diceret. Vel attende. Vociferantem, & inculcantem Lælium audis. *In Oceano Politico Senatores C. Caligula Gaieanos* [*] *fuisse*. Et quoniam hujus piscis ingenium, & naturam ignoras, hæredis inter Satyram, & Panegyricum, dubitabisque an illos vituperare, an laudare voluerit. Stat ergo Metaphoras debere esse sobrias, & communi modo loquendi accommodatas. *Es un pino de oro*; nimirum, *pinus aurea*, non autem *argentea*, dicitur juvenis, qui laudatur. *Es alto como un pino*; nempè, *altus ut pinus*, non autem *ut cupressus*, cujus commendatur proceritas; & licet monosyllabæ voces citiùs quàm polysyllabæ proferri possint, *Que vino en un santiamen Fulano*, dicimus, cujus celeritatem admiramur. Cur plura? sufficiant hæc in tento demonstrando.

Aliena, quæ Metaphora usurpat, vocabula, debent esse notissima.

*] Gaieanus piscis est de genere marinorum accipitrum de quo Eusebius Nierenbergius in Hist. Peregr. libr. 11. cap. 18. pag. 150.

Eodem de Metonymia loquar modo. Multa ipsa, & varia in Oratione (soluta, & vincta) præstat: at præcipuè materiæ nomen sumit, ut significet rem ex illa factam. Virgil.

Materia pro materiato Metonymicè sumitur.

Sylvestrem Musam tenui meditaris avena. &c.

Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti. &c.

Sed in hoc Oratori, & Poëtæ nullum datur arbitrium. Non solùm ex avena, & calamo, sed etiam ex quocumque ligno, ex quocumque metallo fiunt fistulæ, & tamen *Musam*, nec *tenui argento*, nec *agresti ligno* meditaris. *Barro* est Latinè *argilla*; & tametsi ex hac materia multa fiant, apud Hispanos stat pro scypho. *Argent*, Latinè *argentum*, pecuniam sonat Gallicè. Passim etiam *lignum* genericè, & in specie *pinus*, usurpatur pro navi; nam omnes fiunt ex ligno, pleræque ex pino. *Georg. libr.* 2. Virgilius:

Avena, & Calamus pro fistula.

Hisp. Barro *pro poculo.*

Gall. Argent *pro pecunia.*

Ex quibusnam arboribus fiant naves?

Ipsa Caucaseo steriles in vertice sylvæ,
Quas animosi Euri assiduè franguntque, feruntque [*]
Dant alios alia [a] *fœtus; dant utile lignum;*
Navigiis pinos, domibusq; cedrosque cupressos.
Hinc [b] *radios trivere rotis.* &c.

*] *Ferio, is, ire*, quartæ conjugationis verbum est: at hic factum est tertiæ; *ferunt* enim posuit Author, pro *feriunt*, nam sylvas (utpotè immobiles) venti feriunt, non ferunt.

An ferunt ponatur pro feriunt?

a] Notat in margine Erithræus, *alia arbores*: at video sylvas præcessisse, non arbores: ergo illud *alia* ad sylvas debet necessariò referri.

Quo pronomen aliæ refertur?

b] Particula *Hinc*, quæ dat initium illi versui, per synalœpham: ultimam syllabam præcedentis elidit. Nec est dicendus Poeta cogi ibi Metrica aliqua necessitate, ut hanc elisionem admitteret; nam potuit dicere,

Navigiis pinum, domibusque cedrum, atque cupressum.

& sic synalœpham vitare. Ergo admisit illam, quia voluit: eamdem ergo exornare versus existimavit.

De Synalœpha, quæ fit in duobus versibus; quando videlicet ultima præcedentis syllaba à prima sequentis absorvetur.

Interim lex, à Virgilio præscripta, non est ita severè lata, aut ita religiosè acceptata, ut obliget universim ναυπηγοὺς: nam etiam aliis ex lignis naves fabricant. Audi D. Ludovicum de Gongora, qui *Cantasic* cecinit.

Al viento mas oppuesto Abeto alado
Sus vagas plumas crea rico el seno
De quanto Potosi tributa hoy plata
Leño fragil de hoy mas al mar sereno
Copos fie de cañamo añudado,
Seguro ya sus remos de Pirata,
Piloto el sintetes sus cables ata.
&c.

Alis & plumis Poetæ aves exspoliant, ut ornent naves.

Vocem *abeto* usurpavit pro navi.

Imitatur Virgilium qui *Æneid.8.* cecinerat.

Labitur uncta vadis abies: id est, navis abiegna. Et quia ex hac arbore hastæ fiunt hoc nomine ibid. interprete Servio dixit lanceam.

Adversi longa transverberat abjete pectus [*]

*] *In voce* abjete *litera* i *esse debet consona, ut Dactyli mensuram adquirat.*

Et Plautus in Pers. tabulas intelligit *Abjetum* nomine, quod ex hac materia dedolentur.

Etiam Gongora *Roble* pro navi in Sol. 1. vers. 430. usurpavit: modulabatur enim,

En esta pues fiandose attractiva [a]
Del Norte amante dura, alado Roble
No hay tormentoso [b] *cabo que no doble,*
Ni Isla hoy a su vuelo fugitiva. [c]

a] Sic magneticam acum describit.

b] Tormentarium fretum nunc *Fretum bona spei*, Hispanicè *El Cabo de buena esperança* nominatur.

c] Insulæ & littora fugiunt opinatione navigantium, unde Aeneas apud Virgiliũ Aeneid. 6. clamabat.

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Ecce *roboris* nomine navem intelligit: quo etiam nomine, quòd ex hac arbore fieret, venit paribulum, ex quo fontes præcipitantur, Hisp. *El madero, que sirve para que se den tratos de cuerda*, cujus Lucretius meminit dicens.

Quid significet Robur? Hoc nomen etiam carceri convenit, quẽ aliqui vocabant *arcam*.

Verbera, Carnifices, robur, pix, lamina, tada.

Et Apulejus in 2. Apol. O *subtilitas, digna carcere, & robore*. Hisp. *Gracia, que merecia carcel, y aun un trato de cuerda*. Et Valerius Maximus cap. de severit. *Quin etiam familiares eorum, nequis Reipublicæ inimicus amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt*.

Et tandem Son. 25. Gongora adsumpsit nomen *Haya*.

Alta Haya, de hoy mas volante lino
Al Euro de, y al seno Gaditano
Flacas redes seguro humilde pino,
De que ya desiste o de aquel mar tyranno
Leño Holandes disturbe su camino,
Prenda su libertad vaxel pagano.

Et quia Sol. 1. vers. 432. Metonymiã hanc promovens, naves *arbores* dixerat, classes *sylvas inconstantes* vocavit.

Sicut naves arbores, sic classes sylvæ nominantur.

Piloto hoy la codicia, no de errantes
Arboles, mas de selvas inconstantes.

Et eadem ratione Metonymia, quã cæteræ Figuræ ad sensum opportunum restringitur. Sic enim debet Lector discurrere. [Poëta non insanit. Ergo per prædicati positionem, materiæ nomen ad eam formã restringit sub qua ipsa illius prædicati fit capax.] Ergo, sicut, qui dicit *ensem esse inauratum*, non de folio, sed de manubrio loquitur: non enim ensium folia inaurantur; sic, qui volare per mare pinum asserit, non de quacumque loquitur, sed de illa tantum, quæ ab architecto formam nacta, vi cujus possit tuta per Oceani superficiem dilabi.

Quomodo Metonymia restringatur?

SECTIO III. Procemialis.

An Figurata Oratio inficiatur mendacio?

Si severus quispiam Cato me interroget, *Cur non debeant isti flores Rhetorici, qui Ironia, Hyperbole, Metaphora, aut hujusmodi aliis Figuris exornantur, accenseri mendaciis?* et, si pro opinatione sua produceat Agathiam *libr. 3.* dicentem; *Illud deceptionis perspicuum est argumentum, quod qui falsa persuadere velit, majori quodam verborum ornatu, & varietate indiget, quibus veluti delinimentis utatur, ut despicientes pelliceat.* quibus verbis Eloquentiæ splendores condemnare videtur, respondebo ex Tullio, *Mendacium esse falsam verborum prolationem cum intentione fallendi*. Ergo est necessarium, ut mendacium verisimile sit, unde *Annal. lib. 1.* Tacitus. *Speciosa verbis, re inania, & subdola, quanto majore veritatis imagine teguntur, tanto erumpunt ad infensius servitium*. Longè ergo absunt à mendacio colores. Quoniam, si mendacium postulat, ut veris similia dicantur: Figuratus sermo postulat, ut fit in Grammatico rigore ἄπιστος, *omnem fidem excedat*, tunc enim à Rhetorica restringitur, & ad congruam excellentiam reducitur. Consequens erit, ut nullum sit in sermone figurato mendacium.

An, & cur Rhetorici modi dicendi sint puri à mendacio?

Mendacium ut decipere possit debet habere Veritatis imaginem. Figuræ debent afferere rem impossibilem.

Illo uti solent homines, & agendo seriò, & jocando. Et in neutro arguuntur: non enim sunt mendacia, quæ dicuntur per jocum, nam jocus ipse voces ad sensum opportunum restringit Augustinus *lib. 9.* in *Genes.* [Et habetur 21. *Quod autem,*]

rem

rem clarissimè edisserit. *Mendacia à mendacibus seriò aguntur, non joco. Cum autem quæ non sunt, tanquam sint, joco dicuntur, non deputantur mendacio.* Et quia in orationibus Rhetoricis, cùm maximè seriò loquimur, videremur jocari, nisi verba acceptione debita temperarentur; ideò ipsa dicendi pompa postulat, ut verborum significatio restringatur, quod tam verum, & universale est, ut *ad Cant.* dixerit Augustinus, *Quidquid figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium.* Vnde P. Benedictus Pererius *in Genes. tom.4.ad cap.27.vers.11.pag.59.* scitè ait [Aliud est *mentiri*, & aliud *figuratè loqui*. Sunt enim quædam loquutiones in Sacris Literis, quæ si accipiantur secundum proprietatem verborum, falsæ sunt; figuratè autem acceptæ, veram sententiam continent. Hoc genus sunt loquutiones Hyperbolicæ; uti est illud; *semen Abrahæ instar pulveris terræ multiplicatum iri*: tales sunt etiam antiphrases, cùm ejus, quod dicitur, contrarium intelligi debet; ut [*] *benedicere Deo, vel Regi*, pro *maledicere*.]

Non sunt mendacia, quæ dicuntur jocosè.

*] Doctrina est vera, at illam exemplū non probat; nam ברך ut multi volunt, in Cal est *Barach*, & sonat *benedicere*, & in Pihel est *Berech*, & *maledicere*, ut multi testantur significat.

Hæc, & similia considerans Ioann. Henr. Alstedius *in Cyclopæd. libr. 7. cap.3 § 4.pag.373.b.* ait [Hinc patet Tropum non esse mendacium, sed permutationem symbolorum Logicorum, ut cùm dicimus, *Fluctuare segetes, Floridam esse Iuventutem. Cor niveum.* Tropica esse loquutio censetur; quæ cùm vera sit, propriè tamen accepta absurditatem parit, ut *Deus dormit, Prata rident, Herodes est vulpes.* &c.

An impossibilitas ad Tropum requiratur?

Consonat Illustriss. D. Acacius March de Velasco, Orialensis Episcopus, Dominus, & amicus meus plurimum honorandus qui *tom. 1. verb. Falsos testimonios resol.323.nu. 9.pag.636.* scitè ait. *Hemos dicho, que la mentira incluye animo de engañar. Pero no por esso lo son* [lego, *Y por esso no lo son*] *las palabras de Exaggeracion, o Hyperboles, Metaphoras, y otras Figuras de* (Grammatica, o) *Rhetorica: ni las que se dizen por gracia y donaire, por divertimiento, para mover a risa: y assi es muy differente, dezir cosa* (falsa como verdad [*] o dezirla) *como falsa, o mentira.* Et ostenditur; quoniam in sermone Figurato, animus non est decipiendi.

An ad mendacium requiratur animus decipiendi?

*] Hic deesse aliquid certū est; nec puto illud aliter posse suppleri.

INTERIM Figuræ debent esse modestæ, & usui communi accommodatæ, nam, si nimiæ sint, vel insolentes, non exornant Orationem, sed maculant. Contra nimias stat Agesilaus, qui Plutarcho *in Lacon. Apophth.* & ex illo Erasmo *libr. 1.* & aliis assertentibus, laudanti quemdā Rhetorem, quod res tenues ita sciret amplificare, ut vel muscam, si vellet, converteret in elephantem, obstitit dicens, *Ego sanè, ne sutorem quidem arbitror bonum, qui parvo pedi magnos induat calceos.* Contra insolentes multos possem producere, qui à doctioribus vituperantur. Singulæ enim Linguæ habent suos dicendi modos; qui non possunt, aut remitti, aut intendi, aut mutari. Hæc phrasis *Llueve a cantaros*, apud Hispanos communis & metaphorica est, & pluviam copiosam concernit. De illa jam articulo præcedenti disserui, eamque nec intendi, nec remitti ostendi; & nunc addo, non posse in Linguam Latinam transire. Quoniam, siquis fortasse diceret, *Pluit amphoris?* Puerilem barbarismum admitteret, & Criticorum risui suæ Orationis insolentiam exponeret.

De Rhetore qui ex musca faceret elephantē.

De sutore, qui parvo pedi magnum aptaret calceum.

De phrasi llover a cātaros. An possit in linguam Latinam transire?

SECTIO IV. Proœmialis.

An dentur Figuræ Naturales? *Ostenditur nullas in universo Mundo Creaturas esse ἀλόγας; &, ut id suadeatur, per tres Mentis Operationes, quæ à Logica diriguntur, discurritur.*

VOcales sunt omnes Creaturæ. Loquuntur, eloquuntur; clamant, vociferantur: illæ, enim quæ maximè mutæ videntur, ubi opus est, vociferantur. Quoniam, si homines tacent, *Cæli enarrant gloriam Dei, & Opera manuum ejus adnunciat Firmamentum.* Et, ut Dominica Pentecostes canit Ecclesia, hoc (Vniversum) *quod continet omnia, scientiam habet vocis*] Vtque illam (vocem) Cæli exerceant digniùs, in Rhetoricis Astrorum periodis enarmonicas proportiones observant. In Psalmis sui syntagmatis ultimis. Rex Davides ad Dei cantandas laudes Creaturas universas (Cælos, Planetas, Elementa, Maria, Fluvios, Arbores; & tandem Animantes, quæ vel pectunt ventos, vel undas.

Mundana omnia eloquūtur, rhetoricātur, & dialecticantur.

Cæli, & Terra loquuntur.

undas innatant, vel sylvas fatigant) invitat. Et ejusdem exemplo etiam in rebus profanis, voce rerum insensibilium admonentur, & discunt Veritates altissimas. Terra profectò loquitur, canit enim Claudianus.

Claudianus.

—— Te cuncta loquetur
Tellus: te variis scribent in frondibus horti.
Longaque perpetui ducent in sæcula Fasti.

Cicero pro Marcell.

Farfan en las Fiestas de Sevilla pag. 248.

Palatia, Ædes, Arces, nec non Templa loquuntur. Cicero *Parietes medius fidius* [*] *(ut mihi videtur) hujus Curia gratias agere gestiunt.*

An aliquis Salomone fuerit doctior?

In Sancti Ferdinandi, Hispaniæ Regis ἀποθεώσει [a] quam Hispalensis Ecclesia summa solennitate celebravit, & D. Ferdinandus de la Torre Farfan, qui illam calamo erudito descripsit, gloriosũ istud Lemma, *Ecce plus, quàm Salomon hic.* Sic illustrat Hispanicè.

Matth. 12. 42. *Græcus habet,* Καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σαλομῶνος ὧδε. Et ecce plus Salomone hic. *&, ut conspicis illud* hic *est adverbium, debetque accentu circumflexo notari.*

Attended al mas Inclyto, al que excede
De Salomón la sacra maravilla.
Digolo a un Mudo el Marmol, pues que puede
Hablar alto en la Iglesia de Sevilla: [b]
Dilo tu Grande Machina [c] *no quede*
Sepultada en tu limite tu Silla:
Di sin voz, puesque sabes muda, [d] *quanto*
Debes, sobre los Templos al Rey Santo,

Abstinendum à juramentis est.

*] Etiam inter Ethnicos monebat naturalis Religionis cognitio à non necessariis juramentis homines abstinere debere. Vnde, sicut hodie Hispani decircioando, & alterando syllabas desiguramus juramenta, dicimus enim *Voto a crispo. Iuro a Diez*, ne *Iuro a Christo*, aut *Iuro a Dios* irreligiosè proferamus: sic olim illi (ut in his verbis Ciceronis conspicitur) ne *Ita me Dei filius*, puta, *adjuvet*, sacrilegè dicerent, *Medius filius*, quod nil prorsus significat, & tamen similem sonum habet, religiosè dicebant.

Cur in jurandi formales voces desigurentur?

Moneantur ergo Spurii Militiæ Hispanæ Martes, quorum robur, & virtus in lingua est. Hi loquuntur victorias, cùm tamen in conflictu meras Fugas [::] cecinerint. Quidam ex his apud D. Franciscum de Quevedo, dicebat, *Lea estos papeles, por vida del Licenciado, que no ha salido en campaña (voto a Christo) hombre (vive Dios) tan señalado.* &c. *Voto a Dios, que ni Garcia de Paredes.* &c. *Voto a Dios, que no huviera Bernardo para un hora en este tiempo.* Aderat, quidam Eremita, qui reprehendebat, & interpellabat eum, ne dejeraret: & ad eum Miles. *Bien se hecha de ver, Padre, que no ha sido Soldado, pues me reprehende mi propio officio.* Ecce, in quo hujusmodi homines Militiæ gloriam, & honorem constituunt: unde ait Quevedus. *Diome a mi gran risa de ver en lo que ponia la Soldadesca: y echo de ver, era al-*

::] Fugæ, quas vocant, in Musica melodias exornant.

Putant ignavi milites armorũ gloriam in colluvie juramentorum collocare: at hunc pessimum morẽ Nobiles detestantur.

gun picaron; por que entre ellos no hay costumbre tan aborrecida de los de importancia, y estima, quando no de todos.

De ἀποθεώσει. & ἀποθέωσι.

a] Θεὸς Græcè est *Deus*, & Θεῖος *Divinus*. Ethnicis ἀποθέωσις erat *Deificatio*: & quibus Principes ceremoniis in Deorum numerum recensebantur *libr.4.* Herodianus expendit. Nos Orthodoxi veram ἀποθέωσιν possibilem esse negamus, & tamen ἀποθέωσιν, solennitatem, qua aliquis Sanctorum Albo inscribitur, quam *Canonizationem* vulgò dicimus, cognoscimus, & veneramur.

Vera sit possibilis?

Quid sit Canonizatio?

b] Aptissimè Farfanius loquitur: tametsi enim *hablar alto* sit *voce grandiore, & sublimiore loqui*, in Hispalensi Ecclesia marmora, nam est altissima, *hablan alto*, hoc est, Ferdinandi Augusti è loco sublimi laudes celebrant. [Fuit autem hic Ferdinandus, hujus nominis Tertius Castellanorum, & Aragonum Rex, quem ab antiquo tempore ut Sanctum cultum Clemens X. Pont. Max. 7. Febr. 1671. declaravit.]

Hablar alto, *quid sit?* *An & ubi lapides loquantur altè?*

De litera Græca, χ.

c] *Machina* [Quia litera *ch* apud Hispanos specialem, eamque nostræ genti propriam, prolationem sortitur, nonnulli, qui volunt eruditi videri, ubi Latinus, *Monarchia, Achilles, Machina*, &c. scribit, *Monarquia, Aquiles, Maquina*, &c. ponendo, rationem auferunt Etymologiæ. At ego literam *ch* retineo; & causas edissero in Linguæ Castellanę Grammatica.

An per ch, aut qu exprimatur Hispanicè?

d] Non est, cur alterentur, mutentur-ve, quæ bene dicta: interim ego paulò aliter ego clausissem hanc stropham: maluissem enim scribere.

An loqui sine voce possimus?

Di, sin voz, pues que sabes hablar. quanto
Deben todos los Templos al Rey Santo.

SVBSECTIO I.

De Florum, & Rosarum Idiomate.

HÆC nunc in Horto, inter fragrantiam Florum, & elegantia Fontium murmura incepi scribere; & ideò ab aliis, quæ mea minùs [*] intersunt, Dubiis supersedendo, inquiram tantum. *Anne florum, & rosarum idioma, quod nunc percipio, etiam iis innotuerit, qui ingeniosè scripserunt?*

*] Errat Iustus Lipsius, nomina possess. *mea, tua, sua, nostra, vestra*, si cum *interest* construantur, circumflectens, non enim sunt in abl. sing. sed in acc. plur. quoniam *mea interest*, sonat *est inter mea*, puta *negotia*. &c.

Affirmare debemus, quoniam Mag. Leo, in illa, quæ *No hay amar, como fingir*, inscribitur, Helenam introducit dicentem,

Helen. *Isabel, sola me dexa,*
Cantar mi mal a las Flores,
Que mudamente aconsejan.
Isab. *Pues te quedas con las Rosas,*
Enseñalas a ser bellas.

Rosarum & Florum Dissertatio.

In Regiis olim Hortis, Rosæ, Flores, & Fontes acriter, & eruditè disserebant; interfuit fortè D. Antonius Moreto, illos attentè audivit, & quæ dicebant, ne omninò perirent, nota-

notavit, & scripsit his verbis.

Part. 35. Comoed. 1. act. 1.

Dux. *Deste Iardin las olorosas*
Flores,
Quando a mi Esposa en dulce
paz lograba,
Testigos fueron de la dicha mia,
A imitacion aqui de mis amo-
res
Aves, Plantas, y Flores todo
amaba,
Todo era tierna union, todo
harmonia.
Aquella Fuente fria
Amores murmurava,
El Zephiros en las hojas suspi-
rava,
El clavel se encendia
Por la encarnada rosa;
La mosqueta olorosa,
Con el iazmin a olores se enten-
dia [*]
Las blancas azuzenas
De amor estavan llenas.
La yedra, al tierno abraço
Enmarañava al laço
Por las ramas del olmo:
Y en el copado colmo
Ruiseñores suaves [a]
Cantando dulces, y sintiendo
graves,
Huian de los ojos, advertidos,
Para dar mas amor a los oi-
dos. [b]
Todo este bien troco mi ardien-
te fuego,
Todo lo miro ya como me mi-
ro.
Yo de a quel tierno amor la paz
quebranto,
Ya imita mi cruel desasosie-
go
De aves, plantas, y flores el re-
tiro:
Todo es ya sentimiento, todo es-
panto.
La fuente suena a llanto
O al fuego que respiro
El Zephiro por quexa de suspi-
ro.
Esta el clavel sangriento,
La rosa vergonçosa,
La mosqueta olorosa
Trueca al iazmin olor por sen-
timiento;
Las blancas azuzenas,
De desmayo estan llenas,
Y ya no por abraço,
La yedra aprieta el laço,
Sino por Lucha, al olmo; [c]
Y en el frondoso colmo,
Tristes los Ruiseñores [a],
Cantan endechas, quexas, y do-
lores,
Huyendo de los ojos ofendidos,
Por tener a la quexa mas oidos.
[b]

Fontes murmurant.

*] *Entenderse a olores* convenit floribus, qui odoribus utuntur pro verbis.

a] *Ruiseñor* Latinè *Philomela*, nota avicula: gloria cantandi celebris, Hanc Gongora vocem aliquando divisit, & effet *Ruin Señor*, haberetque *Ruin criado* vocem sibi correspondentem.

b] Multa nos docet experiētia, quorum non facile adsequemur rationem: cœci excellunt in Musica, nam audiunt exactius, quàm cæteri.

c] Amplexus, qui aliàs benevolentiæ signum est, in lucta est initiū certaminis.

Loquuntur, clamant, vociferantur; aut etiam cantant, & modulantur Res inanimæ: id omnes, & ubique percipiunt. Sed impræsentiarùm Ego grandius aliquid dicturus sum, & ideò auribus gratis, & attentis indigeo. *Dialecticantur*, inquam: & probo manifestè, quod assero.

Aliqua necessaria præmittuntur.

Est sanè Logica scientiarum sublimium Imperatrix; &, siquidem regit universas, Regina. Est in Academiis, in Disputationibus, in Libris, *per quam omnia facta sunt, & sine ipsa factum est nihil*. In tres Partes dividitur, Prima enim voces simplices, altera Propositiones, & Tertia syllogismos concernit.

Quid, & qualis sit Logica?

In quas Operationes dividatur?

SVBSECTIO II. 217

De simplicibus Terminis.

Ad Primam Dialecticæ Partē signa simplicia pertinent, quibus posteà Iudicia, & Ratiocinationes concinnantur. De hoc scripserunt plurimi: & nos iterum, iterumque, nam Logicam Realem, & Moralem edidimus. Non est cur dicta repetam, & ideò aliquid speciale impræsentiarùm explicabo. Dicam igitur apparuisse Albano duos Arcis empyreæ Paranymphos, eidemque Regiam Coronam alterum, alterumque sceptrum tradidisse: nempe Coronam, quæ in Palmam, sceptrumque quod in Laurum in manibus Albani verterentur. Hæc Insignia cum summa humilitate Albanus recipit, & admirabundus sic inquir.

Albani historiam subsegitaris circumstantiis D. Gomez in Comœdia pulcherrima dilucidavit.

Mas para que sceptro Real,
Paraque Diadema Augusta
Me embiais, quando quereis,
Que Humanos Imperios huya?
Que significa este Sceptro [a]
Mas ya desata mis dudas
Ver, que se transforma en Pal-
ma;
Hieroglyphico, que anuncia
Descifrada la Paciencia:
Y siendo assi, quien le junta
Regia Corona? Mas ay [b]
Que sus esmaltes se mudan.
En un Laurel; grave Insignia,
Que

a] Convertitur sceptrum in Palmam.

b] Convertitur Corona in Laurum.

Que los Vencedores asan.
Que Mysterio es este Cielos?
Mac ya no le difficulta.
El pecho pues claramente
Muestra, y sin voz articúla [bb]
Que en Vuestro Reyno tan solo,
Quien tiene Paciencia, triumpha.

bb] *Articulas*, Latinè habet accentum in antepenultima, Hispanicè verò in penultima.

Assi trabajos, Señor,
Vengan, vengan desventurac;
Que desde hoy tan solamente
Me han de alegrar las angustias.
Vengan baldones y affrentas
Y quantos martyrios juntan
La Embidia y la Tyrannia;
Pues haze homenaje y jura
El pecho de padecerlas
Con noble Fê por la Tuya. [c]
Mas ay Amante Dios mio
Sin duda (ay de mi!) sin duda
Esta palabra esperabas,
Pues apenas la pronuncian
Los labios, quando a su sêr
Corona y Sceptro se ajustan,
Tacitamente admitiendo
La promessa, pues sin duda
Quien calla a lo que otro offrece,
Que desea que lo cumpla [d]

c] Iterum redeunt Palma, & Laurus in Coronam, & Sceptrum.

d] *Qui tacet consentire videtur* est Regula XLIII. in 6. *An Promissarius, si taceat, acceptare censendus sit?*

SVBSECTIO III.

De Indiciis.

Bifariam Propositiones (nempè, quoad se, & quoad nos) debent considerari.

SEcunda Dialecticæ Pars, Propositiones & earum proprietates (Æquipollentiam, Oppositionem, &c.) contemplatur, & in multis reperiri contingit. Signa quoad se, & posteà quoad nos considerantur. Sub primam considerationem dilucidantur à Philosopho hac indubitatâ Censura. inquit enim, *Ab eo, quod res est, aut non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Et sub secundam meditabatur illa Satyricus quando cecinit

Pro capta Lectoric habent sua fata Libelli.

Quò D. Lupus apud D. Antonium de Solis in suâ *El Dotor Carlino*, respiciens, dicebat.

Todo es duda, quanto veo
Dentro del pecho inconstante?
Y esta el Inicio bacillante
Entre el Temor y el Deseo.
El Temor en la appariencia
Trocandole al mal su officio,
Pretende, que cada Indicio,
Tenga fuerça de Evidencia.

An sicut Timor, sic & Spes, Indicia esse sæpè evidentias præsumat?

Y el deseo, su disculpa
Solicitando en mi daño,
Dize, que son del Engaño
Los colores de su culpa.

DE Æquipollentiâ multa possem adducere, quibus Principes & Reges monerem, ut persuadeant suis subditis, esse aliqua in Republicâ Præmia, æquivalentia Maximis, ut illi, quibus hæc dari nequeant, solamen habeant. Sic Vrbanus VIII. prudentissimus Pontifex, cùm videret hos vel illos Sacri Officii Censores Congregationibus non interesse, ut eos tacitè solicitaret, in pleno concursu sic inquit. *Summi hodie Pontificis felicitatem cum infelicitate librabam, & inter gaudia lachrymis amaris profundebar. Gloriam considerabam Militantis Ecclesia, quam non in felicissimis Vniversitatibus modò, sed in hac Alma Vrbe Virò Sanctissimi & Doctissimi honorant: multi, profectò & multi, & omnes dignissimi Purpura. Hinc gaudeo & gestio: At retundit Letitiam eximias promerentium supremas Dignitates numerus, & exiguus earumdem Dignitatum. At Numinis Divini Providentia, ut pro sui Vicarii desiderio prospiceret, in Ecclesia esse voluit alium gradum Purpura æquipollentem, ut quos non possit Pontifex Albo Cardinalium inscribere, in illo velut in deposito collocans publico testimonio perhibeat, illos Purpuram, quam non habent, mereri. Et hic Gradus Cardinalatui Aequivalens Censores Sancti Officii complectitur.* Dixit & præstitit, quod ab illâ usque horâ Theologi hujusmodi ab universo Populo summo honore haberentur.

De Præmiis, & Dignitatibus æquipollentibus.

Quanti Sancta Inquisitionis Consultores fecerit Vrbanus VIII?

N. B.
Ignorat prima fundamenta Reipubl. Rex, qui præmia, quæ confert: parvi facit impossibile enim est, ut fiant magni à vassallis, quæ palam côtemnuntur à Principe.

Æquipollentias Contradictionesque in Albani Historiâ, quam Godinez exhibebat, reperio. In se seductus sibi ipsi loquebatur: & ei Echo respondebat, ut audis.

De Echus naturalibus caussis differuimus in Physicis methodumq; ut resonaret in Carminibus in Metametrica dilucidavimus

Alb. *Quien podrà de tantos males*
Como contra mi se aumentan
Quitar los recelos. Ech. Zelos.
Alb. *De una duda passo a muchas.*
Pues, si busco voz humana,
Divinas vozec me anuncian
Su rigor, quando el remedio,
Que a mi Esperança articúlan
Son los Zelos, que es lo mismo,
Que todas las penas juntas,
Pero de su arcanidad [a]
En mysteriosas, profundas
Vozec

An Zelotypi animo omnes simul cruciantes, & dolores concurrant?

a] Auderem dicere vocem hanc non pertinere ad Thesaurum Hispanum, nec in Classico Scriptore inveniri.

Vozes apurar pretendo
Lo que el pecho difficulta.
Si Zelos he de esperar,
Como templaran angustias
Siendolo ellos tambien? Ech. *Bien.*
Alb. *No aqui de que me confundas,*
Quieras hazer blason. Ech. *Son.*
Alb. *Aumentando vas mis dudas*

b] *Y* apud Hispanos est conjunctio, sonat *&*: unde nescirem dicere, quid in hac Responsione significaret.

Sin dezir No, ni si. Ech. *Y.* [b]
Alb. *Pues burlando de mi Industria*
Me has dado a entender, que espere
Mi desventura. Ech. *Ventura.*
Alb. *Ay de mi (Cielos valedme!)*
Que mas intrincadas luchan
Mis Ideas, pues advierto,
Si las Respuestas se juntan

c] Duo præstat Echo in his Carminibus: nam & loquenti respondet: & posteà exhibet novam sententiam voces refractas colligens.

A hazer una sola, que es, [c]
Zelos son Bien, y Ventura.
Sin duda (ay triste! que el Eco,
Que vozes sin voz pronuncia,
Fuè quien respondiò a mis males,
Para dezir, que si buscan
Consuelos, en la inconstancia
Del Ayre los asseguran.
Porque el Cielo no juntàra
Pues es Sabiduria Summa,
En aquesta razon los
Contradictorios que junta.

Quid debeat Conjux facere, ne Sponsa secunda displiceat? An oblivisci primæ? An illius memoriam conservare?

Disputent Scholastici, An esse possint duo Contradictoria simul vera? id enim non quærunt Politici, adsueti oppositis conscientiâ & consensu assentiri. Probat id Phyllis, Sabellii Ducis post Euterpen Sponsa; cui interroganti, An fuerit Euterpes oblitus? Dux, qui puellæ displicere non vult, quid possit respondere, non habet. Vel tu, qui cautior & doctior es, verba opportuna suggere, Ducemque ab hoc labyrintho subducas. Si dicat.

Immemor Euterpes, jam Phyllida cogito solam.

Solvetur illa in lachrymas, & ingemiscet dicens.

Effigiem Sponsæ, quam menti impresserat olim,
Qui potuit Prima, poterit delere secunda.

Si contrà, se Euterpes fateatur conservare memoriam; si dicat Dux,

In mente Euterpe ipsa meâ, dum vita, manebit.

Monitum Politicum.

majori Phyllis percellitur dolore, & exclamabit anxia,

Immemor Euterpes esset, si Phylli-

Logica Moralis.

da amares.

Marchio de Aytona, prudentissimus Heros, viduus viduam duxit: &, ut quies & pax domi conservaretur, sese, sponsamque suam reciproca religione devinxit, vi cujus de prioribus conjugibus inter se nec verbum essent collocuturi.

In intellectu igitur Phyllidos duæ Contradictoriæ Positiones, non solùm simul veræ sunt, sed & analogæ & æquipollentes. Audi illam; Hispanicè enim omnia colligit, omnia dilucidat, & Ducem alloquitur sic.

Muriò tu Esposa (mi Bien)
Rigor de Fortuna ayrado,
Si lo has sentido, me offendo;
Si no lo sientes, me aggravio.
Porque Señor, si a tu Esposa,
Que con tan estrechos lazos
Communicaste finezas
Con amorosos regalos
De Esposo, tan brevemente
Ya la has olvidado, quando
Gozes de los mios, quien duda
Que te succeda otro tanto.
Porque yo no he de pensar
Que en meritos aventajo
De Nobleza y de Hermosura
Que fuera grossero enfado.

De Contrariis. 218

Alia Oppositionis species Contraria est, & interdum in rebus, quæ aguntur & tractantur, occurrit. Rex apud Doctorem Mirademesqua in Comœdiâ, cui Epigraphe, *La Confusion de Hungria*, act. 2. sic inquit.

Rei probitas, & bona apud omnes opinio, cujuscumque gravis accusationis fortissima refutatio est.

Mas dos Contrarios se offrecen
En lo que presente veo,
Que sal delito y tal reo
Apenas se compadecen.
Mucha Fee en el Caso das,
Mas la Fee de mi Leonora
Dize, que engañada estas,
Y assi quiero ser ahora
Otro segundo Thomas:

Soy un Thomas, *apud Hispanos quid significet?*

Quia Thomas, resurrexisse Dominum nostrum Iesum-Christum nolebat sub initium credere, apud Hispanos in Adagium transivit, *Soy en esto un Thomas.* quod significat, *Ego id non credo.*

SUBSECTIO IV. *De Syllogismis.*

Quid præstet tertia Intellectus Operatio?

Tertia Pars, quæ Mentem in Dissertationibus dirigit, Argumentationes meditatur. Et hanc etiam dilucidabit, eadem Albani Historia, quam in præcedentibus tetigi.

Vbi Albanus Gociæ Regem & ejus filiam Irenem ob incestum perpetratum occiderat, in hæc Soliloquia prorumpit.

Ya mis Zelos se vengaron;
Ya tristemente fluctuan
Ambas vidas en la sangre,

An ne Arbores, Volucres, Fontes, Saxa, &c. argumententur, & syllogismos confitiant?

Que tanto delito inunda.
Verdes Plantas, dulces Aves,
Fuentes claras, Peñas duras,
Supuesto que halla mi error
En todos quien le confunda;
Sed Syllogismo a mi vida,
Pues paraque se concluya,
Podeis probar mi delito,
Aunque mis iras le impugnan.

In suâ *Empeçar a ser amigos*, Iunior quidam Eruditus & eloquens D. Lupum introducit dicentem.

Tres años avrà, tres años
(Querida Hermana) que adoran
Mis affectos un prodigio,
Vna injuria, una çoçobra:
Vna fiera, una muger,
Vna Dama, una Leonora,
Ya la nombrè: todo es uno,
Pues siendo mudable, hermosa,
Ingrata, cruel, vengativa,
Mis finezas occasiona,
Corresponde a mis deseos,
Contradize a mi memoria.
Perdóneme su decoro
Esta Contradiccion tosca,
Esta Rhetorica oppuesta,
Esta Presumpcion Zelosa.
Porque poniendo una Dama
Los ojos en dos Personas [::]
Para cumplir con entrambas
Es Consequencia forçosa,
Que se valga su delito
De estas circamstancias todas.

::] Sunt duæ Quæstiones toto cælo diversæ, *An una & eadem fœmina possit simul duos amicos diligere?* & *An possit fingere amorem erga duos?* Quia autem in hoc nullam reperit difficultatem, Mag. Tirsus de Molina illud prius pulchris versibus persuadere conatur.

Considera illa verba, *Leonora*, *Rhetorica*, *Presumpcion*, *Contradiccion*, & *Consequencia*, multasque Artes, & scientias impendi ingeniosè percipies. Τὴν τῶν σχημάτων μαντείαν in nomine *Leonora* reperies: quia enim illud à Leone ducitur, suæ Amasiæ Lupus Leænæ qualitates accenset. Vox *Rhetorica*, eloquendi Artem sonat: & *Præsumptionum* consideratio & ponderatio ad *Iurisprudentiam* spectat. *Contradictiones* ponuntur & dilucidantur in *Logica*: & *Consequentia* in ultimâ ejusdem scientiæ parte, quæ vocatur *Dialectica*.

Recensentur & enumerantur Artes & Facultates, quæ ad versus præcedentes concurrunt.

Et quidem inter Consequentias alias, quæ methodo diversâ inferuntur, illa videtur celeberrima, quam progenerat argumentum cornutum. Audiunto Clorida.

Cloris. *De lo que aquì os he escuchado,*
Lo mismo que entiendo ignoro;
Y en confusa Tropelia [*]
Ni Amor, ni Olvido conosco.
Si es que amais, como dezis,
Quien puede impedir el logro
De vuestro Amor, quando el Alma
Os franqueha sus thesoros.
Si no amais, con que pretexto
Da vuestro affecto alevoso
A Esperanzas engañadas
Sentimientos amorosos?

*] Vox est è Græco ab Hispanis deducta, quæ tamen in Thesauris Græcis aut Latinis non exstat. Radix est τρέπω, *verto*: cujus prima transit in τρο & in τρα ut τροπή, *conversio*. & τρapελός *mutabilis*. Dicitur autem *Tropelia* manuum ludus, (Hisp. *el juego de manos*) in quo tanta agilitate manus, & celeritate moventur, ut rê verè præstiterint, & nô præstitisse credantur.

Ita in suâ *La Esclavitud mas dichosa*, Franciscus Villegas & Iosephus Rojo. (Et habetur *part.* 25. *comæd.* 11.) Et totus hic Cloridos suspiciosæ Discursus ad hoc debet Dilemma seu bimembre Argumentum reduci. *Vel me amas, vel non. Si illud, cur Hymenæas tædas procrastinas: si hoc, cur toties Spōsalia repetis.*

Argumentatio Topica, seu Probabilis est quadam imperfectæ Demonstrationis vera Imago.

Argumentationem Topicam ab Apodicticâ debemus necessariò distinguere, inquit enim Hispanus, *No es todo oro lo que reluce*. & posset dicere, *Demonstracion no es la que es su Imagen*. Et ut id persuadeam, D. Leonoræ proponam numeros, quibus inter res veras & apparentes ingeniosè distinguit. inquit enim,

Perdì el color y la vida:
Entre apparientias neutrales
Indifferente llegò
Con la Muerte a equivocarse.
Diras, que haze opposicion
Sentimiento tan notable.
Con sola un Affecto tibio
Sin que à ser Amor passasse.
Y asì por satisfacerte
La Dada, si la formasse,
Digo, que no es siempre el Ser
Al Parecer semejante.
Y en las amorosas lides
Mas suelen differenciarse
Sin saber de sus passiones
Las occultas Propriedades.

Esse & videri valde differunt.

Sicut inter Affectum & Amorem Hispanus, sic inter Dilectionem Amoremque distinguere potest Latinus, scribit enim ad Brutum Cicero. *Sic igitur facies: & me, aut amabis, aut quo contentus sum, diliges.*

Inter Affectû, Dilectionem, & Amorem differentia explicatur.

AR-

ARTICVLVS I.

De Figuris Grammaticis. *Quid, & quot ipsæ sint? & quomodo à Rhetoricis differant?*


Figurarum generalis Divisio.



Rationis Figuras, universim sumptas, in duas classes dispesco; & in alteram Negativas, & in alteram Positivas amando illasque Grammaticas, & has Rhetoricas jubeo. De Rhetoricis sanè alter disputabit Articulus, Grammaticas in præsenti exponemus; &, ut clariùs Dissertatio procedat, Tabulam præmittemus, quæ dicenda ad σύνοψιν reducat. Illam attentè meditantor.

An in Negativas & Positivas, nec non in Grammaticas & Rhetoricas eadem divisione distribuantur?

Categoria Grammaticarum Figurarum.



219

An ipsæ in defectu consistant?

Stat ergo Figuras Grammaticas in defectu consistere; Orationemq; in quâ aliquid deest, ab ipsis *Figuratam* vocari. Singulas ergo Figuras in particulari exponamus.

SECTIO I.

Præcedens Tabula dilucidatur.

An Ellipsis ab Ellipsi in Grammatica differat?

PRofectò, si id quod deest, nec in ipsâ oratione, neq; in proximâ reperitur, sed foris quæritur admittiturFigura quę à Greisero *de fig. Orat. c.* 20. *pag.* 161. & ab aliis ἔκλειψις. Defectus, ἀπὸ τοῦ ἐκλείπειν, quod est *deficere*: à Causino verò *de Eloquutione. libr.* 7. *pag.* 388. *b.* ἔλλειψις *omissio*, aut *prætermissio* nominatur. Athenæus τὸ σπεσμοῦς dictum esse scribit κατ' ἔλλειψιν τοῦ ἄρτος. Et importat defectum apud Aristotelem. *libr.* 2. *Ethic. cap.* 6. & alibi: & tunc contrariatur τῇ ὑπερβολῇ. Vtraque vox ἔκλειψις & ἔλλειψις à verbo λείπω, quod est *relinquo* nascitur & habet simillimam significationem. Et, ut alterutra dilucide-

ἔκλειψις. ἔλλειψις. λείπω.

tur, passim reperiuntur exempla. Terentius in Andr. *Verbum unum cave de nuptiis.* deest *dicas*, quod nec ibi legitur, nec in loco aliquo propinquo invenitur. Sophocles. ζηλῶ σε τοῦ νοῦ, τῆς δ' δειλίας στυγῶ. *Laudo te propter istam mentem, & propter timiditatem odi.* Deest ἕνεκα, *propter*. Et Lucianus. ὡς βαθὺν ἐκοιμήθης ὦ τέκνον, *Quàm profundum dormivisti somnum ò fili.* & subauditur ὕπνον. *somnum.*

SI, quod deest, est in proximo, & nec genus, nec numerus nec casus mutatur, Ζεῦγμα, Latinè *Adjunctio* seu *Connexio*, (vel *Ligatio*, si placeat loqui cum Causino *pag.* 422.) vocatur. Et tribus modis fieri solet; nam defectus vel est in principio, vel in medio vel in fine.

Ζεῦγμα.

In principio, ut *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Nam illud *vicit*, quod in initio prostat, non pudorem tantummodò, sed & timorem & audaciam concernit.

Præcept hominis vitiosi efficacia.

In medio, ut Æneid. libri 3.

Trojugena, Interpres Divûm, qui Numina Phœbi.

Qui tripedas, Clarii lauros, qui Sydera sentis
Et volucrum linguas, & prapetis omina penna.

An inter se loquantur volucres? An aliquis earũ linguam intelligat?

Et Isocrates Τελαμῶνος μὲν Αἴας, καὶ Τεῦκρος, ἐγεννέθη, Πηλέως δ' Ἀχιλλεύς. *Telamone Ajax & Teucer natus est, Peleo autem Achilles.* Tres sunt, & illud ἐγεννήθη *natus est*, intermedium afficit, & in aliis subauditur; nam qui exemplũ hoc explere vellet, deberet dicere, Τελαμῶνος μὲν ἐγεννήθη Αἴας, καὶ Τελαμῶνος ἐγεννήθη Τεῦκρος, καὶ Πηλέος ἐγεννήθη Ἀχιλλεύς.

Filii Telamonis, & Pelei.

De Catilina. Qualis fuerit?

In fine; ut, *Neque is es Catilina, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocarit.* Hic enim verbum *revocârit* de pudore, metu, & ratione dicitur & prædicatur.

σύλληψις.

An quando maltis substantivis, quorum alia in singulari, & alia in plurali ponuntur, unicam adjectivũ adhæret, debeat id in plurali constitui: an verò in singulari poni possit?

SI genus numerus aut casus mutetur, συλληψις nominari solet ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν, quod est *concipere*, unde *Conceptionem* vertere possemus. Beda dissimilium clausularum per unum verbum cõglutinatam conceptionem, ut cum substantivis diversorum generum casuum-ve verbum jungitur, vel adjectivum, ut Virgilius Eclog. 1.

—— *Sunt nobis mitia poma,*
Castanea molles, & pressi copia lactis.

nam poma *sunt*, castaneæ *sunt*, copia autem non *sunt*, sed *est*. Et Æneid. 1. ait.

—— *Sociis & Rege receptis.*

ubi socii *recepti sunt*, Rex verò *receptus*. Et hunc versus ille pertinet.

Æneas urbe, sociis, & classe relictâ.

quò vult Causinus *libr. 7. cap. 17. pag. 412. b.* Zeugma dilucidare: in quo non Zeugma Ego, sed Prolepsim reperio.

Theodoretus.
Homerus.
Aristoteles.
Brutus in epist.

Græcus, ubi substantiva diversorum generum, sunt pluralia epitheta, & in neutro sæpe genere adjungit. Πενία καὶ πλοῦτος ἀναγκαῖα τῷ βίῳ. *Paupertas & divitiæ necessaria sunt vita.* Ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα εἵαται ἐν μεγάροις ποτιδέγμεναι. *Vxores & liberi sedent in ædibus exspectantes.* Ἀὴρ καὶ ὕδωρ καθ' ἑαυτὰ τῇ φύσει λευκά. *Aer, & aqua suapte natura alba sunt.* Ἐλπὶς καὶ φόβος ἐν φίλοις ἀξιόπιστα, *Spes & metus in amicis sunt fide digna.* Et hunc loquendi modum Vulgatus imitatur Interpres, *Psalm. 22. 5.* inquit enim, *Virga tua, & baculus suus, ipsa me consolata sunt.* Latinum cito Interpretem, non enim hæc Figura locum habet in Versione septuaginta seniorum, qui sic scribunt, ἡ ῥάβδος σου, καὶ ἡ βακτηρία σου, αὐταί με παρεκάλεσαν. Vbi, ut conspicis, pronomen αὐταί, *ipsæ* ponitur, nam utrumque nomen (videlicet ῥάβδος, & βακτηρία) est fœmininum.

Exponitur versus Psalmi.

An nomina, qua multitudinem significant, sint pluralia virtute?

Huc nonnulli reducunt orationem, in qua nomini singulari apponitur verbum plurale: ut

Pars in frusta secant. &c. Æneid. 6.
Vos, o Calliope, precor, aspirate Canenti. Æn. 9.

Πρόληψις.

ΑΠΟ' τοῦ *προλαμβάνειν*, hoc est *à præsumendo* Πρόληψις dicitur, quæ *Praeoccupatio* poterit Latinè nominari. Est Figura Rhetorica, & Grammatica. Iubet Rhetoricè, ut quod in Adversarii, aut Iudicis hærere animo arbitramur, aut scimus, dissolvamus, & ea usus Demosthenes exclamabat. *Atqui ego illum, Iudices, arbitror Lycurgum laudatorem producturum; scilicet, qui sit testis ejus pudori, ac probitati. Sed ego Lycurgum vobis præsentibus hoc unum interrogabo, Velit-ne se similem esse illius factis & moribus? Quod si negaverit, satisfactum vobis esse de veritate nostra debebit.* &c.

Quid objici illi debeat, qui temerè aliquem indignum collaudat?

Grammaticè autem, ubi vox aliqua totum significans præcessit, distribuitur, & dividitur posteà, & in partibus intelligitur, & non explicatur. Lucianus. ὁμοπάτριοι πολλάκις ἐκ μιᾶς γαστρὸς, ὁ μὲν ἄρσην, ἡ δὲ θήλεια γίνονται. *Ex eodem patre, & eadem matre sæpe numero, alter masculus, & altera fœmina nascuntur.* Nota in verbis Græcis articulos ὁ & ἡ, pro quibus *alter & altera* Latinè posui: at aliter loquitur Hispanus, quoniam D. Prudentius de Sandoval *in vita Caroli V. libr. 2. §. 25. fol. 79.* agens de Barbaroja, & sũa uxore, sic scribit. *Tuvo en ella seys hijos. Los dos, que fueron mugeres, siguieron a la madre en la Fe Christiana.* Vbi quia *hijos* est nomen generis Epicœni, & sub articulo masculino utrumq; sexum significat, *los* dicit, & non *las*; nam articulus, etsi vocem *seys hijos*, quæ unum totum significat, dividat, & de fœminis agat, genus masculinũ conservat.

In hoc Luciani exemplo, totum significans est ὁμοπάτριοι partes ἄρσην, & θήλεια.

Proderit loc. cit. Barbarojæ mirabilem historiam legere, ut quam sit varia Fortuna cognoscamus.

SEC-

SECTIO II.

Nulla est in Oratione pars, quæ non soleat subticeri, & suppleri.

De Orationis partibus. Quæ, & quot ipsæ sint?

PArtes Orationis, ut nos docent Grammatici, octo sunt; Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpositio, Adverbium, Interjectio, & Conjunctio. Et ad Pronomina Articuli, & ad Adverbia reducuntur Adnomina. Profectò in Mentali Oratione nulla ex his partibus subintelligitur: quando enim lingua dico *Amo Petrum, & Paulum*, mente concipio *Amo Petrum, & amo Paulum*. Non ergo in Intellectu locum habent hæ Figuræ Grammaticæ, Mens enim exprefsè significat, quidquid à lingua, Figurà sic jubente, tacetur. Non ergo Ellipses, Zeugmata, Syllepses, & Prolepses in intellectu locum habent.

An in Mente illarum aliqua subintelligatur?

De Restrictionibus Mentalibus.

Nec hinc inferas, quæso, tale aut tale verbum in Vocali Oratione subintelligi, quia in Mentali intelligitur; adeoque dari Restrictiones Mentales: subintellectio enim vocum subaudirionem sequitur; & hæc dependet à circumstantiis, & particulis consignificantibus.

De Circumstantiis, & Particulis consignificantibus.

Audis, & interrogas meritò, *Quid consignificatio sit? &, quo modo à significatione distinguatur?* Constat ex his, quæ toto hoc Libro edisseruimus, sed tamen, ut sibi morem geram, quod jubes, brevi scholio dilucido. Sic inquam. Dat profectò voci significatio, ut signum sit; & rem aliquam (& regulariter, à se distinctam) denotet: nam vox *Leo* à significatione consequitur, ut animal rugibile denotet: at efficit Consignificatio, ut voce consignificante posita, alia non posita subintelligatur. Et in Consignificatione reperitur ἔλλειψις, quæ à verbo ἐλλείπω *prætermitto, deficio* nomen trahit: ἐλλείπω autem componitur ex ἐν & λείπω. Porrò Ellipsis, ut in Gasparis Scioppii Philosoficæ Grammaticæ impressæ Amstelodami ann. 1659. pagina 50. legitur, *Est figura, Latina consuetudinis, per quam ad legitimam constructionem deest vocabulum unum, vel plura*. Et illud, quod deest, aut prætermititur, est aliqua Orationis pars: nulla enim inter octo, quæ à Grammati-

Significationis, & Consignificationis differentia.

Quid sit Ellipsis, & undè dicatur?

An omnes partes Orationis pervadat?

cis enumerantur, reperitur, quæ subaudiri nequeat; si addantur voculæ consignificantes. Et quia vix est in lingua Latina Propositio, in qua non sint voces aliquæ consignificantes, vi quarum alia, aut aliæ, non positæ, non subintelligantur, ideò Critici audent asserere eam, quæ nunc in usu, esse linguam ellipticam.

An Vocis compendia reperiantur?

Porrò sicut scripturæ, de quâ præcedentis Capitis Articulo Primo disseruimus, sic multa Vocis reperiuntur Compendia: nam, sicut multæ literæ subintelliguntur, licet non scribantur; & quod subintelligi debeant, habent, non ab aliqua Restrictione Mentali, sed ab aliis literis consignificantibus; sic etiam, ubi non dicuntur, multa solent subaudiri vocabula; & quod subaudiri debeant, habent, non ab aliqua purè internâ Mentis operatione, sed à vocibus, & circumstantiis comitantibus, & significantibus. Humanitùs homines debemus agere cum hominibus: Ergo per signa externa. Non ergo Mentis actus externam Orationem, aut Scripturam restringunt; sed literæ visæ, & voces auditæ intellectum restringunt, ut subintelligere debeat literas, quas non videt, nec non dictiones, quas non audit. Et, ut hæc generalis doctrina meliùs intelligatur, per Orationis singulas partes discurramus.

An Restrictiones Mentales in Oratione scripta, aut dicta locum habeant?

An signa externa (literæ, & voces) intellectum restringant?

De Nomine, seu Prima Orationis Parte.

NOmina primo loco enumerare solent Critici, & ideò Nos ab illis sumemus exordium. Crebrò illa subaudiuntur, etsi non exprimantur. Et, ut id clarè ostendam, occurrit Textus celeber, & fortè nondum ab alio observatus. Nam D. N. Iesus-Christus *Luc.* 12. 35. sic ait. ἔςωσαν ὑμῶν ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ λύχνοι καιόμενοι. καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν. Ad literam, *sunto vestri lumbi circumcincti, & lucernæ accensæ; & vos similes hominibus exspectantibus Dominum ipsorum*, &c. Vulgatus: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum*. &c. Vulgatus fideliter transtulit (Et quis de hoc dubitet?) quomodo ergo illud *in manibus vestris* posuit, quod non reperitur in Græco? Dicam. Quando ponuntur verba expressa hæc

An, & quando possit Interpres aliquid ponere, quod in protocolo non legatur? Unde nascatur, quod verba aliqua subintelligi debeant?

hæc audiuntur; & eorumdem vi alia, sine quibus esse vera non possent, subaudiuntur, & subintelliguntur. Et hanc ob rem tametsi verba loquentis Christi Græcus, & Latinus stylo exceperint; differunt inter se; nam ille tantùm scripsit, quæ audivit: hic autem, non solùm illa, quæ audivit, sed etiam, quæ subaudivit: quoniam illæ lucernæ, cùm non possint pendêre ab aëre, poni alicubi debent. Sed cur potiùs in manibus, quàm in candelabris ponentur? Quia consuetudo illarum positionem restringit; nam enim famuli relinquunt in candelabris faces, sed ferunt manibus cum exspectant dominum reversurum à nuptiis. Hac observatione præmissa aliquos Canones generales ponamus.

N. B. Huc potest referri illud Psalmi, *semel loquutus est Dominus, & duo audivi*, audivi enim, quæ expreisè dicebātur, & subaudivi, quæ dicebantur implicitè.

In omni syncategoremate, aut adjectivo, si substantivum deest, subintelligitur. [*] Pascasius Grosippus in Paradoxis Literariis, Epist. XV. quæ Alberico, & Carolo Septaliis inscripta, ait Charisii Monitum est: *In adjectivis absolutè positis subaudiendum, quod quisque voluerit, modò scilicet sensui exprimendo ineptum non sit*. Vnde Scioppius *lib. cit. pag.* 55. [Homo *deest in* nemo [b] *quod est adjectivum omnium generum*. Tu es miser, *pro* tu es homo miser. Cicero est Romanus, *pro* homo Romanus. *Sic in* Amicus, Familiaris, Liber Servus, Nuncius, Socius, Rivalis, Maritus, Adolescens, Iuvenis, *subaudi* homo. *In* Magnates, Optimates, Majores, Minores, Cæteri, Mortales, Itali, Galli, *subaudi* homines.] Sic in illis phrasibus *Sum Romæ, Fui Compluti*, &c. subauditur *in civitate*, ut sensus integer sit, *Sum in civitate Romæ, Fui in civitate Compluti*. Verbula, quæ subintelliguntur, omitti jubet Latini sermonis elegantia, at poni præcipiunt, aut saltem tolerant aliæ linguæ; Hispanicè enim bene dicerem, *Estoy en la ciudad de Roma. Estuve en la ciudad de Alcala*, &c.

*] Non est, cur tu illum *Paschasium* dicas, qui voluit *Pascasius* vocari.

b] In *nemo* non deest *homo*; nam *nemo* dicitur quasi *non homo*.

Ellipses non amat semper lingua Hispanica.

Pronomen ferè omittitur in primis, & secundis personis, nam illud à verbo consignificatur. Quoniam *amo*, *amas*, eleganter dicitur pro *ego amo*, *tu amas*. At Hispanus ferè Pronomen exprimit, nam in his assertionibus, *Yo amo la gente docta*, *Tu tratas con la mas ignorante*, & similibus, vix illa *Yo*, & *Tu* abesse possent. Sed & tertiæ personæ Pronomina subintelliguntur aliquando. Cornelius Nepos in Pelopida. *Cujus belli, cùm ei summa esset data; eoque cum exercitu* (ipse) *profectus esset*. Ecce deerat illud *ipse* quod interserui. Idem in Thymol. *Cum frater ejus Tyrannidem occupasset, particepsque* (ipse) *regni posset esse*. Clarius subauditur Pronomen in Dione, *Id cum factum multi indignarentur, magnaque esset invidia Tyranno*. illud *id*, quod exprimitur priùs in accus. posteà debet in nominat. subintelligi. Plautus in Epid. act. 5. scen. 2. *Ain tu, te illius invenisse filiam?* ℞. (Ego) *inveni*: & (in ædibus) *domi* (ipsa) *est*. Subaudiuntur, quæ diverso charactere sunt posita. Sallustius in Iugurt. *Dum Equites præliarentur, Bacchus cum Peditibus, quos filius ejus adduxerat, neque in priore pugna* (ipsi) *adfuerunt, postremam Romanorum aciem invadunt*.

De Pronomine, seu altera Orationis Parte.

An, & quando subaudiri, & subintelligi debeat?

An tertia persona pronomen subintelligi possit?

Passim occurrunt apud Auctores testimonia, in quibus Pronomen is, ille, ipse, *aut aliud simile, subintelligi debeat.*

Verbum etiam subintelligitur crebrò in periodis Latinis. In illo Ciceronis, *Cogito in Tusculanum*, deest *ire*. Item in his, *Volo in Siciliam prius, deinde Rhodum, postea Athenas*, &c. Et quidem tametsi Verba adjectiva rariùs absint, substantivum frequenter subauditur, & in Sacrâ Scripturâ præcipuè. Munsterus *in præfatione Veteris Testamenti*, [Est & id peculiare Hebraismo, ut sæpennmerò Verbum substantivum subintelligere oporteat, ut Genes. 13. 8. *Viri fratres nos*. Subaudi, *sumus*.] Etiam Græci Verbum substantivum negligunt frequentissimè: quod possem centenis exemplis demonstrare: pauca hæc sufficiant. Ioann. 1. 6. *Fuit homo missus à Deo*, ὄνομα αὐτῷ ἰωάννης *nomen ei Ioannes*. Deest, *erat*. Et vers. 27. αὐτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *Ipse est ille post me venturus*, subaudi, *qui est*. Cap. 2. vers. 4. Τί ἐμοὶ καὶ σοι γύναι; *Quid mihi, & tibi mulier?* deficit, *est*. Cap. 3. vers. 6. Τὸ γεγεννημένον ἐν τῆς σαρκὸς. *Natum ex carne* Vulgatus, *Quod est natum ex carne*. Et vers. 36. ὁ γὰρ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται τὴν ζωὴν. *At incredulus filio, non videbit vitam*. Vulgatus *Qui autem incredulus est filio*, &c. Cap. 5. vers. 28. Πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ. *Omnes, qui in monumen-*

De Verbo, Tertia Orationis Parte.

De substantivo.

An in lingua Hebraica supprimatur?

An similiter in lingua Græca?

numentis, audient vocem ejus. Subintellige, *sunt*. Et hæc adduxisse sufficiat, passim enim similia in Novo Testamento occurrunt.

De Participio, Quarta Orationis Parte.

Rariùs absunt Participia; interim aliquando sensus postulat, ut subintelligantur. Scioppius pag. 60. [Virgilius. *Hunc, & Nympha veneramur*. Subaudi, *Nos entes*, sive *Nos, quæ sumus Nymphæ*.

Suppletur participium interdum, quod illud præcesserit in Oratione. Ioannes *cap. 1. vers. 18.* habet in Evangelio. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. *Deum nemo vidit unquam* (nisi) *unigenitus existens in sinu Patris*. (Et) *ipse* (existens in sinu Patris) *enarravit*. &c. Ecce tria in Textu Græco vocabula subintelliguntur: primò particula adversativa *nisi*: secundò copulativa, *&*: tertioque participum ὁ ὢν, *existens*. Sic etiam *cap. 4. vers. 36.* Καὶ ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, καὶ συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον. *Et metens mercedem accipit; &* (etiam metens) *congregat fructum in vitam æternam*. Subintelligitur enim θερίζων, *metens*, quod immediatè præcedebat.

Corporeis Deus oculis videri nequit.

Verbi Substantivi Participium ὁ ὢν apud Græcos est frequens, apud Latinos verò ignotum; nam tantùm in Scholis admittitur.

Similem subintellectionem in illo Virgilii reperio.

Virgilius Æneid. 6.

Sic fatur lachrymans, classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Qui enim fatur, qui immittit, & qui adlabitur, est ipse *lachrymans*.

De Præpositione, Quinta Orationis Parte.

Frequenter Præpositiones se in linguâ Latinâ subducunt. Scioppius pag. 70. [A, ab, ad, in, *sæpe desunt in nominibus Vrbium, Insularum, Provinciarum, & aliorum locorum, ut* Sardiniam cum classe venit. Lavina venit littora. Devenêre locos lætos. Nos hinc ibimus Afros, ut Scythiam. Profectus est Siciliam. Romam eo, Româ venio. Rus eo. Ruri, *vel* rure vivit. I malam crucem. Ivit exilium. Rediit exilio. Tollere humo, *&c.*] Et hîc obiter nota eos Grammaticæ Canones, qui negant Præpositiones posse civitatibus, & provinciis addici, irrideri à doctioribus; nam illæ apud Authores celebres Præpositiones eleganter adsciscunt; & licet illis interdum, aut etiam regulariter careant, non ideò eisdem interdicuntur: unde hæc, sicut aliæ quàm multæ Regulæ expungi deberent, aut corrigi. Audi, sîs, Pascasium Grosippum, qui Epist. XIV. ad Alexandrum Tassonium missâ, doctè, & criticè reprehendit Sevium, quòd ad Grammaticorum leges eruditissimos Auctores condemnet, cùm potiùs ad illorum scripta has debuisset corrigere. Omitto alia, & ea repono, quæ Præpositiones, de quibus agebamus, concernunt. [Tandem, inquit in principio Æneidos, ubi de hoc versu commentatur, *Italiam fato profugus, Lavinaque venit Littora*: hoc modo suam, reliquorumque Grammaticorum stoliditatem testatam facit: *Ars quidem hoc exigit, ut nominibus Provinciarum Præpositionem addamus, Civitatum nunquam. Tamen hoc plerumque perverso ordine legitur, ut est hic*. Italiam venit, *pro* ad Italiam. *Tullius in Verrinis*. Eâ die Verres ad Messanam venit *pro* Messanam venit. *Sanè sciendum est usurpari ab Authoribus, ut vel addant, vel detrahant Præpositiones*. Vsurpari est usurpativè, & sine ratione, contraque Artis Regulas dici. Fatetur ergo plerosque Auctorum aliter loqui, ac Regulæ Grammaticorum loquendũ esse doceant: quod quidem nihil est aliud, quàm apertè ferre, Regulas esse mendosas & fallaces; quique ex præscripto earum loquuntur, aut scribunt, optimi cujusque Auctoris linguæ Latinæ forè dissimillimos. Et has tamen Regulas, linguam Latinam discere aventibus obtrudere non dubitarunt Veteres Grammatici; ut quin stolidi, ac dementes judicentur, neminem intercessurum putem. At enim Recentiores hoc eis præstant, quòd easdem Regulas, quas illi stolidè commenti fuerant, ipsi approbant, & à linguæ tyronibus memoriæ infigi postulant, ut enim ipse in Problematum tuorum παλιγγενεσίᾳ, *libr. 6. c. 17.* luculenter evicisti, haud dubiè major ejus est stultitia, qui quod alteri in mentem venit, comprobat, quàm qui ipse stultè quid comminiscitur.] Et hoc obiter Lectores monuisse utile sit, ut Virgilium, & Ciceronem potiùs legant, quàm legibus Grammaticorum fidant.

An aliquando indicta subaudiatur?

An ex Grammaticorum Regulis, Cicero, Virgilius, & alii Auctores Classici sint judicandi, an potiùs ex istis illæ sint corrigendæ?

An Provinciarum nomina præpositiones postulent, & (nomina) Civitatum respuant?

Quid usurpare propriè sit?

An pueri vulgatas Grammaticæ Regulas docendi sint?

Quales sint Regulæ Grammaticorum?

Hæc releges, & quia urbanus es, parciùs illos condemna; sed condemna.

Non ignorabat hanc doctrinam Mariangelus à Fano Benedicti, qui in Epistolâ ad Paulum Iosephum

Mero-

Suppositionis in Reduplicativam, & Restrictivam Divisio.

Meronum (quæ legitur in ejusdem Actuario Amstelodami ann. 1659. edito) sic ioquit : [Duplicativam,& Restrictivam suppositionem io scholis Logicis uulgò perhiberi invenio, quæ vocem aliquam particula restrictiva, seu limitante determinat, ac velut coërcet, & ad certam totius partem adstringit. Ejus generis particulas esse ; *Qua* pro *à*, vel *ex quâ parte*: *Quatenus* pro *qua* sive *tenus*: *In quantum* : *secundum* ; *Ratione*; *Respectu* ; ut *Animal sentit*, *qua animal est* : *Homo*, *quatenus homo ridet*: *Christus est filius David secundum carnem*;vel *respectu*, aut *ratione Carnis* ; Sed etiam præpositionibus *ad*, *à*, & *ab*, expressis, aut soppressis hujusmodi Restrictionem solere significari ; ut apud Salustium *Modestus ad Dominationem, & sanctus alia pro quod ad dominationem, & quod ad alia attinet*. Virgilius.

Recensentur præcipuè Præpositiones, quæ solent Vocalem Orationem restringere.

A quo reguntur Accusativi, qui absolutè ponuntur?

Omnia Mercurio similis, pro *ad omnia* [a]

Idem faciemque simillima Lauro pro *ad faciem*.

Horat. *Nec savis animum mitior anguibus*, pro *ad animum*. &c.] Sanè in iis, & similibus phrasibus subintelligitur, ut existimo, præpositio *secundum* Virgilius Æneid. 6.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina Sacerdos. &c.

Casus absolutus apud Græcos cæteros est passim Genitivus : & apud Atticos accusativus, qui regitur à subintellecta Præpositione κατά.

Porro *nigrantes terga* est eloquutio attica, & , si compleatur, erit *nigrantes secundum terga*. Atticam vocavi oon Græcam ; hi enim otuntur Genitivo absoluto, pro quo illi Accusativum malunt ponere. Homerus stando usui communi ὔτις ἐμεῦ ζῶτος. *Nullus me vivo*. Et γενομένης εκκλησίας. *Convocata concione*. Demosthenes. Iacobus Gretserus *lib. 2. pag.* 112. [Attici frequenter pro Genitivo absoluto usurpant solùm participium neutri generis numeri singularis in Nominativo, vel Accusativo easu. Δόξαν δὲ ἡμῖν ταῦτα ἐπεγνώμεθα. Plato. *Cum hac nobis visa, & decreta essent, ibamus*. &c.]

De Adverbio, Sexta Orationis Parte.

Quid sit, & cur hoc nomen habeat?

An Adnomina dentur ? & quid sint ?

ADverbia dieuotur voculæ, qoæ verbis adhærent, & illorum significationem modifieaot, ac reverà restringunt, ut *Petrus currit velociter*. *Paulus eloquenter perorat*. Interdum adsiguntur epitheris, ut *Princeps severè clemens punit subditos*: *& ad sententiam ultimam tardè velox festinat*. Et tunc dici possent *Adnomina*, sed priorem vocem retinent, quoniam, ut scitè Criticos monet D.Thomas, aliud est, unde dicitur, & aliud, qnod significat dictio. Rarò Adverbiis Virgilius, & rariùs Adnomioibus utitur. Interim oeutra omninò adspernatur. Æneid. libr. 4.

Latini, & Græci vix Adverbiis, & Adnominibus delectabantur.

In secreta Senis ducam, quò fessus ab undis.
Se recipit, facilè ut somno aggrediare jacentem.

Et libr. 11.

Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam.

Libr. Georg. 1. hoc Adnomen reperio.

Quid dicam? juncto semine comminus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arena.

Comminùs Adverbium est, nam Verbū *insequitur* afficit: *male* autem est Adnomen, adhæret eoim voci *pinguis*. Apud Hispaoos autem utrumque (Adverbium & Adnomen) frequentissimum est. Agens de Philippo II. Rege Hispaniarum ait.

An illis autem Hispanica eloquentiæ Character magna ex parte proveniant?

A los pies llega al fin del Quinto Carlo
Que en sus brazos le acoje, y tiernamente
Lo abraza, y no desiste de abrazarlo,

Et in Panegyrico ad Ducem Lermæum.

O ceguedad! acuerdo intento humano [*]
Fatal corregir curso facilmente?
&c.
Suavemente le trató severo. &c.

*] Fatum admisere Stoici, & esse invariabile asserebant. At *Fati* nomine Christiani Divinam Providentiam, & libera Dei Decreta intelligimus, quæ humanitùs impediri non possunt.

Et in ejusdem D. Ludovici obitu D. Garzias Coronel.

Que lamentable accento doloroso,
En los Hesperios mōtes repetido,
Funestiamente suena lastimoso.
&c.

Vbi illud *funestiamente*, si verbum *suena* afficit, est adverbium ; &, si epithetum *lastimoso*, est adnomen. Et quidem adoomina apud eumdē Gongoram multa succurrent, nos tantùm citatum Panegyricum recognoscamus. Versus, quos subscribo, considera.

Napea en tanto a descubrir comiēça

Bien

Bien peinado el cabello, y mal enjuto. &c.

Crece ô de Lerma Tu, o Tu de España

Bien nacido Esplendor [*] firme coluna. &c.

La que bien digna de mayor esphera

Su luz abbrevia Peñaranda abora. &c.

*] *Mutuo Circinatores.* Multos Hispani *Bien nacidos* appellant: sed præter Angelorum Reginâ *Bien concebida.*

Con pompa recebida *al fin gloriosa*

La perla Boreal [::] fué soberana

::] Agit de Hispaniarum Regina, quæ *Margaritha* (nomen est gemmæ) vocabatur.

En Ciudad vanamente generosa,

De Nacion generosamente vana. &c.

De la esterilidad fuè, de la inopia

Carrion dulcemente perdonado. &c.

Alta del Infantado successora,

La que el tiempo le debe Primavera

Al Favonio en el Thalamo de Flora,

Siempre bella, florida siempre; el Mundo

Al Diego deberá Gomez Segundo. &c.

Quinto de los Planetas quiere el Quarto

De los Philippos, duramente hecho

Genial cuna su panés estrecho. &c.

Desmentido altamente del brocado. &c.

Vix unquam, aut ne vix quidem subticentur Adverbia: nisi enim ponantur expressè, subaudiri non solent. Interim in illo Plauti, *Bona est mulier tacita, quàm loquens*. Subintelligitur Adverbium comparativum. *magis*, ut sic *magis bona*, hoc est, *melior*. Et hic loquendi modus est Hebræis frequens. *Cant.* 1. Tuobim dodeca mejen: *Boni* (meliores) *amores tui præ vino*. Et hæc ἔλλειψις etiam ad Græcos transiit: unde D. N. Iesus-Christus Matth. 18. 8. persuasurus ut vitentur scandala, Καλόν σοι ἐστιν, ait, εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν, ἢ κυλλὸν, ἢ δύο, ἢ χεῖρας, ἢ δύο πόδας ἔχοντα, βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, &c. Καλόν σοι ἐστὶ μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, &c. *Bonum*, pulchrum (*melius*, pulchrius) *est ingredi ad vitam claudum, vel mancum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti* (jaci) *in ignem æternum*, &c. *Bonum*, pulchrum (*melius*, pulchrius) *sibi est, unoculum* (unum oculum habentem) *in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti* (jaci) *in gehennam ignis*, &c.

An positivum pro comparativo sumatur; an subaudiri debeat vox magis.

Cadit interdum supra Adverbium Adverbium, & hoc in universis linguis. Dixit enim Hesiodus. νόσφιν ἄτερθε κακκῶν. *Nullatenus male*. Aristophanes μάλα σφόδρα. ad verbum *valde valde*. Et huc spectat Hispanorum *bien mal*, ad literam *bene male*, ad sensum *valde male*. De Paschasio, Satyrico, & maligno Poeta, qui ab inimicis, quos suis versibus contra se concitavit, tandem fuit trucidatus, quidam. Iunior.

An aliis Adverbiis assideatur Adverbia.

Quid apud Hispanos sit bien mal?

Este fin tuvo Pascual,

El Satyrico en laeu;

Que, porque escribiô mal bien,

Se vino a morir bien mal.

Quem finem maledici habere solemus?

An Adverbia, quæ *Rationalia* dicuntur, sint in objecto, aut in mente tantummodo in Metametricâ dubitavi & exposui: interim à labio & calamo omittuntur interdum, & tamen subintelliguntur. Virgilius *Eclog.* 2.

De particulis rationalibus.

O formose puer, nimiùm ne crede colori:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Deest rationalis particula, ut sensus sit, *Alba cadunt, nigra leguntur; Ergo, ne fidas colori*. Vel aliàs: *Ne colori confide; nam alba cadunt, & nigra leguntur*, &c. Similiter rationalis particula deest in illo Terentii. *Hac non successit*: (ergo) *aliâ aggrediemur viâ.*

Adverbium *verò* subauditur in istis. *Pro patre mori possum, coram patre* (verò) *non possum. Hac morum, non* (verò) *senectutis vitia sunt*, &c.

An, quia, nam, ergo, verò, & *similia sint Adverbia?*

Scio inter Criticos disputari an particulæ rationales Adverbiis, an potiùs Conjunctionibus adnumerari debeant: hanc quæstionem non decido, immò nec ineo: nam mei muneris est demonstrare tantummodò, illas, sive sint Adverbia, sive non, interdum subticeri, & ab aliis

vocibus consignificari.

De Adverbio Quasi.
An vel semel in Virgilio legatur?
An alicubi subintelligatur?

MOnebam sub initium Adverbia vix placuisse Virgilio, & ideò illis enm usum fuisse rarò: modò addo, esse aliqua, quæ nusquam in illo leguntur; & unum in exemplum propono: nempe *Quasi*. Anne illud, ut spurium, aut superfluū, exclusum? minimè: nam tres locos adducit Servius, in quibus subintelligi debet, licèt non scribatur. Libro enim primo ait Æneas.

Ponuntur loci tres, in quibus subaudiendum sit quasi.

Ipse ignotus, egens, Libya deserta perágro,
Europa, atque Asia pulsus.

Et posteà libr. 11.

At medias inter cædes exultat Amazon
Vnum exserta latus pugnæ, pharetrata Camilla.

Et agens de Senone libr. 2. dixerat,

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit
Heu, quæ nunc Tellus, inquit. &c.

In his tribus locis jubet Servius, ut subaudiatur *quasi*.

Fama erat Æneas notus, antequam in Libyam appelleret.

Nam Pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe vehit secum, fama super Æthera notus,

in Libyâ esse ignotus non poterat, maximè cùm excidii Trojani tragediam, tanquam rem celeberrimam, jusserit Dido ipsismet Templi muris, & penicillo adpingi, & cælo excidi. Inquit enim Poëta,

Tota Trojanorum historia Carthagine, in Templi muro expressa, oculis legebatur.

Hoc primùm in luco nova res oblata timorem
Leniit: hic primùm Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis meliùs confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula Templo,
Reginam operiens: dum quæ Fortuna sit Vrbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur; videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam famâ totum vulgata per Orbem. &c.

Et post pauca Ilioneo audito,

Tum breviter Dido vultum demissa [*] profatur. &c.
Quis genus Æneadum? quis Troju nesciat Vrbem?
Virtutesque, virosque, & tanti incendia belli?

*] Vultum demittere ad Regiam conducit gravitatem.

Stat igitur Æneam non fuisse in Libyâ ignotum, sed tamen *quasi ignotum* illa deserta peragrasse. Amazonas præterea in Scythiâ & non in Italiâ, natas, & generosè bella gessisse scimus; unde Mantuanus,

Vnde fuerint Amazones?

At Scythicæ longis utuntur Amazones hastis.

Et Sabinus magis determinatè,

Qui modò peltiferas fudit Mæotidas armis. [*]

*] Μαιῶτις, palus est Scythica: à qua Amazones *Mæotides* appellantur.

Non ergo Camillam fuisse Amazonem volebat dicere, sed *quasi Amazonem*. Et veniendo ad Sinonem, illum magnanimum, & qui turbari nesciret, dicit esse Virgilius. Virum scilicet,

—— qui se ignotum venientibus ultrò,
Hoc ipsum, ut strueret. Trojamq; aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certè occumbere morti.

Qualis fuerit Sinon, qui Trojanos decepit?

Non igitur erat turbatus Sinon, sed tantummodò *quasi turbatus*, fraus enim, quam contexebat, postulabat, ut se turbatum simularet.

De Interjectione, Parte Orationis penultima.
Quid ipsa sit; & an subintelligatur?

INterjectiones sunt voculæ affectus animi significantes, ut *Heu me! Vu audaci & præcipiti militi! O sceleste Tyranne!* Virgilius *Eclog.* 9.

Vare tuum nomen (superst modò Mantua nobis:
Mantua væ miseræ nimis vicina Cremonæ)
Cantantes sublime ferent ad sydera Cygni.

Et tamen subintelliguntur interdū, ut cùm; *Me infelicem!* exclamo: tunc enim subticeo vocem *Heu*.

An in dolore admittendi sint gradus?

VT OSTENDANT in dolore esse gradus Critici, jam ponunt simplices, jam duplices & triplices Interjectiones. Simplicem expressit Ovidius libr. 3. Trist. Eleg. 10.

An heu regat Dativum?

Heu loca felici non adeunda viro. ubi nonnulli contra Manuscriptorū fidem legunt *hei*, ne cum Dativo construant *heu*: at multi sunt in Plauto loci, in quibus *heu* cum Dativo componitur. Et duplicem 4. Fastor. idem Ovidius dicens.

An in rebus Grammaticis discursus & ratiocinatio possint argumentari?

Heu, heu, perpetuò debuit illa tegi. & imitatur Plautum, qui in Pseud. scen. 3. act. 1. scripserat, *Heu, heu: quàm ego malis modis perdidi, quod tibi detuli.* Et tandem triplicem idem Plautus ibid. scen. 2. act. 5. inquit enim, *Heu, heu, heu, doleo.* &c.

Et,

Et, si in rebus, quæ ab arbitrio dependent, detur rationi locus, auderem dicere, *Heu me infelicem*. *Heu, heu, me infelicem*: *Heu, heu, heu, me infelicem*. Iis exclamationibus æquivalere. *Me infelicem*! *Me admodum infelicem*! *Me infelicissimũ*! in quibus Interjectio siletur.

Bifariam nomen Interjectio sumi potest.

Hæc de Interjectione dixerim, sumpto vocabulo in significatione Grammaticâ; scio enim apud Rhetores opportunas digressiones *Interjectiones* nominari. Quintilianus libr. 4. cap. 2. *Ne sententia quidem velut fatigatum intentione* [*] *stomachum Iudicis reficere dissuaserim, maximè quidem brevi Interjectione*. Nota illud *brevi*; perturbant enim Auditorem digressiones prolixæ: quod libr. 8. cap. 2. ipse Quintilianus admonuit: scribit enim, *Etiam Interjectione, qua Oratores & Historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet Intellectus; nisi, quod interponitur, breve est*.

*] Fortè erit *intensione* legendum.

De Conjunctione, Parte Orationis VItima.

Tandem Conjunctio (de cujus ingenio & officio multa occurrunt, ignorata à Grammaticis) subauditur frequenter. *Tam* deest in hac Livii. *Homo, non* (tam) *quàm isti sunt, gloriosus*. Et in illo Plauti, *Non* (tam) *pices expeto, quàm tui sermonis sum indigens*. In Virgilij Æneid. XI. illis versibus

Nunquam, quid illa sit, exactè exposuere Grammatici.

An socius, a, um, à Latinis adjectivè dicatur?

> —— *Troum socia arma sequutũ*
> *Obruerent Rutuli telis, animam ipse dedissem*.

Tametsi non exprimantur *utinam* afficit verbum *obruerent*, & *libenter* modificat Verbum *dedissem*. Similis ellipsis in illo versu reperitur.

> *Me quoque, qua fratrem mactasses, improbe dextra*.

Quoniam in eo *mactasses* idem est, ac *utinam mactasses*.

NOTA.

De Particulis *&*, & *ergo*, & similibus aliis. *Quid ipsa significent? An res per illas significata sit quid incognitum, quod se tenet ex parte intellectus, an verò quid cognitum, quod objecto ipsi, seu rei significatæ, adjacet?*

Cur hæc Nota apponatur?

Relegis immediatè præcedentes Paragraphos (& §. *Scio inter Criticos*, nec non *Tandem Conclusio* præcipuè) & interrogas, cur *Logica Moralis*, illa parenthesis *De cujus ingenio*, &c. sit interjecta. Et respondeo, passim nescire Criticos, quid particulæ *&*, & *ergo* significent. Et quia desidero ut vim earum percalleas, hæc pauca scribo. Attende.

An id, quod per particulam &, & alias similes;

In hac propositione; *Iulius Cæsar & Carolus V. sunt dissimiles: iste enim protexit Patriam, ille invasit*; quid ilud *&* significat? An conjunctionem aliquam, quæ illos tametsi loco & tempore distantes connectit? Nam, si hoc, debet fingi quædam in rerum naturâ unio, quæ singulas res copulet, & in singulis, & sîs, etiam respectu singularum, numero multiplicetur. Et prodigus Philosophus dicar, si illam admisero. Si non detur talis in rebus unio, quid significat *&*?

Et id quod per particulam ergo significatur, sit in rebus ante omnem mentis operationem?

In hoc ratiocinio, *Omnes homines sunt morituri*: *Ergo Petrus est moriturus*, quid, & ubi est, quod per voculam *Ergo* significatur? Si aliquid, quod sit à parte rei, non in singulis, sed in omnibus reperitur: non enim illa consequentia oritur à singulis, sed ab omnibus. Quid ergo ante mentis operationem esse in omnibus potest, quod insit per modum unius, & illam inferat consequutionem? 113

Respondeo breviter id, quod per voculas *&*, ac *ergo* significatur, non esse extra intellectum: sed primam (*&*) significare simul concipi Iuliũ, & Carolum: & secundam (*ergo*) monere positionem præmissarum, nempe, *Omnes homines*, &c. esse talem, ut, si sit vera, postulet, ut altera, nimirùm; *Petrus est*, &c. etiam sit vera. Tu hanc doctrinam recogita; nam quò illam attentiùs mediteris, intricatiores ambages in hoc Labyrintho reperies.



ARTICVLVS II.

De Figuris Rhetoricis. *Quid ipsæ sint; & quæ præcipuæ censeantur.*

Persuadet Contrariam, Nimiam, Alienamque significationem, non per Intellectuales aliquas Determinationes, sed per Consignificantes Circumstantias ad opportunam, & congruam Acceptionem restringi.

Quid Figura sit?



Vltæ hæ Figuræ sunt, & dictiones ita interdum alienant, ut videantur deesse Veracitati. Quintilianus *lib. 9. cap.* 1. adlucinatur meo judicio: inquit enim. *Figura est conformatio quadam orationis, remota à communi, & primùm se offerente ratione.* Et tamen sunt non pauca vocabula, in quibus Metaphorica sit, primùm se offerens significatio; & propria sit remota à communi. Quoniam, *un quebradero de cabeza* v. gr. si sensum communem, & primò occurrētē consideremus, erit aliqua molesta occupatio & studiū: & tamen figurata significatio est: quoniā juxta propriam, & simplicem suppositionem *realem capitis fractionem* sonat. Hoc æquivoco usus fuit nuper D. Hieronymus Cancerius, cujus verba nostra Meramerrica exhibuit: historiam narro, illamque aliis verbis exorno. Titius ex palatio Archiducis egressus, invaditur ab inimicis: & quia solus non poterat multis resistere, saucius, & sanguine suffusus [Hisp. *descalabrado y todo ensangrentado*] evasit; & postridie Archiduci hanc epistolam scripsit.

An interdum primò obvius in voce sensus metaphoricus sit?

Quid significet un quebradero de cabeza?

No pude ayer hablar a Vuestra Alteza,
Y hoy de la cama escribo este Villete,
Para que sepa, que entre seys y siete
Tuve un gran quebradero de cabeza.

Primò obvius, & vulgaris sensus Metaphoricus est: Ergo tu sic Figuram define. *Figura est, vocis è prima, & simplici significatione in aliam ingeniosa mutatio.*

Non omnes decet figurata loquutio: ubi enim nuda quæritur Veritas, omnia dictionis ornamenta damnantur. Vnde intelligere Suetonium potero, qui *in Vespas.* dixit. *Amicorum libertatem, Causidicorum Figuras, Philosophorum contumaciā, &c. lenissimè tulit.* Nam jam olim, quod & nunc faciunt Advocati, dum punctum deberent perringere, & nudam Veritatem ostendere, insulsè rhetoricabantur, ut alienis coloribus exornantes Mendacium sub Veritatis specie in Senatum protruderent. Non exsecrabatur Vespasianus decorem, & nitorem Eloquii, sed vanitatem, colorem fucumque, ut enim Logica in securam, & sophisticam Scholastici dividunt, sic & Rhetoricam in Veram, & Vanam seu Coloratam possent. Vera sine dolo procedit; & Vana per fallacias luxuriat.

Qualis fuerit Vespasianus?

An Figuris abutantur Iurisitæ?

Non debent rem magnificare, aut extenuare, sed quanta sit proponere.

Qualem Rhetoricam fit exsecratus Vespasianus?

De Verâ multi Viri Eruditi scripserunt, & illam universi collaudant: nihil enim jucundius, quàm Poëma Charitibus ornatum legere, aut Concionem gnomis velut gemmis exornatam audire.

Rhetorica in Veram & Vanam divisa.

De Vanâ Lupus *in Apollinea Lauri Sylva X. pag. 91. & 92.* Echûs & Narcissi Fabulam ingeniosè dilucidans.

De Vana.

Eco, otro tiempo Nympha, y por traydora
A Iuno su Señora,
Que con Vana Rhetorica [a]
(Que tiene Amor Theorica
Para encubrir Amantes)
A pessar de los Olmos circumstantes,
Y la lengua del agua, que corria

An contra Deā Iunonem Echo proditionem commiserit?

De

De un risco mas apprissa, que
folia,
Por murmurar los hurtos
Que el Aura, el Campo, el Mar,
callaban furtos. &c.

Et postea *ibid. pag.* 101. *a. b.*

De Ecbus, Vlyssis, & Telamonis Rhetorica.

No de otra suerte, que despues de
el fuego
De Troya esfuvo el Griego
Con la Espada de Achiles
Confuso oyendo a Vlysses, los
subtiles
Colores de Rhetorica Eloquente
[b]
Y la Oracion de Telamon valiente. &c.

Ergo præter Veram, quam comit & exornat sinceritas, datur Vana, & Fucata Rhethorica [de quâ in *a*, & in *b*] quam cum Vespasiano Principes universi condemnent.

Addunt Rhetores Figuris Tropos: Tropus autem, ut inquit Quintilianus, *est verbi, vel sermonis à propria significatione ad aliam cum virtute translatio.* Nota illud *cum virtute*: non enim verba fine causâ transferuntur: sed elocantur semper, ut excellentiam in re exprimant, quam simplex sermo non potest ob oculos ponere. Audiatur Cicero, qui *de claris Oratorib.* disserens, verba claro Oratore digna protulit. *Ornari orationem Graci putant, si verborum immutationibus utantur* [a] *quos appellant* Τρόπους; *& sententiarum orationisque formis* [a] *qua vocant* Σχήματα. &c. Iterumque *Schemata, qua vocant Graci, ea maximè ornant orationem, eaque non tam verbis pingendis habent pôndus, quàm illuminandis sententiis.*

a] Etiam utitur Græca Syntaxi, quoniam Latina jubet, ut non *quos* & *qua*, sed *quas* scribat.

Quid sint Tropi, & Figura, seu Schemata?

Quò respiciens *libr.* 4. *cap.* 1. ajebat Quintilianus. *Schema propriè dicitur, quod est à simplici ac in promptu posito dicendi modo Poëticè vel Oratoriè mutatum.* [Plautus *in Prolog. Amph.* ausus est vocem *Schema* adfingere primæ declinationi: dixit enim. *Quod ego huc processi sic, cum servili schema.* Ergo-ne etiam nos poterimus cum illo audere? Videretur, quod sic: ejus enim stylus est purissimus & nitidissimus. Ego autem elegantias Plautinas, nec universim approbo, nec universim re-

Schema. æ.

An sine delectu aut exceptione omnes Plauti phrases usurpare possimus?

jicio: sed personam colloquentem considero. Quæcumque in Plautinis Comœdiis Heroes dixerint, adsumi à nobis poterunt, velut verè Latina: quæ autem servi, ancillæ vel rustici, ad dialectum Vulgi imperiti pertinere putamus: nam & hodie in Hispaniæ theatris multæ voces & phrases in Equisonis ore (Hisp. *en la boca del Lacayo*) aut tolerantur, aut laudantur, quæ in ore Regis aut Principis condemnarentur.

Et quidem, tametsi multæ sint Figuræ, quæ Declamationes Oratorum, & Carmina Poëtarum illuminant, quatuor præcipuè (nam ad ipsas cæteræ revocantur) nimirùm, Prosopopœiam, Ironiam, Hyperbolem, & Metaphoram, expositurus sum. Illarum prima personam concernit, secunda rem, cæteræ modum. Prosopopœia enim (ad quam Idolopœiam, Apostrophum, & similes gratias reducimus) absentem personam, aut rem (vivam, aut mortuam; sensibilem, aut insensibilem) introducit, ut eum admiratione auscultetur. Ironia in nigra vertit candida: nam propositionem asserentem in oppositum sensum propellit. Quantitatem ultra modum (non autem ultra morem) auget, aut imminuit Hyperbole: & mutat qualitatem Metaphora. Et omnes simul ad Orationem exornandam concurrunt.

Quanam sint Figura cura speciali hoc in Capite deluc̄idanda?

Dices: non debere fatigari Theologos relectionibus, quæ pueris in Scholâ dictantur; quæ non solùm in Rhêtorum, sed etiam in Grammaticorum libris, ad nauseam repetita, leguntur.

Cur in Libro Theologo de Grammaticis, Rhetoricisque Figuris disseramus?

Et respondeo, ideò vim harum Figurarum nesciri, & ideò ficta fuisse omnia, quæ de Restrictionibus Mentalibus à Theologis fuerunt asserta; quia non illas Philosophi metaphysicis oculis sunt contemplati. Agam profectò de Figuris, de quibus innumeri scripserunt Grammatici: at non agam Grammaticè, sed Philosophicè; ut possim prodesse Theologis, à quibus negliguntur, quia non esse necessariæ putantur.

AR-

ARTICVLVS III.

De Schematum Rhetoricorum divisione.

De Circumstantiis adjacentibus.



Rationis Σχήματα pendent à circumstantiis: hæ enim à Rhetore perpenduntur, & considerātur. Et quidem, tametsi multæ, & variæ illæ sint, quæ præcipuæ censentur, continentur, & dilucidantur hoc Carmine.

Quænam illæ sint?

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

De quibus proderit aliqua dicere in particulari.

CIRCVMSTANTIA I.

Quæ Personas concernit.

Persona est duplex, alia qua, & alia cui. ad hanc Apostrophe, ad illam Prosopopœia, & Idolopœia pertinent.

Prima omnium Circumstantia cognominatur. *Quis*, & Prosopopœjam, Idolopœjam, & Apostrophen generat. Sunt hæ Figuræ nobilissimæ, & aptissimæ concitandis Auditorum affectibus. Duæ priores, non solùm Homines absentes, sed etiam mortuos, donant vitâ, & præsentiâ Rhetoricâ; sed etiam res inanimes, & sensu, aut ratione carentes introducunt. Vltima (nempe, Apostrophe) ad Deum, aut homines orationem convertit. De illis in specie disputaturus sum: & quia de hac non habeo, quid possim fusiùs dicere, ut saltem non nesciatur omninò, uno illam, aut altero exemplo dilucidabo.

De Apostrophe ad Deum.

Propheta Rex in plerisque omnibus Psalmis Deum adloquitur; illi ergo possent huc adduci. Devotissimis Regis Prophetæ Psalmis adjungam Hymnum, *Te Deum laudamus*, quem Sancti Ambrosius, & Augustinus concinnarunt: & illis etiam Preces, & Orationes, quæ in libris Patrum, & Doctorum leguntur.

De Apostrophe ad Quirites.

Ad homines frequenter non sine gratia Orationem convertimus, ut videre est in sequentibus lineis, quas ex Cicerone desumo.

Cicero Philipp. 4. nu. 32. [*] Mars ἀναγραμματικῶς Roma. vertitur s in o.

Vos fanè Patria natos judico, quorum etiam nomen à Marte [*] est: ut idem Deus Vrbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga fœda mors est: in victoria, gloriosa etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignorari solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent. Vos verò, qui extremum in victoria spiritum effudistis, piorum estis sedem, & locum consequuturi, brevis autem vobis vita data est: At memoria benè reddita vita sempiterna; quæ si non esset longior quàm hac vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? Actum igitur præclarè vobiscum, fortissimi, dum vixistis; nunc verò etiam Sanctissimi Milites, quod vestra virtus, nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posteriorum insepulta esse poterit, cum vobis immortale monumentum fuit penè manibus Senatus Populusque Roman. extruxerit.

Quanti fama, & æterna boni nominis gloria ab hominibus facienda sit?

An fieri Apostrophe ad res irrationales dirigatur?

Non caret gratiâ, & efficaciâ Apostrophe, cum ad res inanimes, aut insensibiles, aut saltem irrationales orationem convertit. Propheta Moyses *Deut.* 32. a. 1. Sic exclamat. *Audite, Cæli, quæ loquor: audiat Terra verba oris mei*. &c. Et tamen Cæli, & Terra insensibiles sunt. Et eodem Devotionis spiritu Rex Propheta excitatus, eloquitur. *Laudate Dominum de Cælis, laudate eum in excelsis. &c. Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen. Laudate eum Cæli Cælorum, & aqua* [a] *omnes, quæ super Cælos sunt, laudent nomen Domini.* & cætera, quæ in sequentibus Psalmis usque ad finem Psalterii leguntur. Illos aliis verbis reposuerunt tres Pueri, qui in ignis camino laudes Divinas celebrabant, dicentes, *Benedicite aquæ* [a] *omnes, quæ super Cælos sunt, Domino: benedicite omnes Virtutes Domini Domino. Benedicite Sol, & Luna Domino: benedicite Stellæ Cæli Domino*. &c.

Psalm. 48. 49. & 50.

Daniel 3. c. 60.

a] Ra-

An, & cur supra Cœlum syderum aquæ sint? An sint glaciatæ?

a] Ratio postulat, ut aquas supra Stellarum Orbem, & has glaciatas concedamus: aquas quidem; nam aer frigidus transit in aquam: & illa supersyderea regio, sicut à Sole remotissima, ita etiam frigidissima est. Si frigidissima etiam erit glaciata, & concreta. Hæc ergo sit primaria Interpretatio.

Quid vox Máim significet.

Cæterùm, quia MI, est *Quis?* aut etiam *Quid*. Et in abstracto *Quiditas*, vox MAIM, pro qua ponunt *Aquas* Interpretes, potest significare *Quiditates*. Ergo stando huic Expositioni dixit David. *Quiditates, & Essentiæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini*. Et eodem sensu loquuti sunt Babylonici Pueri.

CIRCVMSTANTIA II.

QVID *dicendum sit, & quomodò probari possit, accuratè perpendens.*

De Rhetoricæ partibus. Quot ipsæ sint? &, quid ad singulas spectet?

PArtes Rhetoricæ quinque dicuntur esse: Inventio, Dispositio, Eloquutio, Memoria, Pronunciatio. Prima jubet, ut prævideamus, & attentè cogitemus puncta, de quibus peroraturi sumus. Secunda, ut opportuno ea ordine collocemus, & congrua dispositione digeramus. Nobis Tertia aperit Eloquentiæ flavissas, & agit de modo loquendi. Quarta non res modò, quæ dicendæ, sed & verba, quibus dicendæ, menti imprimit. Gestumque gravem, & convenientes vultus, & mannum motus vltima Oratori præscribit.

De Inventione. Quid dicendū ab Oratore sit?

Circa primam, si quæritur, *De qua re Orator declamaturus sit?* Id ab occasione, & tempore pendêre affirmo: nam in Templo Ecclesiastes, prout solennitas postulat; & in Senatu Iuris-Consultus, prout Causæ requirunt, habet declamandi argumentum. Si autem quæratur, *Quibus ille rationibus Assertionem suam demonstraturus sit?* ad inveniendi Medium Artem nos remittet Dialecticus. Hanc autem diversimodè tradunt Authores, inter quos P. Ioannes Bonifacius Bagatta, qui ann. 1667. Cursum Philosophicum edidit, clarius loqui videtur. Introductionis enim in Logicam disp. 4. sect. 3. num. 32. pag. 19. b. ita scribit. [*Ad inveniendum Medium Terminum, necessarium ad efformandum Syllogismum affirmativum, optimam Regulam esse inquirere talem Terminum, qui idemtificetur, tam cum subjecto, quàm cum Prædicato Conclusionis, quam probare intendimus: quia vis syllogistica consistit in illo Primo Principio*. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *&c.* [Ego autem hoc quod dicit *Principium*, falsum omninò esse alibi demonstravi: tota enim syllogismorum vis illo Principio *Dici de omni*, quod vocant, subcollatur.

Quibus rationibus sit Resolutio probanda?

De Arte inveniendi Mediū.

De Principio, cui insistit syllogismorum efficacia.

An Bagattæ, & aliorum Regula sit doctrinalis?

Et positam à Dialecticis Regulam non esse doctrinalem, affirmo; supponit enim id quod quæritur. Iubet enim mihi exhibere Terminum, qui idemtificetur subjecto, & Prædicato, quia hic est qui nominatur *Medius*, quo ego modo talem reperturus essem Terminus inquirebam, & ut id possim facere nullus Canon opportunus præscribitur. Hæc aut similia in Scriptoribus legebat Rodericus Arriaga: nam tædio affectus ait, *Omittam Artem inveniendi Medium: nullam enim aliam video commodiorem, nisi felix ingenium, studium continuum, frequentem disputandi, & respondendi usum, ac bonam memoriam, retinentem, quæ in simili occasione ab aliis* 225 *audita, vel à se excogitata aliquando fuere. Quomodo enim potest dari universalis Regula ad diversas, disparatas, immò & oppositas Consequentias in tot distinctis materiis probandas*. Ego autem impræsentiarùm sic discurro. Cœcus ut Pictoriam Artem addiscat ineptus, & incapax est; & tamen lynceis oculis præditus, nunquam perfectè Tabulam delineare poterit, si careat Arte. Qui ergo bono caret ingenio inutiliter operam dat Philosophiæ: &, qui subtilissimo est præditus, si destituatur Arte, non nisi crassissimè poterit philosophari.

Arriaga opinio.

Præter potentiā visivam Pictor habere debet artem.

Ergo præter intellectivā artem Dialectici, & Philosophi habere debent.

An omnes Propositiones sint affirmativæ?

ID, quod dicitur, & pertinet ad Circumstantiam QVID, proponitur affirmando, aut negando. Et huc pertinet gravis illa Quæstio, quæ interrogat, *An dentur Propositiones negativæ?* Negat noster Hercules Logicus; cujus labor primus in eo est, ut suadeat, *Nil omninò negari*.

Communis sententia.

Per verbum est *affirmativa, & per verbum* non est *constituitur negativa.*

An Verbo idemtificetur aliquando negatio?

Cæterùm, supponendo cum communi sententiâ in Affirmantem, & Negantem, ut genus in species, Propositionem dividi, dicendum est per negationem, quæ verbum *est* afficiat negativam Positionem constitui, & ab affirmativâ secerni. Et rem prospectans Criticus, doceri vult, *An sint Verba, quibus negatio ipsa idemtificata sit? Verba, quæ non indigeant negatione à se distincta, ut negativam Orationem constituant?*

Olim

De Sancta Linguæ Conjugationibus.

Olim in Lingua Hebraicâ, antequam illam Rabbini, inutilibus punctis onerando, defigurassent, erant Conjugationes (voca *Voces*, si velis) negativæ, quæ Verbi significationem primitivam in sensum contrarium revocabant. Periit hæc Verborum distinctio, at relictæ sunt adhuc nescio quæ veteris ædificii parietinæ, ex quibus possimus consequentias inferre: nam BARAC in Pahal est *benedicere sincerè*. & BEREC in Pihel est *benedicere ironicè*, hoc est *maledicere*. Et hoc sensu loquuti sunt falsi illi testes contra Nabothũ à Reginâ Isabellâ producti: dicebant enim, *Benedixis Deo, & Regi*. Ergo ibi verbum ברך *Benedicere* oppositum significabat.

Quid significet ברך *nempe, barac, & berrec?*

1. Reg. 21.

An Negativa Verba in Lingua Latina inveniantur?

Verba nonnulla Negativa in Linguâ Latinâ reperio sæpè enim voculæ *re* & *in* voces in oppositam significationem transmittunt: ut nomina *Doctus*, *Indoctus*: *Mitis*, *Immitis*: *Cautus*, *Incautus*, &c. & verba, *Claudo*, *Recludo*: *Gradior*, *Regredior*: *Curro*: *Recurro*. &c. manifestè persuadent. At quia hæ dictiones negativæ sunt paucæ, magno reverâ ornatu Lingua Latina destituitur.

De Verbis Turcicis.

Cæterùm hæc Negativa Conjugatio, de qua agimus, in omni verbo Turcicæ Linguæ reperitur. Tabellam subsequentem considera.

De Verborum Tralibus.

Omne apud Turcas Verbum est, vel	*Affirmativum*	*Intransitivum* / *Transitivum*	*Et quodcumque ex his verbis in Activum, Passivum, Immanens, Reciprocumque subdividitur.*
	Negativum	*Intransitivum* / *Transitivum*	
	Impossibile.	*Intransitivum* / *Transitivum*	

Quot sint in Lingua Græca, Latina, Hispanica, &c. & quot in Turcica?

Ecce, ubi Lingua Græca tres tantùm habet Conjugationes Activam, Passivam, & Mediam: Latina duas Activam, Passivam; & hanc incompleram, nam in præt. perf. & plus quam perf. & in fut. perf. ad participia recurrit: Hispanica unicam, nam in totâ Passivâ circumloquitur, & ubi denique octo habet Lingua Sancta, numerat viginti-quatuor Turcica. Copiosam, & eruditam Tabulam, quæ *Schematismus Derivationum Verborum Turcicorum*, inscribitur in P. Dn. Francisci Maria Magii Syntagmatis Orientalium Linguarum. libr. 2. cap. 3. S. 3. pag. 71. reperies: & pag. sequent. hoc Scholium. *Hanc Tabulam, quam aliter etiam reperi ab aliis nostris Patribus adnotatam, ingenuè profiteor, me in Asiam adlegatum, Romæ olim didicisse, à Petro della Valle, nobilissimo Romano, quem honoris causa pluries nomino*. &c. & pag. 96. quæ est ult. testatur prædictum Petrum, Grammaticam Linguæ Turcicæ idiomate Hetrusco scripsisse, & se illam, ut typis mandaretur, approbasse. Et, quia nondum prodiit, orandus esset Petri filius, ne hoc thesauro privet Posteritatem.

Grammaticas Turcicæ Linguæ Institutiones Petrus della Valle accuratè conscripsit.

CIRCUMSTANTIA III.

De Idiomate, Dialecto, Elegantia Barbarismo, &c.

UBI Circumstantia est, quæ à loco sumitur: vocesque cum locis comparans, illas in indigenas, exteras; donatas, & médicatas, dividit. Huc audacia, vel temeritas pertinet, quæ unius provinciæ vocibus uti jubet in alia. Huc omnia revocantur, quæ de Linguarum numero, & divisione, quæ de Dialectis, quæ in quacumque Linguâ observantur, dicuntur.

De Dialectis, & Linguis.

In omni Idiomate est Lingua Communis, Dialectus, & Barbarismus. Ad hunc ultimum spectant omnes dictiones peregrinæ, quæ nõ sunt in usum receptæ. Ad Dialectum verò illæ, quæ sunt alicujus provinciæ propriæ, & non usurpantur ab omnibus. Et ad Linguam Communem denique, quæ admittuntur ubique.

Quomodo Lingua communis, Dialectus, & Barbarismus inter se distinguantur?

Quatuor Dialecti præcipuè in Linguâ Græcâ recensentur; Dorica, Æolica, Ionica, & Attica. Hæ Dialecti exciderunt, nam Provinciæ illæ jam loquuntur tam barbarè, ut vix umbram earum sermo antiqui splendoris retineat. Quam ob rem

De Idiomatis Græci, Dialectis.

hæ

An, & ubi hodie exstent?

hæ Dialecti, quæ audiuntur nusquã, perstant & leguntur in libris: Dorica in Pindaro, Theocrito, & Pythagoreorum fragmentis, quæ Laërtii, Stobæi, aliorumque Scriptorum Illustrium diligentia & studium ab oblivione vindicavit. Ionica in Hippocrate, & Herodoto: & tandem in Aristophane, & Demosthene Attica. Non reperitur hodie liber scriptus Æolicè: at verò Æolicismi in aliquibus interdum observantur Poëtis; qui, ut ratio carminis postulabat, hac usi sunt Dialecto, vel aliâ.

De Dialectis Italia.

Fuerunt Romanorum Imperatorum tempore suæ in Italiâ Dialecti: at quia omnes libri scripti sunt Romanè, exciderunt. Hodie Senensis obtinet, & quamvis aliter & aliter singulæ loquantur provinciæ; libri omnes scribuntur, & Conciones in linguâ Thuscana recitantur.

Senæ sunt Thuscia Civitas.

De Dialectis Hispania.

Dialecti Hispanorum sunt paucæ: hoc enim nomen Castellanæ, Lusitanæ, & Gallecæ linguæ, & non aliis, convenire videtur: Valentina enim plus fortè à Castellana differt, quàm postulet Dialecti ratio: Cantabrica autem Idioma aliud constituit à cæteris toto cælo diversum. Valentiæ pueri legere & scribere, non in patriâ linguâ, sed in Castellanâ docentur. Impressum librum in Gallecâ non vidi: verùm in Lusitanicâ, præter Ludovicum Camoës, Poëtam eloquentissimum, multi Authores eruditi prodierunt.

De Dialectis Germania.

Germanica etiam Lingua habet speciales Dialectos, aliter enim & syllabas proferunt, & voces inflectunt Austriaci, aliter Saxones, aliter Bavari, & tandem aliter Colonienses & Belgæ. Sed & Dialectus Belgica subdividitur in Brabantinã, Flandricam, & Hollandicam.

De Dialectis Gallia.

Gallica, quam libri plurimi & doctissimi exornant, floret Burdigali; nam ibi à Senatoribus & Iurisprudentibus colitur. Et hæc potest dici Communis; ea enim sola in libris legitur, & in Templis & theatris auditur. Wallonica, quam vocant, multùm à Cõmunis perfectione degenerat, sonat in totâ provinciâ Gallobelgicâ: vix habet ullos libros; interim hac Dialecto D. Christophorus Butkens suas nuper Lauros Brabantinas scripsit.

De Wallonica lingua.

Vnaquaque lingua debet retinere suas voces: & in hoc genere omnis condemnatur confusio.

Miscêre Græca Latinis, Latina Hispanicis, &c. vitium est, & id universi fatentur; non autem omnes legem, quam præscribunt, observant. Quoniam D. Ioannes Xáuregui, Poeticos Discursus composuit, in quibus novarum aut etiam peregrinarum vocum introductionem (*con demasiado rigor*, ut inquit Cornelius) incriminatur: & minùs æquè de Gongore Scriptis definit. Et posteà præscripsit Antidotum contra ejusdem Gongoræ selectissimum librum, qui inscribitur *Las Soledades*. Contra hoc Antidotum prodiit D. Franciscus de Amaya, Vir doctus & affectibus liber. Elapsis paucis mensibus D. Ioannes cecinit Orphei fabulam, & sui oblitus in eam voces Italicas & Latinas admisit. D. Ludovicus, nam erat irritatus, illud Poëma *trilingue* esse dicebat, omnesque voces exteras adnumerabat barbaris; &, ut hanc Censuram non nesciret Posteritas, hoc Tetradecastichon scripsit.

De D. Ioannis Xauregi Orpheo.

An sit trilingue.

Es el Orpheo del Señor D. Iuan
El primero, porque hay otro segundo [a]
Espantado han sus numeros al Mundo [b]
Por el horror, que algunas vozes dan.
Mancebo es entendido juro a San, [c]
Y leido en las cosas del Profundo;
Pluma valiente, si pinzel facundo; [d]
Tan Santo le haga Dios como es Letran. [e]
Bien pues su Orpheo, que trilingue canta [f]
Pilló su Esposa, puesto que no pueda
Miralla, en quanto otra region no mude.
El volvió la cabeça, ella la planta,
La troba se acabó, y el Author queda
Cysne gentil de la infernal palude.

Orphei Fabula est nota. Virgilius Æneid. 6. cecinit
Si potuit Manes accersere Conjugis Orpheus
Threjicia fretus cythara fidibusque canoris.
Fingitur itaque ab inferis revocasse Eurydicen, ea lege, ut sequentem à tergo non prospiceret, priusquã ad superas auras reverteretur.

a] *Primum* hoc D. Ioannis Poema vocat: & quia vox illa *primum* anceps est, & æquè perfectionem & tempus potest significare: ne quis illam ad præstantiam restringeret, putaretque illud Poema inter alios ejusdem argumenti esse primum, hoc est, nobilissimum & elegantissimum, addidit illa verba *porque hay otro segundo*, quibus exposuit, esse illum D. Ioannis Orpheum primum tempore, nam alterum posteà Montalbanius scripserat.

Primus, a, um. est vox æquivoca: vel enim excellentiam prioritas, vel tantummodò tempus concernit.

b] Cùm hanc lineam exarabat D. Ludovicus, recogitabat illum versum Latinum
Nomina sunt prorsus cuncta tremenda sono.
c] Putant Rustici jusjurandum non contine-

ri his verbis , *Iuro a San.* & possunt sua ignorantia salvari: quoniam

Quidquid agant homines , intentio judicat omnes.

Interim *Iuro à San* erit Latinè *Iuro per quemdam Sanctum*: quibus in verbis, si non determinatur Persona, Sanctitas, quæ Theologicum Iuramentum constituit, satis determinatur.

Fuit D. Ioannes Poeta & Pictor

d] D. Ioannis laudabatur penicillus & calamus. Coronelius. *D. Iuan de Xauregui, Caballero del habito de Calatrava, y Caballerizo de la Reyna nuestra Señora; fue uno de los mejores Ingenios, que ha tenido España: celebre Pintor, y gran Humanista*. Videtur D. Ludovicus secunda aliqua intentione regi, quando hunc versum scribit: quoniam *valiente Pintor*, & *facundo Poeta* Hispani dicimus, & hic commutantur Epitheta.

Commutat epitheta Gongora.

Quid sit Letran?

f] Nomen *Letran*, ponitur pro *Letrado*: & illo fortè utuntur apud Cordubam rustici.

Cur Poema hoc appelletur trilingue.

g] Poema hoc dicit esse *trilingue*: Hispanicum, Latinum, & Italicum. Et quidem esse Hispanicum, nemo negare volet: esse Italicum persuadebit vox *pillò*: nam *pigliare* in Italia est *accipere*. Et tandem vox *Palude* esse Latinum demonstrabit.

CIRCUMSTANTIA IV.

De Illustrium Scriptorum Imitatione.

Si interroges, *Quibus auxiliis* Rhetoris Stylus perpoliatur: te omnes ad imitationem Authorū selectorum remittent: Quoniam sicut Homeri & Virgilii (ut alios omittam) lectione Poëtæ; sic etiam Demosthenis & Ciceronis meditatione Oratores juvantur. Et imitatio, non solùm in unâ & eâdem linguâ fit, sed in diversis. Plautus & Cicero olim scripserunt Latinè; etiā nuper Iustus Lipsius & Ericius Puteanus, & tamen Plauti Lipsius, & scribit calamo Ciceronis Puteanus. Et apud Hispanos hodie, quia Lupus de Vega Ovidio similis, clarissimè & dulcissimè desluit, & Ludovicus de Gongora, Persius est Corduvensis, multi illum, multi & hunc imitantur. In diversis etiam linguis imitationem fieri probant Latini Authores; qui suos libros Græcorū sententiis & gratiis exornarunt. Multa ex Platone, Isocrate, & Demosthene gloriosè suffuratus est Cicero: Virgiliusque dici solet *Homericus*, quòd ex Homero multa traxerit. Græcos vicit uterque, quod facili negotio demonstrabo.

An imitari Authores possit, qui in alia lingua scripserunt?

An Hispani Latinos, an vero Græcos imitentur Romani?

An, qua ab Homero accepta, eloquentiùs, & sublimiùs fuerint à Virgilio tractata?

Officinam Vulcani, & Cyclopum sudores uterque (Homerus & Virgilius) describunt: at Virgilius humiliora recidit, grandiora amplificat, & sensibus ingeniosis exornat.

Vbinam collocanda sint Dei Vulcani fornaces?

Primò enim fornaces caminosq; ferrarios in Æthereâ regione Homerus nimis ineptè collocat, vero Marò similiùs in antris subterraneæ Siciliæ, è quibus singulis perenni ignis evomitur. Numeros sequentes contemplare.

Insula Sicanium juxta latus, Æoliamque
Erigitur liparon, fumantibus ardua saxis.
Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validisque incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: stridunt que cavernis
Strictura Chalybum, & fornacibus ignis anhelat
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Virgilius lib. 8. Æneid. Liparon insulignivoma apud Siciliam.

Apud utrumque Vulcanus sudat & desudat lassus ærumnosis laboribus. A Deabus quæritur, & maleos exercens invenitur. Quid autem faciens? Tripodas, & alia leviora, apud Græcum; fulmina horribilia, apud Poëtam Latinum. Homerus

Quidnam Cyclopes, & Cyclopes elaborent in officina Vulcani?

—— Τρίποδας γὰρ ἔικοσι παντας ἔτευχεν
Εάμεναι περὶ τοῖχον ἐυςαθίος μεγάροιο
Χρύσεα δὲ σφ' ὑποκύκλα ἑκάςῳ πυθμιόι θῆκε
ὄφρα οἱ αὐτόματοι θεῖον δύσονται ἀγαγα.

An tripodas, ut vult Homerus?

Seu rem, quæ dicitur; seu stylum, quo illa, & pingitur, & ornatur, considerem, grandiùs, & uberiùs Virgilius,

An fulmina, ut Virgilius testatur?

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyragmon.
His informatum manibus jam parte polita.
Fulmen erat: toto Genitor qua plurima Cælo [a]
Deiicit in terras, pars imperfecta manebat:
Tres imbri torti radios, tres nubis aquosa,
Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Austri,
Fulgores nunc terrificos sonitumq metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti, currumque, rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes,
Ægidaq; horrificam turbata Palladis arma, [b]

a] Iovem intelligit *Genitoris* vocabulo.
b] Pectorale æneum (Hisp. *un peto*) habens in medio caput Gorgonis, si in pectore Numinis sic vocatur *Ægis*; &, si in corpore Hominis (sicut in antiquis Imperatorum statuis videtur) *Lorica*. Servius. Sed & Iovis, & Palladis clypei ægides vocabantur. Ovidius 4. Metamorph.

Cer-

Certatim squammis serpentum, auroque polibant,
Contextosque angues, ipsamque in pectore Diva
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Incumbunt tandem operi Artifices illi monoculi [c] panopliamque laborant: ut vulgus fabrorum solet, teste Homero, nam cecinit,

c] Vox est hybrida ex Græca, & Latina composita.

Χαλκὸν δὲ ἐν πυρὶ βάλλεν ἀτειρέα, κασσίτερόν τε
Καὶ χρυσὸν τιμῆντα καὶ ἄργυρον αὐτὰρ ἔπειτα
Θῆκεν ἐν ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα, γέντο δὲ χειρὶ
Ραιστῆρα κρατερὸν, ἑτέρηφι δὲ γέντο πυράγρην.

At sensus exprimit nobiliores Virgilius, & officinæ subterraneæ tenebras splendore sententiarum illuminat. Illum audiunto.

—— *at illi*
Ocyus incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti, fluit æs rivis, aurique metallum,
Vulnificusque chalybs vastâ fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unũ omnia contra
Tela latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt: Alij ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque, alij stridentia tingunt,
Æra lacu, gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

d] Quando verba illa *in numerum* scribebat Virgilius, Ferrarii, à quo Samius habuit Pythagoras enharmonicarum Consonantiarum proportionem, fabulam, aut historiam, mente recogitabat.

Tandem devenîtur ad Clypeum: uterque illum sculpi curat. Achillis Scutum Poëta Græcus frivolis, levibus, & ad rem minimè pertinentibus imaginibus onerat; Æneæ autem ἀσπίδα triumphis Italicis Romanus décorat & decôrat.

De Achillis, & Æneæ clypeis.

Ecce, quàm feliciter Homerum Maro fuit imitatus. Sequitur præscripta ab eo delineamenta: & tamen eadem radiis colorum nobiliorum exaltat. [e]

e] *Exaltare* Artis Pictoriæ verbum est: pro quo Hispani habemus *realzar*.

Vt imitationis modum Scriptores exponant, ad Similitudinem recurrunt, Stomachumque & Simiam proponunt. [Qui debilitate stomachi laborant, ait Caussinus, varios cibos capiunt, sed reddunt indigestos. At contrà, qui integrâ valetudine, & firmis corporis viribus præstant, eosdem ore mansos, & in stomachum ingestos, calore demum naturali concoctos in succulentam carnem convertunt. Ita se res habet in Imitatoribus. Frigidi quidam sunt & ignavi; qui, quod acceperunt, reddunt, sed longè deterius: Alii ingenii vi, quasi calore fotum [f] & lumine, summâ felicitate in suum convertunt. Illi (lego, ipsi) non adhærescunt ad verbula, sed imitantur vim reconditæ Sapientiæ, cogitationum celsitudinem, tractationem humani animi, disponendi Prudentiam, colligendi acumen, pugnandi alacritatem. Ad summum, fiunt similes bonis Authoribus, quos imitantur: non, ut Simiæ, sed ut Filii, qui præter paternarum virtutum similitudinem, aliquid, immò omnia præferunt (forte proferunt) sua.] &c.

Stomachi Intellectus est similis.

Caussinus de Eloquentia Sacr. & Hum. libr. 3. cap. 25.

f] Vocem hanc deleri juberet Boldonus: quem tamen Prudentiæ terminos prætergressum putamus. Vide 222.

Sed quid Similitudo ad Simiam recurrens nos docet? Id quod nuper insinuabat Caussinus. Hæc sanè Propositio, *Si duo comparentur cum Optimo, quod similius Optimi, perfectius est.* occasionem præbuerat, ut Scioli contra Iustum Lipsium argutarentur, & dicerent. [Cicero inter Romanos Oratores est optimus. At sunt multorum calami Ciceroniani similiores. Ipsi igitur Lipsiano debent in Scholâ præferri.] Ridet Lipsius: Homo enim est animalium perfectissimum. Et Homini similior est Simia, quàm Leo, Tigris, aut Aquila. Et tamen ornatus jubis Leo, maculis condecorata Tigris, pennis subvecta in Cælos Aquila, &c. Simiâ pulchriores & nobiliores sunt.

An, quæ optimo sunt proximiora, semper meliora sint?

De Cicerone, & Lipsio.

CIRCVMSTANTIA V.

De Vocabulorum origine.

INterroganti, *Cur talis res tali nomine significetur?* respondet Ars ingeniosa, & curiosa, quæ dicitur Ἐτυμολογία. Eam *Veriloquium* dicunt Latinè Critici: ἔτυμος enim *verus* est, & λόγος, *ratio, sermo, loquutio*. Libr. Academ. primo Cicero. *Verborum etiam explicatio probatur: id est, qua de causa quæque essent nominata, quam* Etymologiam *appellant*. Sed cur Græcâ, & non Latinâ voce utitur Cicero?

Boethius in Topic. Ciceron.
De vocibus Etymologia, Veriloquium, Notatio.

ro? Respondebit Boëthius. [Quia *Veriloquium* (inquit) minùs in usu Latini sermonis habetur, Cicero Etymologiam vocat *Notationem*, quia notam facit rem, de qua prædicatur.] *Notatio* igitur in significatione, in qua eam usurpat Cicero, non à verbo *noto, as*, sed à supino *notum* deducitur, & syllabam primam producit. Hanc eamdem voces reducendi ad proprios fontes methodum Σύμβολον Aristoteles, & Latinorum aliqui, ut inquit Fabius, *Originationem* appellat.

Quantum in hoc ultimo sit illud no?

Symbolum. Originatio.

Sunt multi, & ingeniosi de Etymologia libri in lucem editi. Inter eos exstat Magnum Etymologicon, in quod multorum speculationes confluxisse videntur. Scripsit etiam de hoc argumento Marcus Varro: de quo Caussinus [Marcus Varro, librorum helluo: Vir incomparabilis eruditionis, quamvis in his Originibus tradendis, dum suæ Linguæ (nempe Latinæ) studio nimis multa conatur ad Latinos fontes revocare, quæ omninò Græca sunt, non raró contra dignitatem suam λεπτολογεῖ.]

Magnum Etymologicum.

De Goropio Becano.
An omnes aliæ Linguæ originẽ ducant à Belgica?

Sicut olim Varro voces purè Græcas ad fontes Latinos obtorsit, sic nuper Goropius Becanus Hebræas deduxit è radicibus Belgicis; & quia semper pulchrè, & interdum feliciter, licèt non fuerit consequutus assensum; obtinuit tamen, ut videremus clarè Etymologias nonnunquam fictas, ipsis veris doctrinaliores esse. Et id exemplis opportunis persuadeo.

De fictis Etymologiis.
An sæpe sint pulchriores veris?

Metaphysica *unde dicatur?*

Metaphysica Græca vox est, & à præpositione μετὰ, *ultra*, & φυσικὴ, *Scientia Naturalis* conflatur: interim priorem nominis partem Semphronius jubet esse Latinam, & non sine gratia ait, *Scientia illa Metaphysica dicitur, quæ est meta Physica*. Præterea *moror* purè Latinum verbum est, & à *morâ* deducitur: Nero autem, asserente Suetonio, à voce Græcâ μωρία illud deduxit, dicens *Desiisse Claudium inter vivos morari*. hoc est μωρὸν εἶναι, *stultum esse*. innuens, semper illum delirasse, dum viveret, & eodem momento desiisse stultescere, quo vivere.

Etymologia per phrasim.

Vera profectò Etymologia duplex est; altera enim directè per phrasim, & altera obliquè per antiphasim ducitur. Prioris generis est nomen Sanctissimi Domini nostri Iesu-Christi: nam χρίω est *ungo*. unde χρίσμα, *unctio*, & χριστὸς, *unctus*. Scapula. [peculiari nomine χριστὸς dicitur Filius Dei, & Salvator noster (sicut eodem sensu apud Hebræos Messias) verè Sacerdos, Propheta, & Rex; quæ tria hominum genera sola sacro oleo in veteri Testamento inungi solebant.] Ad phrasim etiam pertinet nomen MESSIAS, nam MASAH, sonat *ungere*, & MESSIAH, *unctum*. [Nomen *Messias* scribo, ut vulgò scribitur: moneo tamen secundam, ultimamque ejusdem literam exprimi characteribus, Græcis, aut Latinis, non posse.]

χρίω, ungo.
χρίσμα, unctio.
χριστὸς, unctus.

Messias *unde dicatur?*
Etymologia per antiphrasim.

Per antiphrasim dicuntur PARCAE, quod nemini parcant: quoniam *Omnia debentur morti*. Ita Varro, & Agellius *libr.3.cap.16.* & non absunt ab iis, qui à *partu* vocem istam deducunt, partui enim Mors opponitur, & ideó à partu potuit per antiphrasim denominari. LUCUS etiam à lucendo, per antiphrasim dicitur, quòd minimè luceat: cùm enim nullæ in eo arbores, sic jubente Religione, cædantur, opacus, & obscurus est. Etiam MANES per antiphrasim dicti; bonum enim *manum* vocabant veteres, & ipsi non boni censentur. Scio aliquos hanc vocem à *manendo* deducere, quod *Manes* vocetur, id quod post mortem manet; at opinionem hanc refellit syllabarum modulus, prima enim, quæ in *maneo* corripitur, producitur in voce *Manes*.

An Parcæ à parcendo, aut à partu?

An à lucendo, Lucus?

An à mano aut à manendo Manes?
Quid manum sit?

Etymologiam, quæ per Antiphrasim procedit, *Ironiam* vocat D. Ludovicus de Gongora num.116. dicens,

Vos soy Valladolid, vos soys el Valle
De olor. o fragantissima Ironia!
A rosa oleis, y soys de Alexandria,
Que pide al cuerpo mas que puede dalle.

Vnde Vallisoletum *dictum sit?*

Et quia num.113. cecinerat,

Valladolid de lagrimas soys Valle,
Y no quiero deziros quien las llora.

D. Garcias Coronelius ejus verba hoc Scholio dilucidat. *Burla D. Luys, de que se llame* Valle de Olot *aquella Ciudad, por las immundicias*

An Ironia, & Antiphrasis idem omninò sint?

que

que en ella se hechaba, que causan contrario effecto. Fallitur tamen, Ironia ab Etymologiâ per antiphrasim ducta debet necessariò distingui: nam in dictione duo sunt consideranda; id, unde illa procedit, & illud, quod ipsa significat: & in priori Antiphrasis, & in posteriori Ironia poterit reperiri.

Duo in dictione consideranda.

Λεπτολογεῖ] Sanè λεπτός, ῦ, ὁ. nota vox est, sonatque *tenuem*, Hispanicè, *una cosa o persona de poca importancia*; & ferè accipitur in malam partem. Erit ergo λεπτολογέω (unde & λεπτολόγος) *omissis neglectisque magis necessariis studiis, de minimis rebus differere*.

Λεπτός. λεπτολογέω. λεπτολόγος.

Quamvis] Hæc particula adversativa me monet, ut de Murmuratione, Detractione, & calumnia lineas subsequentes scribam: eò enim progressus est ingeniorum abusus, ut sicut specialem ad occidendos homines, & civitates evertendas Artem, (Polemicam, & ad incautos decipiendos Methodum (Sophisticam) sic ad dedecorandos, & infamandos, Canones ingeniosè adinvenerit. Quas Artes, Methodos, & Canones Viri probi, & prudentes addiscunt; non ut cæteris noceant; sed, ut sibi prospiciant, ne si incautè procedant, improborum malitia opprimantur. Sit ergo.

De Murmuratione, Detractione, & Calumnia.

De Arte Militari.

De Sophistica.

An, & quando sint utiles?

CANON I. *Murmurans dicit eum impatientia, aut malevolentia veritatem. Detractor privatim falsum crimen impingit. Calumniator detrahit in tribunali*. Hæc est vera harum vocum acceptio, licèt interdum à multis confundantur.

Terminorum acceptio.

CANON II. *Invido, & inimico, de illo, quem odio habet, obloquenti, non creditur*. Et meritò; nam censetur obludi affectu, & passione seduci.

Inimicis non creditur.

Corollarium I. *Murmuratores ergo, &c. ut ab audientibus assensum, & consensum extorqueant, se amicos esse illorum fingunt, quos volunt ignominia suffundere.*

Simulata Amicitia.

Corollarium II. *Ut eorum, de quibus loquuntur Detractores, &c. judicentur amici, ab eorumdem laudibus exordium sumunt; & statim adversativam aliquam particulam interponentes, encomiasticā Orationem in Philippicā[*] confidenter convertunt*. His præmissis, verba Caussini relege, & percipies quanta ille arte murmurat de Varrone. Collaudat illum, & posteà interjiciendo vocem *quamvis*, vitia, quæ in ejus scriptis observarat, exponit. Eamdem de Varrone censuram Hispanico stylo refero. Ergo sic inquā. *Fue Varron un Philosopho de erudicion incomparable, pero tan enamorado de su lengua, que en muchas ocasiones por enriquecerla, su alucina*. Et tu, quia priorem laudem eò tendere, ut incriminatio posterior fidem habeat, percipis, subridens ais, *A quel pero no esta maduro*. Vox enim *pero* ambigua est; si enim est nomen, sonat *pyrum*; si autem particula adversativa, sonat *sed*. Et hæc responsio ita est communis, ut jam in adagium transiverit.

*] Quas in Philippū composuit Orationes Demosthenes, appellavit *Philippicas*: & posteà per ampliationem vocabuli, omnes invectivæ dictæ fuerunt *Philippica*, unde, & illæ, quas in Antonium scripsit Cicero, hoc nomine fuerūt inscriptæ.

De Varronis scriptis.

Qualia sint?

Quid significet Pero?

Eodem rotundi modo poterit particula Latina *sed*, si ab Hispano auscultetur. Cantabat Lælius.

Doctus Acharsis erat, sed praeceps, atque superbus.

Et Blasius (pastor Iberus) qui fortè aderat, illud *sed* perpendens dicebat. *Lelio tiene gran sed de desdorar a su enemigo*. Vox enim *sed* apud Hispanos nomen est, & *sitim* significat.

Nomina Blas, & Gil Pastorum sunt apud Hispanos.

Quid significet sed?

CIRCVMSTANTIA VI.

De Eloquutione, quæ ad ornatum, & modum rhetoricandi pertinet.

PEnultima Circumstantia erat *Quomodo?* & ad eam pertinet Eloquutio; modum enim ratiocinandi, & rationes exornandi concernit. Patet latissimè, & in species distribuitur, quæ ad duas classes commodè reduci poterunt. Si enim rem augendo, aut imminuendo exaggerat, nominatur *Hyperbole*, & *Metaphora*, si vocabula transferat: & juxta transferendi diversos modos in *Allegoriam*, & *Metalepsim*, nec non in *Metonymiam*, & alia dicendi Schemata, dividetur, & subdividetur.

De Figuris quæ pertinent ad Eloquutionem, & Orationem exornant.

Huc, & Memoria (quæ Rhetoricæ quarta pars est) pertinet: &, si tenax, & fortis sit, arte potest juvari. Et consultò sub conditione loquor, nemo enim hucusque invenit Artem, ut quem Memoria deficit, rerum, quas retinere (Hisp. *decorar*) voluerit, recordetur, altera enim Memoriâ indiget Memoria Artificialis: cæterùm, quæ mediocris inculta sit, arte dirigi, & excolendo augeri potest. Vide

De arte Memoria.

Non habet Lingua Latina Verbum, quod æquivaleat Hispano *decorar*.

Et Pronunciatio denique, quæ inter Rhetoricæ partes tempore est ultima, at virtute, & efficacia prima, ad modum dicendi etiam pertinet, & toto Cap. per multos Articulos dilucidatur.

Quem locum habeat Pronunciatio?

CIRCVMSTANTIA VII.

De balbutientibus, puerilibus, & decrepitis vocibus.

VLtima denique Circumstantia, cui QVANDO nomen, ætatem Vocabulorum contemplatur.

Illa enim nova sunt, aut novata: & nominantur *nova*, quæ nuper nata, sed à doctis recepta: *novata* autem, quæ privatim protrusa, in thesaurum Idiomatis non admittuntur. Illis quidem utemur liberè; qui autem hæc usurpant, balbutire dicuntur, & stylo tenui, & puerili delectari.

De novis, & novatis vocabulis.

De stylo balbutiente, & puerili.

Ab antiquis etiam differunt Antiquata. *Antiqua* sunt, quæ jam olim recepta in libris Scriptorum optimorum leguntur: & hæc in

De antiquis vocabulis, & antiquatis.

Ora-

An uti vocibus minùs usequè vitium sit?

Oratione ponuntur, & non sine vitio desiderantur. Horatius epist. 2.

> *Si quædam minùs antiquè; si pleraque durè*
> *Dicere credat eos.*

Antiquatæ leges, quæ?

Cæterùm *antiquata* illa sunt, quæ jam exciderunt, & decrepitis adnumerantur. Vnde *antiquatæ leges*, quæ in Republicâ non observantur. Cicero 3. de legib. *Vos autem, ut video, legem antiquastis sine tabella*. Et Livius. *Omnium rerum causa vobis antiquandas censeo istas rogationes*. Erant autem *antiquatæ leges*, quæ quidem in viridi observantia olim fuerant, & jam minimè observabantur, & *antiquatæ rogationes*, sunt alicujus, aut aliquorum privilegia, quæ per non usum censentur abrogata. Vide Notam immediatè sequentem.

Et quæ sint rogationes antiquatæ?

Nannius in Comment. Horatii.

Legebas in Petro Nannio Alcmariano. *Omnia verba, aut sunt vetera, aut nova, aut consueta. Ille, qui usitatis utitur, nec offendit, nec gratiam habet*. Et inferebas, vetustis, aut novis debere uti Scriptorem, ut gratiam habeat. *Quomodo ergo, ubi, quando-ve novis, quin eorum, quâ latria cultu Antiquitatem venerantur, inimicitiam, aut invidiam incurrant?* Horatius *in Poët.* respondet dicens,

De novis, & peregrinis vocabulis. Quando usurpari valeant?

> *In verbis etiam tenuis cautusque serendis*
> *Dixerit egregiè, notam si callida verbum*
> *Reddiderit junctura novum, si fortè necesse est.*

Considera nomen illud *junctura*: non enim, ad materiæ substantiam, sed ad ordinem & compositionem spectat. Hunc Horatii librum Commentariis eruditissimis Franciscus Sanchez Brocensis lustravit; & in ipsis Idiomata, qui nulli sunt Genti communia, ab illis, quæ alicui populo materna & vernacula sunt, ingeniosè distinguens, *Nec satis possum admirari*, ait, *doctissimum Ludovicum Vivem, qui tam audacter, tamque præter æquum, & decens, tot finxerit vocabula in sua exercitatione Linguæ Latinæ. Nihil enim nunc benè dicitur Latinè, nisi tantùm illud quod in libris politioris Latinitatis invenitur. Dum Lingua illa vigebat, licebat doctis, & peritis (si modò usus id comprobaret) aliquas voces invenire, & in Vulgum propalare. Quod & nunc Hispanis, Gallis, & Italis in sua licebit, si modò Populus omnis id approbet. Sed in Linguis, Græca, Hebræa, Latina (quæ jam in usu populari non sunt sed ex libris tantùm eruendæ) minimè licet verba fingere, nec Latinæ Linguæ quidquam addere, quod ex libris Latinorum non fulciatur*. Et D. Garcias Coronel epigr. 108. D. Ludovici de Gongora dilucidans, notavit in Horatio illud *necesse*, & in Brocensi illam Linguarum distinctionem. Et ad primum dicit: *Siempre con fessarè, que nunca, sin ser necessario, he visto voz estrangera en las obras de D. Luis* &c. Et ad secundum addit: *De suerte, que la novedad de las voces estrangeras o inventadas, que no se permitte en las Lenguas, cuyo uso en comun ha fenecido, y se apprenden solamente por los escritos antiguos, es licito en las que ahora se usan vulgarmente pues redunda en aumento suyo: y mas, quando el que las introduce es de tanta authoridad como D. Luis*. &c. Interim Brocensis pace manerem in Horatii sententiâ: nam verba sunt ut exponamus mentem, & Latina ut illam exponamus Latinè. Ergo, si agere debeamus de re, quam non cognoverunt Nomenclatores veteres, velimus nolimus eam debebimus aliquo nomine significare, & illud Critici tenebuntur admittere. Et probat id Primò Lingua Latina, in quâ Scholastici, & Politici, quia vel novas formalitates, vel res, Virgilio, & Ciceroni invisas, & ignotas dilucidant, coguntur uti ignotis ætati antiquiori vocabulis. Idem accidit in Linguâ Græcâ, quoniam de rebus, quarum nullam Homerus, nullam Demosthenes habuit notitiam, non potuêre agere Recentiores sine novis dictionibus. Ea collegit Ioannes Meursius, & librum edidit, quem *Græco-barbarum Glossarium* appellavit. Nec ab hac lege se Lingua Hebræa subducit; quoniam in eam Rabbini magnum peregrinarum vocum numerum (& non semper criticè) exonerarunt. Audi Ioannem Saubertum, qui Hebraicum Iacobi Iehudæ Leonis librum de Templo Hierosolymitano Latinè reddidit, sic enim in Præfatione ad Lectorem scribit. *Nunc, ut ad Leonis Librum* [*] *revertar, est ille mixtus ex stylo Biblico, & Rabbinico, insertis ubiqi vocibus Chaldaicis, Hispanicis, aliarum-*

An hodie Hebræa, Græca, Latina, aut aliis, quæ jam nulli populo sunt propria Lingua, vocabula nova liceat addere?

Quid de vernacula dicendum sit?

An sine necessitate Gongora voces peregrinas usurpet?

Brocensis Opinio reponitur. Rejicitur, & impugnatur.

Cur verba fuerint instituta?

De Lingua Latina, Græca, & Hebræa. An novas voces repertas à Novitiis admittant?

[*] Est curiosus, & ex Rabbinorum operibus probat omnia, quæ statuit. Fuit Henælstadii impressus anno 1665.

rumque exoticarum Linguarum. Vt quantum laboris sustinendum mibi (ut pote, Germano homini) *fuerit in vertenda ea, aquus, & hujus rei gnarus judicare possit Censor*. &c.

NOTA.

De Legibus, & Rogationibus de Plebiscitis, & Senatusconsultis. &c. *An leges, modò sciantur, obligent, an verò præter scientiam Plebis consensum, & acceptationem requirant? & quid dicendum sit, ubi Plebs legem acceptare cogatur?*

De rogationibus antiquatis.

PAulò antè (nempe §. *Caterùm*) Amice Lector, te amandavi ad hanc Notam: occasione enim antiquatarum vocum de antiquatis rogationibus mentionem feci, & quænam eæ essent studiosa Curiositas interrogabat. Respondi ibi. *Antiquata rogationes sunt alicujus, aut aliquorum privilegia, qua per non usum censentur abrogata*. Sumo ergo novum calamum; & quæ breviter dixi, & quæ dicta concernunt, cōmentario uberiori impræsentiarùm illustrabo. Authores ergo, qui possunt prodesse, adducuntor. In Calepino Passeratius [Festus *rogationem* videtur accipere pro *privilegio*, eamque ita distinguere à *lege*, quod hæc in omnibus, & rebus, & personis locum habeat, rogatio de uno, aut certè paucis feratur, neq; ad res omnes pertineat.] An-ne benè Festum Passeratius exponit? Cognoscemus, si & Festum audiamus. [Rogatio (inquit) ea dicitur, cum Populus consulitur de uno, pluribus-ve hominibus, quod non ad omnes pertineat; & de una pluribus-ve rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Nam, quod in omnes homines, res-ve Populus scivit, *lex* appellatur.] Consonat Gallus Ælius; inquit enim. [Inter *legem* & *rogationem* hoc interest, Rogatio est: non potest non esse lex, si modò justis comitiis rogata est.] Ad rogationem autem, sicut ad legem, duo requirebatur; latio, & acceptatio. Qui ferebat, proponebat, aut publicabat, illam dicebatur *perferre*. Cicero ad Quint. fratr. libr. 2. *Sed tamen suspicor per vim rogationem Caninium perlaturum*. Et eam Populus dicebatur *accipere*, si acceptabat. Idem libr. 1. ad Attic. *Vt Consules Populum cohortarentur ad rogationem accipiendam*. Et libr. 3. ab Vrb. Livius. *Omnes Tribus eam rogationem acceperunt*.

An, & quomodo distinguantur à legibus?

Quid reverà sit Lex?

Justa comitia vocantur, quæ legitimè sunt convocata.

Quid sit rogationem perferre? quid eam accipere?

Displicet tibi hoc ultimum, & ais Superiorum Decreta à plebis voluntate, & acceptatione non dependere. Et, ut id suadeas, sequentia argmenta producis.

An Legum valor ab acceptatione dependeat?

Primò enim aliæ olim apud Romanos leges *Senatus-consulta*, & aliæ *Plebis-scita* dicebantur: quod ad valorem legis Senatorum consiliū, & conscientia plebis; non autem ullus hujus assensus, aut acceptatio requireretur: aliàs enim non *Plebiscitum*, sed *Plebisvolitum* appellari deberet.

De Senatus-consulto.
Cur Plebiscitum *non nominetur* Plebisvolitum?

Secundò; quia si consēsus aliquis requireretur, *Plebs aceptavit* Notarii in publicis tabulis scriberent, & hoc etiam, aut alio simili verbo uterentur Authores. At *Plebs scivit* apud utrosque legitur. Ergo ad valorem legum in Plebe notitia, & scientia, non autem consensus requiritur. Suadetur minor. Quia, ut dicebat nuper Festus, *Quod in omnes homines, res-ve Populus scivit, lex appellatur*. Plautus in Curc. *Rogationes plurimas propter vos Populus scivit, quas vos rogatas rumpitis* [*] Cicero libr. 3. offic. *Durius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Æginetis*, [::] *qui classe valebant, pollices praciderentur*. &c. Et pro Planco. *Plancus primus legem scivit, de publicanis*.

*] Fortè majori gratia diceretur, *Rogationes &c, quas vos rogatas abrogatis*.

::] *Æginetæ* erant ex Ægina nobilissimi, & fortissimi milites. Est autem Ægina insula Peloponneso adiacens contra Atticam: in qua quia omnia majora erant, quam alibi, universim quæ magna, *Æginaa dicebatur*. Cœlius *libr. antiquar. lect.* 33. *cap.* 16. Erasmus *in Chiliad.*

Respondeo nihilominus, me de iis, quæ de Senatus-consulto dicuntur, non esse solicitum, scio enim illius in decretis Patrum fuisse postulata suffragia: inquit enim Flavius Vopiscus de Aureliano. *Deinde aliis munum porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbis consentientibus est Senatus-consultum*. &c. Dabant igitur Senatores suffragia: & uno è tribus modis: nempè, vel elevantes manum, vel ab iis, qui contrarium sentiebant, in aliam partem discedendo, aut certè sententiam suam expressis verbis pronunciando. Vide Agellium *lib. 3. cap.* 28. & Svetonium *in Augusta cap.* 94. & *in Tiberio cap.* 31.

An, & quo modo Patres darent in Senatu suffragia?

Et hinc illud Epigramma Cæsari inscriptum intelligere poteris.
Brutus erat, rabies cùm te scelerata necaret,
Prabuit assensum, qui pede, voce, manu.

Et ad Plebis-scitum veniens, Lectorem moneo verba *scio*, & *scisco*, & si significatione differant, in præteriti,

Scivi & scitum *à verbis* scio, & scisco *proveniunt*.

teriti, & supini articulatione coïncidere: nam utrumque dat in præt. *scivi*, & in sup. *scitum*. Et hinc multi fuerunt allucinati. Et tu, ne fortè decipiaris cum illis, dicito, non esse *Plebis-scitum*, quod Populus scit, sed quod sciscit. Est autem *sciscere*, χειροτονεῖν, *manu aut signo aliquo externo propositam Constitutionem acceptare*. Passeratius [*Sciscere* statuere est. *Scita* verò *Plebis* appellantur, ea, quæ Plebs suo suffragio sine Patribus jussit, Tribuno rogante. In Populo enim omnis civitas, & omnes ordines [*] continentur; in Plebe, neque Equites sunt, neque Patricii.] Et habeo locum in Cicerone expressum, qui æquivocationi non subjacet: quoniam pro Planc. ait. *Quæ sci-sceret plebs, aut quæ Populus juberet, submota concione, distributis partibus*. Ergo *Plebis-scita* erant quædam à Plebe constitutæ leges. Quos autem concernebant, & obligabant? Livius 3. ab Vrb. *Omnium primum cùm veluti in controverso Iure esset, Tenerentur-ne Patres plebis-scitis? legem centuriatis Comitiis tulere, ut quod tributim Plebs jussisset, Populus teneret qua lege Tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est.* &c. Ecce *jussisset* ponitur pro *scivisset*, vel *fuisset sciscens*: & Plebis scita universos obstringunt.

Quid sit sciscere.

Χειροτονεῖν.

*] Si in Populo omnes, adeoque Patres intelliguntur, cur S.P.Q.R. in vexillis, & marmoribus inscribebant Romani?

An Plebiscita obligent universos?

Placet addere duo (ex Plauto, & Lucano) testimonia; quæ poterunt lucem adhuc addere. In Pseud. scen. 4. act. 2. inquit ille. *Est-ne Scitus? Plebis-scitam non aquæ scitam*. & iste libr. 1.

> —— *Hinc leges, & Plebis-scita coacta,*

Vt discamus non ad intellectum, & scientiam, sed ad voluntatem, & consensum Plebis-scita spectare. Quam ob rem, quæ *coacta* à Lucano dicuntur, à Plauto *non scita Plebis-scita* vocantur: quæ enim Plebs *scit* & *non sciscit* aut quæ *coacta sciscit*, decreta, *scita*, & *non scita*, sine contradictione vocantur.

De coactis legibus.

An obligent, si vel illas per vim Caninius tulit, aut per vim plebs acceptavit?

Hæc, quæ de Rhetoricis Schematibus universim sunt dicta, Tibi (Ingeniosè, & Eruditè Lector) videbantur sufficere, nam Sapientibus, & insipientibus sumus debitores, qui scribimus, alterum attemperemus calamum, & in particulari discurramus de singulis.

Cur Paginæ sequentes addantur?

PROSOPOPOEIA.

Quid ipsa sit? Vnde dicatur? Introducitur Adamus, Brutus, Iuno. &c. An diphthongus æ Orationem veriùs deformet, quàm exornet? Tria scholia subjunguntur (Criticum, Theologicum, Morale) quibus Virgiliani Numeri dilucidantur.

Quid sit Prosopopœia?



Ersona Græcè nominatur πρόσωπον, & ποιῶ est *facere*: & hanc ob erit προσωποποιΐα, *Persona alicujus confictio*. Et habet in Oratione locum cùm Deum, Angelos, aut Homines loquentes introducimus. Audet Figura hæc proferre homines mortuos, jubetque ut coram universis reponant verba, quæ aliquandò dixerunt, aut saltem tunc dicerent, si supervivcrent. Et hæc Figura, quæ apud Homerum, & Virgilium, aliosque Poëtas, Græcos, & Latinos frequentissimè occurrit [est, ut inquit Caussinus, eorum Oratorum, qui canunt majoribus tibiis.]

Nicolaus Caussinus de Eloquentia Sacra, & Humana libr. 7. cap. 25. pag. 431. a.

Habes exemplum, lectu dignum, *in nostra Theologia Fundamentalis tom. 2. num. 1372. pag. 485.* sub hoc titulo. *Adami è Paradiso expulsi Practica Meditatio*, in quo sic ipse incipit. *Ille ego Adamus, quem minuit Deus paulominùs ab Angelis.* &c. & per omnia Moralis Theologiæ fundamenta decurrit.

Soliloquium Adami.

Breviores apud alios Prosopopœjæ

De libertate Patria.

pœiæ reperiuntur. Apud Caussinum *ubi supr.* [Quod si nunc L. ille Brutus reviviscat, & hîc ante pedes vestros adsit, non hac utatur oratione? *Ego Reges ejeci, vos Tyrannos introducitis! ego libertatem, qua non erat, peperi; vos partam servare non vultis. Ego capitis mei periculo Patriam liberavi; vos, Patres Conscripti, liberi sine periculo esse non curatis!*] Vbi, ut conspicis, Magnus Eloquentiæ Magister, se Prosopopœium esse asserit, quando L. Brutum, à multis annis mortuum excitat, & perorare jubet.

Προσωποποιός, qui πρόσωπα ποιεῖ, qui personas introducit aut facit. Et hoc modo loquitur Hispanus cum ait, *Arias haze los Reyes y Ossorillo los picaros en la Comedia.*

Libr. Æneid. 2. vers. 430. Æneam Virgilius introducit dicentem,

Iliaci cineres, & fata extrema meorum
Testor in occasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm.

Et ferre tota illa Æneæ historia exuberat frequentibus Prosopopœiis, ex quibus unâ seligo, ut prosim Theologis, quorum interest scire, qualia fuerint illa Divorum Numina, quæ Veteres venerabantur. Libr. 1. Virgilius.

[Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti [a] & spumas salis ære ruebant [b]
Cùm Iuno, æternum servans sub pectore vulnus, [*]
Hæc secum. *Me-ne incepto desistere victam?*
Nec posse Italia Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor Fatis! [p] *Pallas-ne exurere classem*
Argivum, atq; ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Ajacis Oilei [e]
Ipsa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem,
Disjecitq; rates, avertitq; æquora ventis:
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit scopuloq; infixit [d] *acuto.*
Ast ego, qua Divum incedo [c] *Regina, Iovisque*
Et soror, & conjux; una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisnam [f] *Numen Iunonis adoret*
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

*] Non est idē in Hispanica lingua, *Hablar entre dientes*, & *Hablar entre si*, & *Hablar cō sigo*. Prima enim phrasis est, *Mussare, mussitare, loqui inter dentes, verba interrumpere & semiproferre*: quod faciunt, qui furore percita volunt alicui obloqui, sed non audent. *Hablar entre si*, est loqui intellectualiter, quin labiis verba proferātur. Et deniq; *Hablar con sigo*, Latinè *Loqui secum* est *loqui sibi*.

Talia flammato secum Dea corde volutans
Nimborum in Patriam, loca fœta furentibus Astris,
Æoliam venit [g]. Hic vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras [::]
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat. &c.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est. [q]
Æole (namq; tibi Divum Pater, atq; Hominum Rex
Demulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor, (r)
Ilium in Italiam portans, victosque Penates
Incute vim ventis, submersasq; (h) *obrue puppes*
Aut age diversas, & disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ fórma pulcherrima Deiopriam (i)
Connubio (k) *jungam stabili* (v) *propriamq; dicabo,*
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos.
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra. *Tuus ô Regina, quid optes* (x)
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi quodcumq; hoc regni: Tu sceptra Iovemq;
Concilias, Tu das epulis accumbere Divum (s)
Nimborumq; facis, tempestatumq; potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto (l)
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant. &c.
Intereà magno misceri murmure pontum
Emissamq; hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit undâ:
Disjectā Æneæ toto videt æquore classem:
Fluctibus oppressos Troas, cœliq; ruinam.

::] Erythræus, ut eloquentiorem Virgilium reddat, præcipit, ut in accus. plur. tertiæ declinationis dicat *sermoneis* per diphthongum *ei*, quam exprimit characteribus Grçcis, scribens, *ει*. At mihi hæc ipsa videtur imperfecta prolatio, & pago potius convenire, quàm Vrbi: resonant enim mihi in auribus duo Civitatum nomina *Franqueram* & *Salernam* (illa est in Gallecia apud Hispanos, hoc in Regno Neapolitano apud Italos) & utrobique secunda est *e* purum in Concionatorū & Aulicorum ore: & tamen in Hispania illam *Franqueiram* & hanc in Italia *Saliernā* (diphthongo *ei* in *ie* versa) rustici & imperiti nominant.

Nec latuere doli [ ] fratrem Iunonis, & iræ.
Eurum ad se, Zephirumq; vocat, dehinc talia fatur.
Tanta-ne vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam Cælum, terramq; meo sine Numine Venti
Miscére, & tantas audetis tollere moles? [m]
Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus
Post mihi [n] *non simili pœna commissa luetis,*
Maturate fugam; Regiq; hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, sævumq; tridentem,
Sed mihi sorte [t] *datum. Tenet ille immania saxa,*
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, & dicto citiùs [o] tumida æquora placat,
Collectasq; fugat nubes, Solemq; reducit. *&c.*

Volui has tres selectissimas Prosopopœias ex selectissimo Scriptore desumere: & uberioris doctrinæ gratia tribus illas dilucidare Scholiis, ut possim Criticis, Theologis, & Asceticis prodesse.

Scholium I. Criticum.

Cur addantur hæ Notæ?

SOlet Virgilius à vulgaribus loquendi modis, & Figuris abesse, & ideò lineas subsequentes scribo.

De nomine lætus. Quid significet?

a] Agit de Teucris, illosque *latos* esse asserit, quod aura secunda navigarent. Lætum est, inquit Passeratius, quod latè diffunditur: unde læta arbos, quæ latè panditur; læta seges, quæ latè protenditur. Transfertur ad animum: unde Psalmista ait. *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatasti* (cùm lætum reddidisti) *cor meum.* Ergo erat Teucrorum classis læta, quæ latè expansa navigabat. Psalm. 115.

Spumas salis] sumit nomen *salis* pro mari; quod ejus aqua salsa sit.

An ruere neutrum, an verò activum sit?

b] Illud *ruebat* bifariam accipere possumus: vel enim utitur verbo neutro, & propositionem *per* subintelligit, ut sensus sit, *per spumas ruebat.* vel id activè sumit, quod & 1. Georg. etiam fecerat dicens,

Quid dicam, jacto qui semine cominus arva
Insequitur, cumulosq; ruit malè pinguis arenæ.

Et ante eum Plautus, *Æris acervos ruit*, hoc est, *dejicit*, *diruit*. ἐπιμετρεῖ. Vnde Nomenclator Hispanus qui voces nostri idiomatis Latinis, digestis à Calepino, cooptavit, *ruere* scitè *caer* aut *derrivar* (*cadere* aut *prosternere*) interpretatur.

c] Oïleus Græcè ὀϊλεύς per tres syllabas [nempe *o*, & *ι*, & diphth. *ευ*.] secundam protrahit. Fuit pater Ajacis, qui ideo nominatur *Oïleus*. Calepinus ann. 1634. Lugduni editus verb. *Oïleus*, malè citat *libr.* 3. *Æneid.* eum debeat *libr.* 1. & malè scribit Olei, cum debeat *Oïlei*, ut vult Erithræus, aut saltem *Oïei*, ut volunt alii. Verbo autem *Ajax* citat *libr.* 1. & legit *Oïei*. *De quantitate & numero syllabarum in nomine Oileus.* *Quis ipse fuerit?*

Dices. Erit igitur abundans ille versus, & supererit in illo ultima syllaba. Respondebo aut per Crasin; aut, si velis, Synæresin, *ei* sive *es* in unicam syllabam coire: aut per synalœpham propter vocalem in versu altero immediatè sequentem. Fuit imitatus Homerum, qui in variis locis præcedentis ultimam per vocalem carminis sequentis elîdit Iliad. θ. *Apud Virgilium Oilei tres syllabas habet (unam brevem & duas longas) non quatuor. Sed cur? An propter Crasim, Synæresim, Apostrophum, Synalœpham, &c.*

Τρῶας ἀπώσαθαι καὶ ἐρυκέμεν εὐρύοπα Ζῆν'
Αὐτῶ κ' ἔνθ' ἀκάχοιτο.
Trojanos repellere & exercere latioculum Iovem
Illic tunc tristaretur.

Vbi Ζῆν' dixit pro Ζῆνα; nam Apostrophus (aut ut nostri Poëtæ loquuntur, synalœpha) propter αὐτοῦ carminis sequentis vocem primam, ultimam præcedentis decircinat.

Luit pœnas promeritas hic Ajax (nam & Telamonis filius etiam *Ajax* nominabatur) quia in ipsomet Minervæ templo, Sacerdotem Cassandram violavit. *Fuerunt duo Ajaces celebres*

d] Variant Codices, in aliis enim *infixit* legitur, & in aliis *inflixit*. *Manuscripta antiqua, non omninò conveniunt.*

e] Substantivum *esse* notæ significationis verbum est. Pro illo in diversis Facultatibus utimur aliis æquipollentibus. Apud Philosophos, & Theologos *dari* pro *esse* usurpatur; unde, qui *An detur Materia prima?* & *An dentur Angeli?* interrogat; An illa sit, & An isti in rebus sint? doceri vult: Et hic est com- *De verbo substantivo sum.* *Quid dari sit?*

communissimus modus loquendi. *Stare* etiam sumitur pro *esse*; unde illud Latinum, *Stat pro ratione voluntas* illudq; Hispanicum, *Esta bueno*: *Està malo*, &c. Latinè, *Est sanus, Est ægrotus*. &c. & ad præsentem Virgilii versum veniens, assero in eo poni *incedo* pro *sum*; illa enim verba

Quid stare, aut Hispanicè estar.

An incedo accipiatur pro sum?

Ast ego, quæ Divum incedo Regina, Iovisque. &c.

æquivalent profectò his,

Ast ego Divarum quæ sum Regina, Iovisque. &c.

Interim aliquid grandius dicerem, si verbum illud *incedo* sensu Hispanico acciperem, ac si Iuno dixisset. *Que es esto? Que yo, que passo por Reyna de los Dioses, y por hermana y muger de Iupiter, aya de estar enbarazada, y tantos años, con una sola familia!*

Incedo est Hispanicè passo.

f] Malo legere *quisnam*, quàm *quisquam*, licèt huic secundæ lectioni plura Manuscripta assentiantur.

g] Verbi *venit* prima syllaba est longa, vel brevis: illud, si præteriti sit; hoc si præsentis: & ideò in prosâ ad præsens, & ad præteritum poterit pertinere: sed hîc cujus temporis est? Præsentis: quoniam Virgilius primam corripit: si enim vellet actionem præteritam significare, diceret,

In verbo venit tempus mutat quantitatis mutatio.

Æoliam venit. Vasto hic Rex Æolus antro.

h] Mirabilis profectò phrasis. *Submersas obrue puppes*, ait Iuno. Sed quo illas obruere poterit Æolus, si submersæ ipsæ sunt: &, si nondum obrutæ, quo modo submersæ vocantur? Respondeo ibi *submersas* esse Participii passivi, sed temporis indeterminati. Græcè χρόνȣ ἀορίςȣ. Illud ergo tempus in voce *submersas* subintellige, quod verbo *obrue* commodius fit & opportunius.

An in Latina lingua sint ἀόριςοι, aut indefinita tempora?

i] *Deiopeiam*, dictio est, quæ dactylum & spondeum exæquat. Græcè est Δηϊόπειαν. Ergo primum ι est vocale, & alterum diphthongum complet.

Vox Deiopeia mensuratur.

k] Nimis festino calamo Virgilius hunc versum scripsisse videtur; nam in *connubio* corripit *nu*, quam ratio, & authoritas protrahit. Ratio enim postulat, ut modulo, quo in *nubo*, mensuretur, & tamen in *nubo* longum est. Vnde Poëta Ethicus,

An erret Virgilius in vocis Connubii modulo determinando?

Logica Moralis.

Si bene Virgo velis nubere, nube pari.

Et *libr. 3. Æneid.* ipsemet Virgilius.

Hectoris Andromache Pirrhin connubia servas.

l] Fortè meliùs legeres *velut agmine fracto*, nam agmen integrum stat, & viam præscriptam tenet: at fractum, *qua data porta ruit*, aut eruit.

Fracto-ne, an facto potiùs legendum sit?

m] *Quos ego*.] Furor interrumpit orationem, si nimius. Et *Oposiopesin* Erythræus hanc Figuram appellat. Apud Græcos, & Latinos est rara: sed hodie apud Hispanos in Comœdiis est frequens, quod multis possem exemplis demonstrare.

Quænam Figura Oposiopesis sit?

n] Phrasis Hispanica exprimit illud *mihi*: qui enim alteri minatur, dicit, *Tu me lo pagaras*.

o] Illud *dicto citiùs* est, *ictu oculi* Hisp. *en un abrir de ojos*.

Hyperbole ad temporis brevitatem & celeritatem spectans. 231

Scholium II. Theologicum.

DIXI, & iterum dico, non scivisse Veteres, quid nomen *Deus* significaret: quoniam pro materiali intelligebant hominem, & dignitatem, aut majestatem pro formali. Constat ex Cypriano *de Idolor. vanit.* qui apertè asserit Magnum ad Matrem suam scripsisse Alexandrum, *Sibi à quopiam Sacerdote revelatum, Gentium Deos, homines fuisse*. Et hunc Sacerdotem Iaddum fuisse Genebrardus ad annum Mundi 3760. colligit ex Iosepho. Sanè tot tantasque imperfectiones immò etiam vitia, & scelera in suis Diis fuisse fatentur Ethnici, ut non illos inter illustres Viros recensere quis debeat, sed inter improbos, & nebulones nominare cogatur. Temerè ergo, & prodigè illorum cultui pendebantur aromata, qui à furcâ deberent pendere. Non erant ergo Dii, quoniam *Deus nullo modo injustus esse potest, est enim necessariò justissimus: & inter homines ille erit Deo simillimus, qui justissimus fuerit*, ut ait Plato *in Theateto*. His præmissis, quæ impræsentiarùm à Virgilio asseruntur, recognoscamus.

De Ethnicis. An sciverint, quid Dei nomine significetur?

An, qui Dii dicebantur, fuerint homines?

An propter virtutem, an verò propter scelera facta illam fuerint Divinitatem consequuti?

b] Apud ipsum, *Æternum Iuno servat sub pectore vulnus*. cùm tamen Deus expers passionum sit. Lucius Apuleius *de Deo Socrat.* [Summus Deus infinitus est, non solùm

An Deus passionum & perturbationum sit incapax?

loci exclusione, sed etiam naturæ dignitate. *&c.* Dii ab hominibus differunt, loci sublimitate, vitæ perennitate, naturæ perfectione. *&c.* Deus ab omnibus passionibus animi liber est, unde nec dolere, nec lætari potest. &c.]

De Omnipotentia Dei.

p] Deus est omnipotens, & quidquid vult, facit. Theognis.

Θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα
τελοῦσι νόον.

Dii verò secundum suam voluntatem omnia faciunt.

De Fato.
An Diis sit majus, & potentius?
Hæreticorum error.

non ergo secundum Fati necessitatem. Non ergo erat Dea, quæ dicebat, *Quippe vetor fatis.* Et tamen nescio, quo fato, Martinus Lutherus, & Ioannes Calvinus in eam opinationem inciderunt, quæ creatam voluntatem arbitrii libertate spoliat, & fatali induit necessitate.

An Dii, si plures essent, deberent esse æquales?

p] Hîc se Iuno componit cum Pallade; ejus potentiam celebrat, & propriam impotentiam deplorat. At Dii, si plures essent, omnes deberent esse æquales.

An unus alteri supplicare posset?

q] Nota illud *supplex*, & dedignare Deam, quæ Semideo Æolo tam vili se submittit obsequio.

An possent inter se dissentire?

r] Exclamat Iuno, *Gens inimica mihi*. Odio ergo Iuno persequebatur illos, quos amabat, tuebatur, & protegebat Venus. Ergo contraria hæ ipsæ sentiebant, & volebant. At omnium Deorum unum, & idem est consilium. Ipsæ igitur (Venus & Iuno) non sunt Deæ. Minorem, ut indubiam Propositionem admittebat & supponebat inter Latinos Plautus, qui in Curc. scen.2. act.2. ait. *Dii inter se congruunt concorditer.* Et inter Græcos Agesilaus: Quoniam, ut *in Lacon* narrat Plutarchus, moturus contra Persarum Regem bellum, quo Græcos Asiam incolentes restitueret pristinæ libertati, Iovis Dodonæi consuluit oraculum. Vt bellum gereret, præcepit Iuppiter. Ephori autem, dato responso diffidentes [*] eumdem Delphos ad Oraculum mittunt. Miratur eorum ignorantiam Στρατηγῶν generosus, & ait. *Deorum omnium æqualis est Sapientia, summusq; in rebus decernendis, & agendis consensus. Apollo igitur si quidem suo parente Ione, nec sapientior, nec potentior, nec providensior es, eadem pravidebis, eadem prædices, & eadem omninò decernet. Nos igitur, quibus Iouis innotescit voluntas, frustrà Apollinem, aut alios Divos consulemus.* [::] Infert Plutarchus eos, qui inter se dissentiunt, non profectò re vera esse Deos. At (inquam ego) omnes ficti à Græcis, & à Latinis admissi inter se dissentiunt, ut nunc in Iunone, & Venere videre est. Non igitur illi sunt Dii.

*] Fortè aliquæ olim, & alicubi obsessæ à Dæmone Statuæ reddebant Oracula. At in plerisq; omnibus Sacrificuli per fistulam colloquebantur: & ita populũ fraudis ignarum, decipiebant.

::] Secundum rationem, non vero secundũ experientiam discurrebat hic Princeps: qui tamen debuisset scire, non solum unum Oraculum alteri, & unum, & idem sibi ipsi fuisse sæpè contrarium.

An Dii fuerint incestus Sabe commaculati? Plinius Major Atheus.

e] Nota illa verba. *Iovisq; Et soror, & conjux.* incestasque inter Deos, & Deas nuptias, ut à Poëtis cogitatas irride. Irrisit, sed male illas Plinius, de quo Genebrardus in Indice. [Plinius Major, ut fuerit atheus, illud tamen divinissimè (dixit) puerilium prope esse deliramentorum, ac super omnem impudentiam Adulteria inter Deos fingere.] Et uberiùs in Chronico ad annum Christi 70. Plinium *lib.2. cap.2.* divinissimè scripsisse ait, [matrimonia inter Deos (ineptissimè) credi, tantoque ævo neminem ex iis nasci, & alios esse grandævos, sempetq; canos, alios juvenes, atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes, morientesque, puerilium prope est deliramentorum: sed super omnem imprudentiam (aut etiam impudentiam) est adulteria inter ipsos fingi: mox jurgia, & odia: atque etiam furorum esse ac scelerum Numina. &c.] Hucusque bene Plini. Sed perge. Tanta somniorum congerie perturbatus exclamat.

An Ethnicorum Dii ridendi sint, & non colendi?

An in Gentilium Theologia puerilia somnia, & mendacia tradantur?

Credendo falsis dedisco credere veris.

An Plinius excesserit in decredendo?

Et omnia, quæ de Diis, Semidiis, & Heroibus ab Ethnicis Sacrificulis dicuntur scribunturque esse falsa percipiens, hanc ipse generalem Consequentiam deducit. [*Omnes igitur, qui sub Deorum nomine à Græcis, & Romanis coluntur, fuerunt homines improbi, & scelerati. Ergo, ne cum pueris deliremus, Deos non esse dicamus.*] Verùm enim verò, mi Plini peccas in Logicam, & nimiam Consequentiam deducis. Si negas illos, qui Athenis, & Romæ coluntur, esse Deos, à te sum: fuerunt enim mortales; perierunt; & propter scelerum ab ipsis commissorum infamiam à prudentibus vilipenduntur. Si negas esse plures Deos, assentior. Si omnes; te ne delires, delirare assevero; unicum enim purissimum, & sanctissimum, & perfectissimum esse in Mundo Deum, qui

Ejus Conclusio, quæ?

An, & qualis sit Deus?

mode-

moderetur omnia debemus necessario concedere. Id naturalis ratio dictat universis hominibus; doctis, & imperitis, benè instructis, & barbaris. *Non est quærendum* (apud Stobæum *serm.* 78. inculcabat Eusebius cognomento Philosophus) *An Deus sit, sed protinus est credendum; nam quæstione propositâ, etiam ille, qui impiissimam opinionem defendit, nempe* Deum non esse. *nam contra mentem loquitur, non solùm alios, sed etiam se, superare conatur.* Probat id Cicero *lib.* 1. *de nat. Deor, in prim.* à mundi productione, & gubernatione argumentũ deducens. *Quid enim*, inquit, *potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cùm Cælum suspeximus, Cælestiaq; contemplati sumus, quã esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.* &c. *Undique, omni ratione concluditur, mente, consilioq; Divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conservationemq; admirabiliter administrari.* &c. *Dico igitur providentiâ Deorum Mundum & omnes Mundi partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari.* &c. *Esse igitur Deos tam perspicuum est, ut id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.* Et quidem, tam perspicuum est, ut nisi insaniat homo, mente negare Deum non valeat: quoniam apud Davidem *Dixit insipiens* (insanus) *in corde suo, Non est Deus.* non ergo, qui sanæ erat mentis, tam falsam propositionem potuit dicere.

An Deum esse demonstretur ratione naturali?

Eusebii, & Ciceronis Resolutio.

Tota hæc mundialis Machina Deum esse evidenter persuadet.

An oppositum asserentes insaniant?

De Divinitate, An sit perfectio naturalis?

s] Divinitas, perfectio naturalis & essentialis est: non verò civilis, aut moralis. Æolus igitur, qui à favore extrinseco dicitur diuinitatem consequutus, non fuit Deus.

Et hic iterum demirere Gentilium ignorantiam, qui summam Beatitudinem putant in epulis, & lascivia consistere. Eos imitantur etiamnum Mahometani, qui spiritualium rerum nulla prorsus intinguntur notitia.

In quo consistat Beatitudo? Gentilium, & Mahemethanorum opinio.

Scholiũ III. Morale etiam Theologicũ.

IN paucis his Virgilii versibus nonnulla Virtutum, & Vitiorum specimina occurrunt, quæ poterunt dilucidari.

b] Debent homines oblivisci injuriarum; hoc enim attributum est immensum in Deo. Claudianus.

De oblivione injuriarum.

Diis proximus ille est,
Quem Ratio non ira movet.

Et tamen Ethnicis sua Iuno esse posset scandalo æterni odii servans sub pectore vulnus.

p] Verba illa, *Quippe vetor fatis*, auferunt Liberum Arbitrium: nulla enim libertas voluntati relinquitur, ubi est Fatalis operandi necessitas.

An detur Fatalis operandi necessitas?

Arbitrii libertate sublata, omnia vitia, & virtutes necessariò auferuntur; nemo enim (ut dudum contra Michaëlem Bayum, & nuper contra Cornelium Iansenium, iterum, iterumque declaravit Ecclesia) meretur, demeretur-ve in his, quæ necessariò facit.

An sine Voluntatis libertate possibiles sint actus boni, vel mali?

t] Illa Minervæ fabula, Primò Deam oppluit ignominiâ vindictæ. Secundò aliqua adducit, quæ poterunt Christianis prodesse.

Cassandra, Sacerdotis, Iunoni consecrata, fabula.

Illi, illi, quos *Devotos de Monjas* in Hispania vocamus, audiant Cassandræ historiam. Si enim Ajax virginis, quæ Palladi, Numini fictò, puritatem voverat, deflorator, tempestate concuitur, tandem fulmine icitur; quid exspectare poterit, qui virgines summo dicatas Numini, non dicam tactu, aut visu, sed vel cogitatione delibat?

Ajax, qui tam violaverat, fulmine occiditur.

Præterea Ethnici Ajacem ob circumstantiam loci maximè incriminantur. In ipso enim delubro Minervæ Sacerdotem violaverat. Ergo solâ Naturæ luce ducti cognoverunt sordibus Venereis templa pollui. Non igitur mirentur Orthodoxi legentes Canones, qui de Ecclesiarum pollutione in Pontificio Iure prostant. nam Domum Dei decet Sanctitudo; & in locis Deo sacris non nisi sancta debent fieri.

De pollutione Ecclesiarum. An circumstãtia loci fuerit nota Gentilibus?

Et denique lucem hinc, aut etiam solutionem habere potest illa Quæstio, quæ interrogat, *An Dii realiter, an moraliter patrent miracula?* hoc est, *An ipsi reverà illa faciant, an verò obtineant precibus, ut Deus eorum intuitu suam potentiam absolutam exerceat?* Et quidem sunt diversæ Opiniones; Thomistæ asserunt Sacramenta physicè producere gratiam, Scotistæ moraliter: & eodem modo poterunt, aut debebunt discurrere. S. Gregorius Papa, utramque opinionem conjunxerat asserens, *Sanctos aliquando Virtute* (hoc est realiter) *& aliquando precibus* (hoc est, moraliter) *perpetrare miracula.*

De miraculis.

An fiant à Sanctis physicè, vel moraliter?

Magni Gregorii opinio.

Et huic sententiæ ultimæ videtur

tra

Virgilii Maronis sententia.

adhæsisse Virgilius, apud quem virtute Pallas, & precibus Iuno contra inimicos suos excitavit procellam. Agens enim de Pallade, dixit, *Ipsa ignem jaculata est; rates disjecit; avertit æquora; illum* (Ajacem) *corripuit, inflixit.* &c. De Iunone autem agens, illam supplicem, orantem, & pretii loco sponsam offerentem inducit.

De fratris, & sororis conjugio.

e] Verba illa, *Et soror, & conjux* multa absurda, impossibilia, & bonis moribus dissona continere videntur. An-ne inter fratrem, & sororem matrimonia sunt licita? Illa omnium ferè gentium mores condemnant, & incriminantur.

An in Cælo connubia inter Deos celebrentur?

Et conjux.] An in Cælo matrimonia inter Deos? Admittunt Ethnici; Pliniusque, dum Theogoniam ab illis somniaram decredit, & non vult à Christianis institui, fit ἄθεος. Genebrardus in Chronic. ad annum Christi LXX. sic scribit. [Plinius Major, qui ut fuerit atheus, hoc tamen unum (scripsit) divinissimè, quod ad prosternendam Idololatriā Nostri urgebant, Matrimonia quidem inter Deos credi, &c.] Ita ille *libr. 2. cap. 2.*

An saltem inter Angelos?
Matth. 22. 26.
Marc. 12. 25.
An in Cælo sint conjuges?
Casus Christo propositus.

An saltem in Cælo matrimonia contrahuntur inter Angelos? Apud Matthæum, & Marcum Dominus negativè respondet. Seducæi enim hunc illi casum proposuerant. [Erant septem fratres, & senior obiit, uxoremque sine semine (aut prole) reliquit. Eam accepit alter, ut semen fratris suscitaret, & obiit similiter. Idem accidit cæteris: unde illa habuit successivè hoc in mundo septem conjuges.] Et ex illo inferebant Carnis resurrectionem, à Christo prædicatam, impossibilem esse:

An vir possit habere plures fœminas?

An fœmina possit plures viros?

Matrimonium enim unius, & unius est consortium: & licèt permissæ sint aliquando uni viro, plures fœminæ: absonum erit dicere unicam fœminam simul habere posse plures viros. At hoc omninò accideret, si carnis Resurrectio daretur. Ergo hæc nec est speranda, nec credenda.

Contra resurrectionem carnis Saducæorū Hæreticarum argumentum.

Probatur Minor: Quia, cùm non sit ratio, ob quam debeat in Cælo hunc potiùs maritum retinere, quam alium, omnes simul habebit. Et contra Dominus noster Iesus-Christus hanc ultimam Minorem esse falsam respondit, dicens, Ἐν γὰρ ἀναςάσει ȣ̓́τε γαμȣ̃σιν, ȣ̓́τε ἐκγαμίζονται, ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τȣ̃ Θεȣ̃ ἐν ȣ̓ρανῷ εἰσι. *In enim resurrectione, neque nubent, neque dantur-nuptui, sed sicut Angeli Dei in Cælo sunt.* Enervavit igitur unico verbo Dominus, Saducæorum illud valdè premeditatum Argumentum. Matth. 22. 23.

Et soror.] Non negant Poëtæ Iovem incestum fuisse; nam hoc cum indecentiā sanguinis initum cum sorore Matrimonium persuadet. Vnde ait Mantuanus. *An Iupiter verit incestus?*

Facta sub incesti Iovis infelicibus annis.

Et quid, obsecro, mirum, incestuosus sit Iupiter, si est adulter, & mendax. Sanè ab Ovidio libr. 3. Eleg. canitur, *An & adulter?*

*Sed postquam sapiens in munera venit *]adulter.*

Et quidem *adulter* vocatur, quia innumeras vitiavit, & stupravit pellices; ob quod apud Senecam Iuno multas profundit lachrymas; & violentiæ, & fraudis urget, & incriminatur circumstantiam. Vnde Lactantius Firmianus. *Parum enim videbatur, si in expugnanda fœminarum pudicitia maculosus, ac turpis esset.* &c. *Quare apud Poëtas fallacissimus Iupiter desierit liberos tollere.* Et tanta fuit Deastri incontinentia, ut *Omnivolus*, Hisp. *Quantas veo, tantas quiero*, olim nominaretur. Baptista Pius.

*] *Venit* in prosa, aut præsentis, aut præteriti est: at in metro primæ syllabæ quantitas tempus determinat. Et hic vocam ancipité ad præteritum restringit productio.

Dum fugit [:\:] *omnivoli dulcia furta Iovis*

& *dulcium furtorum* nomine, adulteria intelligit per vim, fraudem, & rapinam commissa.

:\:] *Fugit* similiter primam in præs. corripit, & in præt. producit.

De perpetuitate Matrimonii

v] Est Matrimonium viri, & fœminæ cohabitatio, & ex sua natura non postulat perpetuitatem; apud Iudæos enim olim validè dissolvebatur. In Perside Petro della Valle afferente, Rex Abas triennalia instituerat Connubia, per tantum enim tempus fœminæ conducebantur. Nomen ergo *Connubium* latè patet, & per voces *stabili*, & *propriam* ad perpetuum restringitur. Vt ex epitheto *stabili* discas, esse & instabilia matrimonia: & ex voce illa *propriam*, concubinam esse, & non uxorem propriam, ubi Matrimonii duratio tempore definitur. *An possit ad tempus iniri?*

f] Semper in Divinitatis conceptu Ethnici adlucinantur. Deum ἀπὸ τȣ̃ δέȣς, hoc est, *à timore* dictum esse putarunt, unde Plautus in Pseud. scen. 3. act. 2. *Deos, quos maximè* *An Deus à timore dicatur?*

ximè æquum est metuere, minimi facit, nec non Papinius.

Primus in Orbe Deos fecit timor &c.

Iunonis ratiocinium.

Iunonis ergo rabies ad hunc potest syllogismum reduci.

Solus in Orbe Deos siquidem timor efficit, Et me

Nemo timet, *Nemo me putat esse Deam*.

Nominis Deus etymon doctrinale.

Tu interim nomen *Deus* ex triplici fonte (Hebræo, Græco, & Latino) deducas. Quoniam in Sanctâ Linguâ DAI est *sufficiens*, unde inter Dei nomina glorificatur SADAI, *Qui sufficit*. In Græcâ autem Δαίω est *nosco*. Et in Latinâ *Do* notæ significationis verbum est. Qui igitur sibi sufficit, & nullo prorsus indiget: qui est infinita mens, & omnia conspicit: qui dat omnia, quæ habemus, &c. hic unicus *Deus* debet cognominari, & adorari.

Quis, & qualis sit Deus?

An realis, an verò moralis perfectio sit Divinitas?

t) Ad materiam necessariam, ut nuper dicebamus, pertinet, & non ad contingentem Divinitas: nam sicut repugnat, ut Circulus habeat plures lineas, & ut Triangulus componatur ex quatuor: sic Divinam naturam in Humanam, repugnatq; Humanam in Divinam converti. Deliria ergo sunt omnia, quæ de hominibus in Deos versis dicuntur. Et delirat cum cæteris Maro, cum ait,

An propter naturalem necessitatem, an propter contingentem sortem, creatura ancillentur Creatori?

Non illi (Æolo) *imperium pelagi sævumq; tridentem.*

Sed mihi sorte datum.

Tota enim Mundi machina (Cælum, Aër, Mare, Terra) non per contingentiam sortium, sed per essentiæ necessitatem ancillatur Creatori.

Vera Obedientia exemplum.

x) Est pulcherrimum resignatæ voluntatis exemplum, Dicit David, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: & Christo Domino Nostro dicit Paulus, *Domine, quid me vis facere*. Et tu, Monache, Prophetæ, & Apostoli exemplo, illi, qui te gubernat Christi nomine, dicito, 233

—— *Tuus, ô Prælate, quid optes,*

Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

IDOLOPOEIA.

Quid sit? Unde dicatur? An, & quomodo differat ab Prosopopœia? Et uberioris doctrinæ gratiâ, Nux, Glacies, Somnus, Clavis, Pila; &c. Rosa, & Viola: Capa, Capillus, Serra, Speculum, Campana, Millus, Scipio è ramo, Urtica, Heliotropium, Clypeus, Calamus Scriptorius, Cerevisia, Vinum, Sapientia, Capulus, Tempus, Castanea, Echo, Lyra, Baculus, Amnis, Solisequa, Simultas, Hypocrisis, Scandalum, Fama, Rubigo, Ovum, Ignis, &c. perorare jubentur.

Quid sit Idolum?



Rimo libr. de finib. *Imaginem* vocat εἴδωλον Cicero: & alii extẽdũt vocem ad *spectra, & phantasmata*. Plinius in epist. *Mox apparebat* εἴδωλον: *senex macie, & squalore confectus, promissâ barbâ.* &c. Et hinc oritur εἰδωλοποιία.

Idolopœia, & Prosopopœia differentia.

Est autem Idolopœia Orationis Figura, seu Rhetorica Gratia, quæ res irrationales introducit, & ut loquantur præstat. Differt à Prosopopœiâ, quod hæc intellectuales Substantias in theatrum proferat: & ἀλόγας Idolopœia.

De Figura Idolopœia.

Sic videntur hæ Figuræ secerni; in quarum tamen intelligentia multa sunt, quæ ab arbitrio dependent. Mortuæ porrò Personę introductionem Caussinus, ut paulò antè vidistis,

Quid ipſa ſit?

ſtis, *Proſopopæiam* appellabat: ut enim hanc Figuram illuſtret, L. Brutum, prudentiſſimum & generoſiſſimum Virum è ſepulchro ſubducit, & præſtat, ut oratione gravi ignaviam præſentium Senatorum objurget. Calepinus & Paſſeratius verbo *Idolopœia*. [Figura eſt, quâ introducimus perſonam notam, ſed mortuam & quæ loqui deſierit, ſicut *in Hecuba Euripedis*, Polydori introducitur idolum: & Appii Cæci *in Orat. pro Marc. Cælio*.] Et poſteà verb. *Proſopopæia* inquiunt iidem Nomenclatores. Figuram hanc eſſe Perſonæ confictionem [cùm rebus inanimatis perſonam orationemque tribuimus, veluti cùm Rempublicam ipſam loquentem inducimus, aut eorum hominum, qui in humanis eſſe deſierunt, tanquam vivorum & præſentium actionem ſermonemque effingimus: defunctoſque quaſi excitamus ab inferis, & in conſpectu Iudicis collocamus. Exemplum inſigne eſt illud Ciceronis in Catilinam, quo Patriam ſecū expoſtulantem inducit quod Vrbis, quantum in ipſo fuerat, everſorem, quem jam pridem ad ſupplicium ductum oportuerat, mœnibus incolumem emitteret.] Et quidem non ſine Veterum & Iuniorum exemplo eloquentis Reipublicæ efictionem Proſopopœam appellarunt, nam multi cum illis loquuntur. Cauſſinus *loc. cit.* [Proſopopœia, non tantùm orationem fingit, ſed perſonam, ut cùm Patria loquens introducitur, hoc modo. *Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata, certiſſimis clariſſimiſque locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus, ô Cives, uxor* (lego, *uror.*) *Quam dolis malitioſa Carthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, etiam patiemini, nunc ab homunculis* (*) *teterrimis proteri atque conculcari?* &c.]

Per utram Proſopopæiam, (an Idolopœiâ) homines mortui introducā-tur?

Brutus obloquitur.

Exclamat Patria.

*) Abblandièntes, & contemnèntes formant nomina diminutiva: in Lingua Latina eodem modo, ſed diverſo in Hiſpanica: quē enim utrique Latinè *Homūnculum*, Hiſpanicè *Hombrezito*, ſi amant; & *Hombrezillo* ſi contemnūt, appellant.

Eruditionis & exercitii gratiâ, Exempla nonnulla quæ Illuſtriſs. & Ingenioſiſs. D. Petrus Franciſcus Paſſerinus nobis miniſtrat, ſubſcribamus.

An fructificare nocivum ſit? Quantum laicis prodeſſe ſolent Filii, tantùm Eccleſiaſticis nocēt Nepotes.

NVX.

Apud Ouidium Naſonem

Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem:
Quæque fuit multis, hæc mihi præda malo eſt.

GLACIES.

Apud Lilium Gyraldum Ferrarienſem

An poſſit Soboles Parentem gignere? Egregia facinora ſunt Militis proles: & ipſe facinorū illuſtrium Filius eſt.

Mater, quæ genuit me, eadem mox gignitur ex me.

SOMNVS.

Apud eumdem

Sponte mea veniens varias oſtendo figuras,
Fingo metus vanos nullo diſcrimine veri,
Sed me nemo videt, niſi qui ſua (*) *lumina claudit.*

*) Sabe tan bien Claudio dormir, *ait Hiſpanus*, que lo haze a cierra ojos.

CLAVIS.

Apud Iacobum Pontanum

Virtutes magnas de viribus affero parvis,
Pando domos clauſas, iterum concludo patentes,
Servo domum domino, ſed rurſum ſervor ab ipſo. (::)

::) *Hinc illud Hieroglyphicū,* Servo, ſi ſervor. *Ergo,* Amo, ſi amor: Honoro, ſi honoror: ſervo fidem, ſi mihi ſervatur.

PILA.

Apud eumdem.

Glabra foris, piloſa intus, ſpecieq; globoſa (a)
Exſilio, quamquam mi pedis uſus abeſt,
Aëriaſque carens pennis volitabo per auras:
Et vires crebrò pulſa reſumo novas.

a) Quintus Serenus. — *Pila namq; rotunda recuſſis Illa ſalit baculis.* &c.

ROSA, & VIOLA.

Apud Marium Bettinum.

De Violarum, & Roſarum colore. Pallent Violæ. Virgilius in Bucol. *Pallentes Violas, & ſumma papavera carpit* Flaveſcunt etiam. Remaclus. *Flaventes tantum Viola ridentibus Euris.* Rubeſcunt Roſæ. Statius libr. 3. Sylvar. *Rubenteſq; Roſa primos moriuntur ad Auſtros.*

Quis mihi populea ſomnum ſub fronde trahenti.
Innocuas auſus lædere dente manus?
Tu ne Roſa inſidioſa? dabis, dabis improba pœnas,
Et ſubtrita graves experiere pedes.
Men' ſcelus hoc? Zephyri ſic me levis aura tepentis
Mulceat, ut tanti non ego cauſa mali.

Cau-

Sed cur illæ pallent, & flavent, & hæ rubent? *Pro arbitrio Poëta causas comminiscuntur.*

Causa mali Viola hæc: non abnuit ipsa: videsne
Conscia pallenti prodit ut ore nefas?
Læserit utra vide: tu armata, ego prorsus inermis.
At pallore nefas prodo: quid ipsa rubes?
Armatam sentire cupis, si plura lacessis.
Non scelus ore mihi, iusta sed ira rubet.

CAEPA.

Apud Symphosium poëtam veterem

Mordaces Capa sunt. Persius Satyr. 4. *Tunicatum cũ sale mordens Cepa.*

Mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam,
Sed sunt mordentem multi mordere parati,
Nemo timet morsum, dentes quis non habet ullos.

CAPILLVS.

Apud eundem

*] Vt ab ingenii subtilitate aliquem laudet & commendet Hispanus, asserit, *que yendo un cabello.*

Findere me nulli possunt [*] præcidere multi,
Nunc sum versicolor, canus quandoque futurus,
Malo manere niger, minus ultima fata verebor.

SERRA.

Apud eundem.

Dentatam Serram appellavit Mantuanus, dicens. *Ignea dentata* *cui sunt Insignia Serra.*

Dentibus innumeris toto sum corpore plena,
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto,
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis.

SPECVLVM.

Apud eumdem

*] Videri in Speculo rerũ imagines Vulgi sententia est. Et illi se attemperans Virgilius cecinit. *Cen lavis in Speculo solet apparere figura.* At docet Optica non imaginem, figuram-ve, sed remipsam per radios fractos in Speculo prospici.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura, [*]
Fulgor inest intus radiata luce coruscans,
Qui nihil ostendit, nisi siquid viderit ante.

CAMPANA.

Apud Iulium Cæsarem Scaligerum

Convocat Campana homines ad Ecclesiam. Et ideò dici à Christianis potest Lingua Dei.

Excubat os nitidum patulo mihi semper hiatu,
Sacra ministerio ferrea lingua Dei est.
Nunquam sponte loquar, nunquam nisi iussa tacebo,
Excutere at vocem verbera sæpe solent.

MILLVS.

Apud eundem

Quid Millus (*aut* Millum) *sit, & unde dicatur?*

Qualis inaccessis iaculis defenditur histrix,
Ferreus armavit tergora nostra pilus.
Pro domino fera bella gero, sed bella gerendo
Contineo domini colla revincta mei.

Est autem *Millus, i.* (aut ut malunt alii *Millum, i.*) Collare canis, multis clavis munitum. Varro *de re rustic. libr. 2. cap. 9.* [Ne vulnerentur canes à bestiis imponuntur his collaria, quæ vocantur *Millum* [*] id est, cingulum circa collum, ex coreo firmo cum clavis capitatis (Hisp. *con clavos, que tengan las puntas acia a fuera*) cui juxta capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.]. Dictum videtur nomen *Millus* à mille, sumpto numero determinato pro indeterminato, quasi millibus eminentibus clavis millus constare solear. Græcè vocatur Δεραιάμβος.

*] Ego dicerem, *collaria, quæ vocantur milla.* plurale enim postulat illud *vocantur.*

Δεραιάμβος.

Hac usus similitudine Scipio Æmylianus exclamavit ad Populum. *Nobis, Reique publicæ præsidio eritis, quasi Millus cani.*

Prosopopœia.

SCIPIO E RAMO.

Apud eumdem.

An quis possit illum, à quo fertur, deferre?

Brachium eram, pes sum factus, sed mutua cernis
Officia, hic ut me, quem fero, &, ipse ferat.

VRTICA.

Apud B. Aldhelmum.

Vrtica Græcè ἀκαλύφη. est herba notissima. Habet multas virtutes, quas *libr. 9. cap. 45.* enumerat & dilucidat Plinius. Dicitur ab urendo. Est etiã nomen piscis, qui similiter urit. Agellius. *libr. 4. cap. 11.*

Torqueo torquentes, sed nullum torqueo sponte,
Lædere nec quemquam volo, nisi prius ipse reatum
Contrahat, & viridem studeat decerpere caulem:
Fervida mox hominis turgescunt membra nocentis.

Heliotropium.

Apud eundem.

Sicut Borealem Polum Magnes, sic & Solem ista Planta prospectat.

Sponte mea nascor fœcundo cespite vernans;
Fulgida de croceo flavescunt culmina flore:
Occiduo claudor, sic orto sole patesco:
Unde prudentes posuerunt nomina Græci.

ἥλιος. τρέπω. τροπή. τρόπος.

Dicitur à Græcis ἡλιοτρόπιον, nam illis ἥλιος, Sol est, τρέπω converto, τροπή & τρόπος conversio. Se ad solem vertit, unde bene ab Italis Girasole, & à Gallis Tornasol appellatur. Varro. *Nec minùs admirandum, quod fit in floribus, quos vocant* Heliotropia. *ab eo, quòd Solis ortum mane spectant, &* (etiam noctu, aut cælo nubilo) *ejus iter ita sequuntur ad occasum, ut ad eum semper spectent*. De illius speciebus agit Plinius libr. 22. cap. 21.

Clypeus.

Apud eundem.

Lacedemonii clypeis utebantur tam magnis, ut in eis milites sepeliretur. Unde de Lacæna suo in bellum eunti filio, generosè Clypeum ostendens dixit, *Aut cum hoc, aut in hoc.*

De salicis trunco, pecoris quoque tergore raso
Componor, patiens discrimina dura duelli.
Semper ego proprio gestantis corpore corpus
Conservabo, viri vitam ni demperit orcus.
Quis tantos casus, aut quis tam plurima lethi
Suscipit in bello crudelis vulnera miles?

Calamus Scriptorius.

Apud Adrianum Iunium.

Sicut Mors & Vita in manibus Linguæ. Proverb. 18. 21. sic similiter *Mors & Vita in manibus Calami*: plectetur enim capite Reus, si Iudex ultimæ sententiæ subscribat: & dimittetur liber, si decretũ absolutorium expediatur. A Scriptura igitur pendet Absolutio & Damnatio: & à Calamo dependet Scriptura.

Est mihi forma teres: cavus, & non pervius alvus:
Quem medium nodis spissa medulla secat.
Porrigor in caudam, cui barbula vestit utramque
Oram, qua volucri sum vice remigii.
Exsanguis, de carne tamen satus, huius alumnus.
Nec nisi camoso vellor ab usque sinu.
Iam truncus capite, & diffisa cuspide sectus
Proluo me succo, sepia nigra, tuo.
Usus abest linguæ, tamen illa exercco parte
Ius necis, & vitæ: tristia bella fero,
Componoque animos, regum iras mitigo, & arma,
Atro felle mea, aut spicula melle madent.
Hac potior lingua sine me moritura, quod huius
Sit soboles, nostram sæcula longa manent.
Illa etiam solas præsentis manat ad aures,
Nostra vel immenso, quà patet, orbe sonat.

Cerevisia.

Apud eundem.

Est Cervisia potus genus, quod ex aqua & farina conficitur.

Nomine sum vini non digna, vicem tamen huius
Impleo, dum cerebri victrix percello cavernas:
Illud sol radians, me Mulciber excoquit, amne
Gignor, alitque Ceres madefacti farris acervis.

Quid est ænigma? Descriptio per remotas & minùs notas proprietates.

In solenni Doctoris N. promotione Ænigmata, & præmia illis, qui ea solverent proponebantur: & Titius dicens,

His circumloquiis Cerevisia sola notatur.

in singulis Cerevisiam per remotas & minùs notas circumstantias describi, curiosè & ingeniosè demonstravit. *Cervisia* aut *Cerevisia*, dicitur Græcè ὁ καὶ τὸ ζῦθος: Vocatur & à Germanis *Bier*, aut etiam *Ber*. unde illi, quibus hic potus non est gratus, solent dicere, *A bira tua libera nos Domine*. Et mutant significationem, sectione dictionum mutata

Ab ira tua, per Adliterationẽ oris A bira tua.

Vinum.

Apud eundem.

Unde Vinum dicatur? Adagium. Vinum, modicè sumptum, acuit ingenium.

De vires, adimoque, & origo nominis à vi,
Ingenium exacuo, pectora soluo metu.
Me gignit tellus, rutilo Sol concoquit igne
Mox ventrosa tegunt dolia, prala vomunt.

Sapientia.

Apud Pacuvium.

Quid Sapientia sit, & unde proveniat?

Usus me genuit, mater me peperit memoria,
Sophiam *vocant me Graij*, *vos* Sapientiam.

Ca-

Capulus, aut Capulum à capiendo deberet rem omnē, quæ capit, aut capitur, significare: at significat pheretrum, quo effertur cadaver Νεκροφόρον. *Hisp. el ataud.* nec non *manubriū ensis*. & est χώπη, seu λαβὴ *Hisp. la empuñadura de la Espada*. In hoc autem Hexasticho in prima accipitur significatione.

CAPVLVS.

Apud Io: Sapidum.

Res sum nota, mei cum paucis copia non sit,
Sed qua, si posset, quisq; carere velit.
Qui me fecit, habere sibi me non cupit idem,
Quiq; emit utendum, non eget ille mei.
Deniq; me nescit, cui me jam contigit uti.
Nunc facis scirpo, qui volet, indicium.

TEMPVS.

Apud Georgium Buchananum.

Veritas, & si hodie nesciatur, tandem aliquando cognoscetur.

Sum genitor veri [*] domitor livoris aperti,
Iudex astrorum, filius, atque comes.
Me sequor, & fugio mea pervestigia: nunquam
Cum sim, quotidie nascor, & intereo.

Quisnam sapientissimus sit?

*] Thales Milesius scitatus, *quid in tota rerum natura esset sapientissimum*, respondit, *Tempus*. Et meritò: illud enim detegit universa.

Est tam vera hæc doctrina, ut Domini nostri Iesu-Christi labiis meruerit consecrari. Matth. 10. 26.

::] καλύπτομαι.

οὐδὲν γάρ ἐςι κεκαλυμμένον [::] ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται. καὶ κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται.

Tempus omnia secreta detegit.

Nihil enim est occultum, quod non revelabitur, & abditum, quod non scietur.

Habet Vulgatus, *Nihil enim est opertum, quod non reveletur; & occultum, quod non sciatur*. Arias autem Montanus, *revelabitur*, & *scietur* in futuro dixit, ut Græco idiomati se attemperaret.

CASTANEA.

Apud Io. Antonium Campanum.

An ventosa sit, & ventri nociva?

Ventosam qui me censent, ventriq; timendam,
Falluntur, ventos pello ego, non facio.

ECHO.

Apud Actium Sincerum Sannazarium.

Echo est imago vocis, non faciei.

Cum facie caream, quaris, cur dicar imago?
Logica Moralis.
Cum tua verba sequar, dic, ubi lingua mea est?

ROSA.

Apud Paulum Melissum.

Succi plena boni sum, ast ex me sugit Arachne
Nil nisi virus; Apis mel, liquidosq; favos.

De Rosa fuere. Sit-ne bonus, an malus?

LIRA.

Apud Stephanum Paschasium

Muta arbor fueram, quæ nunc moduloruq; canoq;
Vita mihi sic mors, mors mihi vita fuit.
Invida viventi nam, quam natura negarat, 235
Post obitum felix addidit ars animam.

An habeat, animam artificialem?

BACVLVS.

Apud eumdem.

Mi Natura oculos, aures, animamq; negavit,
Sum cæco ipse tamen duxq; reduxq; via.

An cæcus cæcum possit ducere?

AMNIS.

Apud eumdem.

Cætera continuis prætervolo cursibus unus,
Vno perpetuus sum tamen ipse loco.

Semper est unus & idem fluvius: non unitate reali & simultanea, sed tantum virtuali & successiva.

SOLISEQVA.

Apud Benedictum Iovium.

Vertor ad occasum, rursum conversor ad ortum:
Solis amo radios: an mihi sensus inest?

Solisequa *Latinè dicitur, quæ Græcè* ἡλιοτρόπιον, *& Hispanie* Rosa de So *cognominatur.*

SIMVLTAS.

Apud Ludovicum Bigum.

Blanda foris videor, sævas intrinsecus iras
Occulo, & arcana spicula iacto manu. [*]

*] Huc pertinet Hispanorum Adagium, *Tira la piedra, y esconde la mano.*

Hypocrisis.

Apud eumdem.

Sancta foris, sed parva [::] domi est mihi vita placendi.
Caussa homini, parvi ladere pendo Deum.

::] Nisi ratio carminis Lectorem manuduceret, *prava* potiùs, quā *parva* legi debere existimaret.

Scandalum.

Apud eumdem.

Vt multi facto, aut dicto imprudente ferantur
In praceps, causam fomite prasto mec.

Linguam habens, & ostentator loqui possunt & solent, ab actibus bonis, malisque exempla provenientia & scandala.

Fama.

Apud Conradum Bredebachium.

Me bona vita parit: per me post fata sepulti
Vivunt: hinc meritò Mors fera te supere.

— Fama est post fata superstes.

Echo.

Apud Ioannem Lauterbachium.

Eliagaem sterilis me trasit mater in auras,
Et sine carne mihi corpus inane dedit.
Ne tamen hoc aliqua sine fruge morarer in orbe,
Humana jussit reddere [*] voce sonum.

*] Nota illud *reddere*, respōdet enim, loqui autem nūquam incipit. Ovidius *lib. 3. Metamorph.* Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.

Rubigo.

Apud Conradum Bachmannum:

Me non dura fames, me non amor urget edendi,
Sed ferri, & chalybis sit mihi lamna [::] cibus.
Me vesci prohibent oleum, tam crebrior usus:
Hac duo me vires non dia habere sinunt.

Rubigo etiam in ferrum audet. Lucanus *libr. 1.* Et nigros scabræ morsu rubiginis enses.

::] *Lamna* pro *Lamina*. Sic & olim Horatius libr. 2. Carm. Ode 11. dixit enim

Nullus argento Color est, Avaris
Abdita terris inimice Lamna
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Sumitur metaphoricè illud *Nullus color*, ut sit *nulla gloria*, vel *nulla majestas*. Divitiæ enim si intemperatè utaris, malæ per accidens, & perniciosæ sunt.

Quid lamna sit?

De divitiarum abusu.

Ovum.

Apud eumdem:

Nec caro, nec piscis, de carne, & pisce creatum
Hujus, & illius suppleo sæpè vices.

Suntne ova caro, an pisces? Neutrum realiter: & utrūq; virtualiter. Fortè Ovum est animal vivens in actu primo.

Ignis.

Apud Nicolaum Reusnerum:

Omnia consumo, foveo simul omnia, rerum
Causa fui, rerum mox quoque finis ero.

Quid, & qualis sit ignis?

Pronomen Me.

Apud Petrum Franciscum Passerinum.

Mox Ego pone sequor bis binis casibus ictus.

De Pronomine Me.

Claudar istum Articulum Sapientia, quæ in Honorato Ioannio omnem Virum eruditum adloquitur. [Vide P. Athanasii Kircheri Archetypi Librum I. quoniam in ejus pag. 79. depingitur Harpocrates; quem exornatum pharetra, & inter Papavera sedentem, Gallus, & Noctua comitantur: & posteà pag. 82. Sapientia Nympha esse fingitur, canere, & præcedentia symbola sequentibus numeris dilucidare.]

Imago Harpocratis.

Fortuna domitrix Ego sum, scelerumque flagellum,
Vtq; hominem tuear, superamq; in tecta reportem,
Incolumem, stygias omnes demolior arces.
Ars mea Mortales ad Olympica Regna, Deumq;
Hortari, monstrare vias, quibus iter in altum.
Nescio delicias, nullum insidiosa voluptas
Mecum fœdus habet; mihi lis de limite Regni
Cum vitiis, multumq; inter contraria pugno.
Me labor assiduus validam facit otia frangunt,
Et quoties opus est, armis exterrita nullis
Congredior, vinci, & succumbere nescia, si quod
Pondus ob adversis invictum est casibus aqua

Qualis Sapientia sit?

Quid præstet?

De labore & otio.

Semper vincit.

Eru-

Sapiens est Deo similis.
S. Benedictus cap. 19. suæ Regulæ. *Consideremus qualiter oporteat in conspectu Divinitatis & Angelorum ejus esse: Et sic stemus ad psallendum* (nempe, Deo & loquendum hominibus) *ut mens nostra concordet voci nostræ.*

Erudiens paucis, Dis immortalibus ipsis
Persimilem reddo, & tandem super æthera tollo.
Cordi sint insculpta tuo sacra Symbola Nili,
Cor Linguæ conforme tua sit pectus apertum, [*]
Abdita sed mentis tacito sub pectore condas,
Turbantes galli crocitatus gutture stringes,
Supernis accensa bonis, mens luceat orbi,
Noctua Solivagi verax Sapientis imago.
Quidnam te deceat, supra enarrata docebunt,
Mortis te memorem collecta papavera signant.
Pugnas cum vitiis conferta pharetra sagittis
Connotat; excelsa mortalia temnere mente.
Hac disces, sic dona Deò, sic semina morum
Sic semen virtutum animis Regalibus indes.

Quid Gallus, Noctua, Papavera, & Sagittæ significent?

ADLVSIO.

Quid ipsa sit? Præmittuntur nonnulla necessaria Doctrinæ. An in Adlusione Adagium, Historiam, aut Fabulam attingere & tantùm insinuare sufficiat, quin ex integro totum dicatur? exhibentur in specimen aliquæ Adlusiones, An Adlusio à suppositione distinguatur?

Quales esse debent Historia, unde Adagia sumuntur?



SVNT hodie ditiores, quam erant olim, omnes linguæ; nam ætate illæ novas phrases, & modos dicendi conquirunt. Multæ ex Adlusione ad notabiles casus ducuntur: & quia varii quotidie accidunt, variæ resultant. Adlusio quidem, ut grata auribus fit, verba debet in aliam diversam significationem convertere, scribit enim Valla libr. 4. *Est adludere, cum aliud dicimus, & ad aliud sententiam latenter referimus; cùm videlicèt aliò quod dicitur, refertur.* Virgilius Æneid. libr. 7.

Nec plura adludens ea vox audita laborum
Prima tulit finem.

Et Cicero 1. de Orat. *Galba autem adludens, variè & copiosè multas similitudines afferre.* Historiæ autem & Fabulæ, quæ ditant, & exornant Idiomata, & Adlusioni serviunt, esse debent plausu communi admissæ: quoniam *Adagia*, ut asseverat Varro, quasi *Circumagia*, hoc est, *Circumacta*, dicuntur. nec enim tale nomen Assertiones Veræ, etsi ingeniosæ, & pulchræ, sortiri possunt, nisi passim per hominum ora circumambulent. Vnde insinuari solent (Hisp. *Basta, que se appunten*) nam audito uno, aut altero recepti Adagii verbo, cætera subaudiuntur. Supponit id, ut indubitatum Georgius Pachymeres in Palæologi Imperatoris vita: libri enim tertii capite XXIII. sic scribit.

Adagia. Circumagia. Circumacta. *Sufficit insinuari, ut intelligantur Adagia.*

Ε'ι δὲ καὶ Κομητῶν ἀεὶ οἱ φοβερώτατος, ὡς ἐκεῖνος ἦν τοτε, τὸ κακὸν πρόδηλον ἐλευσόμενον. μαρτυρίον γὰρ τȣ̃ λόγȣ καὶ τὸ λεγόμενον.

ȣδεὶς Κομητης ὅςις ȣ̓.
προςιθεῖσι γὰρ καὶ τὸ λοιπον οἱ ἐν εἰδότες τῶν τοιȣ́των, τὸ
φύσει κακὸς ὡς γίνεται τὸ σύμπαν ἴαμβον.

Senarius Græcus legibus Metricæ satisfacit: & Latinus, *Nullus Cometa, quin sit natura malus*, habet illud *sit* longum, in loco, in quo Iambus syllabam correptã requirit.

Quòd si apparentes Cometæ de genere peculiariter terrificorum sint, qualis omninò hic fuit, manifestum augurium est infortunii, aut cladis imminentis: adstipulante Vulgari Dicto.

Nullus Cometa quin sit, *cui inchoata sententia nemo peritus audiens, non continuò illud ad absolvendum Græcè Senarium Iambicum deficiens.*

Ptolemæus ait, Nullum Cometam Mundus impunè vidit. Eum tamen falli communiter Interpres asseverant.

Natura malus. *&c.*

Ecce Adagium totum ab Audiente intelligitur, tametsi tantummodò ex parte dicatur. Pro-

226

Historia aut acciderunt, aut accidisse cogitantur.

Profectò Historiæ, ex quibus desumuntur Adagia, veræ aliquandò sunt, & aliquandò cogitatæ: jam enim post Cervantes, celebrè Scriptorem, *que las Historias se di viden en sucedidas, y pensadas*, Hispani Eruditi pronunciant.

SECTIO I.

An, & quomodo nascantur Adagia?

NON sunt Παροιμίαι, quas vocamus *Adagia*, Positiones Veritatis æternæ: nascuntur enim in tempore, adolescunt Auditorum applausu, & antequam nascerentur, non erant. Sicut prodierunt multa Antiquorum ætate: sic nostra aliqua prodeunt, & olim nonnulla prodibunt. Vt autem id persuadem, succurrit Adagium in Hispania hodie celebratissimum, videlicet, *Vuelvo-me a mi redoma*. hoc est, *Revertor ad phialam meam*. Quo ille utitur, qui incepit moliri aliquid, quod valde utile sibi putarat, & quia inopinata pericula, & inconvenientia experitur in praxi, re meliùs prospecta, desistit. Duas supponit cogitationis vi existentes Historias. Vtramque edissero.

De Adagio Vuelvo-me a mi redoma.

Vnde exordiũ desumpserit?

Recensetur celebris de Marchione Semphronio Fabella.

Est prima. Inter alios Necromantiæ peritos, qui in Antris Salmanticensibus operã dederunt Lucifero, Marchio Semphronius, ut fabulantur Carmina, primum locum obtinuit. Hic deceptus à Dæmone, tali nimirùm horâ, quâ in mortis domum ingressi fuerant Planetæ fortunati, & vitales; quâ adspectu satutifero Saturnum, Martemque prospectabant, se interimi, & in frusta minutissima incidi jussit, & in Phialam immitti, & novem mensibus igne temperato foveri. Obediit servus: & sic ante diem periit ille, qui in æternum superesse voluerat.

*] D. Franciscus de Quevedo, nescio an satis prudenter, de re summè seria, hoc est, de pœnis inferni, nugatur. Variæ sunt ejus somniorũ editiones; in aliquibus hæc Fabella invenitur: sed quia est invidia plena, in aliis fuisse à Quevedo cogitata siletur, aut expressè negatur. Interim, quia ortũ, & progressum Adagiorũ dilucidat, à nobis, omissis personarum, quæ tanguntur nominibus, proponi debuit.

Est secunda. Titius, qui in somnis visitabat [*] Diabolos, & cum Manibus conversabatur, in subterraneo quodam antro supra mensam marmoream crystallinam Phialam prospexit. Vniversi illam Manes, qui fortè transibant, decenti reverentiâ honorabant. Miratur Titius, & interrogat, quid tanta in vitro cura, & veneratione conservetur. Respondit Dæmon. Ista crystallo includitur ille, ille, celeberrimus Marchio, propter quẽ suę Patriæ nomen per libros, & historias decurrit. Et, si eũ videre vis, possũ tibi favere, nam sicut ante obitum illi nonnulli fuerunt à cubiculo, nunc eidem sumus quatuor Genii à cooperculo. Dæmon à Titio oratus, decenti reverentiâ præmissâ elevavit cooperculum: & ecce cingulo tenus emergit homo pulcher, vultu ad majestatem, & doctrinam composito; & omnia gravi quãdam circumspectione lustrans, ubi Titium adstantem inter umbras vidit, & superstitem esse, & ex Hispaniâ illuc curiositatis gratia devenisse cognovit, illum advocat, & affatur his verbis.

Audi; quem ducit noscendi arcana cupido
Ditis ad antra vagum, quem ad subterranea regna.
Hic annus (vitro observo nam Sydera clausus)
Sæcali Hyperboreis est quinquagesimus: olim
Numina quem decorant. Vt eam pertingere possem
Cælesti auspicio, jessi me in frusta recidi.
Regnat in Hesperiâ nunc Maximus ille Philippus,
Quem prædixit Atlas; quem nomine Achillis Homerus
Pinxit; Alexandro Magno, qui major habetur.
Ergo ferte citi vestes, talaria [*] plumas.
Exornentur equi phaleris, armentur Ephebi,
Vadamus celeres ad celsa palatia Regis.

*] *Talaria* alata calceamenta sunt (Græcè πέδιλα) qualia erant, quibus utebatur Mercurius. Virgilius libr. 4 Æneid. *Pedibusque talaria nectit Aurea.*

Dixerat, & statim tenebrosæ regionis Incolæ diligentia obsequiosa omnia incolatui necessaria disponunt: hinniunt equi, reboant timpana, clangunt tubæ, & Marchio se itineri præparat. Interim, ubi majori apparatu fervent omnia, ut cessent tantisper manu imperat, & sic affatur.

Hæreat hens strepitus, nam circumstantia quædam,
Non potuere Poli, quam sacra nec Astra referre,
Me juvat: unde illam solers addiscere glisco.
Est-ne bonus Rector Regis Semphronius heros?

Ipsissimus est. respondit Titius. Et Marchionis tunc fervor, ac si imbre fri-

Regni felicitas, aut infelicitas à supremi Ministri prudentia, & fatuitate dependet.

frigido fuisset extinctus, mutat consilium & exclamat,

Ille! Regente homines siquidè Sempronio, liberi

Pessima fata manent Phiala ad secreta reverter.

Et hæc, ut dixit, se in Crystallinum submersit carcerem, reliquitq; hoc Adagium *Reverter ad phialā meam.* Hispanicè, *Vuelvo-me a mi redoma,* quod Titius, ad superiorem Mundū redux, hominibus communicavit, & ab Hispanis fuit summo applausu receptus.

SECTIO II.

Doctrinas aliquas Generales propono.

Regulæ Generales dicuntur, aut quæ in genere latæ; aut, si in specie, aut individuo pronuntiatæ, ampliari possunt, aliisque casibus, sub similibus circumstantiis servire. Nam plerique omnes Iuris Ecclesiastici Canones, & Cæsarei seu Politici Leges, Casuum fuerunt particularium Decisiones, quæ per similitudinem transiverunt in Regulas. Ergo hic nos in hac Sectione proponemus Doctrinas, quæ aut Generales sint, aut aliàs per analogiam ad Casus similes extendi possint. Ergo attende.

Quid Generalis Regulæ nomine intelligatur?

Quando est aliquod prædicatum, quod sub tali verborum tenore de solo uno subjecto vulgò dicitur: qui de re A. prædicatum hoc dicat, etsi subjectum non nominet, hoc etiam de re A. censebitur prædicare. Consultò illud *vulgò* posui: nam propositio debet esse passim recepta; & talis, ut uno, aut altero verbo audito, tota in mentem veniat, & subintelligatur. Pono exemplum. Est adagium Hispanicum. *De las mentiras no se paga alcabala,* hoc est, *Mendacia non solvunt vectigal.* Modò attende. Ioannes, & Celsius rixabantur, & obloquebantur. Et ille huic. *Multa, & nimis profectò multa dicis, sed ob illa nullum vectigal solves.* Verba fuerunt gravissimā advertentiā dicta: quæ tametsi tunc non intellecta à Celsio, illum postridiè maximè perturbarunt: quoniam hæc Propositio, *Verba, quæ dicis, nullum vectigal solvent,* æquivalent his, *Verba, quæ dicis: sunt mendacia.* Et unde id colligo? Quia Ioannis

An, & quando ex duabus rebus connexis, si altera prædicetur, altera censeatur etiam prædicari?

Adagium Hispanicum?

An Principi solvatur vectigal de mendaciis?

verba per adagium restricta inferunt illa, quæ esse æquipollentia dicebamus. Totum Syllogismum subiicio.

Verba, quæ non solvunt vectigal, mendacia sunt. Constat ex Adagio illo, *De las mentiras no se paga alcabala.*

An in unica sola propositione includi possit integer syllogismus?

At verba illa, quæ Celsius protulit, censentur vectigal non debere solvere.

Ergo verba illa, quæ Celsius protulit, censentur esse mendacia.

Considera totum hunc syllogismum. Sola minor profertur: & totus in illa consistit: nam major subintelligitur: & minor illa expressa, per majorem, quam non dicis, restricta, infert tacitè consequentiā quam similiter taces, & per intellectum solum infers.

Uberioris doctrinæ gratia adhuc alterum casum propono. Conquerebatur Heliodorus, se à Livio proditum, & multas evomebat injurias. Et Livius homo impatiens, voluit respondere Militari Rhetorica. Se interponunt Viri Egregii, & Prudentes, & Heliodorus Livio reconciliatur. Paucis diebus elapsis Livius Isidorum invisit. Et ille ait *Amice ad quid venisti? Insinua verbulo: sum enim obedire, & servire paratus.* Ut audiit, rapitur in furorem Livius, & asserit se *Iudam, Christi proditorem,* vocari. Causam inimicitiæ præcedentis redire: & Hispanicè loquens, *Que otra vez las nueces se vuelven al cantaro.*

Alia Historia proponitur.

In prima hujus libri Editione pag. 340. omisit Casū hunc, & tamen posuit Decisionē Typographus.

An Christi verba esse injuriosa possint, si aliqui Viri probe dicantur?

Sed cur? Quia in horto, supervenienti Iudæ, *Amice ad quid venisti?* dixit Christus. Ergo, si illa verba formalia reponuntur: Christus videri vult, qui loquitur; Iudam, cui loquitur.

Cur Livius contra Heliodorum conqueratur?

Quid autem ego pronunciarem, si in arbitrum essem delectus? Putarem sanè hæc verba non carere mysterio, & considerando priores circumstantias, per ipsas illa transmutari, & restringi. Unde non esset judex temerarius, qui opinaretur, eas respexisse Heliodorū, & verbis, quę ad Iudam Christus Dominus dixit, usum fuisse, ut Livium velut Iudam tractaret.

Resolutio.

Est in adagio apud nostrates. *En casa del ahorcado, no se ha de nombrar la soga.* Et cur? Quia hoc nomen *soga* (Latinè *Funis. laqueus*) quod generalem apud alios signi-

Quid vox soga significet? Et in tali, vel tali loco dicta quid importet?

significationem sortitur, in domo laqueo suspensi dicta, vel corā ejusdem filiis nominata, non est dictio solitaria, ad primam mentis operationem (simplicē apprehensionem) spectans, sed est integra propositio (judicium) & per locum, & personas coram quibus dicitur contracta, & ad specialem significationem restricta, æquivalebit huic Propositioni, *Vester pater in patibulo periit*. Ergo illi, de cujus fidelitate dubitabatur, non fuerunt dicenda verba, quæ proditori Iudæ: &, si dicta fuerint, cincta erunt circumstantiis personæ *cui*, quam habebant, cùm fuerunt à Christo prolata.

An unica dictio, continere possit integram propositionem?

Consequentia nota vox est, & ab Hispanis bene profertur *consecuencia*: male autem *consekencia*, sed tamen etiam sic aliquando profertur. Erat Salmanticæ Doctor N vir pius, sed durus, & austerus, qui ψευδονόματι *ficcus* nominabatur. Semel in disputatione publicā fuit argumentatus; & ad primum Enthymema *Nego consekenciam*, ait Propugnator, & in risum dissolvitur academicum vulgus. Et, cur sic rident, quæso. Quia illa vox *consekencia*, tali modo prolata, talique homini dicta, significat. *Tu es unus ficcus*. Et quidem vox ipsa *fico* apud Hispanos mores concernit, & difficilem virum significat.

Quomodo apud Hispanos profeṙatur syllaba que?

Seco, quid sit Hispanicè?

Occurrit alius Casus similis, è quo abortæ fuerunt graves difficultates. An-ne illum narrare verbis Latinis potero? Vtar, si non potuero, Hispanicis. Scire ergo oportet chartas lusorias apud nos *náypes* dici: omnes simul vocari *una varaxa*: & illas immiscere, turbare, & variare, *varaxar*. Venio ergo ad historiam his præmissis. [Clarius (vocetur sic) etiā Salmanticæ Theologiæ Doctor, ludo deditus, multa aureorum millia in παιδιᾷ & λέρᾳ dilapidaverat: & erat nihilominus ingeniosus, & doctus. Dum publicè responderet Arsindus, incepit argumentari Clarius. Ille argumentum; & bene ut putabat, dissolvit. Vociferatur Clarius, & multa immiscet, quibus perturbetur solutio. Et Arsindus impatiens ait. *No me varaxe la respuesta*. Clarius irascitur: sunt à Clario Doctores: respondentis petulantia accusatur, &c. sic ibi accidit. Et tu interrogas, quid hæc verba significent, *No me varaxe la respuesta*? Respondeo hæc verba bifariam posse considerari: vel secundum se, vel prout tali personæ dicta. Sub primam considerationem, puta, si alii fuissent argumentatori dicta, æquivalerent his, *Ne meam solutionem perturbet*, & nihil continerent mali: at tali homini dicta, & per tales circumstantias restricta, propter illud verbum *varaxar*, quod de solis chartis lusoriis propriè dicitur, & aliò nonnisi per metaphoram transponeretur, putarem illa Hispanica verba latinis istis correspōdere. *Inturbet, & misceat chartas lusorias, ut soles; non mea verba; hic enim in Gymnasio, & non in παιδιᾷ sumus, non ludimus, sed seriò agimus*. &c. Ergo hujusmodi Arsindus Clario verbis injuriam, & ignominiam intulit, quoniam *Aleatorem*, & *Lusorem* vocavit.

Quid sint apud Hispanos Naypes, varaxa, & varaxar?

An verba Arsindi sint injuria?

Quid significent, si absolutè sumantur?

Et quid, si ad ludum chartarum alludant?

SECTIO III.

Nonnulla recensentur, & dilucidantur Adlusiones.

Apud Virgilium rem, & nomen Adlusionis reperio. Æneas scire desiderans, ubi tandem ipse, & sui Troës post tot labores quietam sedem invenire deberent, Anchisem apud Elisios consulens, hoc excepit Oraculum.

Virgilius Æneid. lib. 7.

Cùm te, Nate, fames, ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tunc sperare domos defessus, ibiq; memento
Tunc locare manu, moliriq; aggere tecta.

Anchises de mensis comedendis Oraculum.

Et anxius dubitare incipiebat, an nulla sibi unquam obventura esset quies, non enim judicabat possibile, ut aliquando mensæ comederentur. Interim

Post varios casus, & post discrimina rerum,

majores, fortioresq; universis periculis,

Æneas, primiq; duces & pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris alta;
Instituuntq; dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (sic Iuppiter ipse monebat)
Et cereale solum pomis agrestibus augent.

Con-

Consumptis hic fortè aliis ut verte-
re morsus
Exiguam in Cererem penuria ad-
egit edendi,
Et violare manu malisq; [*] auda-
cibus orbem
Fatalis crusti patulis nec parcere
quadris.

*] *Mala*, a. si producit primam, est gena, Grecè σιαγών, Hisp. *la maxilla*. Lucretius libr. 5. *Inventas molli vestit lanugine malas.*

Hoc ipsum, quod prospectabat, cum Oraculo ab Anchise reddito, quod pluries recenseri perceperat, componens, locum illum suæ quieti à Diis destinari,

Quid sit illa mensarum comestio alludendo ad Oraculũ.

Heus! etiam mensas consumimus?
inquit Iulus.

Et prosequitur Historiam Maro dicens.

Nec plura alludens. Ea vox audi-
ta laborum
Prima tulit finem; primamq; lo-
quentis ab ore
Eripuit Pater, ac stupefactus nu-
mine pressit.
Continuo. Salve fatis mihi debita
tellus,
Vosque ait, ô fidi Trojæ salvete Pe-
nates.
Hic domus, hæc Patria est. Genitor
mihi talia namq;
(Nunc repeto) Anchises Fatorum
arcana reliquit. &c.
Hæc erat illa fames; hæc nos su-
prema manebant
Exitus positura modum.

Per circumstantias concurrentes illam esse famem de qua Oraculum loquebatur, cognoscitur.

Ecce fames illa, quæ diversa posset significare, ad verba ab Anchise prædicta alludens, restringitur, ut significet, quantum & Iulus, & post illum Æneas lætus, & exultabundus exponit.

INter Ciceroniana Apophthegmata pulchra recensentur. Adlusio, quam ut intelligas, de Sphinge nonnulla præmittam.

Quanã Sphinx fuerit?
Vnde nomen habuerit?

Σφίγξ, ut Lactantius Papinianæ Thebaidos Interpres asserit, monstrum erat, alas, & ungues in Harpyiarum similitudinem habens. Α'πὸ τῦ σφίγγειν, hoc est *à vinciendo*, & *constringendo* nomen indepta fuit; quoniam superbiebat ingenio, & se argumentis posse universos constringere, & vincire putabat. Viæ imminenti insidebat scopulo, & Ænigmatibus, quæ transeuntibus proponebat, aut ab iis proposita dissolvebat, sævissimè delectabatur. Lex enim erat ingeniosi Certaminis, ut vel ipsa, si solverent, vel illi, si non solverent, mori deberent. Multa multis proposuit, quos, quia Quæstionem non sciverunt decidere, unguibus crudeliter dilaceravit. Accidit, ut transiret Oedipus, & illi Sphinx hoc Problema proposuit.

Dic Peregrine mihi, nam vita pi-
gnore [*] certo:
Quale Animal pedibus procedis
mane quaternis,
Subq; die medio binis, & vespere
ternis. [a]

*] Dissertationis pretium *pignus* dicitur. Vnde Virgilius *quo pignore certas?*

Et tunc Oedipus, nam erat ingeniosus, his verbis ænigma difficile, & obscurum decidit.

Ænigma de Homine.

Est Homo. Namq; Infans repit pedi-
bus, manibusq;
Incedit pedibus majore ætate duo-
bus:
Fitq; tripes Senior baculi fulcimi-
ne nixus.

Quid Sphinx nunc significet. 238

Quâ solutione auditâ, rabie urgente, & certaminis lege indicente, è saxo se illa præcipitavit, & periit: at reliquit nomen, quo etiam nunc *Personam Ænigmatum inventricem*, & *solutricem* significamus. [b]

Nunc ad Historiam venio, & ostendam Adlusionis virtute multa interdum paucis verbis exponi.

Verres unde dicatur.

Verres, quem à verrendo nomen fortitum dixit Cicero, quod ubicumque pedem poneret omnes divitias verreret. Is tantâ avaritiâ administravit in Præturâ Siciliam, ut ab incolis repetundarum postulatus, Romam reus venerit; fueritque coram Senatu, & Populo à Cicerone accusatus, & ab Hortensio defensus. Sphinga argenteam magni pretii, ut fuæ causæ accuratè prospiceret Verres dono dedit Hortensio: at erant ejus rapinæ, & extorsiones tantæ, & tam publicæ omnes, ut debuerit damnari. [Exstant etiam num actiones Ciceronis in Verrem, quæ solæ ex priscis illis Accusationibus ad nos pervenire potuerunt.]

Quare damnatus?

Et quid Hortẽsio dederit?

Verba gravida, quæ?

Dum hæc causa ageretur, alia in Senatu gravia negotia tractabantur; & quoniam obliquiùs, & obvolutiùs (Hisp. *con palabras preñadas*) non nihil dixerat, Cicero, quod Hortensium videretur concernere, aut etiam pungere; ille, ut se ab onere respondendi subduceret, *Non didici*, ait, *solvere Ænigmata*. Cui statim Cicero. *Atqui Sphingem* [c] *habes*. Quo dicterio duo Hortensio Cicero exprobrabat. Alterum, Avaritiam ignobilem: nam cum Iurisprudentiæ dedecore, quando alii

Vnicõ verbo Hortensius, Avaritia & Simulatione incriminatur.

Logica Moralis. Yyyy Ora-

Oratores dicebant coram Senatu gratis, suum ipse Verri patrocinium vendiderat, & pro laboris pretio argenteam Sphinga receperat: Alterum, Simulationem; quæ enim optimè intelligebat, sibi dicebat esse ænigmata, ne respondere cogeretur.

a] Quia mane, meridie & vespere illud Animal, quod Sphinx proponebat, & esse hominem dicebat Oedipus, diversa accidentia patiebatur, & aliquid simile in hoc relucet Disticho,

Qualis sit vita humana?

Vita hominum brevis est, variis obnoxia curis:
Mane viret, languet vespere, nocte cadit.

illud volui subscribere.

Sanè Sphingis ænigma multis non placet. Illud Stobæus *serm.* 62. vilipendit. scribit enim. *Porrò Sphingis ænigma multa quoque conficta habet. Non enim reverà tripes est senex, si baculo innitatur; neque infans est quadrupes, quia gressus molles & infirmos manibus fulcit.* &c.

De Ænigmate Sphingis.
An sit bene propositum?

b] *Sphinx* nomen est proprium, &, si appellativum sit, *personam*, ut dicebamus sonat, *ignotorum & difficilium Problematum inventricem & expositricem*. Idem prorsus dixero de *Oedipi* nomine: quoniam, si proprium sit, Laji Thebanorum Regis, & Iocastæ nobis filium indigitat: si commune hominem ingeniosum & intelligendis quibuslibet ænigmatibus parem. Vnde ortum est Proverbium, *Davus sum non Oedipus*, quo utitur Terentius *in Andria*, ibi enim sicut pro rudi & imperito *Davus*, sic & pro ingenioso & acuto *Oedipus* sumitur.

Quid sit Sphinx, si ut nomen commune sumatur?

De Oedipi nomine.

Quid significet Davus?

Οἰδίπȣς, secundum Græcè acuit, & primam & tertiam producit: Latinè autem secundam corripit, & habet ultimam indifferentem. Ita Ioannes Baptista Ricciolius in Prosodiæ Reformatæ Indice Generali.

Quo metro nomen Oedipus mensuretur?

Prodiit Opus Ingeniosum & pulchrum, quatuor voluminibus distinctum, Authore P. Athanasio Kirchero, in quo Historia & Sapientia Secreta Aegyptiorum exponitur, & *Oedipus* inscribitur.

De Oedipo P. Athanasii Kircheri.

c] Ex Plutarchi Apophth. Rom. Erasmus, Iosephus Langius & alii dixisse Ciceronem asserunt, *Atqui Sphingem domi habes*. Conceptus vivacitas postulat, ut obliteretur illud *domi*, Non enim debebat in oxprobratione excusationem subministrare Hortensio Cicero; nam posset ille respondere, *Tametsi Sphingem habeam, ænigmata hic & nunc nequeo solvere; domi enim illam habeo, & nunc verborum mæandris in Senatu præpedior*.

Apophthegma corrigitur.

Sunt, qui putent Sphinga Quæstiones proposuisse, non solvisse. Si eorum sententia staret, Hortensio ineptissimè dixisset Cicero, *Sphingem habes*. Ergo debere sic cogitari historiam, ut Sphinx difficiles & intricatos proponeret & dissolverit nodos, certum est. Nota illud *cogitare*; omnia enim, quæ de Sphinga narrantur, Historiis cogitatis adscribo.

An Sphinx quæstiones proponeret, non tamen ab aliis propositas solveret?

Sphingis historia est cogitata.

SECTIO IV.

Illa, ad quæ alluditur, debere esse notissima.

IMpossibile est, ut qui Historias, Fabulas, aut Parœmias, quæ tanguntur ignoret, Epigrammata intelligat: & hanc ob rem multa in Martiale nostro, multa in aliis, leguntur, & non intelliguntur. Vnum ingeniosum in exemplum propono.

Quàm sit necessaria Historiarum, Fabularum, nec non Adagiorum cognitio?

En un punto, en un instante,
Si es que en un instante hay punto,
Se vió mucho Infante junto, [a]
Y se vió solo un Infante.
Todo esquadron fuè volante,
Todo caballo ligero, [x]
Disculpas buscar no quiero,
Pues son frias las que dan;
Lo cierto es, que Don Trisian
Obró como Caballero. [b]

Hæc digna scholio Carmina, ne subsint, aut calumniæ, aut invidiæ, ita debent intelligi, ut in nostri Ævi Historiam non se insinuent, sed ob oculos ponant Milites, qui leguntur in decrepitis Hispanorum Annalibus. Infans igitur, de quo in illis agitur, Inichus Sanctius fit, Roderici, ultimi Gothorum Regis consobrinus: qui anno Domini DCCXIII. cum Mauris in Hispaniam ingressi adverso Marte prælium iniens, & victus, & occisus est.

Ab Agarenis occupatur Hispania; & in conflictu occumbit Infans Inichus.

a] Apud Hispanos Regni hæres *Princeps* dicitur, fratres autem *Infantes*. Et tam honorificum istud cognomentum censetur, ut Ferdinandus I. Philippi I. & Ioannæ Hispaniæ Regum Filius, & Caroli V. Imperatoris frater, etsi Hungariæ & Bohemiæ regnis auctus & Lauru Cæsarea insignitus, in Inscriptionibus publicis, quæ etiamnum Viennæ in muris Civitatis leguntur, *Infans Hispaniæ* nominetur.

Quis Princeps & Infans sit in Hispania?

In exercitu juxta Hispanorum labium *los Infantes* sunt pedites, & *la Infanteria* peditatus.

Et hinc jam sensus versuum priorum percipitur, erant enim sub initium multi infantes (multi pedites) simul: illisque citò cæsis, & in fugam actis, mansit solus in acie unus Infans (videlicet Inichus Sanctius.)

a] Sunt in acie *levioris armaturæ Equites* quos nos *Caballos ligeros*, hoc est *Equos citos* vocamus: sunt etiam *acies mobiles*, Hispan. *Esquadrones volantes*. D. Didacus de Saavedra in Corona Gothica. ad ann. 714. *Era tambien terrible el aspecto de la Caballeria. La Española era ligera y fogosa; pero mas hecha al passeo, que a la campaña. La Africana estaba mas exercitada en escaramuças.* &c. Et hic Poeta ingeniosè amphibolis vocibus utitur, ut velocitatem exprimat qua se subduxerunt à campo Hispani Milites; potiùs enim quam fugere, videbantur volare.

Levioris armaturæ Equites. Caballos ligeros.

b] Etsi *Caballero* (Latinè *Eques seu Nobilis*) nomen commune sit, propter egregia facinora oni debuit accenseri familiæ, quæ hodie inter Nobiliores & Antiquiores honoratur.

Caballero.

Vbi aliquem laudare volumus, *que obrò como Caballero* (hoc est, *quòd processit ut nobilis*) asseveramus.

Quid sit obrò como Caballero?

Accidit ergo, in miserabili illo conflictu, ut D. Aurelius Caballero sub ipsum pugnæ initium fugerit, & quia eumdem fuit illicò D. Tristanius imitatus, dicitur, *que obrò como Ca-*

balle-

Hic, tametsi nomen Caballero *videatur esse commune, est proprium.*

ballero, quod se gessit, non quidem ut deberet Vir nobilis, sed ut D. Aurelius Nobilis. Ergo conspicis Elogium illud *Obrò como Caballero*, postulare ut nomen *Caballero* commune sit: & hic quia propriè sumitur, & unum militem determinatum, & hunc profugum & ignavum significat, in ignominiam & vituperium verti.

Pierius Valerianus libr. 33. pag. 314.

INter Priscorum Apophthegmata hæc reperiuntur Majoris Catonis verba dicta Lentulo. *Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere*, quæ tametsi à multis legantur, aut audiantur, à paucissimis intelliguntur.

Nomen Os propriè solet, nec non metaphoricè sumi.

Interrogas, An fuerint Romæ aliqui, qui ignorare, aut etiam negare potuerint quod Lentulus fuit homo, & quod Deus

Prona cùm spectent animantia cætera terram
Os homini sublime dedit?

Et respondeo, vocem *os* accipi posse duobus modis; propriè videlicet, & metaphoricè. Si primo modo, *buccam* significat, & *verecundiam*, si secundo sumatur. Hinc obtinuit Adagium, quo inverecundi *Ore carentes*, aut etiam *Efrontes* (Hisp. *descarados*, aut etiam *desollados*) dicantur. Et quia huc adludebat Cato, historiolam propono. Erat insolens, & audax Lentulus: Cato autem gravis, & prudens Senex, ejus mores inconditos carpebat. Vt se emaculet, injurias Lentulus in Catonem explodit, & præter convitia, sputum in ejus faciem insolenter ejaculat. Tuncque animo sedatissimo Cato, sudario faciem abstergit, dicens *Affirmabo illos falli, qui te habere os* (hoc est, verecundiam) *negaverint*.

Efrons. Sine fronte sine ore. *Hispanicè* un descarado: un desollado.

ORaeula, quæ Petri Grullii nomine apud Hispanos recensentur, & in syntagmate, quod *Visita de los chistes* inscribitur, apud D. Franciscum de Quevedo leguntur, sunt doctrinis summè utilibus exuberantia; & omnia *pag.* 172. sigillantur, & clauduntur his numeris.

Quando quis nos aliqua velut arcana docere vult, quæ tamen ignorãtur à nemine, *que nos enseña Las Verdades de Pero Grullo*, cum risu aut irrisu exclamamus.

Mis Prophecias mayores
Veran cumplida la Ley,
Quando fuere Quarto el Rey,
Y quartos los malhechores.

Illos, qui mores Hispanorũ nesciat, non adsequetur. Ad literam sonant Latinè sic. *Mea Prophetia majores legem adimpleri videbunt, quando quartus sit Rex, & malefactores sint quarti*. Lex, de qua loquitur, & paulò antè in eadem pagina ferebatur, est *Logica Moratis*.

Restituir a los hurtados,
Y castigar los ladrones.

Rex, à quo totum id præstandum, & implendum prædicitur, est Philippus Quartus, Religione, & pietate conspicuus. Et tandem morem, ad quem adludit, Iustitiæ forum respicit; nam, qui scelera atrociora committunt, penduntur in patibulo, & in quatuor partes divisi secus vias publicas affiguntur arboribus; & hoc supplicii genus ab Hispanis dicitur *hazer quartos*; vel, ut proferunt alii, *a sêr quartos*. Apud eumdem Authorem *in Vita Paululi, lib. 1. cap. 7. pag. 27.* Carnifex, de quodã, quem in furca suspenderat, sic scribit. *Cayó sin encoger las piernas, ni hazer gestos. Quedó con una gravedad, que no havia mas que pedir. Hizele quartos, y dile por sepultura los caminos. Dios sabe lo que a mi me pessá verlo en ellos haziendo mesa franca a los grajos.* Ergo illa Propositio, *Quando malefactores sint quarti*, ab Hispanorum moribus, & modo loquendi lucem accipiens, æquivalebit huic, *Quando malefactores, postquam in patibulo fuerint strangulati, in quadrantes secentur, & in plateis publicis appendantur.*

Quid hazer quartos sit

Qualiter Paululi Pater, in patibulo fuerit suspensus?

EST Quevedus, quem paulò ante citavi felix, & elegans in Descriptionibus; & *in Paululi Vita libr. 1. cap. 3. pag. 7.* his coloribus Licentiatum Cupram depingit.

El era un Clerigo cerbatana, largo solo en el tallo, una cabeza pequeña, pelo vermejo; no hay mas que dezir para quien sabe el refran que dize, ni gato ni perro de aquella color. &c.

Qualis fuerit Licentiatus Caprone?

Sufficeret *pelo vermejo* scripsisse, quoniam Hispanis loquitur, qui illorum ineptias, & exorbitantias experti ita homines ruffos detestantur, ut exclament, *De este pelo Ni gato ni perro.*

Quales fuerit ruffi?

SIquidem habemus nunc præ manibus Quevedi ingeniosa Syntagmata, alium adhuc ex illo locum dilucidemus. In illo, cui *Cuento de cuentos* est titulus, hæc verba invenio, *El pobre Padre no havia sino chiton, como entendia el busilis.* [*] hoc est, *Pater miser, non audiebat loqui, sciebat enim, in quo consistebat Busillis*. Sed quid est *Busillis*? Pendet à cogitatã Historiã, quam subscribo.

*] Nisi per simplex *l* in lingua Hispanica scribatur, non sonabit, ut in lingua Latina.

Manlius, imperitissimus Clericus, adspirabat ad Ordines, & quia debebat

a] Pleraque omnia Evangelia in initio habent. *In diebus illis*.

bebat ad examen venire, & Vicarius promiserat, se tale propositurum Evangelium [a] summa diligentia se præparat. Sumit ergo Missale, & Calepinum, & singulas illius Evangelii voces recognoscit in Lexico. Tandem præscripta die ad examen vocatus, Evangelium Hispanicè reddendum accepit, & sic legit, *In diebus illis dixit Iesus*. &c. Episcopumque affatur his verbis. *Illustrissimo Señor*, Indie *es una region ultremarina, que tiene este nombre: pero* busilis *es el diablo, porque no se halla en todo el Calepino*. Et hinc in adagium transiit, ut dicatur, *Saber o ignorar el busilis*. ille, qui rem difficilem percipit, aut ignorat. Ergo Quevedi verba reponi poterunt Latinè sic. *Pater miser, non audebat mutire, bene enim percallebat causam, & originem difficultatis*.

Quid apud Hispanos sit saber o ignorar el busilis?

An cognati caeteris sint anteferendi?

SAnè Collia est nota in Insubria familia, & ex ipsa erat Cajus Antonius Colli, Legionarius, quem Virtus, & Fortuna commendant. Multos ipse Regiæ Militiæ inserverat cognatos, & de illorum promotione solicitus, cæteros videbatur nescire. Submurmurabant milites, & inter alios Mendus Lechuga natione Salmantinus; strenuus semper tamen gregarius miles; ad omnia munia, adspirans, & nullum consequens, quia videbat huc unum Collium, illuc alterum Collium promoveri, & sibi præmia, quæ debita censebat, negari: in publico foro Cajo accurrens, ait *Señor D. Cayo: no vitupero, que V. S. adelante los suyos: pero entre col y col lechuga*. Quod quidem apophtegma consideratis circumstantiis, ut excellentissimis Veterum accensearur, meretur. Adludit ad Adagium Hispanicum, *Entre col y col lechuga*. quod est ad literam, *Inter caulem, & caulem lactucam*, quo monentur, imprudenter procedere, qui nescientes personas à personis secernere, omnes volunt esse similes in Communitate: quoniam in qualicumque, sicut diversi in Picturâ colores, sic docti indoctis, & nobiles ignobilibus misceri debent. At illis iisdem verbis Mendus Cajum monuit inter unum aut alium cognatum, se etiam promoveri debere.

Adagium Entre col y col lechugas *proponitur, & dilucidatur*.

IOanni Viro Illustrissimo, apud Mag. Tirsum de Molina in Comœdia quæ inscribitur: *Martha la piadosa*, ut Martham, juvenem speciosam, & divitem, in uxorem duceret, consulebatur. Ille autem, vel ipso nomine perterritus, se subducit his verbis.

De insulsis Hispanorum Auguriis.

Es Martha dissimulada,
Zorra, que no vale nada
La carne, sino el pellejo:
Engañe ella en otras partes,
Que en fin para mi será
Mal aguero, porque vá
Muy poco de Martha a Martes.

An ducenda uxor sit, cui nomen Martha?

Adludit ad communem Hispanorũ apprehensionem, aut superstitionẽ quæ suggerit, infaustum esse Martis diem, nec ab ipso posse sumi rerum gerendarum initia. Vnde exclamabant Veteres;

An aliquid Martis die sit incipiendum?

Lo que se hiziere en Martes,
Tendrá fin infeliz en todas partes.

Et, ut unusquisque qualem exitum in suis negotiis, si à tertiâ feriâ auspicentur, prævideat, hanc Historiam cogitatam proponunt.

En Martes casó Anton con Catharina,
En todo fué la boda desgraciada,
Que el Novio amaneció con mal de hijada,
Y le dió mal de madre a la Madrina.

IN Comœdia, quæ inscribitur, *No hay amar, como fingir*, Authore M. Leone, Beltranum horâ intempestâ per Civitatem deambulantem, quidam Satelles (Hispanicè *un cierto Aguacil*) capit, & ait.

Armis spoliantur & incarcerantur in Hispania, quotquot nocturno tempore post Campanæ Monitoriæ pulsum sine causa discurrunt.

La espada tiene perdida, [a]
Y es para mi. Belt. *A mi me pessa* [b]
Que es del Perrillo, y será, [c]
Del Gato si Vsted la lleva.

a] Et quidem breva est, & multa supponit hoc Tetrastichon. Primam secunda aut tertia saltem noctis hora pulsari magnam quamdam campanam, que vocatur *la queda*: nam universos monet, ut singuli suæ domi maneant (*manere* enim Nostratibus *quedarse* est) unde *Admonitoria* posset dici à Latinis. Est profectò imperiosa hujus Campanæ Admonitoriæ vox: si quis enim post ejus pulsum à satellitibus extra domum reperitur, perdit arma, quæ habet; & in carcerem truditur.

An Campana loquantur?

b] Supponit etiam fuisse Toleti Mauriscum [*] quemdam ensium formandorum Artificem; qui tali calybem arte & industria temperabat, ut ejus gladii machæras Turcicas (Hisp. *los alfanges Damasquinos*) exciderent. Et hic à se elimatos & temperatos enses, ut distinguerentur à cæteris, Caniculi sigillabat imagine, & ideò illos omnes *Espadas del perrillo* etiamnũ vocitamus; *canis* enim Hispanice vocatur *perro*.

*] Oriundi è Mauris, qui tamen baptizati erant, *Mauriscos* vocabantur.

Espadas del Perrillo.

c] Inter Canes & Feles nota est ἀντιπάθεια: & quia hæ rapto vivũt, sa-

Tanta est inter Canes & Feles antipathia, ut quando explicare volumus aliquorum discordiam, dicimus, Que viven como perros, y gatos.

satellitibus (*a los Alguaziles*) aut veriùs eorundem Famulis (*a los Corchetes*) similes; quos (& id ab iis, qui probi sunt, præscindendo sit dictum) fraudes & extorsiones pecuniarum dedecorant. Hanc ob rem hujusmodi homines Vulgus improbum & malitiosum Latinè *Feles*, & *Gatos* appellat Hispanicè.

Hinc omnia intelliguntur. Dicit Satelles. *His ensis, quem habes, est meus.* quia hora intempesta illum geris, & lex te armorum amissione condemnat. Et Beltranus. *Doleo, est enim hic ensis Caniculi* (hoc est, imagine signatus Caniculi, & à Maurisco Toletano temperatus) *Interim, si ad tuas manus is venerit, qui erat Caniculi, erit Felis, seu Cati*; nam Feles Catique, ubi de furtis agitur, Satellitibus cedunt.

Tametsi aliqui sint probi & boni, latronū albo ab imperito vulgo accensentur satellites.

Placuit conceptus, & reduxi ad hos numeros ut ab exteris intelligatur.

Satell. *His gladius, quoniam sic lex, sic præcipit hora,*
Esse, licèt doleas, debet (Amice) meus.
Ɽ. Est Toletani Canis; &, si venerit ad te,
Quo fuit usque Canis, posteà Felis erit.

COnceptu simili præveniebatur Poëta ille qui Madriti Dianā suis versibus condecoravit. Narro Historiam.

In Sanctæ Crucis foro, ante ipsos carceres, erectus est pulcherrimus Fons, cujus machinam Diana marmorea terminat; quam venatrix enim erat, Canis concomitatur. In illo foro circumcirca sunt Scribæ, & in areâ Satellites; & hinc occasione sumpta, hanc Statuæ Semphronius Inscriptionem adposuit.

Quanta sit efficacia amicorum societas?

Es tan peligroso el trato
De las malas compañias,
Que dentro de pocos dias
Esse Perro será Gato.

Et, ut illam intelligas, audi coronatum Prophetam Psalm. XVII. dicentem. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Cum electo electos eris, & cum perverso perverteris.* A quo prudens, & antiquus Poëta Sententiā illam verissimā exhausisse videtur: scilicet, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Unde exclamat Hispanus, *Dime con quien andas, y dirète, quien eres.* Ergo ille omninò Canis, quia esse inter feles cogebatur, brevi post tempore, erat convertendus in felem.

Cassiodorus libr. 2. epist. *Ipsi quoq; homines duplices manus, socias aures, oculos geminos Divina tribuerunt* (Consilia) *ut robustiùs peragerentur effectū, quod duorum facras societate complendum*

ADdam, & hic historiam, quam non ludo. Est tamen vera. Cùm Madriti in Ecclesiā N. anno 1630. Scribæ, & Iudices, & Senatores S. Ioannis Evangelistæ solennitatem celebrarent, dum concionaretur Reverendis. Pater Semphronius (hoc habeat hodie nomen, quem sine spirituali aut corporali damno poterit Lector eruditus nescire.) agitatus à pueris, ingreditur

An aliqui Scribæ sint fures?

Catus, & Ecclesiastes ad Collegas conversus ait, *Vuestas ms. den lugar al Cofadre*. Opinione ergo illius Concionatoris, omnes Scribæ fures erant, eorum siquidem Catus erat Confrater. Habuerunt omnes in dicterio, quod laudarent, & quod vituperarent. Fuerunt enim Scribæ, qui aderant, festivè & ingeniosè puncti. Illud autem scoma, nam videtur sensum universalem præ se ferre, erat manifesta calumnia; pleriq; enim Senatores, Iudices, & Scribæ, sunt probi, & integri; & unusquisque in particulari debet censeri bonus, donec probetur esse malus. Fuit dissentaneum rationi loco, & tempori: ratio enim dictat, ut qui ad Panegyricum dicendum invitatur, nec satyris nec philippicis invitantes exulceret. Locus sacer verba scandalosa non tolerat. Tempus Evangelii dilucidationi designatum, non admittit digressiones nefarias. Quidquid sit, etsi Semphronius diceret, *Por un buen dicho perder un amigo*. deberet nihilominus ejus Superior illæsa amicitia retundere, & punire graviter temerarii hominis insolentem audaciam.

Non est tolerandum, ut Ecclesiastes in Tempio appleaus Auditores injuriis.

CVidam Comiti, qui suam domum eruditæ recreationis gratia frequentabat, pecuniam nescio quantam, ut canem emeret, mutuò dederat D. Ludovicus de Gongora. Et, quia ille solutionem oblivioni mandaverat, de ipso Epigramma ingeniosum scripsit, quod claudi voluit istis Tristichis.

Syllogismus Politicus. *Qui alteri amicos, & pecunias perdit, stultus est. Sed, qui nummos dat alii, quibus mutuas, amicos, & pecunias perdit. Ergo, qui nummos dat alii quibus mutuos stultus est.*

Canes vivos al hombre, perros muertos
Concede a la muger su Señoria.
Bobo he sido en prestarle mi dinero.
Pero, si los Refranes salen ciertos, [a]
Quanto mas bobo he sido, mas espere,
Se me apparecerà Santa Maria.

D. Luis de Gongora Sonet. 131.

Et, ut illa intelligere possit, indiget Lector cujusdam Adagii, & Historiæ notitia. Illud est, *A los bobos se les apparece Santa Maria*. Et ideò dicitur, quod viri probi, & sinceri, (hoc enim vafri *bobos* in nostrā linguā dicunt) etsi decipiantur interdum, à Deiparā, ut piè credi potest, proteguntur, ne succumbant periculo. Historia autem supponit,

Adagium Hispanic. A los bobos se les apparece Santa Maria.

Co-

Comitis prædicti Æconomum, cujus intererat creditoribus solvere, vocatum fuisse *Stephanum de Sancta Maria*. Ergo & ludit æquivoco, & *Sancta Maria* nomine, quo Deiparam proponebat Adagium, Oeconomum illum intelligit, à quo solutionem sperat.

An in Epigrammate, quod Soneto dicitur, admitti possint assonantes?

a] Interim Epigramma hoc in Rhythmicas leges delinquit, quoniam in hoc Versuum genere non admittuntur Adsonantes: & tamen, licèt primus quarto, & tertius quinto consonet; primus & quartus adsonant tertio & quinto.

INgenio plena sunt carmina, quæ in Comœdia, quæ inscribitur, *El Doctor Carlino*, leguntur; debentur Erudito Calamo D. Antonii de Solis; & aliqua in speciem produco.

Nonnullæ phrases Hispanicæ dilucidantur.

Doct. *Aquí podeis proseguir*
Vuestra Relacion, Don Diego:
Y hazedla succinta os ruego,
Porque en llegando a oír
Relaciones dilatadas,
Si no puedo con el dueño,
Por lo menos con el sueño
Me daré de cabeçadas.

Darse de cabeçadas.

Et quidem, *que se da de cabeçadas*, illum asserimus, qui iratus, & impatiens, quia non habet in quem furorem exserat, itas in se convertit. Etiam de illo qui dormitat, dicimus, *que esta dando cabeçadas de sueño*. Et utramque Carlinus phrasim in versibus datis conjunxit.

Dar cabeçadas

Quoniam circumfertur Adagium
Dos paxaros Ivan Fernandez
Mató con una pedrada.

Matar dos paxaros de un golpe. vel con una pedra la.

Et de illo dicitur, qui una simplici actione consequitur duos gloriosos effectus: Carlinus, cujus omninò intererat separare Lupum à Carolo, supervenire Lupi patrem confidenter exclamat; sciebat enim nolle prudentem senem, ut filius suus cum Didaco colloqueretur. Hispanica verba sunt hæc.

Doct. *Don Lope tu Padre viene.*
Agora mi industria mata
Dos bobos con un Don Lope
Como con una pedrada.

Matar dos bobos con un Don Lope.

Huic autem dicendi Gratiæ videtur obversari Latinus, qui non judicat duos ritè effectus prodire ab eadem Causa posse, & ideò ait, *Qui duos insequitur lépores* [a] *neutrum capit.* Et se consonare Christo dicenti existimat, *Nemo duobus Dominis servire potest.*

Et postea ad illud commune Pronunciatum, *Harto os he dicho, miradlo*, nec non ad illud, *Sacar por el hilo el ovillo*, adludens, dixit,

Doct. *Y con esto haveis sabido*
El hilo de la verdad:
Sacad por el el ovillo.
Harto os he dicho, miradlo:
Harto os he mirado, oidlo.

Por el hilo se saca el ovillo.

Harto os he dicho miradlo.

De re caduca, quæ perennare nequit, *Dure lo que durare*, Hispanus dicit, *como cuchara de pan*; quæ, quia comeditur, parùm durat. Hunc Carlinus dicendi modum mendacio à se non bene concinnato adplicat: & quia *Citiùs, quàm claudus, mendax capitur*, sic exclamat.

Doct. *Y me cogió antes: que al coxo.*
Que es affrenta, y es Refran. &c.
Volveré a mentir de nuevo,
Y mentiré mas y mas:
Y dure lo que durare,
Como mentira de pan.

Antes se coge al mentiroso, que al coxo.

Como cuchara de pan.

a] Inculcabat Theodorus, *Qui duos insequitur lepóres, neutrum capit.* illumq; velut prosodiæ imperitum irridebat Aurelius; acui debere primam, non autem secundam; dicendumque *lépores*, non autem *lepóres*, contendens. At me judice, Aurelius erat profectò ex illis, quos Aristoteles condemnat dicens, *Facilè, qui ad pauca respiciunt, decipiuntur*: debuissetque plura perpendere, antè quàm Theodorum, condemnaret. Loquutus enim bene est; &, si primam in voce controversa illa acueret, nil profectò probaret. Attende.

Quid lepor, & quotuplex sit? Oratio in Concisum & Profluentem dividitur. Illa est verborum parcen, hæc liberalis.

[Lepos, quem Græci λεπτὸν nominant (dicebat in sua Schola Theodorus) est Sermonis venustas, & gratia exornatæ Orationis: & in Concisum, Profluentem que debet apud Rhetores dividi. Ille crebrò intercid‌itur; & verbo interdum uno aut altero periodum continet. Hic autem est copiosus; & per multa verba in singulis membris Orationis diffunditur. Priorem Latini admirantur in Lipsio, Hispani in Gongora: & posteriorè illi in Cicerone, hi verò in Lupo & aliis Viris eruditis suspiciunt. Sunt hæ dicēdi Charites adversariæ sibi invicem; & dum alteram avaritiæ altera incriminatur, prodigalitatis rea in Eloquentiæ Consistorio à Criticis reconvenitur. Et quidem duo hæc dicendi genera, meritò Tethydos & Galatææ nominibus possunt repræsentari; illa enim obscura, & non tam culta, quàm occulta videtur, unde πανύπεπλος *undique peplo tecta* ab homero vocatur: & Galatæa [°] nam γάλα est *lac*; λευκὴ & καλὴ *albu & pulchra* à Theocrito, Nonn. Dionysio, & aliis dicitur. Ergo, siquidem patentia occultis, alba nigris, suavia duris opponuntur ex diametro, scripserit, & scitè Theocritus, οὐ δυνάσαι Τεθίδος τι καὶ Γαλατείας ἐρᾷν. *Non potest simul Thetidem & Galatæam amare.* Ergo (tale est enim Philologiæ (amoris & eloquentiæ) ingenium) si duas Nymphas solicitans (Tethidem & Galatæam neutram poterit consequi; *qui duos Lepores* (Concisum & Profluentem) *sequitur*, aut conatur adsequi) *is quidem* (neutrum adsequetur) *neutrum capiet.* AN-

Impossibile est, ut eadem Oratio simul sit Concisa & Profluens.

N. Τέθυς. G. τέθυος. D. τέθυϊ. Ac. τέθυν. Ovidius lib. 5. Fast. *Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn.* Et Catullus de coma Beren. *Luce sumen cana Tethyi restituer.*

πανύπεπλος Homerus Iliad.

σ. *Quia θεός adspiratur, adlucinantur plurimi, &* Γαλαθείαν *scribunt. Vera* (*prima an secunda acuenda sit in voce Lepores?*

ANTONOMASIA.

De Præpositione ἀντὶ. *Quid ipsa significet? Quid voces Græca* ἀντίδικος, ἀντιδικία. *nec non* ἀντ᾽ οἰκέτȣ ἀντὶ, βασιλέος, ἀντίδειπνος, ὦνυμα. ἀντωνυμία. ἀντώνομα, ἀντωνομασία. μάρτυς, μαρτύριον, ςέφανος. ἰσκαριότης, *&c.? Quid Hebræa* שכר, SACHAR? *Et quid Latina* Poëta, Orator, Satyricus. *&c.* Virgo, Martyr, *&c.* Animal, Crudelis, Traditor, *&c.* *Si absolutè ponantur?*

A'ντὶ aliquando est cõtra:



Dlucinātur aliqui in expositione Præpositionis ἀντὶ; quæ tametsi interdum sit Latinè *contra*, (unde adversarius in lite, qui contra alium litigat, ἀντίδικος, & ipsamet controversia (contralitigatio) ἀντιδικία à Græcis Iuristis vocatur.) alias etiam significationes habet, ad quas ipsa, prout ratio postulet, debet ex contextu restringi. Omissis igitur acceptionibus aliis, illam solam proponam, quæ meo conveniat argumento. A'ντὶ profectò interpretari solet *pro* unde apud Aristotelem ἀντ᾽ οἰκέτȣ, *Profamulus*, qui vices gerit famuli: ergo ἀντὶ Βασιλέος, *Prorex*, qui omnia gubernat loco Regis. Et in compositione eamdem retinet significationem, nam ἀντίδειπνος dicitur, qui alterius loco ad cœnam venit. Quia autem ὦνυμα *nomen* est, *Pronomen* (Pars Orationis notissima Criticis, & Grammaticis) à Græcis dicitur ἀντωνυμία. Et ne confundamus vocabula, voces communes, cùm pro propriis sumuntur, dicimus ἀντωνόματα, Figuramque quæ hunc modum loquendi præscribit, ἀντωνομασίαν appellamus.

& aliquando pro.

Quid in compositione significet?

Antonymia.

Antonomasia.

Quid ipsa sit? Quando nomen commune pro optimo, & quãdo pro pessimo accipiatur?

Est autem Antonomasia lumen, & schema Rhetoricum, indicens, ut commune, & generale nomen pro determinato, & singulari accipiatur. Et quia communia nomina, vel perfectionem, vel imperfectionem significant, illa posita antonomasticῶs, quod in illo genere est nobilissimum, hæc autem, quod est ignobilissimum solent significare. Et nomina *Poëta*, *Orator*, *Satyricus*, &c. *Virgo*, *Martyr*. &c. ad priorem vocabulorum classem; & *Animal*, *Crudelis*, *Traditor*. &c. ad posteriorem spectant.

Quis Poetæ nomine antonomasticõs intelligatur?

Et quidem audito *Poëta* nomine, tametsi multi fuerint, qui numeros ingeniosè condiderint, si nîl prorsus addatur, quod communem vocem possit aliter determinare, excellentissimus intelligetur: hoc est Homerus apud Græcos, & apud Latinos Virgilius.

Quis Oratoris *nomine?*

Sic etiam, cùm auditur *Orator*, nemo negat fuisse, & esse in diversis provinciis plurimos Oratores, & tamen illo tantùm nomine intelligit eloquentissimum: videlicet, si de Græcis Demosthenem, & Ciceronem, si de Romanis disputemus.

Satyricus *quis?*

Satyras multi scripsere, & scribunt; sed quia celebriores sunt, quas Iuvenalis cecinit, ille intelligitur, quandò absolutè auditur, aut citatur *Satyricus*.

De Choro Virginum.

Et veniendo ad Christianos, Virginum Chorus numerosissimus est in Cælo Empyreo; triumphant in illo, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum, quocumque ierit:* & tamen audito nudo nomine *Virginis* (Hisp. *la Virgen*) universi intelligimus Angelorum Reginam, ipsa enim est, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν insignitur hoc nomine.

Vi.ginis *nomine absolutè posito intelligitur Angelorum Regina.*

Quis enim (ut S. Petrus Damiani exclamat) *audito nomine* Virginis, *non protinùs in memoriam revocet* Mariam Sanctissimam) *Humanæ salutis exordium: ac singularem* (non intelligat Virginem: illam videlicet, quam, quia, & Virgo & Mater simul est, Ecclesia Dei nuncupat *Virginem*.

nem ſingularem ? Quis enim, inquam) *ſingularem illum non recolat Virginis partum* ?

Virgo ſingularis.

Etiam Μάρτυρ nomen commune eſt, & *Teſtem* univerſim ſignificat: & duplicem reſtrictionem admittit. Primò enim in Eccleſiâ Catholicâ Martyr vocatur, qui de Chriſto non autem qui de aliis, teſtimonium perhibuit. Et quia voce, & calamo alii, alii autem non loquendo, aut ſcribendo, ſed moriendo Chriſtum profeſſi ſunt, nomen alterâ adhuc reſtrictione contrahitur, & illi teſtes (qui loquuntur, & ſcribunt) *Confeſſores* dicuntur: iſti autem (qui profundendo ſanguinem, & moriendo Chriſti Fidem, veram eſſe teſtantur) *Martyres* nominantur. [Et hinc paſſio ipſa Martyris nuncupatur Μαρτύριον: immò & Templū Martyri conſecratum. Ita apud Imperatorem *leg.* 2. & 3. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* & alios Scriptores invenies.] Et denique ſi nihil addatur, puro *Martyris* nomine intelligere ſolemus Stephanum, qui eſt cæterorum corona, prævivit enim exemplo, & primus fuit, qui glorioſa Martyrii meruit laureolā redimiri.

Quid vox Μάρτυρ *ſignificet?*

Μαρτύριον *ſignificat* teſtimonium, paſſionem, & templum.

ςέφανος, ῦ. ὁ Corona.

Protomartyr.

Sic etiam vocem per Antonomaſiam reſtringit imperfectio, & malitia: generica enim dictio ſcripta, aut prolata ſine addito pro ignobiliſſima ſpecie accipi ſolet.

An etiam Antonomaſia nomen commune ad ſignificatum ignobilius reſtringat?

Et ſic vox *Animal*, [quæ à Philoſophis abſtractim ſumitur, & ſub ſe æquè homines, ac quadrupedes, volucreſq; comprehendit; unde Cicero de Univerſ. *A quo enim Animante* (nempe, ab Homine) *omnes alios contineri vellet Animantes, hunc eâ formâ figuravit, qua omnes reliqua forma concluduntur*. Et 1. de legib. *Animal providum, & ſagax homo*. Seneca *cap.* 11. *de Tranquillit.* Agens de homine, *Quo te reſervem malum, atque trepidum Animal?* Et Livius *libr.* 34. agens de fœmina. *Date frenos indomito animali*. & Ovidius. ut & ſuperiùs cecinit,

Pronaq; cum ſpectent Animantia cætera terram.
Os Homini ſublime dedit.]

à Politicis (& in vernacula lingua præcipuè) accipitur in malam, & Irrationale ſignificat. Et Chryſoſtomus *homil.* 28. *in Geneſ.* & iterum *in Matth.* Animalia contraponit Hominibus, inquit enim. *Animantia fecit Deus propter Hominem: Hominem autem propter ſe ipſum. Si ergo Animalibus miniſtrat propter hominem, quomodo Hominibus non miniſtrabit propter ſeipſum?* Ergo *Animantium* nomine abſolutè poſito *bruta* Græcus intelligit; Græcè enim, & non Latinè Præſul Conſtantinopolitanus declamabat. Et Græcos imitamur Hiſpani, de eo enim, quem eſſe obtuſi ingenii ſignificare volumus, *que es un Animal* pronunciamus.

Quid apud Philoſophos, & quid apud Politicos ſignificet Animal?

Crudelis etiam nomine, abſolutè poſito, intelligimus hominem crudeliſſimum: alium, & alium in diverſis provinciis: Hoc enim audito vocabulo *Dionyſium* Siculi, *Neronem* Romani, *Petrum* Hiſpani intelligunt: quoniam ſevitiæ charactere eum, ut ab aliis ſecernant, nominant *El Rey Don Pedro, el Cruel*.

Qui Crudelis *nomine intelligatur?*

Et denique, tametſi multæ ab initio fuerint proditiones in mundo, quia nulla exſecrabilior illa, quam Iudas Iſcariotes commiſit, ideò apud Chriſtianos abſolutè poſitum *Traditoris* vocabulum Iudam ſignificat. Et hoc ſenſu has lachrymas profundit Eccleſia, *Traditor autem dedit eis ſignum, dicens. Quem oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*. Et quia

Quis etiam Proditoris?

Feria V. in Cęna Domini. antiph. ad *Benedictus*.

Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis.

ad majus hujus ſcelerati Proditoris dedecus has lineas ex Sacro Iohannis Leuſdenii Onomaſtico exſcribo. [Iſcariotes, ἰσκαριώτης, Hebraicè transfertur *Vir occiſionis*, vel *Vir exterminationis, vel mortis*. Sic cognominatur Iudas ille Chriſti noſtri proditor *Matth.* 10. 1. Sunt [*] qui & *Iſchariotem* dictum exiſtiment, per *ch* ſcribentes, quod de tribu Iſſachar eſſet, cui tale cognomen ex ipſo quoque facinore optimè conveniat. Nam mercede vendidit Chriſtum noſtrum: Iſſachar ſiquidem ex 30. 18. Geneſ. è שכר, quod *mercedem* ſignificat, inclinatum eſt.]

Nomen ἰσκαριώτης *Exponitur.*

*] *Lege, ſunt & qui.*

Ex qua ſit Iudas tribu?

Sachar, *Merx.*

IRO-

IRONIA.

Quid sit? An mendacium in suo conceptu includat? an possit esse mendax per accidens? An Deus, an aliquando Apostoli ironicè loquuti sint? An ironicè possimus scribere? Unde ironica Oratio à simplici, & serià distinguatur? an à dicentis gestu? an à personà cui? an à pacto & concordià? An carpere, & reprehendere aliquem laudando possimus? Unde, & cur hujusmodi laudatio, non debeat Adulatio censeri?



Recedêtes Figuræ (Prosopopœia, Idolopœia, aut etiam Apostrophes) concernebant eloquentem Personam: nunc ad id, quod dicitur oculos convertamus. Prima, quæ occurrit vocatur Ironia. Est autem *εἴρων*, *ωνος*, *ὁ* (à quo *εἰρωνεία* deducitur) *dissimulator*.

Aristoteles, ut monet Scapula, [*εἴρωνα* opponit *ἀλαζόνι*, medium esse dicens *τὸν ἀληθῆ*.] Est autem *ἀληθὴς*, *έος*, *ὁ καὶ ἡ verus*, & *ἀλήθεια*, *ἡ veritas*. Nomenque habet ab *α* privativâ & *λήθη oblivione*: quia in Veritatem non cadit oblivio, quæ mendacii comes est.: unde illud, *Oportet mendacem esse memorem*. Ergo, si Veritas consistit in medio, & hinc inde Ironiam, & Alazoniam respicit: si hanc noverimus, etiam & illam cognoscemus. Est quidem *ἀλαζονεία*, *jactantia*, *vana gloria*, *vaniloquentia*: quando quis plura, quàm potest, pollicetur, aut asserit. Ergo, quia opposita, juxta se posita, magis elucescunt, *εἰρωνεία* erit *dissimulatio*: quando videlicet quis dissimulat se posse, quæ potest. Et ideò à multis Latinè dicitur *Dissimulatio*. Et, quia rarò, ut laudemus, & sæpè ut alios contemnamus, hac alienatione vocum utimur, *Irrisio à nonnullis vocatur*. Est autem nimis Philosophica hæc verborum acceptio, & tametsi à Rhetoricâ non omninò dissideat, habet nihilominùs aliqua, quæ minimè Orationi Figuratæ conveniunt. Ironiam ergo, prout ad Rhetoricam spectat, definiamus.

Quid ἀλήθεια sit, & unde dicatur?

Quid ἀλαζονεία sit?

Dissimulatio.

Irrisio.

Ironia est Schema, quo tali tono voces profert, ut in sensu contrario accipiantur.

Et ipsa, vel in unico verbo, vel in tota oratione consistit; si primum, Tropus est; si secundum, Figura.

Et quidem Tropi Ironici valde communes sunt in sermone vulgari. Nam passim Matres (amoris enim intemperantià insaniunt) filios suos *Demoniolos* appellant. Et Hispanus, quando vult puerum aliquẽ ab ingenio, & vivacitate laudare, subridendo ait *Discurre como un Barrabas*. quando autem aliquos esse miseros, & commiseratione dignissimos significare cupit, solet dicere. *Fulano, y Sutano son unos pobres diablos*: & sceleratos homines *Angelitos* appellat. &c. Cæterùm Schema Ironicum in propositione consistit, & affirmationis loco negationem, aut etiam contrà, intelligit: ut siquis dicat, *Therfites fuit egregius miles* tunc enim illud *fuit*, per vocis acrimoniam, & gestûs acerbitate (hi enim sunt Ironicæ dilaudationis characteres) restrictû, in auscultantium auribus sonat, *non fuit*. Addit Orationi efficaciam, si uberiùs profundatur. Ejusque magnificum exemplum in Cicerone occurrit, qui contra Pisonem, qui triumphum (quem fortissimi Heroes ambierant, & post continuos sudores & labores, & post multas victorias vix, aut ne vix quidem, potuerunt consequi) oblatum à S.P.Q.R.

contemnebat; quod ille esset res, vel puerilis, vel tenuis; vel sua esset Virtus, omni triumpho excellentior & major. Sic autem Cicero.

Non est integrum Cneo Pompejo consilio jam uti tuo; erravit enim, non gustarat istam tuam Philosophiam, ter jam homo stultus triumphavit. Crasse pudet me tui, quid est quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu. P. Servili, Q. Metelle, C. Curie, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in illum errorem induceremini? C ipsi Pontino necessario meo jam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ô amentem Paulum, rusticum Marium, nullius consilii Patres istorum amborum consulum, qui triumpharunt! Et postquam satis superque lusit, hac exclamatione superbi hominis arrogantiam castigat, *O tenebræ! o lutum! o sordes!*

ET hîc opportunè inquiri potest, *An Ironia sit species mendacii?* Et quidem videretur, quod sic: duo enim possunt conformari argumenta (Grammaticum, Theologicumque) ut Ironiam malitia laborare ostendatur. PRIMVM PROPONO. Quoniam in Græcarum vocum expositione Ioanni Scapulæ vniversi concedunt; totam enim vitam insumpsit, ut Lexicon Græcolatinum digereret, & conformaret. At ipse mendacium reperit in Ironiâ. Non est igitur, cur nos negemus, quod asseruit vir tantus. Probatur minor: Ipse enim ait: [εἴρων ωνος, ὁ. *dissimulator, in oratione dissimulatè loquens, qui aliter loquitur, ac sentit*: à verbo εἴρω. &c. καταειρωνεύομαι. *per dissimulationem deludo*, item *cavillor*. &c.] At, qui aliter loquitur, quam sentit, mentitur. Ergo, qui loquitur ironicè, mentitur. SECVNDVM ARGVMENTVM HOC EST. Qui ignavum Thersitem, fortem, strenuum, & generosum Heroem vocat, scit se enunciare rem aliter, quàm est in se; ergo mentitur. Ita D. Carolus Malletus *in Expositione Decalogi, præcept. 8. malleat. 71. tract. 1. pag. 457. b.* sic enim scribit. [Mendacium, &c.

An, qui ironicè loquitur mentiatur?

duplex est, sicut cætera vitia: unum, quod transcendit veritatem in majus, & dicitur *Iactantia*, & alterum, quod deficit ab illa in minùs, & dicitur *ironia*.] Ecce Aristotelem Vir doctus viderat. Et ad ejus Hypothesim philosophatur.

An Ironia opponatur Iactantiæ?

His tamen non obstantibus, assero, *Mendacium in Ironia non reperiri*. Et ut hanc meam, & communem Conclusionem persuadeam, hoc Apodicticum argumentum propono. [Deus mentiri non potest. At potest loqui ironicè. Loqui ergo ironicè non est mentiri. Consequentia est legitima, & Major certa. Minorem probo, historiam Adami producens. Serpens enim suggerens, ut ederetur pomum interdictum divinitùs, dicebat, *In quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*. Comederunt, & aperti sunt oculi eorũ, & cognoverunt se esse nudos, & miseros. Adest Iudex, & clementia temperans severitatem, quos morte posset, mortalitate condemnavit: aitq; *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum*. Quæ verba sunt ironica, ut Ratio evincit, & Interpretes universi testantur. Isidorus Clarius ad liter. L. *Ironia videtur: objicit enim illi stultitiam*. Hæc ergo verba, *ecce, qui est quasi unus ex nobis*, de Adamo nudo, & misero dicta, & cum Dæmonis verbis collata, teste Clario, sunt Ironica, & æquipollent his, *ecce stultus*. &c.]

An Deus mentiri possit?

An aliquando Ironicè loquutus sit?

Genes. 3.

Adamus factus fuit per peccatum mortalis

Verba Dei exponuntur.

Superest, ut argumentis, pro contrariâ Opinatione positis satisfaciamus. Erant duo. Grammaticũ, Theologicumque. Illud Ioannis Scapulæ, & hoc D. Caroli Malleti authoritate fundabatur.

Respondetur Argumentis.

Ad primum respondeo Ioannem Scapulam fuisse purum Grammaticum, & ideò non penetrasse discrimen, quod inter dissimulationem & mendacium, Theologicè sumpta, invenitur. Profectò ille Moralitates toto cælo differentes confudit; sciût enim & admittunt universi Theologi, dissimulationem in suo conceptu mendacii malitiam non includere.

Purus Grammaticus non sufficit, ut hanc controversiam decidat.

Ad secundum respondeo D. Carolum Malletum fuisse purè Theologum, & quo voces sensu à Rhetoribus accipiantur, nescivisse. Ea-

Sed neque sufficit purus Theologus.

dem

dem enim vox diversimodè accipitur in diversis gymnasiis; erratque siquis à Grammatico dicti, voluerit Theologicè accipere. Vt persuadeam, proponam vocem *Fictio*, iterum, & iterum positam, non enim juvat exempla sine caussâ mutare. Apud Grammaticos in sermone vulgari *Fictio* est *mendacium*: apud Poëtas *Historia cogitata*, vel *Fabula*: apud Plastas *Statuarum*, *vasorumve ex argillâ formatio*. apud Iuristas [*] est *Hypothesis*: & denique apud Theologos, ubi agunt de eo, qui Baptismum cum fictione suscepit, est *peccatum mortale cum impœnitentia persistens*. Ergo eadem vox *εἰρωνεία*, poterit in Lyceo Philosophico, uno sensu accipi ab Aristotele, & in Rhetoricâ Scholâ alio diverso sensu accipi à Cicerone & Quintiliano.

Vox Fictio apud diversas significationes sortitur.

*] Adde Arithmeticos, nil enim falsi continet illa Regula, quæ *falsæ positionis* vocatur.

An Ironia sit æquivocum nomen?

Porrò apud Oratores IRONIA, *Figura est, quæ verborum Grammaticum significationem vocis vultûsque asperitate in contrariam convertit.* Non igitur, cùm Ironicè loquimur, rem esse aliter dicimus, quàm sentîmus; sed loquimur, ut sentimus; utimur tamen verbis, quæ nisi à cōcomitantibus circumstantiis (vocis nimirùm tono, personâ, quæ vel cui &c.) in significationem oppositam transformarentur, oppositum prorsus significarent. Ergo consideranda est significatio, quam illa verba de facto habent; non autem, quam haberent, si simpliciter acciperentur. Ad nostram rem *lib.* 8. *Instit.* scribit Quintilianus. *In eo verò genere, quo contraria ostenduntur, Ironia est.* Illusionem *vocant*; *quæ aut pronunciatione intelligitur aut persona, aut rei natura: nam siqua earum verbis dissentit, apparet diversam esse Oratoris voluntatem.* Et inter consignificantes *Personam* numerat, sæpe enim, quæ ab uno aut uni seriò dicta, si dicerentur ab altero aut alteri, ironicè significarent.

Quid sit loqui ironicè?

Alia est significatio, quam voces habent, & alia, quam haberent, si aliter pronunciarentur.

An in Ironia habenda sit Personæ ratio?

Hinc patet, non bene intellexisse hanc Figuram Caussinum, qui *lib.* 7. *de Eloquent. Sacr. & Hum. cap.* 17. *pag.* 398. *b.* scribit, esse Ironiam Figuram, *qua aliud verbis significamus, aliud re sentimus*, & pag. 399. b. *Exprimitur, cùm aliud in pectore reclusum, aliud in lingua promptum habemus.* Verbis enim tono, quem Ironia præscribit, dictis, significamus, quod reverà sentîmus; qui ta-

Caussinus impugnatur.

men eisdem verbis oppositum significaremus, si simpliciter, & alio illo tono vellemus pronunciare. Vbi autem agitur de Mendacio, verborum significatio (non quam illa alio tempore, vel aliter prolata haberent, sed quam hîc & nunc habent sic prolata) debet cum sententiâ Intellectûs componi: illud enim locum habere nequit, quando eadem res, quæ mente concipitur, verbis significatur.

Significatio, quæ est, & non quæ esset, in Mēdacio consideranda est.

Adhuc hæres, & antequam assentiaris, hoc vis Argumentum dissolvi. [Ponamus, ais, Atlantem esse gigantem inter cæteros montes, & id à Clodio sciri. Ponamus Clodium dicere, *Sum dimensus meum parvulum, & tot aut tot stadia altitudinis reperi*. Et infers, Ergo falsum dicit Clodius. Ergo mentitur. Et primam Consequentiam esse veram asseris, est enim magnus Atlas, & tamen à Clodio *parvus* dicitur. Et secundam Consequentiam persuades, quia Clodius, quem magnū scit esse, *parvum* appellat.

An mendacium sit Atlantem montem parvulum appellare?

At Ego, nec falsum dicere Clodium, nec mentiri assevero: & argumento tuo nihil evinci. Atlantem enim magnum esse concedo: eumdem tamen parvum dici distinguo; &, quod concedo materialiter, formaliter negare debeo. Quoniam in hac Propositione, *Atlas est parvulus*, vox materialis *parvulus* in prædicato reperitur; at hæc vox *parvulus*, formaliter accepta, & per Ironiam modificata, non parvum, sed magnum significat. Ergo illa verba, *Atlas est parvulus*, si sumantur ironicè, æquipollent his, *Atlas est maximus*, & hæc sunt vera: & quia à scitnte dicuntur, sunt veracia.

Voces sumuntur formaliter & materialiter

Repono iterum tuum argumentum, illudque ad hanc formam reduco. *Atlas est maximus; & hoc scit Clodius. At illum dicit esse parvulum. Falsum igitur ait, & mentitur.* Et respondeo distinguendo Majorem: illam enim, si vox *maximus* Grammaticè & simpliciter accipiatur, concedo; si Rhetoricè & Ironicè nego. Et Minorem acceptiones invertendo distinguo: illam enim, si vox *parvulus* Rhetoricè & Ironicè accipiatur concedo: si Grammaticè & simpliciter nego. Ac propterea negabo Consequentiam rotundè.

Item Grammaticè & Rhetoricè.

An in Ironia mendacium esse possit per accidens?

Interim in Oratione Ironicâ, qui Petrum, v. gr. quem esse virum bonum & probum scit, *Egregium caput* (Hisp. *Linda Pieza*) irridendo vocaret, mentiretur per accidens: illa enim verba in sensu Rhetorico sumpta, æquivalent his, *Homo nequam*. Et mentiretur sanè, qui virum, quem esse probum noscit, *nequam* esse affirmaret.

Malleri adlucinatio. Confundit cum contumelia & detractione mendacium.

Hinc ad Mallerum rediens; eum assero malitiam in Ironiâ irrisoriâ percepisse, & existimasse provenire à mendacio, quæ tamen à detractione próvenit. Quoniam, si Lælius Clodium, quem Thersite esse ignaviorem existimat, irrideat, *Achillem* cum per Ironiam vocando, illum esse verè *ignavum* affirmat: Non ergo mentitur, nam talem judicat: At loquitur contumeliosè, & Fortitudinis gloriam, quam apud alios habet, sine necessitate aut causâ detrahit.

Unde Assertiones Ironicæ à cæteris secerni possint?

An scribi ipsæ possint?

An Ironia ratio e gestu pendeat?

ET hic obiter nota Positiones Ironicas, si scriptæ sint, periclitari; non enim semper tales circumstantiæ succurrunt, quæ possint admonere Lectorem, hæc aut illa per Ironiam scribi. Scriptura enim videtur, non auditur; & Ironicam tonus à simplici oratione secernit. Quoniam, ut Calepinus cum Passeratio & aliis admonet, nisi oculi rotundentur, quassetur caput, & amaritudo vocis tonum alteret, censeberis simpliciter loqui. Et hinc patet profectò, quali capitis motu, quali oculorum intuitu, & quali vocis tenore, Veneri loquuta fuerit Iuno, ubi à Famâ didicerat, Æneæ & Trojanis, quos odio infensissimo persequebatur, omnia faustè succedere. Ejus verba sunt hæc.

Virgilius lib. 2. Æneid.

*] Erithræus habet *verè*: at sensus postulat, ut *verì* legatur.

::] In aliquibus libris lego *numen*.

Egregiam verè [*] *laudem, & spolia ampla refertis*
Tuque Puerque tuus! magnum & memorabile nomen [::]
Una dolo Divûm si fœmina victa duorum est!

Laertius.

Quam sit difficile secretum observare?

PRæter vultûs austeritatem, oculorum rigorem, vocisque amaritudinem, etiam verba in oppositam significationem restringuntur, si tali personæ dicantur. Rem exemplo dilucido. Interroganti, *Quid esset difficillimum?* Respondit Chilon, *Arcanum reticere*: tanta est enim linguæ volubilitas & incontinentia, ut nihil sit difficilius, quàm tacere. Et quia fœminæ garrulæ & imprudentes sunt, qui aliquid narrat, & ut taceat imperat mulieri, debet scire hanc vocem, *Nemini dixeris*, per personam, cui dicitur, transferri & in oppositam significationem verti, ut sit, *Dixeris universis*. Et hoc esse verum suadet gravis M. Catonis authoritas, dicebat enim; *Sæpe se in vitâ pænituisse, si quid arcani fœminæ credidisset. Est quippe loquacissimum animal mulier, non facilè retinent, quæ in aurem dicta sunt*. Plutarc. *in Caton.* Et tale suum esse ingenium sciebant illæ, quæ sincerè dicebant.

Quid hæc Propositio Nemini dixeris, significet, si dicatur Viro: & quid si dicatur mulieri?

Quales fœminæ sint?

Γυναῖκες εἰς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώταται.
Κακῶν γὰρ πάντων τέκτονες σοφώταται.

Mulieres sumus ad bona consilia pauperrimæ.
Malorum autem omnium artifices sapientissimæ.

Quod Græcæ, etiam Hispanæ sciunt, & ideò voces, quando sua interest, in sensu contrario recipiunt: ut colliges ex Luciæ verbis, quibus ridet & illudit Arcæum.

Quando fœmina dicitur ut taceant, ipsa putant sibi præcipi, ut omnibus secretum revelet.

Arc. *De todos estos enredos,*
De todos estos debates.
Vos teneis Doña Lucia
La culpa, pues vos contastes
A vuestra Ama, que en mi casa
Estaba Don Iuan. Luc. *De tales*
Sucessos, quien me lo dixo
A mi, tiene mayor parte.
Que ya sabe, quien me cuenta
A mi el sucesso, que sabe,
Que os dezirme, que lo diga:
El dezirme, que lo calle.

Petrus Calderon in Comœd. *Mañanas de Abril y Mayo*. act. 3. pag. 62. a.

Quid Accismus sit?

Acco quæ fuerit?

Vulpes Æsopica.

Et quidem esse ironicum fœminarum ingenium, ejusque verba ironicè accipienda concedet, qui earum universam Rhetoricam esse Accismum intelligat. Ioann. Henr. Alstedius *in Cyclopæd. tom. 1. libr. 6. cap. 8. pag. 378. b.* [Accismus est Ironia, quâ quis fingit se nolle, quod tamen vult. Sic dicta ab Ἀκκώ stolidâ muliere. Exemplum ejus est, siquis dicat cum vulpecula Æsopica, *Nolo pyra; sunt amara*. vel cum amasio repulsam passo, *Nolo virginem; est Xantippe*. &c.]

EST & aliud (& minùs notum, nam est rarius) ancipitis incertæque significationis voces restringendi genus, non à vocis amaritu-

An contra mentem loqui jussus, si jubenti contra mentem loquatur, sit censendus mentitus?

ritudine seù à persona, sed à condicto sumptum: quod paucis exemplis poterit dilucidari. Interim pulchrum illud videtur, quod edisserit Calderon: nam Sylvius Cephalusq; contra mentem loqui à Daphne jussi, à præcepto hoc habuerunt, ut eorum non possint verba condemnari mendacii, sed ironicis adnumerentur. Et, ut rem meliùs intelligere valeas, periodos subsequentes scribo.

Magnes, Theamedesque sunt noti lapides: ille ferrum adtrahit, & hic expellit.

N. B. *Ægiptij* Odium *per aquas, &* Amorem *per ignem exprimabant: & hinc varie, possumus conceptus derivare.*

Pierius *lib.* 46. Vide D. Petrũ Calderon de la Barca 3. *part. in Comædia, quæ inscribitur* el Laurel de Apolo. *pag.* 188. 1.

Nihil tam durum atque ferreum, quod non Amoris igne vincatur Augustinus *de moribus Eccles.*

SVNT duo celebres lapides, Magnes, Theamedesque quibus insunt proprietates contrariæ. Ferrũ ille adtrahit, hic expellit: & uterq; occasionem præbuit Physicis, ut inquirentes causas multa ingeniosè, & curiosè edissererent. Et quid, quæso, hæc prodigiosa saxa facerent, si illis Natura rerum parens indiceret obsistere propriæ naturæ. Quid, inquam, Theamedes faceret ferrum amare jussus? quid Magnes, si illud odio persequi præciperetur? Paterentur violentiam; & vix scirent, aut possent contra proprium ingenium Imperio exterioti obedire. Violentiam, quam lapidibus Natura non auderet inferre. Daphne (sunt enim fœminarum fortes, & mirabiles resolutiones) infert hominibus, ut retundant animi passiones præcipiens, eosque ad actus, singulorum naturæ dissentaneos, propellens. Si ferrum dicatur esse mulier hodie, erit Sylvius Magnes, Theamedes Cephalus, eas enim amat ille, iste contemnit. Sed cur? Sylvium audito.

Yo hermosa Daphne naci
Mas al estudio inclinado,
Que al Amor, y habiendo hallado
En este siempre Turquì
Libro azul [a] *en que aprendi*
Del docto Maestro del dia.
Iudiciaria Astrologia,
Que havia de venir a ser
La beldad de una Muger
Su destruycion y la mia
Neguè a una y otra Deidad
De Amor y Venus, y solo
En las catredas [b] *de Apolo.*
Mantuve mi libertad, &c.

Amorem otiosorum esse negotium dicebat Diogenes apud Laertium libr. 6. *& apud Stobæum* serm. 52. *Theophrastus consonat. Unde Ovidius* 1. de remed. Amoris.

Exposuit, cur fœminas non amet Cephalus; & videtur audivisse Secundum Philosophum, qui apud Maximum *serm.* 9. his coloribus, Mulierem exprimit. *Est*, inquit, *viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vita captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua convivia, solicitudo confidens, leana complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum necessarium,* &c. Et ne existimes te habere vires, quæ hæc omnia potuerunt superare, te verbis Hieronymi *Epist. ad Nepot.* adloquitur Cæphalus dicens, *Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper quòd Paradisi colonum de possessione sua Mulier ejecit, unde ait quidam,*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus, Contemptaque jacent, & sine luce faces.

Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem
Decêpit Mulier! quis modo tutus erit?

Illi, respondens Sylvius, quia
Γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία: καὶ
Mulier justa vitæ salus: &
Καλὸν φυτὸν πέφυκεν ἐν βίῳ γυνή.
Pulchra planta est in vita mulier. 244

Et deinde his numeris cur fœminas ardeat, exponit.

*] Quoniam amor est multiplex, ideo de diversi scripserunt Authores. De lascivo, sed non impunè, Ovidius: de Divino Bernardus, insistens Patrum Antiquiorum vestigiis, & conceptus ingeniosos præbens, quos Iuniores Ecclesiastæ dilucident: alii tandem de aliis.

Yo mas Ciencias no apprendi, [*]
Que el Arte de Amar, si fuè
En igual logro, no sè,
Pero presumo, que si.
Y aun mejor, porque si a ti
Lo fuè inanimado velo,
Vivo lo fuè a mi desvelo
Daphne, cuyo Sol dirà,
Que de Ciencia a Ciencia và,
Lo que và de Cielo a Cielo.
Si tu antes de sucedido,
Hallaste, que havia de ser
Tu peligro una muger;
Yo hallè, que ya lo havia sido,
&c.

Daphne itaque à dracone ferocissimo invasa, & à Cephalo, & Sylvio è periculo erepta, cùm utrumque non posset, & alterum connubio honorare decerneret, & utrum admitteret in sponsum nesciret, perorabat.

*] An duobus mulier possit nubere?

Anus Syra apud Plautum. *Utinam lex esset eadem uxori, quæ est viro; Nam uxor contenta est, quæ bona est uno viro. Qui minus vir una uxore contentus sit. Ecastor faxim si itidem plectantur viri,* &c.

Pues es cierto, que a no haver
Tan presto quien me amparara
Huviera sido despojo
De su venenosa rabia,
Por no agraviar a ninguno,
Puesto, que muger, que paga
A dos, a ninguno obliga,
Y antes a entrambos agravia. [a]
Quiero a segunda experiencia

De-

N. B. Dicenti Daphnæ, *Volo, ut mihi dicatis, id quod esse falsum scitis: hoc est, volo, ut mihi mentiamini. Ergo interrogo. Amatis-ne me?* Sylvius, qui illam amat, respondet, *Te odio persequor:* & Cephalus, qui illam non moratur, ait, *Te ego intensissimè peramo.* Et tu scire desideras, *an contra mentem suas loquantur; & per consequens, an sint mentiti?* Et respondeo, *in eorum verbis ironiam, non autem mendacium reperiri.*

Dexar la deuda fiada .
Y assi el que desde oi
Por mi una fineza haga ,
Será quien de mi socorro
Merezca el triumpho y la palma .
Desobligandote a ti
A que no me debas nada .
Y alentadote a ti , a que
Puedas tener esperanza .
La fuerza ha de ser , que
Tu Cephalo , que con tanta
Vanidad , no amar blasonas ,
Finxas amar , Tu que amas ,
Sylvio , finxas , que aborreces ;
De manera , que trocadas
Las inclinaciones , vèa
To en ti rendimientos y ansias ,
En ti agravios y desdenes :
Que el que con mayor ventaja
Dissimulare su effecto
Y el no affecto suyo traiga
Mas desmentido a mis ojos ,
Sera quien vencido aya
En la Question : y porque
Ya de entrambos Templos baxan
Las tropas , haziendo a un tiempo
Con festivas consonancias
De instrumentos y de vozes ,
Unas a otras la salva .
Cautelad vuestras passiones ,
Que yo librando la paga
De la deuda de mi vida
A una experiencia tan alta ,
He de ver quien haze mas
En servicio de una Dama ,
Quien lo que ama dissimula ,
O finge lo que no ama .

Quid sit mentiri?

An ab eo, quod res sit, aut non sit, an verò ab eo, quod præcipiatur, aut non præcipiatur, propositio sit vera, vel falsa?

Eccc, sic præcipiente Daphne, Sylvius Cephalusq; loqui contra mentem tenentur. An-ne, si obedierint, mentientur? Videretur quod sic. Nam mentiri est contra mentem ire. Cùm ergo præceptarum essentias non immutent, dicendus est fuisse mentitus, quisquis contra suam mentem jussus aut injussus loquatur. Sed tu illos non mentiri responde: quoniam eorumdem verba materialiter, & formaliter possunt considerari. Considerarentur materialiter, si præcisâ à præcepto: & tunc essent mendacia: at verò si sumantur formaliter, nimirum ut obnoxia præcepto, transibunt in oppositam significationem, & per ironiam sine ullo mendacio proferentur.

Erasmus *lib. 6. Apophth.*

Aliud simile Apophthegma in historia Alexandri reperio. Diruere statuerat Lamsacum. Et quia occurrit Anaximenes deprecaturus suæ Civitatis pernitiem; Alexander ut os ejus occluderet, ait; *Iuro me non facturum, quod petieris.* Et ad eum Anaximenes, *Peto*, inquit, *ut diruas Lamsacum.* Hæsit; & jurejurando irretitus Alexander, iram cohibuit, & Lamsaco pepercit. Et modò interrogo. Quid volebat Anaximenes? *Ut Lamsacum servaretur incolume.* Et quid dixit Alexandro? *Peto (volo, desidero) ut illud diruas.* Ergo contra mentem petebat. Ergo & mentiebatur. Sed non. Quia illa Anaximenis petitio, etsi materialiter sumpta Lamsaci destructionem importet, per præmissum juramentum restricta Lamsaci incolumitatem obtinuit. Igitur Imperatori juramentum Oratoris verba citra suspicionem mendacii ad ironicum sensum restrinxit.

De ironica, non autem mendace Anaximenis oratione ad Alexandrum volentem diruere Lamsacum.

Pergere permittatur Calderon. Subiicit enim examini curiosum, & ingeniosum Dubium; inquirit enim, *Utra sit difficilior* εἰρωνεία (simulatio) *illa-ne, qua quis amare fingit, quam non amat: an illa, qua non amare fingit, quam amat?* Inter Sylvium, Cephalumque Disputatio instituitur, & percurrit hoc modo.

Utra, amorisne, an odii sit difficilior simulatio?

Calderon ita hic utitur vocibus fingere *&* dissimulare, *ut* fingere *sit mentiri passionem, qua caremus: &* dissimulare *sit eam celare, qua perturbamur.*

At latini habent simulare, *&* dissimulare: *simulamus enim esse ea, quæ non sunt; & dissimulamus esse ea, quæ sunt.*

Sylvio. *Advierte, que no es ignal*
El partido, que me encargas ,
Daphne ; a mi lo mas difficil ?
Cephalo. *Que lo mas difficil llamas .*
Sylvio. *Dissimular un affecto ,*
Que vivo Volcan del alma
Siempre està ardiendo , y no es
Possible , que modo aya
Con que la llama se oculte
Paraque sin humo arda .
Cephalo . *Quanto es mas difficultoso*
Querer , que donde no hay llama ,
Haya ni aun humo , pues no
Respira donde ella falta ?
Sylvio. *Caer en defectos es fuerza*
El que dissimula , que ama .
Pues lleva dentro de si
Quien lo contrario le manda .
Cephalo. *Quanto es mas forçoso , que*
En estos , quien finge , cayga ,
Pues no lleva quien le acuerde
El precepto , que le encargan .

N. B. Fridericus Imperator, postquam senatores omnes in Curiam vocasset, optavit, ut antequam grederentur duas res deponerent, & tum fieri posse, ut indicio neminem fallerent. Percunctatus, quænam res illæ essent? Simulatio, & Dissimulatio, respondit. *Æneas Sylvius* de dictis Frid. Imperat.

Syl-

Sylvio. *Si: mas como dormirá*
Affecto, que no descansa,
Teniendo siempre al oído
Despertador que llama?
Cephalo. *Y como despertará*
A las horas señaladas,
El que sin despertador
Goza el sueño en quietud blanda?
Sylvio. *Podrá representar bien*
Uno un papel, quando anda
Offuscada la memoria
Con los versos de otra Farsa?
Cephalo. *Podrà atreverse al Apunto,*
Que desde dentro le habla,
Que es lo que no podrà hazer
El que aun Apunto le falta.
Sylvio. *Fingir, es una accion, que no*
Haze uno en hazerla nada
Pues haze por obediencia,
Lo que otros hazen por gala.
Cephalo. *Menos el que dissimula*
Haze, pues es cosa clara,
Que mandarle que no diga,
Es mandarlo que no haga.

Utrum sit difficilius, tacere, an loqui? Tacere iussus si claudat os, satisfacit: at verò iussus loqui, non satisfacit, si aperiat os, nam debet præmeditari, quid & quomodo sit locuturus?

Sylvio. *Y no haze harto en padecer*
El que padeciendo calla?
Cephalo. *No, que el que calla, no tiene*
La obligacion del que habla,
Pues se obliga a que sea bueno,
Y a essotro el callar le basta.
Sylvio. *Quien finge.* Cephalo. *Quien dissimula.*
Sylvio. *No siente.* Cephalo. *No fuerça.* Daphn. *Basta,*
Que el Tiempo lo dirà: y mas
Quando vuestra porfia atajan
Las tropas, que ya del monte
Al valle llegan mescladas
Unas con otras baylando
Al compàs de lo que cantan.
Sylvio. *Pues aunque tema ser yo*
Quien a lo, mas se adelanta
Desde aquì dissimular
Offresco. En tu vida, ingrata,
Veràs en mi sino enojos,
Iras, Zelos, y mudanzas.

Iniuria, etiam ficta, non placent.

Daphne. *Aun fingidos dissuenan*
Los desayres. Cephalo. *Porque nada*
Quède a deberte, Devina
Daphne, rendido a tus plantas,
En tu vida en mi veràs
Sino amor, finezas, y ansias.

Beneficia, etiā ficta, sunt grata.

Daphne. *Aun fingidos suenan bien*
Los favores: ay del alma,
Que se da a tan vil partido.
Sylvio, *Que pena!* Cephalo; *Que error!* Daphn. *Que rabia!*

ILla ultima verba, *Aun fingidos suenan bien los favores*, me monent esse suavissimum reprehensionis modum, eum, qui ironicis verbis cōcipitur. Hunc laudandi, & reprehendendi modum Veteres cognovere Oratores, qui cum alicui hoc, vel illud vitiū exprobrare volebant, aut eum ab opposita Virtute, aut saltem coram eo oppositam Virtutem celebrabant. Quo respiciens in Panegyrico ad Trajanum prudentissimè ait Plinius. *Non enim periculum est, ne cùm loquar de Humanitate, exprobrari sibi superbiam credas; cum de Frugalitate, Luxuriam; cum de Clementia, Crudelitatem; cùm de Liberalitate, Avaritiam; cùm de Benignitate Livorem; cùm de Continentia, Libidinem; cùm de Labore, Inertiam; cùm de Fortitudine, Timorem.* Et cur? Quia cùm Trajanus illis omnibus Virtutibus condecoraretur, nulla esse posset Ironicæ acceptionis suspicio. Iuvat Quintilianus, qui *lib.2. cap.12.* de arguriis, quæ in solā verborum connexione consistunt, disserens sic scribit. *Sententiæ quoque ipsæ, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida, & abiecta sunt, ut lumina, non inter umbras, quemadmodum Cicero dicit, sed planè in tenebris clariora sunt. Itaque ingeniosi vocentur, ut libet; dum tamen constet, contumeliosè sic laudari disertum.* Ergo est in Rhetorica Methodus contumeliosè laudandi: & hæc gloriosis verbis utitur, ut vituperet aliquem.

Suavissimus reprehendendi modus.

Qui, & qualis sit λόγος ἐντρεπτικός

Carpitur homo vitiosus, cùm vel in eo, vel coram eo, laudantur prærogativa, quas non habet.

Qualis fuerit Trajanus? Nota has Virtutes, & quibus eas Vitiis Plinius contraponat.

Quomodo argutia collocentur?

Quid sit contumeliosè collaudari?

Hujus rei prostat exemplum celebre *Genes.3.22.* primi enim homines, ut essent sicut Dii, scientes bonum & malum, vetitum pomum comederunt, & illud comedendo peccarunt. Illos vocat, & condemnat Deus, & condemnatos reprehendit, & admonet, & laudat contumeliosè dicens. *Ecce, Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*, &c. æquivalent hæc verbis Psalmi XLVIII. quæ nu. 13, & 21. ponuntur, videlicet. *Homo, cum in honore esset, non intellexit* (Hisp. *no se entendio*) *comparatus est jumentis insipientibus, & similis* fa-

Cur primi homines peccaverint?

Duo postrimo opposita possunt æquipollere, si altera accipiatur ironicè.

factus est illis. Adamum ob peccatum admissum reprehendit Deus, reprehendit David: at hujus est durior ἀπιτίμησις, nam voces in significatione propriâ adsumit: illius autem suavior; nam per ironiam fluens, verbis laudatoriis utitur, ut eum vituperet. [Legis istum paragraphum, & in me lapsum memoriæ incusas, quod Textum reposuerim hîc, quo usus fueram paulò antè. Respondeo autem Repetitionem esse Vitium & Gratiam: Vitium quidem, quando sine causa, aut ratione reponitur eadem historia, aut authoritas: Gratiam verò, quando illa res diversæ probantur. Ergo verborum Dei, Adamo dictorum, repetitio, Gratia est: nam §. *Vt meam nu.* 736. illa adduco, ut persuadeam in Ironiæ conceptu non latêre mendacium: & illa impræsentiarùm repeto, ut ostendam, suavissimum reprehendendi esse modum, siquis ironicè proximum ob Virtutes, quas non habet, sed habere deberet, celebret, & collaudet.]

Sit-ne Vitium, an Gratia Repetitio?

An laudando possimus reprehendere & vituperare?

Hac etiam Figurâ utitur Paulus, ut Corinthios admoneat. Sciebat scitè dictum fuisse ab Antiquo Philosopho, *Multi ad sapientia arcem pervenissent, si se non pervenisse putassent*. Et quia Corinthii se tam doctos in Fidei doctrina putabant, ut jam ampliùs non crederent, se indigere Magistro, ideò illos carpit; & ut suaviùs possit, agit εἰρωνικῶς, ut reprehensio esset similis laudi. Illos itaque affatur his verbis. Ἤδη [a] κεκορεσμένοι ἐστέ, ἤδη ἐπλουτήσατε: χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε. καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε, ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν. *Iam saturati estis: jam ditati estis: sine nobis regnatis, & utinam sanè regnetis, ut & nos vobis conregnemus.*

Cur tam pauci homines sapientes sint?

Corinthiorum superbia.

a] *A verbo* κορέομαι.

Divus Ioannes Chrisostomus hunc locum illustrans, sic infit. { *Nunc autem reprehensione* (sic Ironiam Interpres dicit, quam cum Quintiliano posset *contumeliosam laudationem* vocare) *utitur dicens*, IAM SATVRATI ESTIS; IAM DIVITES FACTI ESTIS. *Hoc est*, Nullâ jam re indigetis; perfecti evasistis, ipsum tenetis apicem: nullius necessitatem vos habere arbitramini; [b] non Apostolorum, &c. IAM SATVRATI ESTIS. *Et rectè hoc verbo usus est, à tempore ostendens, non verisimilem, neq; rationalem eorum esse opinionem. Quare eis exprobrans, inquit*: IAM CITO FINEM ATTIGISTIS. *Quod impossibile erat fieri propter temporis brevitatem. Perfectiora namque in futuro sæculo manent. Paucis enim satiari, imbecillis est anima: à paucis verò putare ditescere stomachantis est, & miseri; siquidem pietas insatiabilis est; sed sanè puerilis est ingenii, à principio omnia se accepisse arbitrari, & nondum ipsis contactis initiis, ac si finem attingerit superbire. Inde ex sequentibus vehementiùs eos arguit. Nam quum dixisset*: IAM SATVRATI ESTIS, IAM DIVITES FACTI ESTIS, *subdidit*: [SINE NOBIS REGNATIS, ET VTINAM REGNETIS: VT ET NOS VOBISCVM REGNEMVS] *Multa plenus est gravitatis hic sermo. Quare in ultimo loco post multum terrorem posuit. Sic enim honesta fit admonitio, & tolerabilis, quoniam post accusationes reprehensiva verba inferuntur. Etenim impudentem* (aliàs, *pudentem*) *animum longè magis hæc, quàm manifesta reprehensio perterrere potuissent, & futurum dolorem, & impudentiam accusatione corrigere. Admirabile enim in reprehensoriis verbis, pudorem adducentibus hoc maximè est, quod duo habet contraria: nam & magis lædit, quàm manifesta accusatio; & reprehensum, quamvis gravis lædatur, disponit tamen, ut magis perpetiatur.*

Chrysostomus *tom. 4. in Epist. 1. ad Corinth. c. 4. homil. 12. fol. 144. col. 1. b.*

b] Hæc verba meliùs redderentur Hispanicè. *Os habeis persuadido, que no teneis necessidad de nadie, no de los Apostoles, &c.*

Multi hærent, quia in ipsomet principio ad finem se pervenisse arbitrantur.

Suavior & efficacior est laudatio ironica, quàm manifesta reprehensio.

Qui hanc Homiliam è Græco transtulit, non est Chrysostomi mentem adsequutus in plurimis, & ideò Notarum Author, illa Sancti Patris, verba, Ἐνταῦθα δὲ ἐντρεπτικῶς ποιεῖ λέγων, ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ. quæ Interpres sic transtulit; *Nunc autem Reprehensione utitur dicens*, IAM SATVRATI ESTIS. Hoc Scholio illustravit. *Non percêpit Interpres quid significet* ἐντρεπτικῶς ποιεῖν, *&* λόγος ἐντρεπτικός; *atque idcirco multas, & præclaras Chrysostomi sententias obscurat, & pervertit. Significat igitur ista dictio, quod alibi copiosiùs ostendi, inversam quandam orationem; quæ aliud in fronte præ se ferat, aliud præstet in recessu, ac sæpè speciem quidem laudationis habeat; sed cum vel ipsemet, qui laudatur, eas laudes nulla pacto agnoscat, atque idcirco ironicè datas non dubitet; necessariò*

Non sufficit bene scire unâ aut plures linguas, ut aliquis esse possit Interpres.

Quid ἐντρεπτικῶς ποιεῖν, *&* *quid* λόγος ἐντρεπτικός *significet?*

inde

Quàm sit utilis subditis laudando corrigere?

Quàm sit utilis ista correctio.

inde verecundia, ac pudore perfundatur. Talia illa sunt: Iam saturati estis; Sine nobis regnatis: Nos stulti, vos sapientes; *& cætera præclara, quæ sequuntur.* Quamobrem notat *Chrysostomus huiusmodi* eotrepticas Orationes *duabus propè contrariis conditionibus esse præditas. Nam, & altiorem inferunt plagam, quam aperta obiurgatio, & id simul præstant, ut qui arguitur; cùm gravius feceteur, patientiùs tamen ferat. Possumus igitur nos verbo non satis Latino, sed Ecclesiasticis Scriptoribus usitato* confundentes Orationes, *aut si mavis*, pudefacientes, *seu pudorem exprimentes appellare; atque hoc modo propositia verba vertemus.* (Hoc autem loco confundente oratione utitur dicens IAM SATVRATI ESTIS.) &c. Hinc autem Adulatores assentandi occasionem ne capiant. Est enim aliud hominem ironicè, & aliud seriò ob Virtutes, quas non habet, laudare. Quoniam laudatio Ironica Principem corripit ingeniosè, & modestè; eumdemque seria in vitiis fovet, & confirmat. Cæterùm, quæ ironicè, & quæ seriò dicuntur, Auditores ex voce, & gestu in quacumque Oratione distinguunt.

Orationes confundentes: pudefacientes: pudorem exprimentes, &c.

Quomodo Reprehensio ab Adulatione distinguatur?

HYPERBOLE.

Quid ipsa sit? Habet duas species. Vtramque exponimus. An necessariò debeat simplicem Veritatem excedere? An dentur Hyperbolæ veræ? An ad ipsas Ethopæa, Idolopæa, aut Prosopopæa pertineant? De Historiis, Fabulis, & Mendaciis. An, qui Corinam suam per Hyperbolem appellat Deam, *sit Idololatra? Excluditur Hyperbole, ubi ostenditur, esse possibile, quod narrabatur.*

Quid Hyperbole sit?



Ἀπὸ τοῦ ὑπερβάλλω, quod est *extendo, excedo*, dicitur: & *est Figura, à quâ aliquid ornatus gratia ita pingitur, ut fidem excedat.* Tale est illud Virgilii *Æneid.* 12.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

qui libr. 5. cecinerat.

Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.

Et posteà libr. 12. verbis his Camillæ virtutem exaggerat.

Bellatrix, non illa colo, calathis-ve Minervæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia Virgo
Dura pati, cursuq; pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

An debeat rem impossibilem dicere?

Oportet, ut rem impossibilem dicat, ne mentiatur Hyperbole: nam tunc monemur restringi vocem debere ad significationem, quæ sit inter possibiles, aut potiùs verissimiles, & congruas maxima. Apud Seneca, *Amplius est exigendum* (dicendum) *quàm satis est, ut præstetur* (intelligatur) *quantum satis est*, &c. *Nunquam tantum sperat Hyperbole, quantum audet; sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.* Quintilianus. *Tum est Hyperbole virtus, cum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit: conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est non potest: meliusque ultrà, quàm citrà stat oratio.* Sed & dixerat. *Quamvis est omnis Hyperbole ultra fidem: non*

tamen debet esse ultra modum. Modum præscribit consuetudo, nam, si sit insolens Amplificatio, caret gratiâ. Considera, & perpende hoc exemplum. Petrus Ioanni narraverat viginti fabulas, & Ioannes tibi; *Me ha contado Pedro un millon de mentiras*. Non mentitur; quia cum notoriũ sit non potuisse unum millionem (millia millium) mendaciorum contexere, restringitur significatio ad numerum congruum, & verisimilem. At fuisset mentitus Ioannes, si dixisset, *Me ha contado veintiquatro mentiras*. Nam tunc sermo figuratus non esset, & abesset excessus excusatio.

An Hyperbole committi solent intra terminos possibilitatis?

Sed quot modis exercetur Hyperbole? Duobus præcipuè: aut enim rem de facto extollimus, aut in ea Hyperbolem reperiri affirmamus.

Prioris modi apud Græcos Latinosq; multa exempla succurrunt: Latina aliqua dedi; hoc Hispanicum addo.

D. Ludovicus de Gongora Cantic. VIII. *Fugientis Cloridos velocitas cum sagitta componitur.*

Yo pues ciego y turbado
Viendola como mide
Con mas ligeros pies el verde llano,
Que de el arco encorvado
La saeta despide
Del Partho fiero la robusta mano. &c.

Et alibi ut exprimat cujusdam Volucris velocitatem ait.

Congora Sol. v. 143.

Despedida no saeta
De nervios parthos igualar presuma
Sus puntas desiguales.

Eodem concepta exprimitur aliarum rerum velocitas.

Et eamdem Hyperbolem in Ario sto Cant. 9. stroph. 70 reperio.

Ma gli fu dietro Orlando con più fretta,
Che non esca dal' arco una saetta.

Et in Torquato Tasso in suâ Hierosolymâ Cant. III. stroph 31.

Quel si dilegua, e questi accese d'ira
Il segue, e van, come per l'aria strale.

Qui fortassis Ovidium legerant; pingens enim Daphnen profugam, dixerat,

—— *Fugit ocyor aura*
Illa levi.

Aut Silium Italicum, qui libr. 16. sic cecinit.

Accepere tuba spatium: exsiliere per auras [*]

Ocyùs effusis nervo exturbante sagittis.

[*] Quid autem est, *accepere tuba spatium?* Per tubam equitibus & per timpanum peditibus exercituum Principes in militia loquuntur; & ut pergant, sistant, invadũt, aut regrediantur, imperant.

Et plurima his similia passim in libris Poëtarum leguntur.

Et, si rem benè examinem, videtur nomen hoc *Hyperbole* non habuisse olim constantem, & legitimã significationem, quoniam Cicero, qui Figurarum, quæ sunt Charites, quæ Orationem exornant, deberet perallere vocabula Hyperbolem, cum Prosopœiâ, aut Idolopoea confundit. Verba, quæ huc spectant, dabuntur *pag. 746. a.* quoniam re bene considerata, mortuos loqui, ut ut sit impossibile, minime ad Hyperbolen pertinet. Vide interim Quintilianum *lib. 8. cap. 6.*

Quo sensu acceperit hanc vocem Cicero?

Posterior Hispanis perplacuisse videtur, nam ipse *Hyperboles* voce utuntur, ut rem amplificent. Lupus de Vega in sua Lauru Apollineâ Sylv. 2. pag. 22. b.

O Iuliana Morela, o Gran Constancia,
Con quien fuera plebeia la arrogancia
Hoy de Aegentaria Pola,
Aunque fuè, como tu, docta Española:
Porque mejor por ti, que has hecho quatro
Las Gracias, y las Musas diez, pudiera
Que por Sappho Antipatro
Dezir aquella Hyperbole que fuera
Mas ajustada a un Angel, pues lo ha sido.
La que todas las Ciencias ha leido.

Multæ apud Hispanos faminæ sunt eruditæ, & carmina pulchra componunt.

Sappho ab Antipatro laudibus celebratur eximiis.

Et ibid. Sylv. 4. pag. 33. b.

Quien pudo amar de veras,
Que versos no emprendiesse?
Las acciones primeras
De Amor es lamentarse en barmonia,
Porque la Phantasia
Elije luego Hyperbòles que puedan
Significar las penas o las glorias,
Que al sentimiento, si es possible, excedan,
Pintar discursos describir historias,
Que tiene Amor sus guerras, y vitorias.

Amor Musas alit,

& per Hyperboles suas passiones significat:

Bella gerit, & victorias adquirit.

Et in eodem iterum libro Sylv. 5. pag.

pag.43.b. Laura Mançanarii (fluvius est, qui Mantuam Carpentanam alluit) Nympha, perorabat hoc modo.

Mançanares Castellæ fluvius.

Y pues en esta parte no se entiende
Lo que Oracion Rhetorica pretende,
Ni mover, ni enseñar, ni deleytaros,
Debo mas referir Ingenios raros
Donde la Relacion no se divide,
Si bien la Dignidad ornato pide,
Y seran los Hyperboles [a] *forçosos:*
Oid selvas, oid Alamos bellos,
No peyne el Viento, no, vuestros cabellos.

Est Rhetoricæ finis; docere, suadere, & delectare.

a] Hinc collige (1) Hyperbolas in liberas & necessarias dividi. (2) hoc nomen, quod Græcè & Latinè est fœmeninum, masculinorum sensui ab Hispanis adscribi.

Posteà Sylv.8. pag 74 hæc reperio.

Al Docto Gabriel Lopez mira atento
Pluma Gentil de Heroico fundamento,
A cuya urbanidad y letras deben
Musas Latinas, Griegas, y Francesas,
Mas altas, mas difficiles empressas,
Pues juntas no se attreven
A su alabança, viendo que no alcanza
La Hyperbole mayor a su alabança.

An hæc duæ Hyperbolæ quas expono, aliquando coinciderint?

Et in ultimo versu utraque reperitur Hyperbole; dicere enim Gabrielis Lopez laudes omni Hyperbole majores esse, etiam manifesta est Hyperbole, tunc enim Exaggerationem, & Amplificationem intendimus, cùm nos loqui simpliciter, & non hyperbolicè asserimus. Et hæc est expressa quædam in Hyperboles exilio Hyperbole, & percipitur in præsenti Tetrasticho.

Hispaniæ Reges jam à multis sæculis vocitantur Catholici.
An hoc nomen Hyperbolicum sit?

Sensus Hyperbolicus nostris si versibus absit,
Atque velim cunctis absq; colore loqui,
Virgilios Latium, dum Græcia laudat Homeros,
Te Musa dicam nobiliore frui.

Et simili Sermonis Gratiâ utitur Lupus de Vegâ, in Apollineâ Laur. Sylv.10.pag.100.dicens.

Las Indias infestando,
Que fueron de Isabel y de Fernando,
Logica Moralis.
Por su zelo Catholico,
Nombre proprio de España, no Hyperbolico.

QVAERITVR. *An veritas pertingere possit Hyperbolem?* Habere illas interdum valde affines terminos cognovit D. Antonius Hurtadus de Mendoza, dixit enim:

An Hyperbole possit vocari vera?

Quedaron de sêr vencidos
Los impossibles con miedo.

An impossibilia vinci possint?

Habere eosdem interdum testatur Ioannes Perez Montalvan in Novella, quæ die Veneris legitur in libro, inscripto OMNIBVS, *Para todos*, ibi enim aliquas Exaggerationes *Hyperbolas veras* (Hisp. *Hyperboles verdaderos*) appellat. Montalvano M. Tirsus de Molina consentire videtur; nam Hyperbolas in operibus Naturæ collocat: in Cantione enim quæ *Cigarralium quarto, libr.1.pag.144.a.* legitur, intonat.

Vera contra Montalvanum scribit: contra Veram Luzerus: & contra Luzerũ Ribera.

No honró Naturaleza, diestro Apelles,
En otro igual desvelo sus pinzeles,
Pues en ella procura
Hyperboles mostrar de la Hermosura.

Et interdum Poëtæ tam moderatè excedunt, ut dubium sit, an intra veri terminos orationem contineãt, an verò illam ad aliquam Figuram eliment. Talia sunt illa Nasonis Carmina. metam.7.

De funda Balearica.
An pila plumbea, excussa fundæ vi, ita incalescat, ut & possit liquari?

Non secus exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda jacit; volat hoc, atq; incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

nam motus est causa caloris, & calor fortia metalla liquat. Ergo tam conciatum motum plumbeæ pilæ funda potest imprimere, ut liquefeat in aëre: quod multi asserunt, & multi similiter negant.

Se opponit Doctor Vera, & ait, in exacta determinatione Veritatem Hyperbolen in excessu consistere, & ideò hanc Figuram *Veram* dici non posse. Dn. Luzerus de Clariana (sic dici voluit, qui pro Montalvano contra Veram scripsit) dicit, *Que al Hyperbole se le de nombre* de verdadero, *disculpado, y aun alabado lo tiene Quintiliano*. At Quintiliani verba, quæ producit, hoc ne quidem insinuare videntur. Vnde Petrus Ribera, cùm bonam causam à

Bona interdum causa periclitantur ob defectum Patroni.

malo Patrono propugnari videret, sumpsit calamum, ut Montalvanum, non solùm à Verâ, ejus Adversario, sed etiam à Luzero, ejus Defensore, defenderet; & hoc punctum edisserens, ait. *Tan lexos està Quintiliano de alabar lo que quiere D. Luzero, como D. Luzero de entender a Quintiliano. Resuelve en ese lugar el doctissimo Varon, como ha de ser el Hyperbole para no ser ridiculo: y dize la razon porque se permitte, quando es templado.* Tum est Hyperbole, *&c.* (Et hæc verba paulò antè posuimus) *Pero como D. Luzero no puede hablar sin solecismos, dize,* Tuum est, *&c. Quando se tira al blanco, el tiro alto es mejor, que el baxo; porque es mas facil baxar, que subir; y assi en el Hiperbole* conceditur amplius dicere, *porque es mas facil negando algo de lo mucho, que se dize; que subir, concediendo mas de lo que se propone.* Conceditur enim amplius dicere, *mas no con tanto excesso, que sea fuera del modo,* &c. *Mas arriba del blanco, pero no fuera de la rodela,* &c. Profectò supra fidem, non verò præter consuetudinem apud Eruditos receptam.

An Luzerus Quintilianum intelligat?

Hyperbolica loquutio cum explosione sagittæ ad scopū componitur.

Et quia etiam incriminatur Mõtalvanum Doctor Vera, quòd suas *Morales Fabulas*, quas vulgò *Novellas* vocamus, *Historias imaginadas* dixerit. Contendit veritatem in Historiâ requiri: & ideò infert non bene Historiam cum Imaginatione conjungi. Cæterùm, quia Veritati magis quàm Historiæ est intrinseca Veritas; & tamen omnes Hypotheses sunt imaginariæ Veritates, paciar Historias in eas quæ acciderunt, & quæ cogitantur (vel, ut Hispanus loquitur, *en succedidas, y pensadas*) distingui; maximè, cùm in Apologiâ de moribus Platonis, quæ adscribitur Marsilio Ficino, quædam Novella *Historia ficta* nominetur.

De historiis cogitatis, seu de fabulis.

Quid sint Hypotheses?

Quid sit Historia ficta?

Ethopœam, & Idolopœam, & alias similes Figuras ad Hyperbolen reducit Cicero, *in Topic.* dicens. *In hoc genere Oratoribus, & Philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augenda rei gratiâ dicatur, aut minuenda, quæ Hype.bole dicitur.* Consultò illa verba interserunt, *quod fieri nullo modo possit*, nam si narretur id, quod fieri possit, Figura tollitur, & de verborum veritate jure inquiret Sinceritas. Et hinc patet Primò, in his verbis, *Dixerunt lupi ovibus, dimittite canes, hostes nostros, & erimus vobis amici. Canes dimittūt oves credulæ, & superveniunt lupi, & illas devorant.* Nullum mendacium, sed plurimam doctrinam esse. Nullum in illis reperitur mendacium: quia, cum impossibile sit lupos & oves loqui, per Figuram ad sensum possibilem & congruum restringitur (aut etiam traducitur) significatio, ut *luporum* nomine vafros & deceptores; *ovium* nomine, pupillos & electes & tandem *canum* nomine patronos, advocatos, tutoresque debeamus necessariò intelligere. Et hinc patet Secundò, quid & qualis sit fabula? Audi Ciceronem *lib. 1.* cum Herennio loquentem. *Fabula est, qua nec res veræ, neque verisimiles continentur; cujusmodi est; Angues ingentes alites invecti jugo.* Idem *Orat. part.* addit, *Fabula etiam nonnumquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet.* Et hinc patet Tertiò, illa Moralia Æsopi Monita, quæ passim nominantur *Fabulæ*, omni mendacii suspicione carere; nam animalium nominibus homines significantur, qui moribus animalia illa exprimunt. Et hinc patet Quartò, Figuram tolli, & viam mendacio sterni, cum Hyperbole possibilitatis metas non transcendit. Et hinc patet Quintò carere mendacio Apophthegmata. Alii alia edisserant, ego duo dicta à Ramiro Rege Hispaniæ propono. Sit primum, *Nesciunt, vulpeculæ cum quo ludant.* Et secundum, *Conflabo campanam tam magnam, ut eius sonum tota Hispania cum horrore & admiratione percipiat.* Et *vulpecularum* nomine intelligebat undecim illos viros, qui se dicterlis proscindebant, quos in Oscæ urbe gladio percuti jussit: & *campana* nomine significare voluit, solennem illam Iustitiam, quâ non paucos Proceres decapitavit, ut narrat Mancius *libr.* 8. Collige ex his illum, qui ait, *Leo dixit*, non mentiri, quia, ut diximus, audiens scit esse Figuram in his verbis: at, si Antonius exclamet, *Dicit Psittacus.* Quid sciam, an *Psittaci* vocem sumat figuratè vel non? &, si non, quid sciam, an Psit-

De Ethopœa, & Idolopœa.

An ad Hyperbolem reduci debeant?

Vide Quintilianum.

An Apologi complectantur mendacia?

Quomodo sint interpretandi?

Quid sit fabula: & cur mendacium non involvat?

An in Æsopi Fabulis aliquod mendaciū reperiatur?

Impossibilitas ipsa orationem eximit à mendacio.

An Apophthegmata mendacii labe maculentur?

Psittacus dixerit, aut tacuerit.

An dicatur nō fit blasphemus, qui amasiam Deā suam, aut Idolum suum vocat?

HÆC doctrina etiam in materiâ Religionis se insinuat, & interroganti, *An qui Amasiam suam* Deam, *aut* Idolum suum *nominat, blasphemiam dicat?* satisfacit. Cùm enim Christianus sciat, illam adolescentem Deam non esse, vocem hyperbolicè sumit, ita ut rem sonet impossibilem, & debeat in sensu possibili accipi. Ergo hæc propositio; *Tu es mea Dea*, dicta ab amante, non est falsa: & non concernit Religionem Christianam; quia minus significat, quàm sonat. Et per Hyperbolem restricta, *rem pulcherrimam* exprimit. Coronius *in summ. verb. Blasphemia. num.* 4. [Non est blasphemia vocare amasiam *Deam*, aut *Idolum suum*: nam hæc verba non dicuntur aut capiuntur in sensu proprio, sed hyperbolico. Ita Mendoza *in* 2. 2. *disp.* 91. *sect.* 4. S. 16. & Diana *part.* 5. *tr.* 23. *resol.* 20. &c.]

Calderon fœminas, quæ pulchra, Deas frequentissimè nominat.

Tametsi apud Poëtas obtinuerit, Virgines speciosas, *Deas* dicere: hanc frequentissimè licentiam sibi adrogat Petrus Calderon, quem ob ingenii vivacitatem & styli elegantiam sæpe adduco. In Comœdia, quæ inscribitur, *El Laurel de Apolo*. fol. 194. col. 4.

An in Metaphora, & Hyperbola aliquando excedatur?

Viva la gala dichosa
De la que en el Cielo es Diosa,
Y por acà es otra cosa,
No sè si buena, o si mala.
Viva la gala.

Quem, si excessisse putas, corrige, ut moderatiùs moduletur, & concinat.

Viva la gala dichosa.
De la que en la Tierra es Diosa.
Y por allà es otra cosa,
No sè si buena, o si mala.
Viva la gala.

An à Christianis Roma vocari possit Vrbiū Dea?

Hinc patet id, quod olim cum sacrilegio assertum, Romam videlicet *Deam Vrbium esse*, nunc castè dici: nam Ethnici sicut nemoribus, fluviis & montibus; sic etiam Divinitatem Vrbibus adfingebant: at nos hodie; quia hoc esse falsum scimus, si tamen *Deam* vocamus Romam, hoc ipsi nomine non veram aliquam accipimus, sed excellentiam illam, quæ in hoc genere sit maxima significamus.

Describitur Æneæ, & Turni singulare certamen.

OMnia hæc considerabat Virgilius, & singulare certamen inter Æneam & Turnum accuratè describens, sic inquit.

Æneas instat contrà, telumque coruscat
Arboreum [a] *& sævo sic pectore fatur.*
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam Turne retractas?
Non cursu, [b] *sævis certandum est cominus armis.*
Verte omnes tete in facies, & contrahe quidquid
Sive animo [c] *sive arte vales. Opta ardua pennis*
Astra sequi, clausumque cavâ [d] *te condere terrâ.*
Ille caput quassans. Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: Dii me terrent, &
Iuppiter [e] *hostis.*
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens [f] *campo quò forte jacebat,*
Limes agro positus, litem ut dirimeret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent
[*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*]
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem.

Fuerunt Samsoni synchroni: & fortassis Virgilius, quia hujus historiam legerat, omnes illo ævo fuisse tam robustos putavit.

Vivebat Samson anno Mundi 3000. & natus est Christus anno 4090 Genebrardo asserente.

Proderit versus eosdem relegere, & scholiis brevibus dilucidare.

a] Epithetum *arboreum* ibi, non teli materiam, sed magnitudem insinuat, ita ut sit Hispanicè, *Era el dardo, que Eneas vibraba como un arbol.*

Quid importet Arboreus?

b] Subticetur ibi, & subintelligi debet, particula adversativa *sed*.

c] In libris vulgatis lego *animi*, at ego Ablativo uterer, ut animum cum arte componerem.

d] Anne tellus est cava? Variæ fuere Antiquorum de figura Telluris sententiæ: at hodie demonstratur clarissimè rotundam esse. Cicero libr. 2. de Natur. Deorum. *Terra universa cernatur, in media sede Mundi, solida & globosa.* Et Mar. Capella. *Globosam rotunditatis finibus habendam esse Tellurem.* Consonat Faustus,

De figura Telluris.
Est rotunda.

— *Quid liquidum Pontum, Terramque rotundam.*

Eamdem tamen *cavam* Æneas appellat, non enim de externa superficie, sed de subterraneis antris agit.

Cur cava à Virgilio dicatur?

e] Hic aliquid subaudiri debebit; est enim sensus *Dii soli me terrent, & Iuppiter, si fuerit hostis.* Sed cur Iuppiter expressè ponitur: nam Deus est, & in illis præcedentibus verbis. *Dii me terrent*, jam clauditur? Respondeo. Ethnicorum sententia nomen *Deus* aliter de Iove, & aliter de tota Deorum colluvie prædicari: & ideò propter Majestatis & Dignitatis excellentiam: in generalibus dictis Iovem non capi.

An nomen Deus, Iovis, & aliorum respectu fuerit olim æquivocum?

f] Præpositio *in* subintelligitur; non enim jacent campo lapides, sed in campo.

His prælibatis ad rem venio. Scripserat profectò Maro,

Sa-

Utrùm in hac historia recensenda Virgilius, aut mentitus fuerit, aut hyperbolicè loquutus sit?

Saxum antiquum ingens, qui fortè jacebat: &c.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem.

Et quia videbat, verba hæc, nam impossibilia censerentur, aguenda esse aut mendacii, aut hyperboles; illudque cum suæ authoritatis dedecore; hoc cum gloriæ quam Turno volebat accensere, dispendio, decrevit ostendere id quod de Turno cantabat, Possibilium terminos non excedere; & versum illum, *Qualia nunc hominum.* &c. interseruit; seque subduxit à mendacio, & Turni vires ab Hyperbole. Profectò universam Naturam ætate enervari & deficere certum est: &, si Virgilii tempore majores & fortiores erant homines, quàm nunc, nemo negare poterit illos Æneæ & Turni temporibus, multò majores & robustiores fuisse. Potuit ergo Turnus olim movere saxum, quem post mille & centum annos vix sex torquerent.

An sit possibilis historia Turni?

Ex lapide transeamus ad lapides. Et sequentem Hyperbolen consideremus.

Efficacia jejunii.

Si tu quieres, que te siga,
Dexame cargar el cuerpo
De cascotes y guijarros
Que por falta de sustento
Estoy tan liviano ya,
Que cada vez, que me muevo,
Me mueve con gran cuydado,
Porque no me lleve el viento.

Sunt verba Moreonii, qui in Comœdiâ, quæ inscribitur, *Amor de razon vencido.* diuturnæ inediæ effectus & labores exaggerat. Adludit ad historiam gruum [*] hę enim, si venti vehementiores spirent, ut resistere valeant, binos singulæ lapides pedibus apprehendunt. Vide Plinium *libr.* 20. *cap.* 23. Ciceronem *libr.* 2. *de natur. Deor.* & Agellium *libr.* 7. *cap.* 16.

*] *Grus, gruis.* utroque genere legitur. MASC. Horatius ferm. 1. *Membra* [*gruis sparsi*. FOEM. Virgil. Georg. lib. 1. *Strymoniæ dant signa grues.*

Cur, & quando grues lapides uncis pedibus ferant?

Debet interim moneri Poëta, ne receptas intendat aut remittat Hyperbolas; usus enim præscripsit jam αὐξήσει terminos, quos pertingere debeat, non transgredi. Porrò *Jarro, Cantaro,* & *Tinaja* tria sunt apud Hispanos nomina, quæ vasa significant; & multò sunt inæqualia inter se. Possent Latinè reddi *Poculum, Hydria,* & *Dolium*, si non exactè, saltem sine magnâ significationum parallaxi. Et ut significemus esse maximam pluviam, *Que llueve a cantaros*, hyperbolicῶs dicimus, &, si aut dicendo, *Que llueve a tinajas*, augeremus Hyperbolen; aut dicendo, *Que llueve a jarros*, illam imminueremus, rideremur ab omnibus: nam ille exaggerandi modus est in Parnasso Hispano notus; & alii quoniam inauditi sunt barbari.

Hyperbolicæ phrases, quæ jam receptæ sunt debent manuteneri.

Llover a cantaros.

Et iterum moneri debet, ut in laudando & exaggerando habeat modum, ne quæ sub initium esse debuit Hyperbole, fit sub finem mendacium. Quò respiciens Licenciatus Burguillos (Lupus de Vega) cecinit.

Hæc Figura subjecti qualitates intendit, non immutat.

Bien puedo yo pintar una Hermosura,
Y de otras cinco retrattar a Helena [*]
Pues a Phyllis tambien siendo morena,
Angel, Lope llamô, de nieve pura.
Bien puedo yo fingir una Escultura,
Que disculpe mi Amor, y en dulce vena
Convertir a Philene en Philomena,
Brillando claros en la sombra escura.
Mas puede ser, que algun Letor estrañe
Estas Musas de Amor Hyperbolicas,
Y viendola despues se desengañe.
Pues si ha de hallar algunas partes feas,
Juana, no quiera Dios, que a nadie engañe;
Basta, que para mi tan linda seas.

*] Adludit ad Helenæ simulachrum, quod posteà Romà translatum in Philippi porticibus appensum est. Plinius *libr.* 35. *cap.* 10. Illud ad suum Musæum convocatis pulcherrimis totius Civitatis Virginibus, & quod in singularum facie optimum exprimens penicillo, Zeuxis Heracleotes; delineaverat.

Ecce tolerat, & permittit Hyperbole, ut Phyllis, si sit alba, candida, & purior ipsa nive dicatur: verùm enim verò, ut ipsa nigra sit, & tamen à candore laudetur, & celebretur, non permittit.

NOTA.

An Hyperbole in rebus spiritualibus locum habeat? An Indulgentiæ, quæ à Summo Pontifice conceduntur, in sensu Hyperbolica sint accipienda?

ANTE Resolutionem proderit audite Illustrіs. D. Acacium Mar-

Laudatur Acacius.

De Indulgentia. Quid illa sit?

Marchium de Velasco, Episcopum de Origuela, Virum doctissimum, & mihi charissimum; nunc, ut spero, Cæli Incolam, qui *tom. 2. verb.* Indulgencias *resol. 92. num. 2. pag.* 208. *b.* sic scribit. *La Indulgencia Plenaria, es perdon de todas las penas debidas por los peccados* Ex Gloss. dict. Extrav. vers. Peccatorum. *&c. Y assi la Indulgencia plenissima, solo se llama tal hyperbolicamente, y por exageracion; porque hasta ai, se estiende el poder de las Llaves.*

Indulgentia in Ordinarias, & Extraordinarias dividuntur.

Dico nihilominus, Hyperbolen non habere locum in Indulgentiis, sed illas in Ordinarias, & Extraordinarias Romæ dividi. Addo Plenariam Indulgentiam, quæ ex Ordinaria Pontificis potestate conceditur (si circumstantiæ, quæ requiruntur, adsint) esse omnium pœnarum, quæ propter peccata jam ritè confessa in Purgatorio debentur, relaxationem. Ita D. Thomas *in 4. dist.* 20. *art. 3.* & *in Addisievibus qu.* 25. *art.* 1. quem Cajetanus *tom. 1. in utroque Opusc. de Indulg.* Sylvester, Angelus, Tabiena, & Armilla *in summis verb. Indulgentia.* Corduva *in Quæstion. libr.* 5. Rodriqucz, *in Bullam sub princ.* §. 1. *&* 8. Sotus *in 4. dist.* 21. Villalobos *part. 1. tract.* 26. Toletus *in summ. libr. 6. cap.* 21. & communiter universi Theologi; nec non Canonistæ *in Titul. de Indulgentiis, & Remissionib.* & *in extravagantem, Unigenitus, & in extravag. Antiquorum.* & cæteri Viri docti sequuntur.

Quid Plenariæ Ordinariæ nomine intelligatur?

Quid sit Indulgentia plenissima?

Subjungo Indulgentiam Plenissimam, eam esse, quæ vulgò vocatur *Iubilaum*, quæ est Gratia quædam extraordinaria, quæ præter peccatorum relaxationem, absolutionem à reservatis Casibus, commutationem Votorum, & Iuramentorum, quæ non transtulerunt jus in tertium, relaxationem indulget. Ita Sotus *in 4. dist.* 21. *qu. 2. art.* 1. Canus, Victoria, & alii. Et in ea nullam ego Hyperbolen, aut Exaggerationem percipio.

METAPHORA.

Quid ipsa sit? Quo modo intendi possit? De Lingua Syriacâ. Unde prodierit? An præter nomina, quæ propria sunt, habeat alia, quæ significent similitudinem? An eamdem in Græcâ Linguâ distinctionem nomina ὁμὸς *&* ὅμοιος *præseferant. De Arianâ Hæresi; An ferro, & igne de unâ, aut alterâ literâ furibunda contendat?*

Quid sit Metaphora?



Ertinet ad Qualitatem, & *est Figura Rhetorica, quæ locum habet, cùm per similitudinem de subjecto aliquid prædicamus, quod illi non convenit propriè.* Caussinus de eloquentia sacr. & human. libr. 7. cap. 27 pag. 400. [Ad unum verbum contracta similitudo definitur à D. Augustino *libr. contra mendac. cap.* 10. de re propria ad non propriam verbi alicujus usurpata translatio.] Unde P. Philippus à Sanctiss. Trinitate *in summ. Philosoph. part. 1. qu. 14. art. 1. pag.* 96. *a.* [Significatio nominum est duplex, scilicet propria, & impropria. Propria est, quando vox, vel nomen accipitur juxta propriam significationem, sicut cum hæc vox *Leo* accipitur ad significandam naturam leonis in concreto: Impropria autem cum vox significat metaphoricè, vel per translationem: sicut cùm hæc vox *Leo* accipitur ad significandum hominem fortem. Ad hæc signa reducitur signum, quod dicitur ex consuetudine. &c.] Et quidem hæc Figura maximè Orationem exornat, frequentiùsque apud Poëtas occurrit. Virgilius *Ecl.* VIII.

An in impropria significatione consistat?

Omnia nunc rident: at si formosus Alexis. Mon-

Montibus his abeat, videas & flumina sicca.

An & quae sensu herba rideant?

Et dixerat *Eclog.* IV.

Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.

Lege Macrobium *sat.6. cap.6.* Canit Lucretius *lib.5.*

Præsertim cum tempestas ridebat, & anni

Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.

In his, & aliis locis verbum *ridere*; quod hominum proprium est, herbis, floribus, undis, &c. attribuitur, quod risus sit lætitiæ signum, & nos illa, quæ ridere dicuntur, lætificent. Stando Hebrææ Grammaticæ possemus dicere in hujusmodi locis *ridere* habere vim coniugationis *Hiphil*, & esse *facere*, *ut rideamus*, *& hilares simus*. Et hoc sensu loquutus est idem Virg. Georg. libr. 1.

Hiphil Hebræorum quid sit?

Quid faciat latas segetes, quo sydere terram. &c.

Vbi quærit, Quid faciat, ut segetes illam pulchritudinem adipiscantur, quæ nos lætos reddit?

An, quando, & apud quos sint periculosæ Metaphoræ?

An membra Deo possint attribui?

PRæbent occasionem erroribus, si rhetoricemur coram illis, qui sensum proprium nesciunt ab improprio distinguere. Et hinc patet Sacram Scripturam quia legitur Christianis, sine periculo membra Deo attribuere (Caput 1. Corinth. 11.3. Oculos *Deut.*32. 10. *&* 1. *Reg.* 8.29. *&* 52. *& iterum Paralip.*6. 20. 40. *&* 7.15. Nehemiæ 1.6. Iob. 10.4. Psalm 17.2. *&* 33. 18. *&* 34. 16. *Proverb.* 15.3. *Isaia* 49.16. *Zacch* 22. 4. *&* 1. *Petr.* 3. 12. Faciem, *Psalm.* 27. 8.9. *&* 31.17. *&* 89. 15. Aures, *Psal.* 31.3. *&* 34.16. Alas *Deuter.* 22.40. *Psalm.* 17.8. *&* 57.1. Pedes *Psalm.* 18 7. *&* 110.1. *Matth.* 22.44. *Actor.* 2.34 35. *&* 1. *Corinth.* 15.25.27. *Hebr.* 1. 11. *&* 10.13. *Isaia* 66.1. *&c.*) & Alcoranum, quia Mahometanis legitur sacrilegè, & scandalosè, quia cum Saraceni Deum Corporeum delirent, membrorum in Deo nomina ad ipsum significant, quod sonant. Hausit Mahometus hunc errorem ab Ethnicis, nam ipsi tametsi se non colere ipsas statuas dicerent, sed numina, quæ per eas significata, nihilominùs, quia carebant spiritualitatis conceptu, putarunt illa esse materialia. Ipsmet simulacra esse adoranda videtur judicasse. Martialis, ait enim lib. 8.

Cur illa sacra Scriptura sanctè attribuat Deo?

Et Alcoranus sacrilegè?

Error Mahometanorum.

An Ethnici statuas, an personas illis significatas coluerint?

Qui finxit sacros auro, vel marmore vultus

Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.

Ergo Divinitas ad Martialis Mentem est quædam denominatio extrinseca à cultu adorantium proveniens. Dari reverâ Deos, & hos imaginibus significari, sentiebat Ovidius, nam *lib.*1 *Pont.*8 cecinit.

Quid sit illorum opinione Divinitas?

Sic homines novêre Deos, quos arduus Æther

Occulit, & colitur pro Iove forma Iovis.

Sed hæc ipse Iupiter, qui in sua forma, seu simulacro, ut monet Ovidius, adoratur, est materialis, & corporeus? Asserit Ovidius 2. Pont. 8. his verbis.

Fœlices illi, qui non simulacra, sed ipsos,

Quique Deûm coram corpora vera vident.

An Gentium Dii corporei sint?

Ergo periculosè coram Ethnicis de oculis, auribus, & aliis membris Divinis disseretur, quæ enim metaphoricè ab Orthodoxis dicerentur, ab illis acciperentur in proprio, adeoque sacrilegè, & hæretico sensu.

An coram Ethnicis uti liceat metaphoris?

Ne in te tanta ex inadvertentia, aut adlucinatione aliquem errorem committas, poteris auscultare Iosephum Langium, qui *in Floribus verbo* Deus *mihi column.* 775. sic inquit. (De hoc dicendi genere notetur Regula. *Membra Corporea, & humana passiones, seu affectus, quæ Deo tribuuntur semper incorporaliter significant, & ut plurimum secundum effectum sui generis intelligi debent*, quæ figura vulgo ἀνθρωποπάθεια vocatur, potestque etiam ad metaphoram, vel metonymiam referri, ut causa pro effectu quasi ponatur.) Ego autem dico, Deum habere oculos virtuales, aures virtuales, manus virtuales, nam licet eas non habeat, ut tamen hominum miserias sciat, eorum preces auscultet, & miseriis subveniat, ita se habet, ac si innumerabiles oculos, infinitas aures, & manus immensas haberet.

Quid, & qualis sit ἀνθρωποπάθεια?

An, & qualiter oculos, aures, & alia membra habeat Deus?

Cur

Cur fuerint inventa, & admissa Metaphora?

De Metaphora origine. Cur inventa fint vestes? Cur domus facta? Cur vocum Translationes admissa?

METaphoram invexit in usum communem necessitas, & postea elegantia, & ornatus: nam sicut prius vestes, ut tegeretur nuditas, & posteà ut corpus ornaretur inventæ; & sicut domus, priùs ut contra temporis inclementias homo protegeretur. Et posteà ut magnificè habitaret, erectæ; sic voces Metaphoricas dedit primò necessitas, & quia placuerunt doctis, etiam præter necessitatem illis usi sunt posteà Rhetores.

Honestas, Modestia, & Vrbanitas obscæna & immunda exsecratur vocabula.

Sed quæ esse potuit necessitas, quæ homines ad Metaphoras, cogeret? Illa sanè, quam inducunt Honestas, Modestia, & Vrbanitas. Sicut res ipsas Homo Ingenuus, sic &, propria immundarum & obscœnarum rerum nomina abominatur. Sic, ne impuro aliquo abutamur vocabulo, dicimus *Adamum uxorem suam cognovisse*. Illas corporis partes, quas obvelare pudor præcipit, propria habet, eaque condemnata nomina, & ideò aliis utimur, sub umbra aliqua illas significantibus. Etiā Vrbanitas, & Modestia nos cogit, ut mundè dicamus immunda, & nitidè spurca exponamus. *Potum, dapesque humanas*, pro urinâ, & alvi excrementis Plinius posuit; illam *aquas minores*, & has *majores* vocant Aulici. Germani dicunt, Das wasser abschlagen. Seine notturfft thun. Hebræi urinam מימי רגלים *Meme dergliben*. Et nuper D. Franciscus de Quevedo, ut decenter urinam, & excrementa emittere significaret, verba *desbeber*, & *descomer* invênit: quæ tametsi nova, & ab eo primùm ficta; placent jam multis, & aliquando admittentur in thesaurum Hispanicum.

De inhonestis vocabulis.

Rerum loco alia, aut antiqua, aut nova & nuper ficta subsistuuntur.

Primas dedit vocum translationes necessitas.

Stat ergo primam Metaphorarum omnium formationem à necessitate processisse; & quia Schema hoc visum est ad ornatum conducere, posteà admissum præter necessitatem.

An Metaphora semper sumi debeant ex proximo?

ALiquæ interdum à longè petuntur, & Gratiis non videntur carere, quod exemplo ali-

Logica Moralis.

quo dilucidabo. Gloriabatur Ausonius, dicebatque, *Que al Duque le havia hablado de tajo*. & quia, quid vellet dicere, non intelligebant Circumstantes, Quintilianus, qui fortè aderat, ut illam phrasim dilucidaret, sic infit. [In Comœdia, quam *Amor de razon vencido*, Author inscribi voluit, pag. 414. Tetrasticha sequentia reperio.

Morconius. *Poco diligente soy*
En guardarme de perjuicio,
Pues con todo mi juicio, [*]
Por estas paredes doy.
Y mas no sabiendo donde
Ponga la planta cobarde.
Dux. *Vn hombre, siendo tan tarde*,
En este Cuarto se esconde.
Quien puede ser (estoy ciego!)
A quel traydor? quedo labios,
Que, si dezis mis aggravios,
Os harè pedazos luego.
Castigue mi indignacion
Desta suerte su delito. [::]
More. *Ai, ai*. *San Gorge bendito*,
Trahedme vuestro morrion.
De Vos soccorrido quede
En este grande trabajo,
Quien lo que piensa de tajo,
Tan al reves le sucede.

*] Hic voces *perjuicio*, & *juicio* sunt æquales; nam in priori illud *jui* in unam syllabam per synæresim coit: & in posteriori dissolvitur.

::] Evaginat Dux ensem, & planè illo Murconem excipit. Hisp. *le da de espaldarazos*.

Tajo, & Reves, voces oppositæ in Hispania.

Ergo, quia in ensis motu apud Hispanos *el tajo*, & *el reves* opponuntur, habebit occasionem Metaphoræ, vi cujus *pensar*, *hablar*, *y dezir al reves*, ii dicantur, qui inverso res modo, aut mente cogitant, aut labiis, & linguâ pronunciant. Ergo *de tajo*, si mentem, & linguam concernat, erit idem ac *al derecho*, adeoque dicemus, *que uno piensa o perora de tajo*, quando in materiâ bellicâ, & contentiosâ (nam verba debent argumento cohærere) directè, appositè, & prudenter procedit.

An, & quando usurpari possint?

An mentiatur Metaphora?

An caveant mendacia Metaphora?

RHetorica, inquit Severus quidam Cato, debet esse sincera; non enim corrumpendo Ethicam debet Orationem ornare. Non ergo sunt admittendæ Metaphoræ, quæ à mendacio splendorem adquirunt. Quando esse lætas segetes, ridere prata, rivulos murmurare, &c. quando coralos esse dicunt Amaryllidos labia, dentes gemmas, oculos soles; & quando in ejus *genis*

Bbbbb. *pul-*

An debeant proscribi?

purpureis miscent lilia cana rosis. &c. sive hæc somnia oratione referantur soluta, sive reponantur ligatâ, Scriptores mentiuntur. Ergo ab Humano commercio debent omnes ablegari Metaphoræ; & Rhetorica ad avorum nostrorum stylum simplicē, & sincerum redire, in quo scapha nominetur *scapha*, & remus, *remus*.

An in sacra scriptura inveniantur?

Sed non, quia Sacræ Literæ, & Veterum Patrum Homiliæ, & Iuniorum Theologorum Sermones Rhetoricis exornantur schematis. Ergo Metaphoræ, & aliæ Figuræ Rhetoricæ mendacii propudioso dedecore non inquinantur. Possem multa Sanctorum Patrum testimonia producere; sed sufficiet dare verba Augustini, qui *tom.4.cap.* 10. *post initium* [& canitur in Choro *Domin.* II. *Quadrag. lect.6.*] sic inquit *Qui hoc* (Iacobum *Genes.*27. mentitum fuisse) *putas, Tropicis etiam tam multis loquutionibus omnibus potest hanc importare calumniam; ita, ut hac ipsa, qua appellatur* Metaphora, *hoc est*, de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, *possit ista ratione* mendacium *nuncupari. Qua significantur utique ipsa dicuntur; putantur autem mendacia, quoniam non ea, qua vera significantur, dicta intelliguntur; sed ea, qua falsa sunt, dicta creduntur.* Relege has ultimas lineas, & hanc Propositionem perpende. *Vicit Leo de Tribu Iuda.* Quoniam *Leo* primariò, & propriè sonat *Animantem rugibilem*, impropriè autem, & secundariò; nempè, metaphoricè, *Dominum nostrum Iesum-Christum*. in illa autem Propositione significatio est metaphorica: unde Augustini verba hoc Scholio, aut repono, aut dilucido. [Quod per verbum significatur, hoc & dicitur: quam ob rem, si in significatione propria illud accipiatur, quod primariò per verbum significatur, id sanè dicitur. Si autem Verbum accipiatur impropriè, illud dicitur, quod metaphoricè significatur. Et quia in Assertione propositâ *Leo*, non propriè pro *Animante rugibili*, sed metaphoricè pro *Christo* ponitur, erit sensus, *Vicit Christus*. &c. Putaret autem hanc Propositionem *Vicit Leo de Tribu Iuda* inquinari mendacio, qui non sensum metaphoricum, qui in illâ significatur, & verus est; sed proprius, qui falsus est, & in eâ non intenditur, crederet intendi, vel dici.

An Iacob, quando à Patre suo Isaac benedictionem obtinuit, aliquod mendacium commiserit?

Quid sit Metaphora?

Qui illam non intelligunt, mendacii arguunt figuratos sermones.

Exponitur illa Propositio, Vicit Leo de Tribu Iuda.

Quid in Propositione dicatur?

Quid Leonis nomine significetur?

Hoc est Metaphoræ, & aliorum Schematum, quibus Rhetores utuntur, ingenium; & quia significationis Translationes causam, & rationem requirunt, ut aliquam ex multis, quæ succurrere, & concurrere solent, perealleas hoc Epigramma à Licentiato Thomâ Burgillos [*] concinnatum, subjicio. Nam in eo relucet D. Augustini ingeniosus conceptus; & ostenditur clarè, eadem verba, quæ si propriam primariamque retinerent significationem, essent falsa, metaphoricè usurpata, esse vera.

De Metaphora causa.

Abria el Sol dexando el Albà a solas
Con manos de oro la oriental ventana,
Y en el primer albor de la mañana
Trinaban Philomelas y Tortolas. [a]
Quando cantando Xacaras y Andòlas,
Calva una piedra azicalaba Iuana,
Dando a los campos mas jazmin, mas grana,
Mas risa al Rio, y mas nevadas olas.
Aunque dezir, que entonces florecieron,
Y por ella cantaron Ruyseñores,
Serà mentira, porque no lo hizieron.
Pero es verdad, que viendo sus colores,
A mi me pareciò que se rieron,
Selvas, aves, cristal, campos, y flores.

Illud in tres Sectiones dividamus: & in prima utrumque collocemus Tetrastichum: & aliis Tristicha adnumeremus. Sanè in Tetrastichis per Metaphoras, & alias Figuras Musa Licentiati luxuriat. Et in primo Tristicho recognoscit, quæ dixerat, omniaque esse mendacia, si in sensu rigoroso accipiantur, absolutè, & sincerè fatetur: at eadem in ultimo Tristicho, secundum apparentem sensum, qui similitudinem, & non exactam veritatem requirit, asserit esse vera: unde, si ageret Latinè, sic concineret.

De sensu vero & apparenti.

[*] Lupus de Vega, Poeta celeber, ne seria jocis immisceret, omnia carmina, quę minùs seria visa, collegit in unum volumen, & sub *Licentiati Burguilli* nomine in lucē prodire permisit.

[a] Dicit Licentiatus *Tortolas*, quas *Tórtolas* Lupus & alii dicerent.

Pul-

Metaphora, non in illo, sed in iste, consistunt.

Pulcher Eoam manibus fenestram
Phœbus Auroræ rutilus recludit,
Clorida & dulci Philomela cantu
Læta salutat.
Mentior prorsus; quoniam coruscis
Sol caret pulcher manibus, fenestras
Non habent Cæli, volucres nec ullam
Clorida norunt.
Vera sed dico; manibus corusci
Namque splendores similes videntur,
Et mea Nympha modulari honores
Turba volucrum.

Grammatico, & Rhetorico sensu.

Stat ergo eadem verba, quæ in Grammatico sensu (qui exactam veritatem requirit) sunt absolutè falsa, in Rhetorico, (qui *Figuratus* dicitur, & in Metaphoris similitudine contentus est) exuberare gratiis, quin veritati Narrationis præjudicet.

De incremento Metaphoræ.

De intensione Metaphoræ.

SVnt, qui ita intendunt Metaphoras, ut in Hyperboles transeant: illos monet sobrietatem in dicendo Phœnix Poëtarum Lupus, nam *in Lauri Apollinea Sylva IX. pag. 87. a.* Decreta producuntur Apollinis, lata & publicata in Parnasso, in quibus monet, docet, protestatur, hoc & illud, &c. & post alia subjungit.

De vocibus extravagātibus, An sint admittendæ?

Y que no admitiria a los que escriben
Extravagancias dela Lengua propria,
Porque de la Verdad tan lexos viven
Como está la Viármia de la Ethiopia:
Que no haze a los Versos el ruido,
Si no el subtil Concepto
De possibles Metaphoras vestido,
Dulce, sonoro, facil, erudito;

Quales Metaphoræ esse debeant?

Que esto le harà perfecto,
Y no sobre Elephantes un Mosquito;
Que aunque los hincha no los haze tersos
El balago del rumbo de los Versos,
Que son como las velas de las Naves,
Logica Moralis.
Que porque llevan viento, van muy graves.

Verba Metaphorica sunt possibilia, nam dici & scribi illa possunt.

Relegis versum illum, *De possibles Metaphoras vestido*, & asseris, non agere in illo versu Lupum de possibilitate verborum, [hæc enim possibilitas in omni propositione, etiamsi in materia repugnante formetur, invenitur; nam quoad verba hæc Propositio *Circulus habet quatuor angulos*, est possibilis, dici enim & scribi potest.] sed de possibilitate rei significatæ. Et hoc posito inquiris, *An Metaphora* possibiles *vocari possint*? Videretur, quod non? nam plantæ, rosæ, & segetes ridere dicuntur, quæ tamen ridere non possunt.

Significant similitudinem; & hæc non solum est possibilis, sed actualis.

Respondeo Metaphoras non in rei veritate, sed in similitudine fundari: & in ipsis similitudinem, quæ supponitur, non possibilem tantum, sed & actualem esse. Sunt enim fontes, floresque hominibus ridentibus, & gaudentibus similes, namque cum ridentibus, & gaudentibus ridere & lætari connaturale est, & nos florum videntes pulchritudinem, & murmura aquarum auscultantes suavissimâ lætitiâ suffundimur, ridemus, gaudemus, & recreamur.

De Syra Lingua.

EST Lingua Syra filia & neptis Hebraicæ; nam Chaldæa est vera Hebraicæ Linguæ proles, ut omnes Viri docti fatentur. Syra autem prodiit ab utrâque per accidēs;

Quomodo prodierit ex Hebraica & Chaldaica.

nam Hebræi apud Babylonios captivi, nec dominorum suorum Linguam didicerunt exactè, nec propriam prorsus dedidicerunt, sed illā suæ, & suam illi passìm attemperātes, formarunt tertiam Linguam, quam retinuerunt in Palæstinâ postea è servitute & captivitate liberati.

An, & cur destituatur ornatu?

Multis Charitibus Assyria hæc Lingua destituitur, quibus Hebræa condecoratur: quoniam Nomenclatores sub tyrannide oppressi, necessitati consuluerunt, neglexerunt ornatum.

Interim, quæ similitudinem ab his quæ veritatem significant, Epitheta formavit.

Interim usi sunt quâdam loquendi Gratiâ, quâ carent aliæ Linguæ; quoniam præter nomina Propria, etiam Metaphorica & Impropria formarunt. Prodeunt à substantivis illa additâ particulâ NO, & hæc additâ NOIO. ut; SCMAIO, *Cælum*: SCMAIONO, *Cælestis*, & SCMAIONOIO, *Cælesti similis*.

De Lingua Græca.

IN Linguâ Græcâ aliquid simile reperio; sed aliquid; in uno enim solo vocabulo à Proprietate distinguitur similitudo. Illud est ὁμὸς, ȣ̃, ὁ: *idem*. à quo prodiit ὅμοιος (Atticè ὁμοῖος. ȣ, ὁ *similis*.

ὁμὸς, ὅμοιος.

A primo habemus inter alia vocabula, nomen ὁμογάλακτος [nimirum ab ὁμὸς, quod est *idem*, & γάλα, *lac*] quod sonat *eodem lacte nutritum*. Et hinc meritò Divum Bernardum, quem suo purissimo Angelorum Regina lacte honoravit & condecoravit, Christumque ὁμογαλάκτȣς, Hispanicè *Hermanos de leche* nominare poterimus. * ὁμόυπνοι (ab ὁμὸς *idem*, & ὕπνος *somnus*) *condormientes*; videlicet, *qui in eodem loco dormiunt*, nominantur. Et hinc sumitur vox ista pro *domesticis*, qui in eâdem domo habitant. Spiritus in linguâ Græcâ in medio dictionis non exprimitur; at Passeratius illum addit, hoc nomen characteribus Latinis scribens; *homohypnoi* enim condormientes appellat * ὁμόνοια (ab ὁμὸς *idem*, & νόος seu νȣ̃ς, *mens*, *sensus*) *consensus*, *concordia*. Et fuit hujus nominis speciosa adolescens, à parcis ante diem sublata, cujus Epitaphium, quod incisum marmori, in peristylio ædium Cardinalis Alexandri, adservatur, idem exscripsit Passeratius. & in sui Calepini loco opportuno inseruit. * &c.

ὁμογάλακτος.

Christus, Bernardusq; sunt collactanei, Hisp. Hermanos de leche.

ὁμόυπνοι.

An hoc nomen in medio adspirationem suscipiat, si Latino charactere scribatur.

ὁμόνοια.

De Homonœa, Virgine Romana Epitaphio.

A secundo Rhetores nonnulla formaverunt vocabula, quorum præcipua attingam. * ὁμοιόπτωτον Figura est, quæ præcipit diversa nomina in simili casu constitui. Ennius. *Mærentes, flentes, lachrymantes, & miserentes* [*] Salustius. *Maximis Ducibus, fortibus, strenuisque Ministris*. Dicitur autem teste Cicerone, ὁμοιόπτωτον, quasi ὁμοίως πτωτὸν, *similiter cadens*. * ὁμοίωσις est sententiarum Figura, quæ rem per similitudinem exponit. Dicitur à verbo ὁμοιόω, *assimilo*. & tres habet species: nimirum, εἰκόνα, παραβολὴν, & παράδειγμα. * ὁμοιοτέλευτον, *similiter finiens* (ab ὅμοιος *similis*, & τέλος *finis*) Hæc Figura Rhythmicam universam sucollat. nam, si Ogdoastichi Rhythmici (quod Hispanicè dicitur *Otava Ryma*) desinentiæ sunt hæ

ὁμοιόπτωτον. *Similiter cadens.*

*] *Miserentes ponitur passivè, significatque miserabiles, seu misericordia dignos.*

ὁμοίωσις, ὁμοιόω. εἰκών. παραβολή. παράδειγμα. ὁμοιοτέλευτον.

A B A B A B CC

omnia Ogdoasticha ὁμοιοτέλευτα esse debent. * Illa autem Poemata, quæ jam per consonantias jam per voces consonantes, quas *necessarias* appellamus, decurrunt, ὁμοτέλευτας appellare possemus. Sed de his in Rhythmicâ.

De Versibus, qui de consonante s forzosos ab Hispanis dicuntur.

Ex eodem fonte Physici inventore Anaxagorâ habent ὁμοιομερείαν, *Partium similitudinem*; quoniam ὅμοιος *similem*, & μέρος significat *partem*. Servius dilucidans versum illum Virgilii 4. Æneid.

ὁμοιομερεία.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Erythræus. Servium legito. Vulgi quoq; ferme, Le del lo osse.

scribit. [Secundum Anaxagoram, qui dicit Homœomeriam, i. omnium membrorum similitudinem esse in rebus creatis. &c.] Et dicit benè, si benè intelligatur Anaxagoras. est enim in rebus omnibus analogia, quam qui cognoscat, securissimè philosophabitur.

Hinc in Theologiam sacrilegæ exorræ fuerunt hæreses, & propter illas seditiones, quæ ferro, & sanguine terrarum orbem deturparunt. Verbum enim Æternum, quod ὁμοȣ́σιον, à voce ὁμὸς, idem & ȣ̓σία, *essentia*, esse *coëssentiale*, & *consubstantiale* confitemur, illud Arriani ὁμοιȣ́σιον, *habens essentiam similem* appellitabant: inculcabantque nomen nos ὁμοȣ́σιον, quod deberet metaphoricè sumi, impiè intelligere, illud in significatione propria usurpantes, excludendo Metaphoram.

De Arriana Hæresi.

Ex unius, aut alterius literæ positione aut exclusione cædes, bella, & rebelliones resultarunt.

Quid importet Metaphoricum Nomen, si assiciatur Veritatis epitheto?

PRæbet occasionem huic Dubio Evangelica Lectio, quoniam apud Ioann. 15. 1. discipulis suis dicit Dominus, *Ego sum vitis vera*. Et quoniam hæc Assertio, *Ego sum Vitis* est Metaphorica, quæritur, An illud *vera*, quod subjungitur, improprietatem Metaphoricam auferat, jubeatque ea verba in sensu rigoroso, & proprio intelligi?

Quid sit Vitis Vera? An, & quid addat Veritas supra Vitem?

Hunc Textum Dubiumque exponit, & dilucidat *tract. 80. in Ioann.* S. Augustinus Hipponensium Episcopus. ubi sic ait, [Iste locus Evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus *Vitem*, & discipulos suos *Palmites*, secundum hoc dicit, quod est Caput Ecclesiæ, nosque membra ejus,

Quid Metaphora sit?

Cur Verbum æternum sumpserit carnem humanam?

ejus, mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis, & palmites. Propter quod cùm esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset Vitis humanâ naturâ, cujus & nos homines palmites esse possemus.] Ecce essentiam Metaphoræ benè Sanctus Doctor exponit. In similitudine, & proportione sita est: sicut enim Scipiadas, quos sine Metaphora *fulminibus similes*, aut etiam *fulmineos* (nam hoc epitheto Mnestheum celebrat) potuit dicere, ut cum majori pompâ & gratiâ eorum fortitudinem, & virtutes extolleret, *fulmina* Virgilius nominavit. Æneid. libr. 7. sic cecinit.

Fulmineus Mnestheus apud Virgiliū libr. 9. Æneid.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos (duo fulmina belli)
Scipiadas, cladem Libyæ.

Sic etiam Dominus noster Jesus-Christus, qui sine translatione verborum, se Viti similem, Palmitibusque suos discipulos potuit esse similes dicere, ut ornatiùs & eloquentiùs peroraret, Rhetorico schemate exornavit sua verba, seque esse *Vitem*, & suos discipulos esse *Palmites* asseveravit.

Id jam intelligo, & intelligis; benè enim Augustinus naturam Metaphoræ dilucidavit. At superest illud epithetum *Vera*, propter quod istum interserui paragraphum. Audītor ergo Sanctus Doctor, inquit enim. [Quid ergo est, *Ego sum Vitis Vera*? Numquid, ut adderet, *Vera*, hoc ad eam Vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur *Vitis* per similitudinē; non per proprietatem: quemadmodum dicitur *Ovis*, *Agnus*, *Leo*, *Petra*, *Lapis angularis*, & cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera: ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates.] Ingeniosè Augustinus discurrit, ejusq; rationem ego ad formam sequentem reduco, Sexto Æneidos Virgilius Æneam asserit occurrisse Didoni, & tamen licèt

Mystica Nomina, quæ per Metaphoram & similitudinem attribui solent Christo Domino.

Talibus Æneas ardentem & torva tuentem
Leniret dictis animum, lacrymasq; cieret,
Illa solo fixos oculos aversa tenebat;

Pro esset aut staret, posuit flet.

Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quàm, si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

In quibus numeris voces *Silex*, & *Cautes* in significatione propria, & vera sumpsit sumpsissetque in Metaphorica, & impropria, si absoluiè *Silicem* aut *Cautem* illam denominasset. *Vitis* igitur per translationem & Metaphoram ille est, in quem Vitis proprietates, & virtutes concurrunt, & *Vitis Vera* est illa vegetativa planta, quæ uvas germinat. Ergo, cùm *Ego sum Vitis vera* dixit Christus, se verè esse materialem, & vegetativam illam plantam, quæ *Vitis* vulgò dicitur, protestabatur.

An, & qualiter Christus sit Vitis?

Hæc est Objectio, quæ contra Christi verba posset fieri: modò qualiter ipsam dissolvat Augustinus, videamus. Subdit Divinus Doctor. [Cum dicit, *Ego sum Vitis vera*: ab illa se utique discernit, 252
cui dicitur; *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena?* Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectata est, ut faceret uvam, fecit autem spinas? *Ego sum*, inquit, *Vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem, qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. &c.*] Ecce ingeniosè Divus Præsul solvit Dubium propositum Vitem Propriam ab Alienâ distinguens. Et quidem, si nominis rationem investigem, Varro *libr. 1. de re rust. cap. 13.* respondebit. *Et Vitis, ait, eò quòd invitat ad uvas percipiendas dicta primò videtur.* Quibus ille verbis Vitem Propriam exponit, incultam enim, & sylvestrem, quod in agrorum labris, hoc est, marginibus nascatur, *Labruscam* dici Servius asserit. Et ad rem Virgilius in Bucol.

Vitis est duplex Propria & Aliena.

Vnde Vitis dicatur?

Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.

Labrusca unde dicatur? Cur non mereatur nomen Vitis?

Nec enim inculta meretur *Vitis* nomen; nam habet raras, aut nullas uvas, easque insalubres, & asperas, & ideò neminem ad ipsas percipiendas invitat. Ergo, cùm se Christus Dominus *Veram Vitem* appellat, cultam hoc vult nomine intelligi, & à labrusca, seu inculta secerni; ut enim de cultâ eum agere cognosceremus, subjungit statim, *Et Pater meus Agricola est.* Hujus igitur cultæ à Deo Patre Vitis Palmites (hoc

Vitis vera *dicitur, quæ non est* Labrusca.

est,

est, Christi Discipuli) in hac vita Honestatis fructus copiosos facient, & in alterâ fructus Gloriæ immortalis recipient.

Eadem Sacra Pagina verba aliter & aliter possunt interpretari.

Tametsi præcedens Augustini Expositio bona sit, pulchra sit; non tollit, quod aliæ bonæ etiam, & pulchræ possint dari. Ergo ego pro mei ingenii tenuitate symbolum conferam, & eadem Christi Domini verba face altera dilucidabo, Ergo attendunto. Dico enim

An nomina, metaphoricè accepta, multis possint esse communia?

Primò, *Metaphorica Nomina multis communia sunt*. Patet: multi enim laudari, aut vituperari solent sub eâdem verborum Metaphora; quoniam, si *Solem* dicas; multi fuerunt in Mundo Metaphoricè vocati *Soles*; &, si *Stellam*, plurimas personas invenies, quæ hoc nomine sunt decoratæ. Et denique de Phœnice quid scribam? Viri in quacumque Facultate excellentes, in Phœnices frequenter virtute Carminum transfigurantur, quod admirans, & ridens Dn. Hieronymus Cancer, introducit Phœnicem, novitiorum Poëtarum numeros fastidientem, & contra eorum audaciam Apollinis Numina, & lumina implorantem his verbis.

Nônulla omittuntur Tetrasticha. Interim, qui totum Poema velit legere, illud in nostra Rhythmica pag. 91. reperiet.

Hijo soy vuestro: ya Vos
Tan semejante me cópio,
Que si soys Phœnix del Cielo,
Yo soy el Sol de los sotos.
Parad, parad a mis quexas
El chirrion luminoso;
Mirad, que hecharè un reniego,
Si no os detienen mis votos.
Pareze, que lo entendió
El Planeta barbiroxo;
Y si no detuvo el carro,
Llevôle mas poco a poco.

Conqueritur apud Apollinē Phœnix, quòd cogatur de tam multis & tam diversis prædicari.

Si yo no tengo razon
(Prosiguió) de estar quexoso,
Quando de esta vida vaya,
No halle vida de retorno.
Han dado aquestos Poetas
En perseguirme de modo,
Que me he de perder con ellos,
De quantas vezes me cobro,
Quanto hay comparan con migo:
Y es un caso muy penoso,
Que yo sea solo en el Mundo,
Y a mi me lo manden todo.
Fenix es, quien muere justo;
Y Fenix, quien vive docto;
Fenix la beldad de Lisi;
Y Fenix, quien mata un toro,
Nadie de Fenix se libra.
Mira hombre perezoso,
Que has de cōvertirte en Fenix,
No estès a la Virtud sordo.
Llamó al Esparago Fenix
Un Porta dia estotro; [*]
Y aun con mayor insolencia
Fenix al Diez de los bolos. &c.
Pues, porque asi me persiguen
A questos hombres intonsos?
Justicia, Apolo, Justicia.
O apelo a mas consistorio. &c.

*] Habeat singulæ Linguæ composita nonnulla vocabula, quæ non audeat, qui serio loquatur, dissolvere, aut altero modo ordinare. *Nudiustertius* dicimus, at *Terstinudius* ne quidem ausus fuerit Plautus, at noster Cancer, quia delectat & delectatur jocis, voces deordinat, ut conspicis impræsentiarùm. *Estotro dia* nos dicimus, nec aliter eloqueretur Concionator: at hic *dia estotro* inquit Cancer, qui etiam alibi *tras otros unos* dixit, quoniam *unos tras otros* dicimus universi.

Stat ergo eodem Metaphorico nomine diversas res, personas-ve significari.

De Antonomasia. An sit admittenda in Metaphoris?

Secundò. *Inter subjecta, de quibus dicitur Metaphoricum aliquod Prædicatum, reperitur, unum cæteris excellentius, cui κατ' ἐξοχὴν illud conveniat*, Patet: nam, sicut in verbis simplicibus, sic in translatis Antonomasia locum habet. Quoniam sicut *Poëta* nomine Latini Virgilium, Græci Homerum intelligunt: & sicut *Apostoli* nomine Christiani intelligimus Paulum; sic etiam in translatis Nominibus præeminentia præscribit. Rem exemplis dilucido. *Pater* propriè genitorem significat; per Metaphoram autem Antistites, & Præceptores. Et tamen licèt isti multi sint, quando absolutè *Pater* dicitur, intelligitur Deus. אבא, ABBA, Chaldaicè nominatur: quo hodie nomine omnes Monachorum Archimandritæ designantur S. Benedictus in Reg. cap. 2. *Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur; & nomen Majoris factis implere, Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo, Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, ABBA, Pater*. Ergo, tametsi multi sint Animarum Rectores, qui Metaphoricè *Patres* dicuntur, *Veri Patris* nomen soli convenit Deo: & de hoc nomine intelligi debet Sanctus Hieronymus, *Cùm autem* ABBA Pater, *Hebræo sermone Syrioque dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat nullum Patrem (Verum, & Primarium* intellige; aliàs enim Sanctus Doctor deciperetur) *nescio qua licentia in Monasteriis, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos adquiescamus*. Ita ille apud P. Gregorium *in syntagm. Iuris Universi, part. 2. libr. 15. cap. 13. de Abbatib.*

De nominibus Pater, אבא Abbas.

Abbates *dicūtur hodie omnes Monachorum Antistites.*

Quo possint, & quo non possint sensu sic vocari?

Aliud exemplum subscribamus. Tametsi sub Metaphorico *Stella*

Maris

Maris nomine illos omnes possimus intelligere, qui suæ protectionis favore negotia nostra ad portum felicis expeditionis promovent, loquendo tamen absolutè, solam Deiparam significamus; quia, nec est in hac vitâ negotium gravius, quàm quod consequutionem gloriæ æternæ concernit; nec ad hunc portum perveniendum deligi potest potentior, & tutior Cynosura, quam ejusdem Virginis Matris præsidium.

Stella Maris quid significet?

Tertiò. *Epithetum* Verus, a, um, *additum Metaphoricæ voci, non tollit, aut destruit decorem Metaphorici Schematis; nec illam (vocem) restituit propriò, & primario sensui; sed ad significatum excellentius restringit.* Et hanc ob rem hæc Christi Domini verba, *Ego sum Vitis vera*, hunc reddent sensum. *Multi sunt, qui ob proprietates, & virtutes, in quibus assimilantur vitibus, dicti sunt Vites, at verè ille, in quo per excellentiam illæ omnes prærogativæ eminent, & refulgent, Ego sum.*

Quid addat supra Vitem Veritas, cùm inquit Dominus, Ego sum Vitis vera?

Occvrrit alius locus præcedenti simillimus in ejusdem S. Ioannis Historiâ; quoniam *cap. 6. 30.* Iudæis signa petentibus, & dicentibus. *Quod tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut est scriptum, Panem de Cælo dedit eis manducare*. respondit Iesus, *Non Moyses dedit vobis Panem de Cælo, sed Pater meus dat vobis Panem de Cælo Verum. Panis enim Dei est, qui descendit de Cælo, & vitam dat Mundo*. Et mox, *Ego sum Panis Vitæ. Qui venit ad me non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam*, Et ex doctrina præcedenti clarè colligitur, quid *Panis Cælestis Veri* nomine intelligi possit, aut debeat quoniam *Panis* nomine Præceptores, Doctoresque significantur. [Ita Mellifluus Doctor, si ejus est liber, *in Vitæ Mystica cap. 32. num. 134. (tom. 5. pag. 127.) & in Sermone feria secunda Paschatis declamato, num. 22. (ibid. pag. 264.)* & sæpè alibi.] Panes igitur ad nos de Cælo mittit Dominus, quoties Magistros, qui nos in doctrinis Cælestibus instituant, & erudiant, concedit. At inter omnes Magistros Dominus noster summus est, Ergo *Magister* absolutè positum Christum significat. Ergo, si *Panis Cælestis* nomine, qui nos instituunt in Pietate intelligimus; & epithetum *Verus* Prædicato Metaphorico adjectum, illud restringit ad Subjectū nobilius, Christus Dominus *Veri Panis de Cælo* nomine significabitur: &, quid illis verbis, *Ego sum Panis de Cælo Verus*, nobis dicat, nullo modo ignorare poterimus.

Qui sint Panes Cælestes.

Ex quis Panis Cælestis veri nomine intelligatur?

An in Prosâ admittendæ sint Metonymia & Metaphora?

Asserunt Græci; nam Plato, cujus ore, ut dicitur, eloqueretur Iupiter si Græcè cum hominibus ageret, his Figuris frequētissimè utitur. Cicero libr. de Perfect. Orator. *Itaque video, visum [*] esse nonnullis Platonis & Democriti loqutionem, etsi absit à Versu, tamen, quòd incitatiùs feratur, & clarissimis verborum luminibus utatur, potiùs Poëma putandum, quàm Comicorum Poëtarum.* 253

Qua dialecto loqui deberet Iupiter, si ageret cum hominibus.

*] Pace Ciceronis dixerim, *Video visum esse*, non esse bonum modū loquendi.

Negat D. Garcias Coronel tom. 3. Comment. ad D. Ludovicum Gongora. in Prolog. nam Legem illam Criticam *Figuratâ oratione ne utuntor*, his verbis eruditis exponit. *Esto se ha de entender de los Historiadores y Oradores; porque a estos no les convienen las vozes y phrases, que a los Poëtas; y lo que en unos es aciento, en los otros es vicio. Ne dirà bien un Poëta en Heroicos Versos Trigo, o Pan, quando Virgilio por huir dessa humildad, le llama Ceres* (a) *Por el contrario, si en la Prosa usàre alguno de vozes Poëticas, harà la oracion ridicula, y desazonada quan justamente se burlò Casio Severo de aquel Orador, que segun refiere Fabio* libr. 8. cap. 2. *llamò al Esparto*, Herbam Ibericam. *Lo qual, como observa Adriano Turnebo* libr. 14. Advers. cap. 9. *fuè a imitacion de que dize*.

Ibericis peruste funibus latus.

Pro Pane in Carminibus ponitur Ceres.

a] Et hic interrogare aliquis posset, *An in Lingua Materna, si nomen aliquod Latinum scribatur post verbum, in casu poni debeat quo poneretur si sequeretur post Verbum Latinum*? hoc est, *An Hispanicè debeamus dicere*, El Poeta Latino al Pan llama *Ceres*: o al Pan le llama *Cererem*? Hoc ultimum Germani constantissimè observant: illud autem prius D. Garcias fieri debere judicavit.

Et ad argumentum, quod à Platonis calamo desumebatur, respondet dicens, *De muchos fuè por esta causa reprehendido el estilo de Platon*.

An Platonis stylus reprehensioni subjaceat?

Respondeo licère in Prosâ uti Metaphoris, & Metonymiis, modò in usu observetur consuetudo & sobrietas. Et addo D. Garciam abesse à lege, quam præscribit; quoniā in folio antecedente sic scribit. *Degalo la Nobleza Castellana, cuyos sagra-*

Garcias, sicut alii multi solent, non observat legem, quam aliis præscribit.

Etiam in Prosa admittuntur Metaphora.

grados fueros triumphan esclarecidamente de las tinieblas, que solicitó el odio o la malicia, debiendo al puro resplandor de las justificadas acciones de V. S. Ilustr. la luz, que procuró escurecer el engaño. Vbi voces *triũphan resplandor, luz, & escurecer,* metaphoricè, & impropriè accipiuntur. Ait in sequenti paginâ. *Por ventura podrá el tiempo sepultar en hondo olvido la luz, que de tan Heroica Estirpe resplandeciò en Garci Lopez de Chaves.* Et ibi iterum voces *sepultar, luz, resplandeciò.* &c. acceptas fuisse figuratè ab eodem Coronele reperio.

ALLEGORIA.

Quid sit, & quomodo à Metaphorâ differat? Ejus usum docentur ab Apostolo Galatæ. Pingitur sub Ignis volatilis specie Hypocrisis. Sub casa straminea & aurata triremis Paupertas secura, nec non Opulentia periclitans. Sejanus Fortunæ ludibrium. Inclementiam Fortunæ etiam experiuntur Aedificia & Statuæ.

Quid sit Allegoria?

Quot, & quales sint sensus Sacræ Paginæ?



VA brevitate potui cap. 3. pag. 561. de Sacræ Scripturæ Sensibus disputavi, & esse duos, qui posteà in plures distribuuntur ostendi. Sensus enim in Literalem & Spiritualem primâ divisione secatur: & posteà in Simplicem & Figurarum ille, hic in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum subdividitur. Et hinc patet Sacram Scripturam esse Librum scriptum intùs & foris; in quo omnes literam exteriorem percipiant, non autem omnes sensum interiorem intelligant. Et rationem, ob quam non patet omnibus Spiritualis Sacræ Paginæ sensus, Origenes *in Levitic. libr.* 10. exponit. *Sicut in novissimis diebus Verbum ex Beatâ Virgine processit carne vestitum in hunc Mundum; & aliud erat in eo quod videbatur, & aliud quod intelligebatur: ita cùm Verbum Divinum per Prophetas aut Legislatores processit in homines, non processit sine decentibus indumentis; & sicut illic Divinitas tegebatur in carne, ita hic Spiritus velamine litera.*

Cur non omnibus pateant?

Spiritualis porrò sensus in Historico & Literali fundatur, & ideò hic est diligenter investigandus, ut ille meliùs intelligatur. *Homil.* 20. *in Evangel.* S. Gregorius Papa. *In verbis Sancti Eloquii priùs servanda est veritas Historiæ, postmodùm inquirenda Spiritualis Allegoriæ Intelligentia: tunc namque Allegoriæ fructus suaviter carpitur, cùm priùs per Historiam in Veritatis radice solidatur.* Quam doctrinam S. Thomas 1. *part. quæst.* 1. nec non *quodl.* 7. *quæst.* 6. *art.* 14. *ad* 1. Salmeron *Prol.* 19. & alii Doctores dilucidãt.

In Literali sensus alii fundantur.

Vix est verbum in tota Sacrâ Paginâ, in quo non possint reperiri omnes Sensus. Ita Cassianus, qui *collat.* 14. *cap.* 8. sic statuit. *Prædictæ quatuor Figuræ* (*Figuras* vocat, quos nos sensus vocamus) *in unum, si ita volumus confluunt; ut una atque eadem* Hierusalem *potest intelligi secundum Historiam, Civitas Iudæorum: secundum Allegoriam Ecclesia Christi: secundum Anagogiam Civitas Dei illa Cælestis, quæ est mater omnium nostrum: secundum Tropologiam, Anima hominis, quæ frequenter hoc nomine, aut patitur, aut laudatur à Domino.*

An, & quomodo omnes Sensus concurrant?

Et hic generaliter nota, Sensum Literalem exponere, quid voces, & spiritualem, quid res ipsæ significent. Quam ob rem illa verba. *Diliges Dominum Deum tuum.* tametsi mores concernant, & instituant spiritum, præ se ferre Sensum Literalem, ut scitè monet Cassianus *collat.* 8. *cap.* 3. & D. Thomas *quodl.* 7. *art.* 15. *ad* 5. & paulò ante *ad* 3. dixerat. *Moralis Sensus non dicitur omnis Sensus, per quem mores instruuntur, sed per quem instructio morum sumitur*

Deuter. 6. Matth. 22.

Non solùm voces, sed & res habent significationem.

tur

tur ex similitudine aliquarum rerum gestarum (non ergo vocum, sed rerum per voces significatarum Sensus est.) *Sic enim Moralis Sensus est pars Spiritualis, seu Tropologicus: Quod nunquam est idem Sensus Moralis & Literalis.*

His ergo præmissis, de Allegoriâ, & Sensu, qui Allegoricus dicitur, in particulari differamus.

Unde Allegoria dicatur?

Græcè dicitur ἀλληγορία, cum accentu in penultimâ. Ratio nominis est, quia ἀγορὰ *forum judiciale* significat: nimirum, in quo vel jus dicitur, vel justitia exercetur. (2) apud Aristotelem est *bema*, quâ aperitur tribunal. (3) apud Homerum *Concio*, seu *multitudo congregata*. (4) & apud eumdem est, & interdum *Concio*, ipsa oratio, quæ habetur. Hinc ἀγοράζω est ἐν τῇ ἀγορᾷ *in ipso tribunali sententiam pronuncio*. A quo procedit ἀλληγορέω, ῶ, (quasi ἄλλο ἀγορεύω id est, ἀγορεύω) *aliter* (*factis potiùs, quàm verbis*) *expono*: Vnde denique ἀλληγόρημα & ἀλληγορία *Figura, qua factis loquimur*, & ἀλληγορητὴς, οῦ, ὁ. *qui Allegorias interpretatur.*

Ἀγορά. — Concio *duo significat*. — ἀγοράζω. ἀλληγορέω ἀγορεύω. ἀλληγόρημα. ἀλληγορία. ἀλληγορητὴς.

Quem librum legant subditi.

Liber profectò, quem legunt, & addiscunt subditi, est Superiorum (Ecclesiasticorum, & Sæcularium), vita: sicut enim

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Sic etiam apud Religiosos

Præsulis exemplo totus componitur Ordo.

S. Benedictus cap. 2. — Idem in Prol.

Vnde D. Benedictus in Regulæ cap. 2. *Factis suis* (Abbas) *Divina præcepta demonstret, Omnia, quæ Discipulos docuerit esse* (Deo) *contraria in suis factis indicet non agenda.* Et cur? *Vt ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemur, ut & regni ejus mereamur esse consortes.* Agit de Vita, & Morte: quoniam utraque habet linguam: nam vitam loqui supponimus cum oramus, & dicimus, *Omnia* (Domine Deus) *in nobis vitiorum mala mortifica, ut Fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur.* Loqui & Mortem, cùm dixeramus, *Deus, cujus Præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt.*

Vita & Mors linguam habet. — In Collecta, quæ SS. Innocentum die canitur.

Historia Humana & Divina discrimen.

Sanè Historiæ dissetunt ab Humanis Divinæ; quoniam Regiæ Cæsareæ, & Pontificiæ, quæ nobis deberent Vitæ normam præscribere, aliquando dissonant, & exorbitant: Evangelica verò factis loquitur, & securissimè ad Empyreum nos ducit. Immò hæc ipsa Christi Historia, quæ verbis describitur ab Evangelistis, factis fuerat in Testamento Veteri præfigurata. Sciitè enim *in libr. 2. in cap. 2. Lucæ* inquit Ambrosius. (& legitur in Circumcis. Domini in tertio Noct.) *Vides omnem Legis Veteris seriem fuisse typum futuri: nam & Circumcisio purgationem significat delictorum. Et quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humana carnis, & mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octavum Circumcisionis diem culpa totius futura purgatio, Resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc enim est illud*, Quia omne Masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. *Verbis enim Legis promittebatur Virginis Partus. Et verè Sanctus, quia immaculatus.*

Antiquum est Novi Testamenti Figura. — *Quid Circumcisio olim significaverit?* — Lucæ cap. 2. vers. 23.

Vetus Novi Testamenti est imago.

Qui omnes vellet Allegorias Testamenti Veteris dilucidare, à prima linea ad ultimam in omnibus Historiis, quæ recensentur, ut in Typo, & Figurâ deberet Veritates Catholicas considerare. Sed quia, ut agamus de singulis, nec locus, nec occasio permittit, in specimen unicam proponamus.

N. B. Quia Agar Saræ nomine cœpit, matrimonialia jura per procuratorem solvi posse contendunt Agareni, & ideo volunt Saraceni vocari.

Nota est Isaaci, & Ismaëlis historia, quam Moyses à capite Geneseos sexto-decimo accuratè describit. Illum ex Sarâ uxore legitimâ, hunc ex Agare, Saræ ancillâ, suscepit Abraham; & ab illo Iudæi, & ab hoc Agareni proveniunt. Oculatissimè hujus Historiæ circumstantias meditans, & perpendens affirmo, hos duos fratres Vetus, & Novum Testamentum allegoricè præfigurasse: & ex eorumdem actibus, ut ex typo, & imagine, utriusque Testamenti attributa discerni. Non ego, aut solus, aut primus, qui hanc Allegoriam inveni, & dilucidavi; illam enim S. Paulus me docuit, qui Galatas his mysteriis instituit. Γέγραπται γὰρ ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης καὶ ἕνα τῆς ἐλευθέρας. Καὶ ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης κατὰ σάρκα γεγέννηται· ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας.

Ad Galat. 4. 22.

Pristinum & Novum Testamentum sub Ismaelis, filii ancillæ, & Isaaci, filii liberæ, personis & nominibus significantur.

ἅ τινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. *Scriptum est enim quoniam Abrahã duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Et, qui quidem de ancilla; secundum carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem. Quæ sunt allegorizata* (seu *per Allegoriam dicta.*) *Hæc enim sunt duo Testamenta.* Et posteà ex Agâris, quæ erat mancipium Saræ, & Ismaëlis, filii Agâris historiâ adtributa Veteris Testamenti dilucidat: & ex Isaaci liberæ, & veræ Sponsæ filii privilegiis, nos ad Novæ Legis prærogativas, & immunitates cognoscendas deducit; & occasionem præbet, ut quæ ipse una pagina absolvit, Concionatoris Ecclesiastici multis foliis expendere possit ingeniosa Eruditio.

Vide S. Gregorium homil. 9. in Ezech. & D. Hieronymum in cap. 2. Ezec.

Manna fuit Eucharistiæ symbolum.

Manna significabat Eucharistiam; & hoc ipsemet Christus sensu Ioann. 6. Symbolum interpretatur.

Agnus Paschalis Christi.

Verba illa, *Os non comminuetis ex eo*, quæ in sensu literali, de Agno Paschali dicta, Ioann. 19. de corpore Christi explicantur.

Et quia pleraque omnia sic sunt intelligenda, ut præter externum sensum res ipsa mysticam etiam significationem habeat, scriptum est. *Omnes sub nube fuerunt*, nec non *Omnia in figuris contingebant illis.* Quod ipsum innuere videtur velamen illud, quod Moyses super faciem suam ponere jubebatur.

1. Corinth. 10.

2. Corinth. 3.

Vniversim loquendo Antiquæ Legis instrumentum præ se ferre Novæ exactas Imagines communis est omnium Patrum, & Doctorum Sententia. Omnia enim Veteris Legis Sacrificia Passionem Christi Domini, & ejus in incruento sacrificio memoriam symbolicè præfigurabant. Probat id Theophilactus verba illa Christi adducens, *Hic est calix, Novum Testamentum in meo sanguine*, & illa hoc Scholio dilucidans, in quo sanguis contraponitur sanguini. *Significat*, inquit, *Novum Testamentum in suo sanguine exordium sumere, Nam in Veteri Testamento sanguis animalium affuit, cùm data fuit Lex: nunc verò Sanguis Verbi Dei significat nobis Novum Testamentum.*

De Antiquæ Legis Sacrificiis.

Quid significaverint?

Consonant semper alii Patres, & Ecclesiæ Doctores. Et primò impræsentiarùm loco adduci à nobis poterit S. Ephremus, apud Assyrios Eximius Doctor, & Eruditus Ecclesiastes, qui caput Matthæi tertium-decimum Moralibus Scholiis dilucidans, in illum locum incidit, in quo *Simile est Regnum Cælorum, homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui quidem inventa una pretiosa margarita abit, & vendit universa, quæ habet, & emit eam.* &, ut ostendat contineri Novum Testamentum in Veteri, ponit ob oculos margaritam, & concham; & per hanc Synagogam, & Ecclesiam per illam intelligit. Exclamat enim, *Terrena quidem Lex* (nempè Mosayca) *continet, Evangelium Cælestia, Ecce concha, & margarita.*

Quid significet Concha & Margarita?

S. Ioannes Chrysostomus, à D. Thoma in Aurea sua Catena productus, interrogat, Cur Dominus noster Iesus-Christus Nicodemum, Iudæorum Principem instituturus dixerit, *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis?* Et præter alias rationes valde congruas, Serpentem illum fuisse Christi figuram tanquã certum supponens, ideò sic loquutum fuisse Dominum asserit, ut inter Christianæ Veritates, & Mosaicæ Legis Veritates analogiam Nicodemus cognosceret. *Vt discat*, ait, *quoniam cognata sunt Vetera Novis.*

Fuit Serpens in deserto exaltatus Christi Domini in Cruce patientis Figura.

Instrumentum Decachordum, ad cujus nervos Cantica sua modulabatur David, Decalogum (Dei Legem in decem Præcepta digestam, & divisam) significat. Incognitus. *Per Psalterium decem chordarum intellige Decalogum Legis; scilicet, decem Præcepta.*

Quid Instrumentum Decacordum metaphoricè importet?

Et quidem ad hujus Instrumenti harmoniam, Propheta Rex cantabat dicens, *Etenim Cæli distillaverunt à facie Dei Sinai.* Horum verborum sensus literalis est pervius agit enim de manna, quo in eremo Sin non longè à monte Sina, populum universum nutrivit. Non hærebo, ut examinem, Cur Summum Numen *Deus Sinai* nominetur. Scio per Immensitatem esse ubique, & per Omnipotentiam esse Creatorem omnium rerum, omnium Hominum & Angelorum Dominum. Vocari tamen *Deum Sinai*, quia אֱלֹהִים ELOHIM, *Deus*, dicitur, hoc est *Iudex* κατ' ἐξοχὴν, & ipse judicaturus est vivos, & mortuos: & quia humanorum actuum bonitas

Psalm. 67.

Cur Deus dicatur Deus Sinai?

אלהים Elohim *Deus, & Iudex.*

&

De actuum humanorum bonitate & malitia.

& malitia à conformitate, & difformitate, quam habent, cum Lege collati, desumitur, & Lex in Sinai (qui mons est in deserto Pharan) *Exod.* 19.2. fuerat lata; ideò appositissimè, etsi ubique sit Deus, à monte Sinai specialiter potest denominari.

Mons Sinai. Vinum sit?

Venio ad Spiritualem, & Allegoricam Loci expositionem, & produco Incognitum, qui ait Psalmum LXVII. dilucidans, *Cœli, id est, Apostoli, & Sancti Prædicatores, Fide mundum irrigaverunt, id est, inspirati ab illo, qui dedit Legem in monte Sinaï. Et per hoc vult ostendere* (nota bene) *conformitatem Legis Veteris, & Novæ, quia ab eodem Legislatore datæ.*

Tertullianus contra Marcionem disserens, vult demonstrare *libr.* 4. Christi doctrinam, fidemque, ut ut aliquibus visa sit nova, fuisse Sacris Literis Veteris Testamenti conformem, & producit Christum Apostolos interrogantem, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Si novum aliquem Deum, se esse ille docuisset, responderent, *Te alii Iovem, alii Martem, aut Mercurium appellant.* &c. at dicebant *Te alii Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii autem Ieremiam, aut unum ex Prophetis te esse asserunt.* Doctrina ergo Evangelica, tam erat assimilis Mosaicæ, ut eamdem Ioannes, Elias, Ieremias, aut alii Prophetæ redivivi prædicare potuerunt. Et his præmissis audiamus Tertullianum. *Nullum*, inquit, *Deum novum in Christo probatum*, (prædicatum) *ella etiam* (communis Iudæorum) *Opinio declaravit, quia Christum Iesum, alii Ioannem, Eliam, alii unum ex Veteribus Patribus asseverabant.*

Christus non docebat Legem Novam, sed ostendebat tantùm, quo Antiqua modo esset intelligenda.

Non prædicabat Novum Deum.

Omnia hæc dilucidant Allegoriam, nobilissimam sanè Figuram eloquentiæ Evangelicæ, & ut id ostendam, & simul Conclusionem præmissam (videlicet, *Testamentum Vetus esse Imaginem Novi*) confirmem, Promptuarium Spirituale aperio. [Liber est de laudibus Virginis-Matris, à P. Ignatio Coutiño in Lusitanâ compositum, & à Patre Francisco Palau in linguam Castellanam translatus; & anno 1639. editus Barcinone.] In eo *tract.* 1. *consid.* 4. *num.* 5. *pag.* 15. *a.* Authorem sic perorantem audio. *Alegoriza* (igitur his discurrendi modus pertinet ad Allegoriam) *nuestro Angelico Dotor Santo Thomas aquella milagrosa conversion del vino, que el mismo Señor hizo en las bodas de Cana de Galilea*, Implete hydrias aqua. &c. *y para esso pregunta el gran Maestro, porque razon no quiso Christo criar vino de nuevo? Y responde*, Ostendit se non condere novam doctrinam. *&c.* Ac, si diceret, (Hoc est inter Creationem, & Conversionem discrimen; quod per hanc materia remanet, & perficitur, formam nobiliorem adsciscens; per creationem autem materia prior destruitur, & adnihilatur, & altera nova producitur. Ergo, ut Dominus noster Iesus-Christus ostenderet, se non esse destructurum, & in nihilum reducturum, sed perfecturum Testamentum Antiquum, dixit per Matthæum *Non veni Legem solvere, sed adimplere*: & Canæ in nuptiis, quia per Aquam significabatur Lex Antiqua, & per Vinum Novitia, creare Vinum non voluit, sed Aquam in illud convertere.

De Promptuario Spirituali.

Qualis, & cujus Liber sit?

Logica Moralis.

Cur Christus Dominus non creaverit vinū, sed in illud converterit aquā?

Quæ sit inter Creationem & Conversionem differentia?

Matth. 5. 17. *Christus Dominus non destruxit Legem Antiquam, sed perfecit.*

Vt Ethnici & Idololatræ Evangelio detraherent, illud incriminabantur novitatis; asserentes non videri possibile per tot sæcula homines fuisse derelictos à Deo, & tandem tunc illuminatos, ut Veritatem, à Priscis ignoratam, cognoscerent. Vt huic Objectioni respondeat D. Paulus sic Romanis scribit. *Paulus segregatus in Evangelium, quod ante promiserat per Prophetas suos.* Sensus est. Doctrina, quam prædico; & Evangelii Veritas, cujus notitiam studiosè propago, non est nuper humanitùs inventa aut cogitata, sed jam olim Prophetis revelata divinitùs, & in Veterum Patriarcharum actibus præfigurata. Vnde Doctor Angelicus Pauli verba dilucidans, *Commendatur*, scribit, *Evangelium ex antiquitate contra Paganos, qui Evangelio detrahebant, quasi post longa tempora subitò eis prædicatio esset exorta.*

An Evangeliū incredibile sit?

An novam doctrinam contineat?

Roman. 1.

Quam sit antiquum Evangelium?

Et meritò Evangelium Apostolus ab antiquitate commendat; nam, cùm Deus sit Ens necessarium, fuisse ab æterno debet, & in Divinis quæcumque asserta novitas, est semper falsitas. Occurrit, ut id persuadeam, pulcher locus in Historiâ Apostolicâ. Christum & mortuorum resurrectionem Athenis concionabatur Paulus. Falsis præoccupati opinationibus tumultuant Ci-

Cur Deus sit ab æterno?

Act. 17. 18.

Quale Athenis fuerit Tribunal Areopagus?

ves, illumque ad Areopagum (tribunal erat, in quo Religionis causæ specialiter agitabantur) trudunt, acclamantque, *Possumus (volumus) scire, quæ & qualis sit nova hæc doctrina: nova enim* (puta, dogmata) *infers in aures nostras*. &c. Et conversio ad Iudices vociferabantur, *Novorum Deorum videtur Adnunciator esse*. Lego cum Vatablo *Deorum*: nec absum à Græco aut Vulgaro; ille enim ξένων [*] Δαιμονίων, scribit; & hic *novorum Dæmoniorū* interpretatur; solus enim Deus verus, est antiquissimus & ab æterno, & omnes Dii novi, Dæmonia. Et huc spectant verba illa Moyseos, *Dii novi recentesque venerunt, quos non cognoverunt Patres eorum*. in quibus syllogismus integer iterum iterumque continetur; nam æquivalent his,

*] ξένος propriè *Peregrinum* significat, & ideò hic *Peregrenorum Dæmoniorum* vertit Arias Montanus.

Deuter. 32.

Omnes Dii novi sunt Dæmonia, opera manuum hominum: nam Verus Deus ab æterno est.

Novi Dii sunt Dæmonia.

At ille sacrilegus populus novos & recentes Deos colit.

Non ergo Verum ipse Deum, sed Dæmonia, & opera manuum hominum, colit.

Et hunc eumdem Syllogismum subsequens discursus dilucidat videlicet.

Dii novi sunt falsi.

Est per se notum, dari unum Verum Deum. Et tam clara est hæc Veritas, ut vix sit, qui illam nescire possit.

An de existentia Veri Dei dari possit ignorantia invincibilis?

At hi Dii novi & recentes, qui adorantur à populo, ignoti fuerunt eorum patribus.

Ergo hi novi & recentes, qui coluntur, non sunt Veri Dii. Sunt igitur Mendacia, & Dæmonia.

Et verbis illis Moyses (ut ait Agellius à Coutiño citatus) *amplificat eorum* (videlicet, Hebræorum) *scelus*. Colebant enim Numina; *in quibus, nec hoc quidem erat, ut saltem vetustate honorabiles haberentur; sed paucis ante diebus pro Diis haberi cœptos; ac novos Deos coluerunt; ideoque adscitos*, hoc est, fictos & falsos.

Et quia Veritates Catholicæ etiā Humanis historiis & literis dilucidantur, liceat mihi quampiam scitu dignam proponere. Polyphona profectò instrumenta invênit Pan; Apud Virgilium Eclog. 2. Corydon.

Pan primus calamos cerà conjungere plures
Instituit. &c.

Et paulatim excreverunt ad numerum septenarium, non ultra; Virgilius *Æneid. libr. 6.* de Orpheo.

Nec non Threicius, longa cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum [*]
Iamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

*] Erythræus in margine: *Orphei cithara septem tantum chordas habuit: duæ postea sunt adjecta à Terpandro.*

Phrenides (quidquid sit de Terpandro) erat, asserente Plutarcho, Musicus ingeniosus & doctus; & conformavit novem chordarum Chelyn, in quâ suæ Artis dexteritatem ostentabat. ‡ Et talis illa etiam erat, cujus Martialis meminit, & à fidium numero ἐννεάφθογγον, aut etiam ἐννεάφωνον vocavit. ‖ Præsidebat tūc Enharmonicæ Scholæ Summus Magister Ephorus; &, ut ejus benigniori censurâ inventionis suę Phrenides felicitatem honoraret, Chelyn in ejus manus posuit, & quid de illo fidium numero sentiret, solicitus & anxius rogabat. Novum Organum accepit Ephorus; illud prospectat; fidium numerum alteratum considerat; benè consideratum reprobat; & duas ultimas chordas impatienter disrumpens, his in eum verbis insolentiam, & novitatem increpavit. *Noli depravare Musicam. Prisci Cantores non noverunt nisi septem chordas, quibus aliquid addere, & Musicam reddere operosiorem erit Artis corruptela.* Et hinc doctrina generalis deducitur, *Quoniam super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum; & quæ convertuntur, in deterius mutari*. ut ait Cornelius Tacitus à Iusto Lipsio *libr. 4. Polit. cap. 9.* & à P. Ignatio Coutiño *in Promptuario Spiritualis tract. 1. consider. 4. pag. 16. b. num. 9.* citatus.

Plutarchus in inst. Lac.

De Chely Enneachorda.

De Instrumentis Antiquis.

An tantùm habuerint septem voces?

An alia laudabiliter & utiliter addita?

NON solùm Vetus Testamentum est Novi Symbolum, & rerum, quæ in Evangelicâ Christi Historiâ leguntur, prophetice repræsentat imagines, sed in Novo etiam (Testamento) priora ita posterioribus cohærent, ut in illis hæc ipsa ceu in Typo noscantur. Multa profectò possem in hujus Veritatis probationem adducere: at ero uno loco contentus.

An alia in Novo Testamento Historia sint aliarum Imagines?

Lego Lucæ 2. s. 30. *Et factum est post triduum invenerunt illum in Templo, sedentem in medio Doctorū, audientem illos, & interrogantes eū. Stupebant autem omnes, qui eum audie-*

Christus disputat inter Doctores.

diebant, super prudentia & responsis ejus. Et videntes admirati sunt. In quibus verbis multa occurrunt, quæ possent Scholiis uberioribus dilucidari; sed illud *Triduum* curâ speciali recognosco, & *Cur post tres, & non post pauciores, aut plures dies, Christus Dominus inventus fuerit?* à doctioribus Ecclesiastis inquiro. Et hoc triduo, respondent, alterum triduum, quo erat in Sepulchro mansurus, symbolicè significari. Hæc enim est D. Ambrosii Sententia; hunc enim locum Evangelii dilucidans, sic scribit. *Nec otiosè immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur & gratia post triduum reperitur in Templo; ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in Sede Cælesti, & honore Divino, Fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur. &c.*

Cur tertia Christus die eundem inventus fuerit?

S. Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Lucæ in fin.

Sententiam hanc docuit etiam Mersennus qui in Testamento etiam Novo Figuras, Typosque differit & exponit. In Genes. column. 694. sic inquit. [Etiam in Novo Testamento locum habent, quandoquidē multa sunt in Evangelio, & Apostolorum Epistolis, quæ sensum spiritualem patiantur, sic enim Luc. 13. ingens piscium multitudo capta, quæ retia propemodum frangebat, prædicationem futuram inter testes significabat teste D. August. tract. 22. super Ioan. Christus enim subjunxit: *Ex hoc iam eris homines capiens*: & alibi vocat Apostolos *piscatores hominum*. Item baptismus, quem Christus suscepit, fuit Typus futuri inter nos Sacramenti; sicut Transfiguratio Symbolum æternæ beatitudinis in cœlo, & cæcorum illuminationes effectus prædicationis apostolicæ, & successorum.

Ecce Figura haec, quæ dicitur Allegoria, verè & propriè in Sacra Scriptura invenitur: ibi enim non solum, quæ dicuntur, sed quæ aguntur significant, quod non contingit in Humanis Historiis.

An Allegoria in sola Sacra Pagina reperiantur?

GRæci, Latini, & alii, habent aliquam Imaginem Allegoriæ, scientes enim ea, quæ in suis Historiis gesta, non esse symbola futurorum eventuum, accipiunt aliquam substantiam Cælestem, sublunarem-ve (Solem, Lunam, Sydera: &c. Ignem, Aerem, Aquam, Tellurem, &c. Arborem, Animantem, Hominem, &c.) quam opportunam judicant, eamque cum aliquâ Virtute, Vitio, aut Personâ componunt, & proprietates transferendo continuatâ Metaphorâ, coloribus vividis, quidquid volunt, depingunt.

Quales sint Allegoria, quæ in Libris Humanis leguntur.

Et quidem Allegoriâ sic expositâ Poëtæ utriusque Parnassi (Græci, & Latini) delectantur; & suos illa Numeros passim exornant. Et huc pertinet ex. gr. versus ille Virgiliani Damœtæ.

Virgilius Ecl. 3.

Claudite jam rivos Pueri, sat prata biberunt.

hoc est, Desinite jam plura canere, quia satis audivimus.

Sanè varias, & pulchras Allegorias in libris Poëtarum Hispanorum reperio. Dabo unam, vel alteram, ut Ingeniosus possit Lector, modum, quo discurrunt, percipere. D. Franciscus de Quevedo *in Parnass. Hisp. Mus. 2. num. 87. pag. 101.* hanc præmittit Epigraphen. *Contra los Hypocritas, y fingida Virtud de Monjas y Beatas, en alegoria del Cohete.* illamque dilucidat hoc Epigrammate.

No digas quando vieres alto el vuelo
Del Cohete en la polvora animada,
Que va derecho al Cielo encaminado,
Pues no siempre quien sube, llega al Cielo.
Festivo Rayo, que nació de el suelo,
En popular applauso confiado,
Dissimula el açufre apprissionado,
Traça es la cuerda, y es reboço el velo.
Si le vieres en alto radiante,
Que con el Firmamento y sus Centellas.
Equivoca su sitio y su semblāte; [*]
Cuno le cuentes tu por una de ellas;
Mira, que hay fuego, artificial farsante,
Que es humo y representa las estrellas.

*] *Æquivocū, ci*. nomen, & *Æquivoco, cas.* verbum, de vocibus proprie dicuntur: sunt autem dictiones æquivocæ quæ plures res repræsentant. Per Metaphoram transfertur ad res ipsas, quæ dicūtur æquivocæ, quando tales apparēt, ut quales sint discernere, & cognoscere nequeas. Et tales sunt flāmæ illæ volatiles, quas Hispani vocitamus *cohetes*, sunt enim inter Ignes Artificiales & Cælestes æquivocæ; nam apparent æthereæ, & tamen non perveniunt ad nubes.

Vt potentis, opulenti, & populo exosi Ministri periculum cum pauperis ignoti securitate conferat, aut contraponat, casam luteam, & stramine tectam, saxo apud maris littus insistentem considerat, & oculos ad Oceanum procellosum conver-

Hypocrisis sub Ignis volatilis imagine exprimitur, & vituperatur.

vertens, inauratam, & coronatam triremem contemplatur, præsertq; naufraganti Opulentiæ Paupertat n securam. *Loc.cit.num.*101.*pag.*111. sic scribit.

Melior est inops & egena Securitas opulenta Fortuna.

Vês essa Choça pobre, que en la orilla
Con bien unidas paxas burla al Noto?
Vês el horrendo y liquido alboroto,
Donde agoniza poderosa Quilla?
No vês la turba ronca y amarilla
Desconfiar del Arte y del Piloto;
A quien, si el parasissimo acuerda el voto,
La Muerte los semblantes amãcilla.
Pues esso vês en mi, que retirado
A la serena paz de mi cabaña,
Mas quiero verme pobre, que anegado;
Y miro [*] *libre, naufragar la Saña*
Del Poder cauteloso, que engañado
Tormenta vive, quando alegre engaña.

*] Fortè melius legeretur, *Yo miro*. &c.

Posset hoc Politicum Monitum plurimis, & mirabilibus exemplis confirmari, sed nobis Sejani meminisse sufficiat, de quo Iacobus Gordonus *in Chron.ad ann.*33.sic scribit. *Rectè contra Eusebium in hunc annũ incidisse probat Baronius Sejani casum, Tiberio quintùm Consule. Quo memorabili exemplo declaratur Humanarum rerum inconstantia, ex Dione* libr. 58. *&* *Tacito* libr. 5. *In eumdem annum consentit Scaliger ad Eusebium. Addit Dio fuisse Tiberii consuetudinem, ut quos habuit in Consulatu Socios, eosdem postea multtaret morte. Nec aliud habent hi anni memorabile inter Romanos prater continuatam in Viros Principes Tiberii crudelitatem.* Huc pertiner Satyra X. Iuvenalis, *Ardet adoratum Populo Caput*, quam totam Ego ad σύνοψιν, & numeros sequentes reduxi.

De Fortuna ludibrio, Sejano.

Tiberii ingeniũ & consuetudo.

Cùm Fortuna favet, prabentur
Imagini honores
Herois? Cæsar quem generosus amat.
Cùm Fortuna favere nequit [*]
tunc agmina Vulgi
Prosternunt statuas, quas coluere priùs.

De Fortuna inconstantia.

*] Lege, si vis, *favere siait*.

Et idem *ubi supr. num.* 98. *pag.*108. Quevedus præstitit, ut constat ex sequentibus lineis.

Mira la Faz, que al Orbe fuè segunda,
Y en el metal viviò rica de honores,
Como arrastrada sigue los clamores
En las maromas de la plebe immunda.
No hay fragua, que sus miembros no los funda
En calderas, sartenes, y assadores;
Y aquel miedo y terror de los Señores
Solo de humo en la cocina abunda.
El rostro, que adoraron en Sejano,
Despedazado en garsios es testigo
De la instabilidad del Precio Humano.
Nadie le conociò, ni fuè su amigo;
Y solo quien le infama de Tyranno
No accompagñò el horror de su castigo.

Etiam in Statuas, quas nuper adorabat, ut Principis adulatur, Vulgus favit.

Multa possem dare, sed hæc videntur, ut Allegoriæ ingenium cognoscatur, sufficere: transcamus igitur ad Metalepsim, quæ etiam est species Metaphoræ.



MB

METALEPSIS.

Est species Metaphoræ. Ab extremo in extremum, quin medium attingat, exsultat. Rarò in libris occurrit. Illà tamen Virgilius utitur: immò etiam septuaginta seniores.

Metaphora divisio.



ividitur in immediatam, & mediatam Metaphora: illa est, quæ è proximo, hæc quæ è remoto sumitur, & Prior nomen Generis retinet, & Μεταφορα dicitur; hæc autem Μετάληψις Græcè, Latinè autem *Transmissio* nominatur: quoniam ἀπὸ τοῦ μεταλαμβάνειν, quod inter alia *transmittere* sonat, nomen habet. Rarissima sunt hujus Figuræ exempla: quæ enim ab aliquibus afferri solent, ad Immediatam Metaphoram pertinere videntur. Celebre tamen illud est, quod in primâ Eclogâ Virgilianâ reperio.

De Metalepsi. Quid ipsa sit?

An, & quomodo Aristæ sumantur pro anno?

Post aliquot mea Regna videns mirabor aristas:

Vbi annos per *aristas* Poeta intelligit. Sed quo modo? Servius. [*Gradatim dictum ex tropo Metalepsi, ut per* aristas *messes, per* messes *æstates, per æstates annos numeret.*] Ergo, ex primo ad ultimum, ut per *aristas* annos numeret. Ascensius, *Videns post aliquod aristas id est, messes, hoc est, annos, quia singulis annis aridæ messes fiunt.* Ludovicus Vives. *Rustica annorum notatio; non ex Olympiadibus, ut apud Græcos; neque ex Consulibus, ut apud Romanos; sed ex temporum annuis qualitatibus* (aut ex fructibus veriùs) *sicut Claudianus inquit;*

Quomodo per gradus decurrat?

Frugibus *alternis non Consule computat annum.*]

An in Sacra Scriptura locum habeat?

Petis, *An Metalepsis Figura Rhetorica sit propter illum locum Virgilii inventa, quæ nunquam aut rarò apud alios Authores locum habeat: an verò non sit ita insolens, quin etiam in Sacram Scripturam se insinuet, & Canonicos libros exornet?*

Hoc ultimum asserit Augustinus *quæst. 95. in Genesim*, septuaginta Seniorum interpretationem exponens. Porrò *Genes. 31.* conqueritur de Labane Iacobus, exclamatque, *Mutavit mercedem meam decem vicibus.* Aquila vertit *decem numero.* Symmachus *decies numero.* Septuaginta verò *decem agnis* Versionem hanc admirabundus meditatur Hieronymus, & ait, *Septuaginta Interpretes pro* decem vicibus, *ut est in libro Hebræo, posuerunt* δέκα ἀμνῶν, decem agnis; *nescio qua opinione ducti, cùm verbum Hebraicum* מנים MONIM, *numerum magis, quàm agnos sonet, & hic sensus ex consequentibus magis probetur.* Interim Augustinus *loc. cit.* admittit septuaginta versionem, *Agnos* legit, locumque per Metalepsim dilucidaturus sic scribit. [*Decem agnos*, & *decem agnos* pro decem temporibus (septuaginta) posuerunt, quibus oves, quas Iacob pascebat per sexennium pepererunt: bis quippe pariebant in anno. Contigerat autem, ut primo anno, quo inter se pacti sunt, & ad pascendas oves accessit Iacob, semel parerent in fine anni, quia cùm accessit, jam semel pepererant. Rursusque sexto anno, id est, ultimo, cùm semel peperissent, exorta necessitate profectionis priùs recederent, quàm iterum parerent: ac per hoc, cùm primus annus, atque ultimus duos tantùm ovium partus sub illo haberent, medii verò quatuor anni, binos fiunt omnes decem. Nec mirùm, quod hæc decem tempora nomine agnorum appellarunt, qui iisdem temporibus nascebantur, veluti si quispiam dicat per tot vindemias, aut per tot messes, quibus numeris intelligatur annorum, unde quidam dixit, [*]

Quid significare voluerit Iacobus illis verbis Salarium meum mutavit decem agnis?

An decem Agni decem tempora importent?

An oves bis in anno pepererint?

Quo modo decem tantùm vicibus in sex annis.

Per aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Virgilius Ecl. 1.

Pecudum autem illius regionis

fer-

An Mesopotamiæ oves Italicis similes sint?

fœcunditas, sicut Italarum, tanta fertur, ut bis in anno pariant, &c.] & hoc ultimum firmat Hieronymus, qui *in libr. de traditionib. Hebraicis* sic scribit. [Necui autem in sex annis decem parendi vices incredibiles videantur, legat Virgilium, à quo dicitur *Bis gravidæ pecudes*. Natura autem Italicarum ovium, & Mesopotamiæ una esse traditur.]

Virgilius libr. 2. Georg.

*] *Quidam dixit*] Hic quidam, qui citatur, est Virgilianus Meliboeus: nam prima Ecloga, cui nomen *Tityro*, exsutus pratis agrisque avitis exclamat,

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tuguri, congestum cespite culmen,
Post aliquot (mea regna videns) mirabor Aristas.

Sumit *aristas* pro segetibus, *segetes* pro messibus, *messes* pro æstatibus, & æstates pro annis, clausurus Æneid. libr. 1. his versibus,

Immò age, & à prima dic hospes origine nobis
Insidias (inquit) Danaum, casusque tuorum,
Erroresq; tuos; nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

Verba sunt Reginæ Didus ad Æneam, in quibus *septimæ æstatis* nomine annus septimus significatur.

An verò bis pecudes pariant in Italia?

Hic autem duo examinari jubet studiosa Curiositas: alterum, *An bis in Italia pariant pecudes?* alterũ, *An Seniores septuaginta in hoc loco μεταληψιν* admiserint.

In Prima Quæstione Virgilius pro parte Asserente decidit; loco enim, à Hieronymo producto, sic inquit.

Ver verum in æstate & in hyeme.

Hic Ver assiduum, atque alienis mensibus æstas:
Bis gravidæ Pecudes, bis pomis utilis arbos.

Et in Bucolicis sibi consonat dicens,

Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.

De regno Neapolitano.

Ego autem, qui in Neapolitano Regno, totius Italiæ florentissima regione habitavi, & terræ ingenium, & ubertatem indagavi assero, meritò pecudes cum arboribus composuisse Virgilium: sicut enim in Italiâ, nec omnes, nec ubique arbores bis in anno fructificant, sic nec omnes, nec ubique pecudes bis in anno fiunt gravidæ. Illa Virgilii verba, *bis pomis utilis arbos*, ad Ficus Ascensius restringit, ait enim. [Arbos est bis fertilis pomis: id est, bis fert quotannis poma: id est, bifera est, sicut plurimæ faciunt Ficus. &c.] Suetonius in August. *Ficos* [*] *virides, biferas, maximè appetebat*. Hinc ergo Nos ita ratiocinemur. Nõ omnes, sed aliquæ in Italiâ arbores sunt biferæ, ergo non omnes, sed aliquæ tantum ibidem pecudes bis in anno parturiunt. Sed, quia & hoc est in Italiâ valde rarum, illas oves, quæ in utero duplicem fœtum gerunt, & frequentiores sunt, dicamus vocari à Virgilio *bis gravidas*.

*] Ecce quidquid rideat Martialis scribens, *Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci: Dicemus ficos, Quinctiliane tuos.* nomen Ficus pro arbore secundæ declinationis variationẽ admittit.

An liber, quo utebatur Hieronymus, mendosus fuerit? An in illo pro ἀμνῶν lectum sit ἀρνῶν?

In Secunda Quæstione, ut ut Hieronymi ingenium, & eruditionẽ commendent, asserunt nihilominùs nonnulli Recentiores illud Græcorum Bibliorum Exemplum, quo utebatur, non caruisse Exscriptoris erroribus; nam hodie septuaginta Interpretum Textus ita legitur, ut Hebraico, & Latino consentiat. Regia Editio sic habet. Ὁ δὲ πατὴρ ὑμῶν παρεκρούσατό με, καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου τῶν δέκα ἀμνῶν. *Sed & pater vester circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus.* Et Hieronymi Liber habebat τῶν δέκα ἀρνῶν *decem agnis*. Porrò in vocibus ἀμνῶν & ἀρνῶν sunt ductus similes, & Exscriptor, cùm deberet priorem, posteriorem expressit. Est autem ἀρς, ἀρνός, ὁ καὶ ἡ. *agnus* vel *agna* Cæterum ἀμνὸν sonat *vicem*, adeoq; τῶν δέκα ἀμνῶν *decem vicibus*.

Quid significet ἀμνος.

Ego autem huic Iuniorum sententiæ assentiri non debeo, nam in vocis Græcæ significatione allucinantur: ait enim Ioannes Scapula, [ἀμνός, οῦ ὁ, *agnus*. ἀμνὸς κεράστης apud Nic. in Alex. Atticè aspirari scribit Eustachius. &c.]

Stat igitur septuaginta Interpretes hoc in loco figuratè loquutos, & admisisse Metalepsim; hoc est, mediatam, seu remotam Metaphoram.

NOTA.

Moralitates, quæ à longè petuntur, non sunt veræ.

TAM remotæ interdum sunt rationes, & origines Allegoriarum, ut videâtur, & dicantur *Fictiones*, multi enim Concionatores se præcipitant, & Sanctis Patribus sententias, quas nunquam cogitarunt, imponunt. Quam ob rem, nequis Titium *mentiri* dicat, illum *moralizare* interdum ait; eò enim venit Moralizantium temeritas, ut contra Adagium Vetus, ex omni ligno Mercurium ingeniosè conforment. Huc apud Augustinum Morectum respiciebat Martinus. nam *part. 30. Comæd. pag.* 104. lego hos numeros.

Moralizare urbanè dicitur, qui rusticè mẽtiri deberetur.

Ioann. *Dizes verdad?* Mart. *Pues apenas*

Os

Thersita ignavi & timini, si verbis agendū sit, sunt fortiores Achille.

Os apartastis los dos.
(Mucho es lo que d. bo a Dios.
Mercedes a manos llenas
Me haze en yendo a reñir.)
Ioann. *Cuentalo sin rodear.*
Mart. *Dexame moralizar,*
Pues no me dexas mentir.
Digo, que dexô en mi mano,
Que diga lo que quisiere;
Pero mas de lo que fuere,
No cabe en ningun Christiano.
Ita ille loquebatur homuncio,
Nam verbis fortis quilibet esse potest.

METONYMIA.

Quid sit? unde dicatur? Causa nomen pro nomine effectûs usurpat. De nominibus Mars, Ceres, Bacchus, *&c.* Nero, Aristoteles, Euclides, *&c. An* Abrahami, Isaaci *&* Moyseos *nomina D. Benedicto conveniant? An* Davidis *Christus, &* *Baptista* Eliæ *nomine intelligatur? Raphaëlis ad Tobiam verba dilucidantur. Quo modo Propria Hispani nomina faciant Appellativa? Quæ sit necessaria notitia ut impediat mendacium? De propagatione Metonymiæ. An intendi possit, quando Politicè usurpatur? De propositionibus de subjecto non supponente. An sint vera, vel falsa?*

Quid ipsa sit?



Præpositione, μετά, quæ *trans*, & à voce ὄνομα, quæ *nomen* significat, dicitur Μετονυμία, (aut, ut alii scribunt, Μετωνυμία) *Transnominatio*, hoc est, unius vocis in aliam permutatio. Figura est, quæ literas profanas, & Divinas exornat. Et exercetur, quando nomen proprium pro substantivo, aut appellativo usurpatur, ut quando v. gr. *Mars* sumitur pro bello, *Ceres* pro pane, *Bacchus* pro vino: aut etiam, *Alexander* pro generoso & liberali, *Nero* pro crudeli, *Aristoteles* pro Philosopho, *Homerus* pro Poetâ, *Euclides* pro Geometrâ. &c. Virgilius libr. 1. Georg.

Causa pro effectu.

De significatione, quam hac Figura nominibus Mars, Ceres, Bacchus, Nero, Aristoteles, Euclides, &c. adtribuit.

—— *Sævit toto Mars impius orbe.*

Et Æneid. 8. agens de pane; & vino.

Tunc lecti Iuvenes certatim, araq; Sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumq; ministrant.

Et, quia in Sacrâ Scripturâ Moyses à benignitate laudatur, à multitudine filiorum Abraham, ab obedientiâ Isaac, *Moyses* pro benigno, *Abraham* pro Patriarchâ (multarum gentium patre) *Isaac* pro obediente usurpatur: & ideò in Hymno de S. Benedicto concinitur.

Quo S. Benedictus sensu Abraham, Isaac, & Moyses nominetur?

Extulit Moysen Pietas benignum,
Inclytum proles Abraham decorat,
Isaac Sponsa decus, & severi Iussa parentis.
Ipse Virtutum cumulis onustus,
Celsior nostri Patriarcha Cœtus,
Isaac, Moysen, Abraham sub uno
Pectore clausit.

Sed & Μετωνυμία etiam in Sacrâ Scripturâ invenitur. Dominus noster Iesus-Christus vocatur. à Deo *David* Ezech. 37. ibi enim lego. *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego adsumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt* (abducti sunt) *& congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.* &c.

Et quo Christus appelletur David?

Et servus meus David Rex super eos, & Pastor unus erit omnium eorum. &c. *Et David servus meus Princeps eorum in perpetuum. Et percutiam cum illis fœdus pacis: pactum sempiternum.* &c. Et hunc omnes Doctores locum de Christo intelligunt. Isidorus Clarius hîc. [Per unum Christum pacem habemus cum Patre: ergo fœdus hoc constabit per Christum. &c.]

Angelus etiam Raphael nomina propria in sensu communi usurpavit. Lego in ejus Historia. *Tobias. Rogo te indica mihi de qua Domo, aut de qua Tribu es tu? Cui Raphael Angelus dixit, Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat. Sed, ne fortè solicitum te reddam: Ego sum Azarias Ananiæ Magni filius. Et Tobias respondit. Ex magno genere es tu!* Est autem עזריה Azarias, *Auxilium Domini*, & חנניה Ananias, *Nubes Dei*, aliis *Responsum Dei*, Hieronymo *Gratia Dei*. Illa ergo Angeli verba, *Ego sum Azarias Ananiæ Magni filius*, si nomina, quæ videntur propria, esse appellativa dicantur, æquivalebunt his, *Ego sum auxilium Domini; à Dei gratia proveniens, & sub hoc nube & umbra humani corporis, votis tuis Deo cooperante respondebo.*

Tobiæ c. 5.

Cur Archangelus Raphael, se Azariam Ananiæ Magni filium appellaverit?

Audire etiam poterimus Dominum nostrum Iesum Christum dicentem. *Et, si vultis recipere; Ipse* (Ioannes Baptista) *est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.* Habet Græcus: Καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι. Αὐτός ἐστιν ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. *Et, si vultis recipere. Ipse est Elias, futurus venire. Habens aures audire, audiat.* Et cur Ioannes à Christo vocatur *Elias*? Rationem Luc. 1. 17. exhibuit Gabriel Angelus dicens ad Zachariam, *Et ipse* (Ioannes) *præcedet ante illum* (Christum) *in spiritu, & virtute Eliæ.*

Matth. 11. 14.

Cur Eliam Ioannem Baptistam Christus Dominus?

Nomen Elias significat Virtutem Eliæ.

Ergo nomen proprium sumitur pro virtute, aut dignitate illius; & posteà, qui illam sortiti fuerint, illo etiam nomine significantur. Sic apud Latinos *Cæsar* nomen est proprium, & quia suâ virtute Iulius adquisivit Imperium, omnes Imperatores *Cæsares* nominantur. Et, quia Alexander fuit liberalissimus, quem volumus à liberalitate commendare, *Alexandrum* vocamus.

An nomina Cæsar, Alexander, &c. transeant in appellativa: & quid tunc significent?

Et hîc obiter nota, Hispanos nomina metonymicè sumpta à propriè sumptis, [quod fortasse aliis populis propria non permittunt Idiomata] distinguere: aliud enim est dicere, *es Alexandro*, & aliud *Es un Alexandro*: prior enim phrasis veritatem, & similitudinem posterior exprimit. Vnde Christus quando de Ioanne dixit Αὐτός ἐστιν ἠλίας, si egisset Hispanicè, non dixisset, *El es Elias*. sed *El es un Elias*. & sic cessat omnis æquivocatio.

Quo Hispani propria hominũ nomina in appellativa convertant, & ad metonymicam significationem restringant?

Et hic opportunè excitas ingeniosam Quæstionem, & interrogas, *An, ut hujusmodi* Μετωνυμία *sit licita, requiratur, ut sciant audientes illum, cui alterius nomen ponitur, non esse illum alterum, sed personam diversam?* Et pro aliis linguis promovetur hæc Quæstio, ex dictis enim constat, non habere locum in Hispanicâ.

Quid requiratur, ne in Metonymia committatur mendacium?

Docet Abulensis Afferentem sententiam, nam P. Pererius *tom. 4. in Genes. cap. 27. pag. 58. b.* sic scribit. [Cùm unus homo per figuratam locutionem appellatur nomine alterius hominis (inquit Tostatus) solet notum esse apud audientes de consilio, & intentione loquentis: quod non vult significare identitatem, aut substantiam, sed insignem quampiam similitudinem eorum hominum, secundum aliquam proprietatem, aut virtutem, aut munus. Hoc patet in exemplo paulò superiùs adducto de Ioanne Baptista, & Elia: notum enim erat Discipulis, cùm Dominus dixit: Ioannem Baptistam esse Eliam, non loqui eum de identitate eorum secundum personam. At Isaac audiens loquentem secum dicere se esse Esau, planè intellexit de Persona Esau, & hoc ab eo intelligi volebat, & tùm verbis, tùm factis procurabat Iacob, quod tamen falsum erat, apertumq; mendacium. &c.]

Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis sententia.

PRoderit hîc nonnullas phrases ingeniosas proponere, quæ Metaphoram in circumloquiũ agũt, & cum gratiâ à modo loquendi cõmuni & vulgari recedunt.

Modi loquendi aliqui, qui aut Metaphorici sunt, aut ad Metaphoram possunt reduci.

Sanè, quam *Exprobrationem*, Latini, τὴν ὀνείδισιν, & τὸν ὀνειδισμόν Græci appellant: & contingit, cùm ingeniosè alicui objicitur error aut vitium. Profectò ad-

Aliter Aulici, & aliter loquuntur Rustici.

ver-

versarium suum Rustici fustibus cædunt, Nobiles gladiis: & sic etiam in verborum certamine, sortis infimæ homines (qui aut in pago nati, aut in sylvis nutriti) explodunt claris verbis injurias; excellentiores verò ita feriunt, ut in vulnere percipiatur acumen, & ingenium laudetur. Exempla nonnulla proponamus.

Circumloquiũ de furto.

Vbi diceret imperitus Rhethoricæ: *Opem Iustitiæ imploro, ô Iudices: & furti Melibæum accuso; Nam vestes nostras arrogante & impudente audacia rapuit. Eum igitur supplitio digno condemnetis*. dicere posset Iuvenalis Professor politioris Rhetoricæ:

Quid sit invenire rem antequam perderetur?

Antequam nostras clamydes, togasque
Perdidissemus Melibæus illas
Nuper invenit Themis ergo digna
Præmia præstet.

Et phrases recognosce reconditas. *Furatus est*, aut *Furto à nobis rem talem rapuit*, Rusticus quisque sciret dicere: at eodem sensu, sed secretiore gratiâ Iuvenalis substituet, *Talem invenit rem, antequam illam perdidissemus*. Vbi exclamaret ille O *Iudices*, iste ad Themidem convertet oculos, nam grandiùs quàm humana, Iustitia imploratur Divina. Et tandem, ubi ille pœnas (crucem, laqueum, paribulum, &c.) vociferaretur, hic pulchriùs præmia dicet, supplicia enim sunt præmia peccatorum, & scelerum. Plautus in Pseud. scen. 7. act. 4. *De improbis auferri & præmium & prædam decet. Hem tibi quia postremus cadis hoc præmii* (id est, pænæ & verberum) *feres*. Et Cicero de Prov. Consul. *Provincia, quas pestifero illi Consuli pro eversa Republica præmio vendidisti*. eodemque sensu vocem accepit Turnus, de quo Æneid. 12. sic Virgilius.

An, & cur Themis potiùs, quã Iudices sit invocanda?

Præmium possum pro supplicio.

Ironica Turni Exclamatio.

Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane sequutus.
Sistit equos bijugos, & curru dejicit, atque
Semianimi[*] lapso; supervenit, & pede collo
Impresso, dextra mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit jugulo: atque hæc insuper addit.
En agros, & quam bello Trojane petisti, Logica Moralis.
Hesperiam metire jacens; hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mænia condunt.

*] *Semianimi*, quasi *Semanimi*: ita ut altera ejusdem compositæ dictionis pars alteram euphoniæ gratia elidat.

Et ad rem nostram propiùs, pœnam, quæ furto debetur, *præmium* vocat Tibullus.

—— *Et rapta præmia veste petat.*

Vnde & stipendium pro mercede ponitur, quæ tam sceleri quàm virtuti debetur: quam ob rem in hebdomade pœnosâ [*] canimus *Deum utrique* (pœnitenti latroni, & impœnitenti Apostolo) *meritorum stipendia dedisse*.

*] Quam *sanctam* passim dicimus, *pœnosam* meus Bernardus appellat.

Sororis suæ maritum *Cuñado* Castellanus nominat [Vbi vides nomen *Cognatus*, quod latissimè apud Latinos patet, sola idiomaris Hispanici determinatione ad determinatam acceptionem restringi.] Non haber Latinus vocem Castellanæ propriè correspondentẽ, interim illum dicit *Sororium*, & jam hoc modo aliqui viri docti loquuntur. Hinc ad Historiam.

Cognatus *Latinè*, & Cuñado *Hispanicè*, non *significant idem*.

Sororius *qui?*

Cum duabus sororibus, non sine Civitatis scandalo, conversabatur Theodomirus. *Eum duarum sororum Amasium, aut Maritum*, Male dicentia, etiam rustica, diceret; sic Poëta nescio quis, nam erudirio erat, sic cecinit.

Cuñado de entrambas.

Eran hermanas Florinda
Y Livia, pero Lupercio,
Por ser cuñado de entrambas,
En la Ciudad corria riesgo.

Huic Hispanicæ voci *Cuñado*, Latina *Levir* non correspondet; nam, si duxit meam sororem Ausonius, ipse mihi est, Hispanicè loquendo, *Cuñado*, ego illi *Levir*. Nonius. *Levir dicitur frater mariti, (aut uxoris) quasi levus vir*. Et etiam de brutis solet dici. Modestinus Iurisconsultus *de gradib. affin. leg. non facile*. sic scribit. *Viri frater Levir est, apud Græcos Δαήρ appellatus; sic enim Helena ad Hectorem dixit. Δαέρ ἐμοῖο κυνὸς. Levir mei canis*. &c. His præmissis casum hunc proponamus. Carolus Marcusque fratres cum Arsinda vitam incestuosam agebant. Imperitus, & doctus scelus incriminatur. Ille simplici stylo, eam utriusque uxorem, & hos ejus maritos, & conjuges vociferatur. At ingeniosus iste loquitur, cùm exclamat

Levir. *Quid significet.*

Δαήρ, & Δαέρ.

Duarum levir, quis sit?

Frater erat Marci Carolus (mirabile dictu!) Ddddd 2 *For-*

*] *Levir* primam habet cõmunem, & secundam brevem.

Formosa Arsinda levir [*] *uterq; fuit.*

Sobrino. Nepos.

Filium etiam sororis *Sobrino* Castellanus appellat, *Nepotem* Latinus; sed hæc Latina vox subit diversas parallaxes; nunc autem hanc, quam notavi, significationem retineat. Modò ad rem.

Nepos tuæ sororis *idem est ac* Tuus filius.

Aurelius, Parochi Claromontensis, filius irreverenter, & scabiosè fuit Pomponio obloquutus: & hic graviter apud patrem conqueritur. Quid autem dicit? Si nesciret Politicam filium *filium* vocaret, & in Castellanâ linguâ diceret, *Tu hijo se arrojó a decirme estas o aquellas sinrazones.* aut in Latinâ, *Filius tuus talia, vel talia verba evomuit.* &c. cæterùm, nam sciebat altiùs eloqui, sedato animo Parochum convênit, & dixit, *El sobrino de su hermana me dixo*, &c. hoc est *Nepos sororis tuæ mihi dixit.* &c. Quæ verba idem prorsus significant, sed Presbytero commissum sacrilegium exprobrant, & objiciunt cum gratiâ.

Pulchrè Vrsus Ditmarsus Tychoni Brahao metri ignorantiam exprobrat.

In Satyricis numeris, quos contra Tychonem Brahæum Vrsus Ditmarsus fulminat, hoc reperio Pentametrum,

Metire Astra Tycho, ne metiaris ea.

Sed quid his verbis Invidus Astronomo Nobilissimo exprobrat? Imperitiam rei Metricæ. Sed cur, & quomodò?

Quanta sit prima in metior.

In *metior*, *iris* prima est longa. Virgilius libr. 4. Georg.

Est in Carpathio, Neptuni gurgite, Vates,
Caruleus Protheus, magnum qui piscibus aquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Et libr. 12. Æneid.

Hesperiam metire jacens. &c.

Quia tamen Tycho in hujus syllabæ modulo adlucinatus; adloquens Astronomos dixerat

——— *Cælos metiamur & Astra*,

corripiens illud *me*, quod debebat protrahere, illi insultat Vrsus ingeniosè & acutè; illisq; verbis,

Illam Tycho contra Veterum authoritatem corripit.

Metire Astra Tycho, ne metiaris ea.

callidè errorem exprobrat, monetq; ut imposterum, si versus velit condere, in verbo *metior* primam syllabam non corripiat, sed protrahat.

Quidam Poëta Romanus, (vocetur Floricellus, si velis) ut Fortunæ inconstantiam, quam Galliæ Regis arma, quæ nuper, non solùm invicta, sed invincibilia videbantur, post Turenæi mortem patiuntur, versibus exprimeret, hos composuit, & in Lombardiam misit.

Fluit & refluit Bellica Fortuna apud Gallos.

Iunius in Suecos, in Gallos Iulius atrox;
Augusto Augusti cuncta sub ense cadunt.
Septembri septem Rex vincit quosq; Trionum [a]
Pax utinam Octobri Regibus octo fiet [b]
Porrò si Alsatiam reddat, Burgoq; Philippi
Excedat, Carolum restituatque Ducem.
Erisocum linquat Palatino damna refundat,
Det satis Hispano Gallus Amicus erit.

Agit de anno 1675. in quo Turenæus Summus Gallicorũ Exercituum Στρατηγός pila, a tormento explosa, occisus est.

Rex Septentrionis, quis?

a] Imperatorem *Regem Septentrionis* appellat, cùm tamen hoc nomine Suecus, aut Magnus Moscoviæ Dux debeat intelligi, dicunt enim jus superioribus Insulis, quibus nulla alia provincia Borealior ab Europæis Regibus possidetur.

Qui sint illi octo Reges, quorum Poëta meminit in Epigrammate?

b Vt sit completus numerus hos Reges recensebat in margine. Romanum Regem (Imperatorem) Hispanum, Gallum, Danum, Anglum, Lusitanum, Polonum, & Suecum.

Interim ad Poëtam benignæ correctionis gratia (nam severiora studia debent aliquando intermitti) Numeros sequentes, transmisi.

Martis Hyperborei multi cecidere sub ensem,
Nemo sub ense tamen cĕcidit: quãdo ipse cecîdit
Castra; Palatinos celebrabat carmine multos,
Sed nullum prorsus Palatinum Musa Maronis.

Cecidi à cado est ⏑⏑–, & à cædo est ⏑––.

Viderer voluisse repugnantia hoc Tetrasticho involvere: quoniam, si multi cecidere, quomodo nemo cĕcidit: &, si Palatinos multos, quomodo nullum Palatinum Musa illa celebrabat?

Duo Floricelli errores recensentur.

Respondeo in hoc tantùm Tetrasticho dici, duos in suo Epigrammate errores Floricellum manifestè admisisse: alterum in Syntaxim, & alterum in Prosodiam: Quoniam *sub ense* dixit, ubi *sub ensem* debuit: & in nomine *Palatinus* corripuit *la*, quam debebat producere.

Quem casum Præpositio sub *postulet?*

Sanè præpositionem *Sub* cum verbis, quæ significant motum, nanciscitur Accusativum. Plautus in Curcul. scen. 2. act. 2. *Omnes subdam sub solum.* Ovidius Fast. 5.

Vtq;

Vtq; ego sub terras sanguinolentus eam.

Virgilius 2. Æneid.

—— Postesq; sub ipsos
Nitantur gradibus.

Et Georg. 2.

Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto.

Ergo in illis Floricelli verbis *Cuncta sub ense cadunt*, solœcismus committitur.

Nec oppositum ex Virgilio probatur, qui Æneid. libr. 7. cecinit.

Corpora sub ramis deponunt arboris altæ,

Quem casum regat Pono?

nam verbum *pono*, ex quo *depono*, utroque modo concipitur: &, si quietem concernat, ablativum; &, si motum, accusativum adsciscit. Cicero in Lentul. *Amplitudo & dignitas omnis in virtute posita est*, & Ovidius libr. 2. Trist. Eleg. 6.

Ipse mea posui mæstus in igne manu.

usi sunt ablativo; accusativo autem usus est Salustius contra Ciceronem, *Qui Civitatis incommodum in gloriam suam ponit.*

Quanta in voce Palatinus sit syllaba?

Et de voce *Palatinus* sic statuo. Ipsa à *palatio* dicitur, & in eo primam syllabam, indifferentem alii, alii tantùm esse brevem affirmant, & manifestis testimoniis suadent. Ovidius *de Arte amandi.*

Illic quas tulerunt [*] nemorosa palatia frondes.

*] Aliqui ne in hoc præterito *tŭlerunt* & similibus asserant brevem esse penultimā, ad subjunctivū transeunt, & dicunt *tŭlerint*.

Et Martialis

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti.

Eadem aliquando producitur, sed tunc *l* geminatur. Idem Martialis libr. 2.

Inde sacro veneranda petes pallatia clivo.

Et alio in loco

Ad Pallatinas acipensera mittite mensas.

De secunda autem syllaba nullum moveri dubium potest, nam ab omnibus illis producitur.

An quantitatis mutatio, non solum mutet, sed & auferat significationem?

Benè ergo Maronis Musa dicitur quando *Pălātīnōs* celebrabat nullum *Pălātĭnūm* celebrasse: vox enim *Pălătĭnūs*, si habeat secundam brevem in lingua Latina nil omninò significat.

Hujus Figuræ propagatio.

FIgura hæc de qua agimus, sub initium causam pro effectu, inventorem-ve pro re inventa usurpare solebat, at propagari occœpit, & possessoris, aut continentis nomen pro re possessa aut contenta usurpavit. De causa pro effectu jam dixi. De Continente pro contento dicamus.

De Continente pro contento.

Sumi profectò solet, *Amphora* pro vino, *Hydria* pro aqua. *Italia* pro Italis. *Mundus* pro incolis. Plinius. *Non esset magnus Mundus, si non haberet in ipso quod quæreret, inquireret-ve totus Mundus.* Manilius.

Nec manifesta patet falsis fallacia Mundi.

Ludovicus Bigus.

Duraque fallacis superabit prælia Mundi.

Et Adrianus Cardinalis

Ducem insubria, quem tremebat audax.

Non autem fallit, timet, aut audet ipsa terra, sed incolæ. Et huc etiam pertinere videntur illa verba Martialis,

Subsellium pro sedente.

Sextiliane bibis quantum subsellia quinque 160
Solus: aqua toties ebrius esse potes?

Ita *libr. 1. epigr. 27.* & est hic Sextilianus ille, de quo egerat *epigr. 12.* Quid autem hic Poeta exprobrat Sextiliano? Quod ipse solus bibat quantum quinque subsellia? An-ne bibunt subsellia? Sumit *sedis* vocabulum pro eo, qui sedet: Ita Thomas Farnabius; scribit enim. [*Synecdoche.* Quantum quini Equites, qui in subselliis quatuordecim Ordinum.]

De Metonymia Civili.

PRæter has Metonymiæ acceptiones, aliasque, quæ ed ssequuntur in Rhetorica, & possunt ad illas reduci, unam adhuc ab Authoribus intermissam reperio; quæ quia in excessu consistit, *Hyperbolica*; &, quia in praxi est recepta à Politicis, *Civilis* poterit appellari.

An, quo modo, & quotupliciter Metonymia intendatur?

Ipsa sanè, ut dicebam in mera intensione consistit: & jam significationem concernit. Sonum quidem; ut, si humilis vocis loco, alia grandiùs sonans ponatur: significationem verò, si minoris significationis loco vocabulum, quod augeat significationem substituatur. Metonymiæ Prioris exemplum dabit Maro, qui illum Ennii versum,

De intensione quæ ad sonū.

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula terram,

correxit; & excelse jubens voce *terram*, quæ sonum humilem habere visa,

visa, vocem *campum*, sublimiùs resonantem substituit, & scripsit,

Quadrupedâte putrem sonitu quatit ungula campum.

qui versus *Æneid.* 8. legitur; & ab universis meritò collaudatur.

De intensione quoad significationem.

Contingit autem significationis Intensio, cùm priori vocabulo amoto, alterum substituitur, quod non jam rem diversam, sed eamdem in gradu tantisper nobiliori significet: ut si quis verbi gratia *candidum* pro Albo, *Frigidum* pro Tepido, & *Rigens* pro Frigido dixerit. Et consultò illud *tantisper* posui, Vocum enim Civilis hæc Intensio considerat locum & tempus, se mori patrio attemperat, & modum postulat: ubi enim honore prævenîmus Amicos, scimus Magnati deberi *Dominationis* ex. gr. titulum, ut hic intendatur, & in *Excellentiam* convertatur, permitti: nam Respublica nimium esse hunc excessum non judicat, ut autem ita promoveatur, ut in *Celsitudinem* transeat, non tollerari: nam hujusmodi excessus judicio omnium est nimius.

Magnati in Hispania debetur titulus Dominationis Hisp. el titulo de Señoria) & tamen dantur titulus Excellentiæ, quia permittitur.

Proponitur aliquorum vocabulorum intensio.

Hinc oritur vocabulorum Ampliatio, tugurium enim, qui Vrbanitati student, *casam* dicunt, casam *domum*, domum *palatium*. Hinc pagum *villam*, villam *civitatem*, civitatem *metropolim*. Hinc barbitonsorem *chirurgum*, chirurgum *Licentiatum*, Licentiatum *Doctorem*, Doctorem *Cathedraticum*. Hinc belli gregarius miles solet dici *Decurio*, Decurio *Centurio*, Centurio *Legionarius*, Legionarius Στράτηγος, *Armorum Generalis*, &c.

De Metonymia Theologica.

Accidit etiam sæpe ut sub Virtutum larva, & nomine vitia protepant. Antiqua miseria ista est. Olim in Romana militia asserente Lucano. — *Vitio, sceleriq; nefando Nomen erat Virtus.*

Vitia interdum protruduntur sub Virtutum nominibus.

Quæ vel ex parte hypocrisis se protrudit in Claustra: aliquando enim apud Religiosos Relaxatio nominatur discretio, & sub mansuetudinis, & modestiæ vocabulis, non pauca irregularia tolerantur. Melleus Doctor *Epist. VII.* sic scribit Adamo. *His ergo talibus & tam gravibus malis dare assensum, exhibere obsequiū, impendere adjutorium, tu mihi obedientiam nominas, modestiam nuncupas, appellas mansuetudinem? Tu, inquam, conaris pessima vitia, virtutum palliare nominibus? An te putas hoc sine injuria facere Domini virtutum, quod virtutibus facis injuriam? Vanissimam præsumptionem, turpissimam levitatem, crudelissimam dissensionem, obedientia, modestia, mansuetudinis nominibus velas, & velatis sordibus sacra illa vocabula maculas. Hanc ego nunquam amuler obedientiam. Talem mihi nunquam libeat modestiam, vel potius molestiam imitari. Hujuscemodi mansuetudo semper longè fiat à me. Talis siquidem obedientia, omni est contemptu deterior. Talis quoque modestia ultra omnem modum extenditur. Vltra dicam, an citra? Sed verius forsan, & utroque competentius dixerim extra. Qualis denique illa est mansuetudo, quæ ipso etiam audita omnium aures exasperat? Volo tamen eam ipsam, ut & mihi modò exhibeas; Cùm tam patiens sis, ut à quolibet, etiam quò non licet, pertrahi non contendas, liceat & me, obsecro,* &c. Hujusmodi sæpè aliàs Metonymiam Sanctus Pater condemnat: & acerrime in Epist. I. quæ est ad Robertum suum nepotem. In illa præter alia sic inquit.

De Obedientia, Modestia, & Mansuetudine adulterinis.

Quales sint, si sincerè exponatur.

[Primò quidem missus est Magnus quidam Prior ab ipso Principe Priorum: foris quidem apparens in vestimentis ovium: intrinsecùs autem lupus rapax. Deceptisque custodibus, æstimantibus quidē ovem esse: væ, væ, admissus est solus ad solam lupus oviculam. Nec refugit ovicula lupum, quem & ipsa putabat ovem. Quid plura? Attrahit, allicit, blanditur, & novi evangelii prædicator commendat crapulam, parsimoniam damnat; voluntariam paupertatem miseriam dicit; jejunia, vigilias, silentium, manuumque laborem vocat insaniam: è contrariò ociositatem contemplationem nuncupat: edacitatem, loquacitatem, curiositatem, cunctam denique intemperantiam nominat discretionem. Quando, inquit, delectatur Deus cruciatibus nostris? Vbi præcipit Scriptura quempiam sese interficere? Qualis verò Religio est fodere terram, sylvam excidere, stercora comportare? Nunquid non sententia veritatis est, *Misericordiam volo & non sacrificium?* Et *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat:* Et *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conse-*

Lupus sub Ovis specie.

Virtutes Vitiorum vocabulis scelerati designant.

se-

sequentur? Vt quid verò Deus cibos creavit, si non liceat manducare? Vt quid nobis corpora dedit si prohibeat sustentare? Denique, *qui sibi nequam, cui bonus?* Quis unquam sanus sapiens carnem suam odio habuit? Talibus tandem allegationibus malè credulus puer circumventus seducitur: seductorem sequitur: Cluniacum ducitur: tondetur, raditur, lavatur, rusticanis, vetustis, sordidis, induitur pretiosis, novis ac nitidis: & ita in conventum suscipitur. &c.]

An, & quando in vocabulorũ abusu reperiatur hypocrisis?

Hanc, & meritò, D. Franciscus de Quevedo Metonymiam appellavit Hypocrisim: hoc enim Vitium omnia signa percurrit, & in vocalibus præcipuè innotescit, aut latet. Quevedus itaque in Mundo introrsum perspecto, & dilucidato (mihi pag. 140.) sic scribit.

El Mundo por de dentro D. Francisci de Quevedo liber est, dignissimus, qui ab Ascetis & sanctissimis Viris legatur. Ridet in illo Author. Quid inde? *Ridentem dicere verum quid vetat?* Illum Ego cum magno fructu lego, & ut eundem perlegant universis persuadeo.

[Todo es Hypocresia. Pues en los nombres de las cosas no ay la mayor del mundo? El Zapatero de viejo se llama *Entretenedor del calçado*: El Botero *Sastre del vino*, que le haze de vestir; El moço de mulas, *Gentilhombre del camino*; El bodegon, *Estado*; El bodegonero, *Contador*; El verdugo se llama *Miembro de la Iustitia*: Y el corchete, *Criado*: El fullero, *Diestro*. El ventero, *Huesped*; la taberna, *Hermita*; La puteria, *Casa*; las putas, *Damas*: las alcahuetas, *Dueñas*; los cornudos, *Honrados*: *Amistad* llaman el amancebamiento: *Trato* à la usura: *Burla*, à la estafa; *Gracia*, la mentira: *Donaire*, la malicia; *Descuido*, la bellaqueria; *Valiente*, el desvergonçado: *Cortesano*, el vagamundo; Al negro, *Moreno*. *Señor Maestro*, al albardero: y *Señor Dotor*, al platicante: Assi, que, ni son lo que parecen, ni lo que se llaman. Hipocritas en el nombre, y en el hecho. Pues unos nombres, que ay generales. A toda picara *Señora hermosa*. A todo habito largo, *Señor licentiado*. A todo gallufero, *Señor Soldado*. A todo bien vestido, *Señor hidalgo*. A todo capigorron, o lo que fuere, *Canonigo, o Arcidiano*. A todo Escrivano *Secretario*. De suerte que todo el hombre es mentira por qualquier parte, que le examineis, si no es que ignorante como tu, creas las experiencias. Ves los pecados? Pues todos son hipocresia, y en ella empieçan, y acaban, y della nacen, y se alimenta la Ira, la Gula, la Sobervia, la Avaricia, la Luxuria, la Pereza, el Homicidio, y otros mil. &c.]

Quam latè apud Hispanos pateat Politica vocabulorum Metonymia?

Hæc eadem, quæ solutâ oratione edisseruit Quevedus, alii vinctâ dixerunt: hæc enim vocabulorum Hypocrisis per omnes linguas, artes, & modos loquendi decurrit. Audire Moratam proderit, qui in Comœdiâ, quæ inscribitur, *El Señor D. Iuan de Austria*, (quæ ingenio & calamo Doct. Ioannis Perez de Montalvan debetur) Act. 3. sic inquit.

Contingit sæpe, ut quæ doctè scripta sint in prosa rescribantur in metro, aut contrà. De hoc circumfertur celebre Comitis de Villamediana Tetrastichon, videlicet,
Desterraron a Podrosa 261
Vn malsin, y otro perverso,
Porque lo ha dicho en prosa,
Lo que yo les dixe en verso.

Esto, que llamas mentir,
Es Señor tan ordinario,
Que sin haver menester,
Desde el menor al mas alto.
Mienten todos en el Mundo,
Disfrazando, y bautizando
Vicios, defetos, y nombre:
Y assi vereis, que llamamos.
Al zapatero de viejo.
Conservador del calçado,
Mancebo *al moço de mulas*.
Valeroso *al temerario*.
Sastre del vino *al botero*,
Al holgaçan cortesano,
Al verdugo executor,
A los corchetes criados.
Diligente *al importuno*,
Al ignorante callado,
Al bufon entretenido,
Al sufridor hombre honrado.
Al ventero señor huesped,
Al rufian de noche bravo,
Al platicante Dotor,
Al mohatrero hombre de trato.
Al hablador eloquente,
Al vicioso enamorado,
A la cantonera dama,
Alegre al que esta borracho.
Al estafar hazer burla,
A hurto tomar prestado,
Destreza *a la fulleria*,
Galanteria *al desgarro*.
Mocedad *a la luxuria*,
A la lisonja agasajo,
Hermitas *a las tabernas*,
Disgustos *a los agravios*.
Conversacion *a los juegos*,
Divertimiento *a los dados*,
Y a un largo amancebamiento
Con los hijos de seys años,
Correspondencia: *de suerte*,
Que en humilde, o alto estado,
Desde el menor al mayor,
Miente el bueno, miente el malo,
Miente el grande, miente el chico,
Miente el moço, miente el amo;

*] Abutitur voce *mentir* Poeta, ut statim videbimus

An hic vocum abusus ad alias nationes transierit?

Y quien dice, que no miente [*]
Miente, y remiente por quatro.
Y ha de mentir juro a Dios,
Mientras no hiziere el vellaco,
Informacion de cartuxo,
O quodlibetos de santo.

Sed & hi significationem abusus non se continent intra Laici Lexici terminos, nam etiam ad Ecclesiasticam Dialectum transeunt. Quidam Iunior, salvâ semper proborum sinceritate, sic inquit. *Trovarete quivi tutti li vitii ridotti, come nel proprio centro: e quel ch'è peggio fregiati sotto altri titoli: mentre li Prelati chiamano zelo la tirannide,* decoro *il lusso*, maestà *l'ambitione*, modestia *la fintione*, santità *l'hypocrisia*, e recreationi spirituali *le libidini scandalose*. &c. Respondet D. Ioannes suo Moratæ, *Lindamente has descurrido*. Adquiescis: Interrogas tamen: *An mendacium in hujusmodi Ampliatione inveniatur?* Et ego, ut Tibi respondeam, interrogo, *An, & qualis in eadem Ampliatione sit falsitas?*

An in Metonymia Politica committatur mendacium?

Afferendum est primò, falsitatem propriè dictam, qualis ad mendacium requiritur, non inveniri extra propositionem: unde apprehensiones simplices, sive in Nominativo, sive in Vocativo, sive in alio casu ponantur, quamdiu nihil affertur, negatur-ve, mendacii non incriminantur.

In quanam mentis operatione falsitas reperiatur?

Afferendum est secundò, Propositionem de subjecto non supponente à falsa debere distingui: aliud enim est dicere, *Petrus, qui caret anima rationali, currit*, & aliud toto Cœlo diversum, *Petrus, qui currit, caret anima rationali*. Prima enim Propositio est tantummodò secundum dici; nam non habet subjectum; repugnat enim homo, qui non sit animal rationale: ergo non est verè Propositio, adeoque nec est vera, nec falsa.

An Propositio de subjecto non supponente, vera vel falsa dici possit?

Afferendum est tertiò posse adhuc dici non esse de subjecto non supponente hujusmodi Propositiones: quoniam sicut *Generatio unius est corruptio alterius*, & in eorum opinione, qui solidos cœlos admittunt, *Rarefactio unius est condensatio alterius*, sic posset dici, *Ampliationem unius esse diminutionem alterius*. Et cum res ipsæ censentur ampliari, restringi vocem ad minorem significationem. Quam ob rem, si dixerit Petrus, *In Madritensi civitate residet Hispaniarum Rex*. oportet scire, quo sensu nomen *Civitas* accipiatur: nam, si in rigorosa, & propria significatione sumitur, est de termino non supponente hæc Propositio, quoniam non est in Mundo Civitas Madritensis, Madritum enim Villa est, & non Civitas: cæterùm, si nomen *Civitas* contrahi dicatur, & restringi, & pro Villa tunc accipi, Propositio erit vera; Petrusque non dicet Madritum esse Civitatem, sed esse Villam grandiori nomine significabit. Sic similiter, cùm quis Chirurgum vocat *Medicum*, si nominis rigorem intendat, rem ipsam ampliat: si adulari desideret, nomen contrahit, ut minùs significet, quàm posset. Ergo interdum vocum communissimas & receptissimas significationes restringunt Adulatio, & urbanitas.

De Generatione, Rarefactione, &c.

An Madritum sit Civitas?
Et hic obiter nota vocem Villa minus Latinè, & plus Hispanicè significare.

Claudamus hoc Scholion verbis ejusdem Itali Anonymi, quem citavi, qui addendo Glossas Politicas verbis Orationis Dominicæ sic infit.

Assai vorrei dir, mà perche sò,
Che della verità ogn'un si picca,
E chi vuol dir il ver al fin s'impicca
Dimittimus.

Quid tandem inveniatur Veritati?

Ergo & nos, ne Lectoribus molesti simus, calamum dimittamus.



RE-

RESTRICTIO.

Quid, & quotuplex sit? An ad Rhetoricam, an verò ad Dialecticam spectet? An ipsa in toto hoc Volumine Objectum Attributionis sit? An in Propositione Restrictâ, Subjecto, an verò adhæreat Restrictio Prædicato? Quo modo à Termino Restricto ad Non-restrictum affirmativè, & negativè argumentari debeamus? Plerasque Patris Roderici de Arriaga in hac materiâ Conclusiones esse falsas improbabilesque demonstratur clarissimè: ostenditurque in Consequentiis, quæ tantùm ratione materiæ bonæ sunt, Syncategoremata Omnis, Nullus, Non omnis, *&c. necessariò exulare?* 262

An Restrictio ad Rhetoricã, an verò ad Dialecticam spectet?



Pervenîmus ad Restrictionem tandem, propter quam pleraq; omnia, quæ sunt in hoc Libro, dicuntur. Figura est nobilissima, quam suam esse Oratores, & ad se pertinere, Dialectici ingeniosè contendunt. Et apud Nos in hoc Opere Objectum Attributionis dici debet: universa enim, quæ in eo exponuntur, aut eam immediatè dilucidant, aut illa illustrant, quæ propter eam adducuntur, & edisseruntur.

Quid illa sit?

Agunt de Restrictione Logici, cùm de Terminorum Proprietatibus disputant; & Pater Philippus à Sanctiss. Trinitate *in summ. Philosoph. par. 1. qu. 14. art. 5. pag. 100. b.* sic eam definit, RESTRICTIO *est*, ait, *coarctatio Termini à majori ad minorem suppositionem*. Et. benè; nam hoc Orationis schema præstat, ut dictio latiùs patens ad minorem, arctioremque significationem reducatur.

Quot modos seu species habent?

Quot autem modis fieri potest Restrictio? Quatuor recenset, & enumerat P. Philippus: inquit enim. [HAEC *quatuor modis fieri potest*. PRIMO, *per additionem casus obliqui; ut* Doctrina D. Thomæ est præstantior aliis. SECVNDO, *per appositionem Termini Adjectivi, ut* Homo Europæus. TERTIO *per appositionem Substantivi minùs communis, ut* Animal Elephas est irrationale. QVARTO, *per appositionem alicujus adverbii, ut* Qui currit velociter. *&c.*]

Explicantur aliqua nomina, videlicet.

Et quidem in his quatuor casibus, à P. Philippo designatis, significationis Restrictio manifestè conspicitur; nomen enim *doctrina*, si nihil addatur, patet latissimè, & universalissimè, & de quacumque potest intelligi: & tamen, cùm illo Genitivo *D. Thomæ* afficitur, contrahitur, ut non jam Scotisticam, aut Nominalem, sed solam importet Thomisticam.

Doctrina Thomistica.

Sic etiam nomen *Homo* absolutè sumptum, Indum, Libyum, Americanum, &c. significare potest. & tamen hoc ipsum non potest, si epitheto *Europæus* contrahatur; Europæus enim, nec est Indus, nec Lybyus, nec Americanus. Et sic etiam *Animal*, quod seorsim sumebatur genericè; adjecto substantivo illo *Elephas* sumitur specificè. [Cæterùm; quia non est moris, ut genericum nomen per specificum determinemus, ponam aliud exemplum, quod communis loquendi modus approbet. Dicam igitur, *Imperator* Carolus *V. anno* 1500. *nascitur*. In qua propositione *Imperator*, quod est nomen commune, & conveniens universis Cæsaribus, per substantivi *Carolus* additionem contrahitur, ut nullum, qui aliud habuit nomen, significet: & quia multi Caroli fue-

Homo Europæus.

Animal Elephas.

Imperator Carolus V.

sunt Imperatores, per illud nomen *Quintus* adhuc determinatur, ut eum Carolum solùm significet, qui post alios quatuor Carolos gubernavit.] Et tandem, si plurimi currant, dicens, *Qui currit*, neminem illorum designabo: cæterùm, si tardo pede cæteri, & festino se promoveat Franciscus, ego dicens, *Qui velociter currit*, hunc solum, & non cæteros significabo.

Qui currit velociter.

Quomodo à termino restricto ad non restrictum; aut contrà; valeat argumentatio?

De hac materia disputat Arriaga *in summul. disp. 2. sect. 8. pag. 15. b.* & cæteris Dialecticis in Definitione, & Divisione Restrictionis quoad substantiam conveniens, explicat (quod non semper fecerunt alii) Quo à Termino Restricto modo ad non Restrictum, aut contra, valeat Argumentatio. Interim, quia Vir, aliàs oculatissimus, adlucinatur in re clarâ, ejus verba subjicio. Inquit enim. [Adverte bene argui affirmativè à Termino non restricto ad restrictum. ut *Omnis homo moritur. Ergo homo sapiens moritur, & fortis moritur.* &c. non verò & contrario. *Homo fortis pugnat. Ergo omnis homo pugnat.*] Non ingreditur difficultatem. Progrediatur; fortè enim meliùs Negationem quam affirmationem intelliget. [Negativè inquit, bene argui à termino restricto ad non restrictum, ut *Homo fortis non disputat. Ergo non omnis homo disputat.* non autem è contrario à termino non restricto ad restrictum, ut *Non omnis homo pugnat. Ergo homo fortis non pugnat.* hæc enim consequentia mala est: potest enim homo fortis pugnare non pugnantibus aliis.] Rem non capit, eamque totam exemplis importunis perturbat. Ego verò sic inquam.

An adlucinetur Arriaga?

Terminus non restrictus & restrictus cum Superiori & Inferiori (Universali & Particulari) componuntur.

De Termino non Restricto & Restricto, sicut de Superiori & Inferiori (Universali, & Particulari; hoc est, sicut de Animali & Homine) debet Dialecticus philosophari. Prætereà hujuscemodi Termini bifariam ingredi poterunt Propositionem. Possumus enim Primò hos terminos ponere pro subjecto addendo prædicatum commune: possumusque secundò hos ipsos terminos ex parte prædicati ponere commune subjectum præmittendo.

De Consequentiis, in quibus se tenet ex parte subjecti Restrictio.

De priori igitur Consequentiarum genere, in quo restrictio, & non restrictio ad subjectum spectat, sic statuo. Dico ergo

Primò. *A non restricto ad restrictum (ab Universali ad Particularem) non valet affirmativè Argumentatio.* Est contra Arriagam, & tamen certissima, & clarissima Assertio. Errat enim, qui dicit, *Equus currit. Ergo equus albus currit.* (aut etiam, *Animal caret ratione, ergo animal rationale caret ratione.*) nam indefinita æquivalet particulari; & ex una particulari, alia particularis non deducitur. Exemplum positum ab Arriaga non est ad rem. Illud erat. *Omnis homo moritur. Ergo homo sapiens moritur.* Consequentia enim non stat propter restrictionem, aut non restrictionem subjecti, sed propter Antecedentis universalitatem. Nam illud Enthymema, virtute continet totum hunc syllogismum.

Enthymema virtualiter continet integrum Syllogismum.

Omnis homo moritur.
Homo sapiens est homo.
Ergo homo sapiens moritur.

unde, si in primâ Propositione ponatur prædicatum, quod non omnibus hominibus conveniat, *homo* erit terminus non restrictus, & *homo Germanus* restrictus, & tamen Consequentia non stabit. Puta, si dicam.

Indefinita Propositio in materia contingenti æquivalet Universali.

Homo natus est in Germania.
Homo Hispanus est homo.
Ergo homo Hispanus natus est in Germaniâ.

Et tamen Major est vera: est enim particularis, & aliquem, aut aliquos homines natos fuisse in Germania, certum est.

Secundò. *A restricto ad non restrictum affirmativè valet argumentatio.* Est etiam contra Arriagam: & suadetur, quia benè discurrit, quia dicit, *Homo fortis pugnat, ergo homo pugnat,* (aut etiam, *Animal rationale hic adest, Ergo hic animal adest.*) Arriaga, ut hanc esse malam Consequentiam ostendat, sic colligit. *Homo fortis pugnat, Ergo omnis homo pugnat.* Hæc autem consequentia; non, quia terminos restrictos, aut non restrictos; habet, sed quia ex particulari universalem infert, est mala.

Universalis ex Particulari non infertur.

Tertiò. *A termino restricto ad non restrictum bona est argumentatio negativè.* ut *Homo fortis non disputat. Ergo homo non disputat.* (aut *Animal rationale non currit. Ergo animal* (hoc est, *aliquod animal*) *non currit.* Consono Arriagæ; qui

Constat Arriagam non penetrare hanc difficultatè: quoniam etiam ubi bene loquitur, exempla idonea non adducit.

ta-

tamen in exemplo exorbitat, inquit enim, *Homo fortis non disputat. Ergo non omnis homo disputat.* Exorbitat, quia non benè didicit, quid significet hæc vox *non omnis*. Porrò, qui diceret, *Non omnes homines esse albos*, aliquos esse, & aliquos non esse albos diceret. Ergo hæc propositio, *Non omnes homines disputant*, æquivalebit huic, *Aliqui quidem disputant, & aliqui non disputant*. Et hac veritate præmissa, demonstrabo ex vera Arriagam, in suo exemplo, falsam positionem inferre. Ponamus enim nullum hominem disputare, & tunc erit vera hæc Propositio, *Homo fortis non disputat*, & falsa hæc, *Non omnis homo disputat*, quæ æquipollet huic *Aliquis disputat, & aliquis homo non disputat*.

Quid significet vox Non omnis.

Quartò. *A non restricto ad restrictum non valet consequentia*. Suadetur clarissimè hoc exemplo. *Homo non pugnat, Ergo homo fortis non pugnat*. Potest enim dormiente Thersite pugnare Achilles; & tunc esset Antecedens verum & Consequens falsum. Sæpè enim monuimus indefinitas adscribi censui particularium. [Et sic etiam, *Animal* (hoc est, *aliquod animal*) *caret intellectu. Ergo animal rationale caret intellectu*, non valet.] Est Arriagæ sententia, quam obnubilat ponendo sine causa in Antecedente syncategorema *non omnis*.

An illo abutatur Arriaga?

His sic positis, & expositis ad secundum Consequentiarum Ordinem, in quo Restrictio, & Non-restrictio ex parte prædicati collocatur, transeamus. Dicamus ergo.

De secundo Consequentiarum Ordine.

Quintò. *A termino restricto ad non restrictum (sicut ab inferiori ad superiorem) affirmativè valet argumentatio*, ut *Est Petrus homo doctus, ergo est homo. Est Theologiæ Doctor ergo est Doctor*: (Sicut etiam *Est homo, Ergo est animal. Est animal, ergo est vivens.*)

Non hæreo in horum Dictorum probatione aut dilucidatione, quoniam doctrinā indubitatam præ se ferunt.

Sextò. *Contra verò à non restricto ad restrictum (aut à superiori ad inferiorem) affirmativè consequentia non valet*: malè enim discurreret, qui diceret, *Petrus est homo, ergo est homo doctus. Est Doctor, ergo est Theologiæ Doctor*. (Sicut etiam, qui adderet, *Leo est Animal, Ergo est homo. Platanus est vivens. Ergo est animal.*)

Explicantur Consequentiæ in quibus Restrictio & Non restrictio se tenent ex parte prædicati.

Septimò. *A termino non restricto ad restrictum (sicut à superiori ad inferiorem) negativè valet argumentatio*, ut *Simius non est homo. Ergo non est homo doctus. Ausonius non est Doctor, Ergo non est Theologiæ Doctor*. (Sicut etiam, *Quercus non est animal, Ergo non est homo. Lapis non est vivens. Ergo non est animal.*)

Octavò. *Contra verò, à restricto ad non restrictum, (aut ab inferiori ad superiorem) negativè Consequentia non valet*: malè enim argumentaretur, qui diceret, *Cornelius non est homo doctus, ergo non est homo. Non est Theologiæ Doctor, ergo non est Doctor*. (Sicut etiam, qui adderet. *Canis non est homo, Ergo non est animal. Cupressus non est animal, Ergo non est vivens*. 263

An, & cur in præsenti Dissertatione à syncategorematicis terminis (Omnis, Nullus, Non omnis, *&c.*) *abstinere debeamus?*

Hinc pace Arriagæ patet Scriptores, qui de Consequentiis, quæ ex Terminis restrictis, & non restrictis inferuntur, disputant, à syncategorematicis terminis præscindere, necessariò debere, & tantummodò categorematicos considerare: hic enim de Consequentiis, quæ ratione materiæ; non verò de iis, quæ ratione formæ colliguntur; erudita procedit Dissertatio.

Alia ratione materiæ Consequentia, & alia ratione formæ commendatur.



APPENDIX.

De Interrogatione & Responsione.

Cur hic de Interrogatione & Responsione disseratur?



Ut melius cognoscatur Restrictionis ingenium, operæ-pretium erit exempla generalia proponere, quibus & docti & ducti ad ulteriora pede illæso pergamus. Agemus igitur impræsentiarum de Interrogatione & Responsione, quæ sunt gene alissimæ quædam Orationis Humanæ proprietates: nihil enim in Mundo est, de quo inquiri, & de quo responderi non possit.

Magna prorsus vi Interrogatio, & magno etiam decore Orationem exornat. Illâ non ita crebrò Cicero, sed frequentissimè uti solet Demosthenes. P. Nicolaus Caussinus de Eloquut. libr. 7. cap. 26. pag. 443. interrogat, *Quis usus Interrogationis sit apud Demosthenem*? Et respondet, *sæpe utitur hac Figurâ, dum vult aliquid insinuare mentibus, & interrogat se, & suspendit animos: deinde respondet.*

An hac Figura apud Oratores sit frequens?

Quomodo Interrogatio ab Assertione distinguatur?

Sanè ab Assertione Vocali tono & modo loquendi, ab scripta puncti figura differt Interrogatio. Et interdum sensum diversum aut etiã adversum & contrarium præ se fert, si quæ assertivè deberent, interrogativè dicantur, aut pungantur. Iam id Libr. præced. proposui, exposui & suasi, verba illa S. Augustini producendo: videlicet. *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te*. quæ, quia assertivè ab Episcopo Hipponensi sunt dicta, sunt Catholica, & ad Apostolicam Fidem spectant: Et eadem ipsa, quia puncto assertivo in interrogativum mutato, à Ioanne Calvino sic rescribitur, *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te?* sunt heretica, & Orthodoxæ Veritati contraria.

De S. Augustini verbis à Ioanne Calvino desiguratis.

Etiam in Humanis Literis de punctorum qualitate Opiniones occurrunt. Proponam ex Martiale hoc exemplum.

De verbis Martialis.

Sextiliane bibis, quantum subsellia quinque
Solus; aqua totus ebrius esse potes.

Et interrogant Critici, quali puncto terminetur Pentametrum? Illud nonnulli subscribentes Ramirezio & Marsilio, claudebant assertivo: at interrogatorio claudi jubet Raderus, ut exhibeat hunc sensum. *Itane simulas te aquam bibere? Non potes te aquâ toties inebriare. Certè merum bibis, idque generosissimum.*

Quo illa puncto (assertorio ne, an interrogatorio) claudantur?

Primâ resolutâ quæstione, *An reverâ Propositio Interrogativa, an Assertiva sit?* locum habet secunda, videlicet, *An per ipsam, si Interrogativa sit, Responsio quæcumque restringatur?* Et respondeo assertivè. Quoniam voces *sic*, & *non* (Hisp. *si*, & *no*) sunt latissimæ significationis. Nam, si interroges Ioannem, *An egressus sit domo?* & Petrum *An audiverit Missam?* & tamen uterque dicat *non*, non significabunt idem, illa *non*: quoniam primum est, *Non sum egressus domo.* & secundum *Non audivi Missam.*

Interrogatio Responsionem restringit.

SECTIO I.

An Interrogationem restringat aliquando Responsio?

Sæpe respondere nescimus, quoniam quæ interrogamur, ignoramus. Dico ergo Interrogationem bifariam posse considerari: nimirùm, vel respectu illius, qui interrogat, aut interrogatur; vel aliorum. Portò, qui interrogatur, nisi bene interrogationem intelligat, prudenter respondere non potest: & ideò, cùm interrogamur, & non bene percipimus, quid rogemur, non respondemus, sed per alteram interrogationẽ, quid velit rescire, qui nos interrogat, interrogamus. Semper igitur Responsio obscura vel ambigua per Interrogationem restringetur. Quod ipsum tametsi exemplum datum evidenter ostendat, hæc subjungo. INT. *Fuisti in foro?* ℞. *Fui.* INT. *Loquutus es Ioanni, an Francisco?* ℞. *Francisco.* INT. *Quando redibis?*

Oportet, ut ante responsionem quid rogamur, intelligamus.

Interrogationi obscura non debetur Responsio, sed altera interrogatio.

℞.

℞ *Cras*. INT. *Quanti emisit istum equum?* ℞. *Centum aureis*, &c. Si solas Responsiones quis colligat, nullum sensum inveniet: at singulæ per suam interrogationem restrictæ, reddent sensum integrum, & sunt categorematicæ Propositiones. Ergo, qui interrogat, aut quid interrogetur scit, audita responsione, tametsi hæc unico verbo expediatur, subaudit cætera, quæ Interrogatio consignificat. *At transeamus ad alios*. Sæpe enim contingit, quod nesciamus, quid interrogatum fuerit, vel quia interrogationem omninò nescîmus, aut illam in genere novimus. Et tunc solet contingere, ut ex Responsione ipsam certò, aut saltem probabiliter deducamus. Consultò dixi *solet*; nam aliquando talis erit Responsio, ut nisi aliæ circumstantiæ concurrant, rimari non possimus, quæ, & qualis fuerit interrogatio. Et, ne te exemplis novis onerem, illas, quas paulò antè dedimus, reponamus. Erant ipsæ. *Fui. Francisco. Cras. Centum aureis*. Et, ut puto, ne OEdipus quidem erit, qui ex illis inferat interrogationes, quibus satisfecerunt. Cæterùm etiam sæpe fusiùs respondere solemus, & tunc meliùs ex Responsione colligitur interrogatio. Pono exemplum. Reperis Christum Act. 1. 7. respondisse Fidelibus; *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ posuit Pater in suâ potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûsſancti*, &c. Et rescire aves, quid illi interrogaverint? Aio ex his Christi verbis bene colligi, illos tempus determinatum alicujus rei futuræ rogavisse. Et consideratis circumstantiis & Iudæorum votis, illos voluisse discere tempus redemptionis à servitute temporali. Illud prius colligebatur manifestè, hoc posterius non nisi probabiliter. Et ex utroq; inferebatur interrogationem fuisse; *Si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* Pono alterum exemplum. Qui legerit omnia, quæ D. N. Iesus-Christus Discipulis suis Matth. 24. à vers. 4. ad 51. copiosè respondet, ignorare non poterit, quænam illorum fuerit interrogatio: erat enim. *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod erit signum adventus tui, & consummationis sæculi?*

Quid faciendū, quando solam Responsionem audimus, & nescimus qualis fuerit interrogatio?

An ex Christi Responsione sciri possit, quid Discipuli illum interrogaverint?

Quando restituetur Regnum Israel?

Quando erit Iudicium finale?

ADDAM aliud exemplum: & quia in exemplis non requiritur veritas, proponam fabulam, quam apud Hottingerum *libr. 1. cap. 8. pag. 296.* reperio: sic enim ait. [*Vnum tantùm adhuc addemus, cujus meminit Seldenus* pag. 109. de Diis Syris. *Idem putandum est*, scribit, *de æneo capite; quod Gerbertus ille Rhemensis primùm, deinde Raven. Archiepiscopus, & postea Pontifex Maximus, Sylvester secundus dictus, à Saracenis Hispaniensibus, idque ad humanæ curiositatis satietatem edoctus, in oraculum sibi conflavit. G. Malmesburiensis de gestis Regum Angliæ*. De Gerberto fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput, certa inspectione syderum; cùm videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed vel affirmativè vel negativè pronunciaret. Verbi gratiâ cum diceret Gerbertus, *Ero Apostolicus*. Responderet statua, *Etiam*. Item *Morior antequam cantem Missam in Hierusalem?* ℞. *Non*. Et addit: *Sed responso de mortis tempore deceptus est: Cogitavit enim ille urbem Hierusalem. Oraculum autem ædes sic dictas Romæ voluit*.] Sunt fabulæ. P. Franciscus Carriere in Digesto Chronologiæ Papalis ad ann. 999. *Mathematices fuit insigniter eruditus & Astrologiæ scientificus: hincque præbuit ansam apud ignaros opinandi, quod Magicis incantationibus ad tantum culmen elevatus esset: quod Benno Pseudo-Cardinalis de eo effutiit. Cujus testimonio perculsi recentiores Scriptores dubitarunt, An adnumerandus esset inter Pontifices, quem crederent à diabolo fuisse promotum*. Ego veritatem historiæ non examino: esto falsa, si velis: nam me vocat ultimæ Interrogationis Responsio, quæ debet perpendi, & exponi. Ergo, ne Sylvestri II. in dubium revocemus pietatem, hunc Gerbertum fuisse quemdam ignotū sacerdotem simplicem, & habuisse cum diabolo pactum expressum supponamus.

Gerbertus ad summum Pontificatum evectus, Sylvester II. dici voluit.

G. Malmesburiensis *libr.* 2. c. 10.

An sit vera hæc historia, Scriptores inter se non conveniunt.

Mathesios & Astrologiæ cognitionem sacrilegam Magiam vocat Benno, ut Sylvestrum dedecoret.

Manet casus, & mutatur persona, ut liberius loquamur.

Sunt duo loca, quæ nuncupantur Hierusalem: alter in Palæstinâ. Romæ est antiquissima Sanctæ Crucis Ecclesia; cui Ordinis Cisterciensis Monasterium, in quo Viri sanctissimi, & doctissimi serviunt Deo, hodiè adhæret. In Palæstina est Civitas, ob Christi passionem celeberrima, quæ ob peccata nostra à Mahometanis possidetur, Ergo illa verba,

Est duplex Hierusalem; nimirùm Romæ & in Palæstina.

verba, *Morior antequam Missam cantem in Hierusalem*. Sunt æquivoca: & possunt intelligi de Palæstinieo, aut de templo Romano. Interrogantem habuisse in mente Palæstinicum templum, supponamus, si velis. Ergo ne per actum mentis significatio anceps restringebatur? Hanc consequentiam nego: &, quod mireris, negat diabolus, & tamen iste, non solùm verba, sed & mentis actus cognoscebat. Ergo diabolus scit, non dari Restrictiones Mentales. Et hanc consequentiam persuadeo. Diabolus tenetur verum respondere vi pacti: nam hoc dissolveretur, si ille responderet mendacium. Ergo vera fuit Responsio diaboli; quæ erat *Non*, hoc est, *Non morieris, antequam cantes Missam in Hierosolymis*, Ergo interrogatio non fuit per actum mentis restricta: quia aliàs responsio fuisset falsa. Sanè Interrogatio æquivoca habet vim disjunctivæ; nec erit categorica, nisi per aliquam circumstantiam consignificantem restringatur. Ergo illa Gereberti interrogatio, *Moriarne antequam missam celebrem in Hierusalem*? reddit hunc sensum. *Moriarne antequam vel in Hierusalem Romanorum, aut in Hierusalem Palæstinorum Missam celebrem*. Responditque Diabolus, *Non*, hoc est, *Non morieris donec in uno, aut altero ex his duobus locis Missam celebres*. Ergo, si est æquivoca Interrogatio, non potest per Responsionem restringi: & Responsio, si manet æquivoca, per effectum extrinsecum ad veritatem, aut falsitatem restingetur. Erit enim vera, si alterum: falsa, si neutrum accidat.

Diabolus Restrictiones Mentales non admittit: & tamen illas scire & admittere deberet, si darentur.

Diabolus ex contractu tenetur magis dicere veritatem: & frangitur contractus, si mentiatur.

Vt disjunctiva sit vera, sufficit, si unum membrum sit verum: &, si nullum est verum, erit falsa.

Et hic moneri Lector poterit in Epistolis multos locos obscuros occurrere, qui dilucidantur, si illa, cui altera respondet, legatur. Certè ὑγιαίνειν tametsi *bene valere* sonet, sumitur æquivocè, ut aliàs significet *bene valere corpore*: & aliàs *bene valere mente*. Et quia in Epistolâ quâdam legitur hæc Inscriptio, Βασιλεὺς Αγυσίλαος Μενεκράτῃ ὑγιαίνειν. *Rex Agesilaus Menecrati bene valere*: quærunt Critici, quo sensu illa vox accipiatur? Ecce Rex prudentissimus salutem plurimam dicit: sed qualem? corporis-ne, an animæ? Porrò æquivocatio tollitur, & significatio indefinita restringitur, si discamus, ad cujus, & ad qualem Epistolam responderit Agesilaus. Erat Medicus Menectates; & ab ægrotis, quos curabat, honorarii sive mercedis nomine extorquebat, quòd Ζεὺς, *Iuppiter* nominaretur, ob quam arrogantiam erat infensus plurimis, & ab omnibus irridebatur. Eò pervenit hominis superbi temeritas, ut scriberet Αγησιλάῳ Βασιλεῖ Μενεκράτης Ζεὺς χαίρειν. *Agesilao Regi Menecrates Iuppiter salvere*. Et quid erat quæso illud Μενεκράτης Ζεὺς, *Menecrates Iuppiter* nisi morbi character? Dicendum erat illi, *Medice, cura te ipsum*. Ergo Rex, quando ipsi scripsit ὑγιαίνειν, ad ejus caput, & delirium respexit, ita ut ibi illud ὑγιαίνειν per Menecratis Epistolam, & arrogantiam restrictum, sit *bene valere, prudenter sapere, & carere delirio*. Vide Ælianum, si velis.

Epistola responsoria verba per priorem restringuntur, & explicantur.

Quid sit ὑγιαίνειν?

Menecrates medicus de quo cū ægrotis pretio pacisceretur?

N. B. Agesilaus erat statura corporis brevi, & altero pede claudus fuit: at rara virtute præditus, modestissime vixit, & generosissimè pugnavit. Ejus vitam in Plutarcho reperies.

SECTIO II.

De Petitione & Concessione. *Item:* De Promissione, & Acceptatione. *Nec-non*. De Hæreticorum erroribus, & eorumdem Condemnatione. *&c. Vtrùm posterior per priorem, an verò prior per posteriorem restringatur?*

Proponuntur Quæstiones.

MEritò hic hæ Quęstiones moventur; quoniam sicut per Interrogationem Responsio, sic per Petitionem Concessio, per Promissionem Acceptatio, & per Hæterodoxi errores Censura Ecclesiæ, ad talem, aut talem qualitatem restringitur. Et, ut benè intelligas singula, adnotato, omnes illos sex terminos, de quibus agitur, *quoad se*, & *quoad nos* posse considerari si considerentur primo modo, à prioribus semper est accipienda Restrictio. Si considerentur secundo, poterit, & solet contingere, ut qui in prioribus aliquas circumstantias ignoret, timari eas possit in posterioribus, si istas benè percallear. Quoniam sæpè per Concessionem Petitio, per Acceptationem Promissio, & per Condemnationem Hæreticorum error innotescit. Quia plerumque sibi mutuò respondent: quoniam, ut Regula XLV. Canonici Iuris nos monet; *Inspicimus in obscuris id, quod est verisimilius, vel quod plerumq;*

Cur illa edisserantur in Articulo de Interrogatione?

Et quoad se, & quoad nos possunt considerari.

Ex his, quæ plerumque accidunt, licet aliquando non accidant, Probabilis consequentia deducitur.

rumque fieri consuevit. Interim, quia non probat semper esse, quod aliquando contingit abesse, hujusmodi argumentationes non semper sunt indubitatæ. Primò, quia non semper conceditur, quod petitur: sed interdum aliquid aliud, quod commodius dari, vel recipi potest utiliùs. Secundò, quia Factum à Iure Concilia universa distinguunt. Et ut in specie loquar, Tridentinum Concilium, quænam doctrinæ sint hæreticæ, anathemate exploso significat: an verò illæ ipsæ Lutheri, aut Calvini fuerint, non exponit: nam ad conscientiæ nostræ securitatem nosse, quænam sit doctrina Orthodoxa, requiritur: utrum autem negata ab hoc, vel ab illo fuerit, conducit ad eruditionem, & sine hac notitia poterimus ad Empyreum venire. Quæ omnia firmat clarissimè Innocentii X. Constitutio, in quâ quinque Iansenianæ Hæreseos Propositiones condemnantur. Et in ipsis, si interroges; Quales illæ sint? Constitutio respondet, singulas sua censura inurendo. Si autem petieris, Cujus illæ sint? ab hac quæstione, quæ salutem æternam non concernit, & solùm ad cruditionem, & historiam spectat, se subducit prudentissimus Pontifex: & tametsi illæ certissimè sint Cornelii Iansenii, & in ejus libro legantur, non ait ille Iansenii esse, aut non esse, sed occasione sumpta ex illo libro, fuisse examinatas, & illis censuris condemnatas.

An semper obcedatur: quod petitur?

Has, vel illas doctrinas esse falsas Concilia Orthodoxa definiunt; at illas hujus aut illius Authoris esse non definiunt.

Innocentius X. propositiones quinque damnat; at illas esse, aut non esse Cornelii Iansenij non dicit.

SECTIO III.

De Interrogatione Tentativa. An per *Dissimulationem Interrogatio restringatur?*

NON semper ab ignorantia nascitur Interrogatio, sæpè enim interrogamus, quæ maximè scimus: scientiamque nostram quasi dissimulamus. Nec ideò incusari fraudis possumusque; non enim semper Dissimulatio mala est; sed tunc tantùm quandò ad aliquem fallendum dirigitur; quam ob rem Magistri sanctè suos discipulos interrogant, cùm examinant eos, aut instituunt. Habemus clarissimum exemplum in Historiâ Evangelicâ: subeuntem enim in montem Dominum nostrum Iesum-Christum numerosa hominum multitudo, signis & prodigiis, quæ ab ipso passim patrabantur, ducta, comitabatur. Et illam miseratus Dominus, ne inediâ deficeret, adnotat Philippum, & ait illi. Πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι. *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Et, ne fortè hinc aliquis inferre velit, Christum tunc aliqua laborasse ignorantia, & voluisse à Philippo sibi ignotam veritatem doceri, subjungit Divinus Historiographus τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν, αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν. *Hoc autem dicebat tentans* (ut instrueret) *eum; ipse enim sciebat, quid facturus esset facere.* Hisp. *Que tendria de hazer*. Vulg. *quid esset facturus*. &c.

Ioann. 6. 5.

Interrogatio Tentativa dicitur, quando Magister, non ut discat, sed ut videat, an discipulus sciat, interrogat?

Huc exspectant, quæ de sensu Tentativo dicuntur, nam si Magister ut periclitetur An discipulus rem bene intelligat, dicat *Duo & tria sunt sex. Triangulus habet quatuor lineas*. &c. loquitur tentativè: & tametsi Grammaticè videatur asserere, reverà interrogat, ut firmet aut instituat discipulum, laudaturus, si obsistat; correcturus, si adnuat. Et, ut puto, Sensum hunc Tentativum, qui, ut dicebam, virtualiter est Interrogativus, non percallebat Origenes, nam in eo duplicem errorem admisit: Alterum, dicens Magistrum, in casu proposito mentiri, Alterum carere peccato hoc mendacium: contra quem nos tenemus Primò, Magistrum in casu proposito interrogare, non asserere; adeoque non mentiri. Secundò, eumdem ex suppositione, quòd assertivè loqueretur, mentiri, & peccare; mendacia enim ad peccatum reputantur, etiam officiosissima. Nunc proderit audire Hieronymũ, qui *libr. 1. Apolog. contr. Ruffinum* his verbis sententiam proponit Origenis. *Hæc Origenes scripsit*, ait: *Negare possumus. Et scripsit in libris, quos ad Perfectos & Discipulos suos loquebatur; docetque Magistris mentiendum, Discipulos autem non debere mentiri*. Infert Hieronymus. *Qui ergo bene mentitur, & absque ulla verecundia, quidquid in buccam venerit, confingit in fratres, Magistrum se optimum probat*. Ecce Origenes, quia malè fuit loquutus, & noluit suam mentem exponere, præbuit occasionem Hieronymo, ut hanc universalissimam. Consequentiam in-

Non sunt mendacia Magistrorum propositiones, quæ non in sensu assertivo, sed in tentativo dicuntur.

An Tentativus sensus virtualiter sit Interrogativus?

Omne mendacium, etsi officiosum sit, est peccatum.

An mentiri Magistris liceat?

Origenes adlucinatur.

inferret. Tu autem dic Tentamen nihil prorsus afferere; & Tentativas omnes Propositiones, etsi assertivæ oculis insipientium appareant, Interrogativas esse, si scholasticè, aut magisterialiter considerentur.

Præterea, Declamator, siquando vult ad circumstantiam aliquam Auditores universos reflectere, solet non spectatam Interrogationem interponere. Et aptissimè hunc Canonem dilucidat historia quam Erasmus *lib. 6. apophth.* refert. Domitius Afer causam gravem agebat in Senatu, & partem illam tuebatur, quæ non nisi magno testium pondere dejici posset. Is autem, qui à diversa erat parte, inculcabat frequenter; *Celsina hoc dicit*, sciebat probè Domitius Celsinam esse præpotentem in Vrbe fœminam, cui opum gratiâ plurimum tribueretur; & tamen simulans, se credere Celsinam virum esse, rogavit; *Qui est ille Celsina*? Quâ ingeniosâ interrogatione Viraginem à testimonio repulit; & arguit Adversarii ignorantiam, qui nesciret fœminas, & præcipuè ubi res graves ventilantur, in testes non debere produci.

An fœmina testimonium perhibeant?

SECTIO IV.

De obscurâ aut æquivocâ Interrogatione. *An subvenire casus possint, in quibus directè respondere liceat, antequam Interrogatio ponatur, aut intelligatur?*

De Interrogatione obscura. An illi respondere possimus?

N. B.
Sanè præcepto obscuro, antequam sciam quid importet, obedire non possum: verùm, si talis sit Superior, ut iudicem nullam rem malâ precepturum; me facturum, quod ipse precipiat, potero polliceri.

AVdis multos Viros doctos dicentes. *Interrogationi obscuræ non debetur responsio, sed altera Interrogatio*, & interrogas, *An hæc doctrina sit universaliter vera? An detur, dari-ve possit casus, in quo, ad ea, quæ quis non intellexit possit respondere assertivè?* Respondeo, interrogationem bifariam posse considerari: nimirùm, nudam, vel affectam (restrictam) aliquâ circumstantiâ, si consideretur primo modo, semper erit vera doctrina, de quâ dubitas: si enim nescis, *Quid interrogem*: etiam, *Quid respondere possis*, nescies. Cæterùm, si consideretur secundo modo, talis poterit adjungi circumstantia, quæ omnem obscuritatem auferat, & claritatem manifestam inducat. Et, ut persuadeam, à moribus communibus argumentum deduceam. A moribus, inquam, communibus: nam Comœdiæ ad vulgi captum componuntur; & illud insolentia ratiocinia non capit. Producam ergo illam, cui titulus *La hija del Ayre*, ob quam Petrus Calderon fuit debitũ consequutus applausum. In illius itaque part. 2. act. 2. pag. 155. 2. introducuntur Semiramis & Frissus colloquentes,

Semir. *Ya. Mas primero, que aqui*
Mi pecho os descubra ossado,
Dezidme vos, si arriesgado [a]
Tendreis valor para? Friss. *Si.*
Semir. *Pues como de aqueste modo,*
Antes de oyr para que,
Me respondeis? Friss. *Porque sè,*
Que le tengo, para todo.
Semir. *Y daisme palabra hoy.*
Friss. *Si Señora.* Semir. *Antes de oir*
De que? Friss. *Si: que estoes dezir,*
Que para todo os la doy.

a] Libri impressi habent *restado*. Sed quo sensu?

Fundamentalis lex.

Placuerunt Viris doctis hæc Carmina: & ut universi cognoscerent generosam & obedientem Tirsi resignationem D. Iodocus Baquere, Poëta laureatus, illa sic reddidit.

Generosi animi & obedire parati pulchra expressio.

Sem. *Ego. Sed priusquam cordis audacis tibi*
Abdita revelem; eris-ne sufficiens.
Friss. *Ero.*
Sem. *Animum quid offers, conscius nondum mei?*
Friss. *Animus ferendo quidquid impones erit.*
Sem. *Hodie-ne spondes.* Friss. *Spondeo, ut jubes, tibi.*
Sem. *Implere spondes jussa, quæ nondum dedi?*
Friss. *Spondeo. Peracta cuncta, quæ jubes, dabo.*
Sic est. &c.

Sed & Ego alio metri genere conatus fueram Frissi mentem animosam æquè ac obsequiosam exprimere; & sic scripseram.

Sem. *Illa ego: Verùm temerè priusquam*
Segnis aut audax animum revelē,
Scire debebo, tibi sit-ne pectus,
Corque, ut exactè facias. Friss. *Et est cor,*
Et mihi pectus.
Sem. *Frisse, festinas nimis arrogante,*
Qua peti nondũ, citò polliceris, [*]
Fors tuas vires facinus retundet,
Quod volo. Friss. *Nostro nihil est in Orbe*
Pectore majus. Sem.

*] In adverbio *citò*, prima est brevis, & secunda communis.

N. B.
Adonium Carmen tria Sapphica sequi solet; hic autem, nam est cōceptus insolens, etiam ad numeros debuit propagari insolentia.

Sem. *Tu fidem, verbum mihi das,*
manumque.
Friss. *Do.* Sem. *Tace; expecta.*
Potes imperitus
Consili nostri dare? Friss. *Diva*
possum:
Namque, ut incendam, incinerem,
retundam,
Atque trucidem,
Regias arces, cuneos Potentum,
Principum turmas, Procerum phalanges,
Terminos Mundi superans furore,
Ad Scythas, Mauros, gelidos, adustos;
Iusseris ibo.

Divinarum & Humanarum legum differentia.

Sic suæ Reginæ Frissus, cujus verba ad Canones Prudentiæ discussa, Heroicâ exuberant temeritate. Vbi loquitur Deus, ante quam audias, *Obediam*, poteris respondere: ubi autem homines, sæpe enim exorbitantia indicunt, *ut non respondeas, priùsquàm audias*, Eccl. 11. 8. moneris ab Spiritusancto.

Humana leges justa, quando?

Porrò non sunt exleges Leges Principum nisi enim, cùm concipiuntur, originariâ labe careant, non poterunt in lucem emissæ populos gubernare. Lex ad quam elimari debent, antequam publicentur est Divina. Libr. 9. de Dei Civit. Augustinus. *Omnium legum est inanis censura, nisi Divina legis imaginem gerat.* Quò respiciens dixerat alibi, *Non semper malum esse non obedire; Cùm Dominus jubet ea, qua sunt cõtraria Deo, tunc ei obediendum non est.* [Habetur 11. quæst. 3.]

Frissi hæc cœca & prompta Obedientia à Calderone imaginata, ita Pictori placuit, ut eam paucis mutatis in aliâ Comœdiâ (quæ *Affectos de Odio y de Amor* inscribitur) reponere non dubitaverit. Introducit Christernam Sueviæ Reginam Cassimiro dicentem.

Regina. *Pues sabed, que interrompido*
Aquel intento con esta [*]
Desaçon, que aqui haveis visto,
Ya consultarla no quiero
Con nadie, sino con migo.
Cassim. *Y hazeis bien. Que mas consejo,*
Señora, que al vuestro mismo?
Regina. *Pues oid. Pero primero,*
Que me resuelva a dezirlo,
Me haveis de hazer juramento
Del secreto. Cassim. *A los Divinos*
Cielos, la rodilla entierra,
Una mano sobre el limpio
Azero, en las vuestras otra
Lo otorgo, juro, y confirmo.
Regin. *Ceremonias de homenaje*
Sabeis. Cassim. *Tal vez he leido,*
Que esta es su forma. Regin. *Pues yo*
Con toda ella le recibo. &c.
Y confirmais, otorgais,
Y jurais? Cass. *Si.* Regin. *Sin oirlo?*
Cassim. *Pues que haze el adelantarlo,*
Quien sabe, que ha de cumplirlo.
Regin. *Que en la demanda de esta*
Faccion, que de vos confio,
Perdereis la vida antes,
Que el effecto? Cassim. *Assi lo affirmo.*
Regin. *Pues con los soldados, que*
Yo os entregare escogidos
Ireis a la raya en cuyos
Marañados laberynthos
Emboscado esperareis,
Hasta que en ella os de aviso.
&c.

[*] Dictiones, quæ incipiunt à particula Des, quarum in Lingua Hispanica copiosa reperitur supellex, ut desmentir, desengañar, & quæ hic ponitur desaçonar, & aliæ multæ similes, reddi nequeunt Latinè.

Logica Moralis.

Quo ritu Iuramentum solenne (Hispan. Homenaje) in Regum, & Principum manibus emittatur?

An posse, quin fecas quod promittas, promittere?

266

Comœdia, & Fabula bonos debent mores Auditores docere.

Discant igitur non solùm Politici & Milites, sed etiam Religiosi & Ascetæ normam exactam Obedientiæ; cogitatæ enim proponuntur Historiæ (Hisp. *las Novelas, y Fabulas*) ut moneamur dulciter, & corrigamur suaviter. Legerat Calderonius Bernardum, qui libell. de præcept. & dispens. ad Monachos Carnotenses scribit. [Non attendit verus obediens, quale sit, quod *præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur.* & dilucidans Cantica *Bonus obediẽs dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere,* Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum. Paratum, quodcumque præceperis, facere. Paratum ad nutum citiùs obedire. Paratum tibi vacare, proximis ministrare, me ipsum custodire, & in Cælestium contemplatione requiescere. Amabilis sociis, omnibus officiosus, nulli onerosus, devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum. Domini servus, proximi socius, Mundi dominus. Superiora habens ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. *&c.*] Sis tu talis, & sufficit.

Imago sincera Obedientia.

Sanè apud Orthodoxos quorum Canones & Pandectæ sunt justi,

Quid requiratur, ut sanum membrum Communitatis quispiam sit?

Prima Lex, & quæ primo in loco ponenda, est Νόμοις πείθȣ. *Legibus pare*: cui enim non est animus observandi omnes leges (præsentes, quia sunt; futuras, cùm sint; ignotas, cũ illas resciverit, esse nõ potest membrum benè gubernatæ Reipublicæ. Sunto ergo Aulici nobis Religiosis pudori, qui Superiorum leges, quas deberemus cœcis oculis exsequi, in examen vocamus. Mores nostros elimemus ad Veri Obedientis imaginem. Illam breviter expressit Prophera Rex, cùm dixit,

Quæ sit Vera Obedientia?

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Illam S. Paulus, cùm ait; *Domine, quid me vis facere?* Quid dicis Paule? Faciam. Sed quid facies, si nescis, quid tibi jubeatur? Antequam mihi jubeatur, dico, *Faciam*. Scio enim nil mihi absonum jubendum esse: & habeo animum obediendi in omnibus, quæ mihi jubeantur. Et Apostolum imitabatur Augustinus quando cum summa resignatione exclamabat,

Aliter Deo, & aliter obedimus hominibus; ipse enim dat, quod jubet; donaque sua in nostra obedientia coronat.

Domine, da, quod jubes; & jube, quod vis. Illam D. Bernardus *de præcept. & dispens.* paulò uberiùs. *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur; nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis, & ad omne, quod injungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitam li-*

An, & quibus terminis contineatur?

bertatem extenditur. &c. *Verus Obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intùs colligit, ut mandatum peragat imperantis*, &c. *Non attendit Verus Obediens, quale sit, quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur*. Proderit legere Epictetum 7. ex quo *lib. 2. Manuduct. cap. 17.* Iustus Lipsius. [Semper

Resignatio Epicteti.

magis volo, quæ Deus vult, quàm quæ ego. Adjungar, & adhærebo illi, velut Minister, & Assecla: cum illo appeto, cum illo desidero: & simpliciter, atque uno verbo, *Quod Deus vult, volo*. O in Cœlo nata (exclamat Lipsius) atque illinc pro-

Iusti Lipsii paraphrasis.

fecta verba! O ego, Epictete, sic afficiar? Ausim, in Deum sublatis oculis dicere: *Utere me in reliquum ubi lubet, & ut lubet: mente tecum consentio: æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles, ducito; quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? privatam esse? manere? fugere? in paupertate? in opibus agere? Ego non assentior tantùm, sed in his omnibus apud alios te defendam & tuebor*.] Et iterum idem Auctor ibi. libr. 3. dissert. 22. [*Consitui & conformavi voluntatem meam Divinæ. Vult me febricitare? & ego volo: aliquid aggredi? volo: potiri? volo: non potiri? nolo.* [a] *mori? volo*.]

a] Scio, quid velit Lipsius dicere, at illud *nolo* ejus sententiam non expunit. Ego enim dicerem, *Vult me potiri? volo: non vult? nolo* aut sic. *Vult me potiri? volo. non potiri* (nempe *vult?*) *& id volo*. Quoniam in *non potiri* illud *non* ad *potiri* refertur, non ad *vult*, & ideò ex parte illi mea *volo* respondet, & non *nolo*.

Doctrina de Appellatione, quæ in Summulis à Dialecticis traditur, interdum & præcipuè ubi quæritur Negationis subjectum, est obscura & difficilis.

SECTIO V.

De Ironica Interrogatione. *An Simplex, & Grammatica Interrogatio in Affirmationem Ironicam à Rhetore converti possit?*

De bonis operibus. An sint necessaria ad salutem?

ARticuli I. Sectionem VIII. lege: proderit enim differentiam, quæ inter hanc Propositionem, *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te*. quæ S. Augustini, & Catholicorum omnium est; & hanc, *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te?* quæ Calvini & Hæreticorum dogma est, ibi positam, & expositam considerare. Et posteà huc revertaris, & Conclusionem, quam subscribo perpende.

An, & quo propositio modo, quin mutetur objectum, aut alteretur litera, ex falsa in veram, aut contra, convertatur?

Sic inquam. *Assertio falsa, illæsa litera, erit vera, si ironicè, aut interrogativè sumatur*.

Vt hanc nostram Conclusionem persuadeam, pono ob oculos illa Iunonis verba.

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.

Et quidem hæc ipsa Propositio, Grãmaticè, & ut jacet, est falsa. Et, quia Deam dedeceret mendacium, illam Calepinus & Passeratius ad Ironiam reducunt: inquiunt enim

De Interrogatione & Ironia.

[*Ironia*, penult. product. Figura est in pronunciatione vim omnem habens. &c. Cùm scilicet pronunciatione ipsa nos diversum ostendimus significare, ab eo, quod verba ipsa videntur sonare. Ejusmodi est illud Iunonis apud Virgilium Æneid. 10.

An pronunciandi modus alteret significationem?

Me duce Dardanius Spartam expugnavit Adulter.

Nisi amaritudo vocis adjuverit, confiteri

fieri videtur, quod negare conatur.] Ecce Iunonis verba, ut vera sint, ironiceè Viri docti suscipiunt. At Erythræus, non Ironiam in illis reperit; nam, ut vult, & præcedentia ostendunt, sunt Interrogativa. Et, ut clarè veritatem percipias, exscribam versus, qui immediatè præcesserant. Dicebat (nempe, Veneri) Iuno.

An carmen citatum debeat ironicè, an verò interrogativè proferri?

——— *Quid me alta silentia cogis*
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem? &c.
——— *Nam linquere castra*
Hortati sumus [*] *aut vitam committere ventis?*
Num puero summam belli, num credere muros? &c.
Quis Deus in fraudem? quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hic Iuno, demissa-ve nubibus Iris. &c.
Quid gravidam bellis Urbem, & corda aspera tentas?
Nos-ne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miserôs qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit consurgere in arma?
Europamq; Asiamq; & fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovi-ve cupidine bella?
Tunc decuit metuisse; tuis nunc sera querelis
Haud justiis adsurgis, & irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Iuno, cunctiq; fremebant

*] Cùm Vir ob Majestatem in plurali loquitur dicens, *Latos nos reddidere tua litera*, utitur masculino genere: quare autem fœminina? An ne *Nos sumus verata* dicet Iuno. Negat Virgilius. Textum relege.

Cælicolæ assensu vario. [*] &c.

Illæ profectò voces, *Quis? quid? num? nos-ne?* & aliæ similes non Deam asserendo, sed interrogando loqui, evidenter ostendunt. Sensus est. *Feci-ne ego hoc, aut hoc, aut hoc?* &c. *Si fecerim, tunc decuit metuisse: si autem non feci, tuis querelis haud justus fera* (Hisp. *fuera de tiempo*) *contra me insurgis.*

*] *Assensu vario.* Et quis miretur tot esse in mundo Opiniones, quot capita, si tanta sit sensuum (hoc est, Sententiarum) varietas, ut illam Maro ad Cælicolas transferat.

Sed quis quæso est ille *Adulter Dardanius?* & quid est furto fœdus solvere? Servius respondet & exponit his verbis.

Dardanus Adulter, quisnam fuerit?

Fœdera solvere furto.] Legitur in historiis quod Trojani cum Græcis fœdus habuerunt. Vnde etiam Paris est susceptus hospitio, & sic commisit adulterium. Ergo *furto fœdera solvere*, est *furto amicitias dissipare*: nam furtum est, adulterium, unde est; *& dulcia furta*. Et eversi Ilii hæc est vera causa. Nam fœdera, quæ inter Græcos, & Trojanos fuerunt, ita soluta sunt. Hercules cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Esionam Priami sororem Thelamoni dedisset, profecti sunt legati cum Priamo, & eam minimè repetere potuerunt, illis dicentibus se eam habere Iure bellorum. Vnde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem Regis, aut filiam, qui expugnatâ Spartâ Helenam rapuit. Hinc ergo Virg. utrumque tangit, & istam Historiam, quam modò diximus, & propter Iudicium Paridis, quamvis fabula sit illa res, & à Poetâ composita.

Quid sit furto fœdera solvere?

An adulterium furtum sit?

Quonam furta dulcia nominantur?

Causa belli & excidii Trojani.

An fabulosa sint, quæ de Paridis à Poetis concinnantur judicio?



VIGLEVANI

TYPIS EPISCOPALIBVS

Anno MDCLXXVIII.

Articulorum, Sectionum, & Notarum
SERIES.

Omnes Numeri sunt Paginarum.

CAPUT I.

CAPVT II,

AR-

CAPVT III.

CAPVT IV.

No-

CAPUT V.

Hy-



IN-

INDEX CRITICVS.

Proponit nonnulla, quæ ad Scientias Literatorias pertinent.

Omnes Numeri sunt Paginarum.

Consultò illud *nonnulla* posui; quoniam, multa vocabula, quia visa sunt habere necessariam connexionem cum rebus, in alterum Indicem rejecta sunt.

A

C

D

De

E

G

L

M

N

P

Q

R

S

Quot

T

V





INDEX GENERALIS.

Omnes Numeri sunt Paginarum.

Logica Moralis Lib. I.

Hhhhh a De

B

C

D

E

An

F

G

H

An

I

L.

N

An



O

Au-

Logica Moralis Lib. L

Q

R

Rhe-

Kkkkk

An

Cur

X

Y

Z






RESTAURO DEL LIBRO

